2

12185

BENEDICTI PERERII VALENTINI,

E SOCIETATE IESV,

COMMENTARIORUM ET Disputationum in Geneſim,

Tomus Secundus.

Continens nouem libros circa Hiſtoriam Moſis, de Diluuio, Arca Noë, Aedificatione Turris Babel, Confuſione linguarum, aliiſq; vſque ad vocationem Abrahæ, id eſt, à capite quinto, vſque ad duodecimum.

Adiectus eſt præterea huic Tomo, Liber eiuſdem Auctoris de Benedictionibus duodecim Patriarcharum.



LVGDVNI,
APVD HORATIVM CARDON,

M. D CII.
CVM PRIVILEGIO.



ILLVSTRISSIMO, AC DOCTISSIMO D. LVPO SOAREZ DE ALBERGARIA, SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, ET contra Hæreticam prauitatem, atque apostasiam in Lusitania Quæsitori

IOANNES BAPTISTA REGNAVLD. S.

PEtiisti *à nobis humaniter, quod efflagitare posses, Albergaria Illustrissime, vt Benedicti Pererij è Societate* IESV, *in Genesim Commentariorum pars altera, dedita Lugduni opera ederẽtur. Neque tibi tã facilè fuit imperare, quàm nobis, ad exoluendum pensum, animum comparare. Acta res est, sed vt in lucem veniat, tuæ laudis luce opus erit. Par enim sit vt à quo labor hic noster cœpit auspicium, ab eodem exigat patrocinium. Ac tui nominis amplitudo, & splendor quas non tenebras vel inuidiæ, vel maleuolẽtiæ dissipabit? Hæc prima nũcupationis causa obuersatur animo. Scimus quantumuis à te lõgo terrarum, & Occeani tractu dissiti, quanta tui sit generis claritas, quæ à præcipua Lusitaniæ, & reliquæ Hispaniæ nobilitate petita, Hispanica etiã cognominis Albergariæ Etymologia, receptaculum te ac tutelã hominũ prædicet. Multo minus tua nos eximia sapiẽtia ac singularis in doctos viros, literarumq; vel rudi conatu studiosos beneuolentia latere potest. Quamobrem non solum te hominum*

quod gentile cognomen indicat : sed ingenuarum maximè artium receptaculũ iure dixerimus. Quid receptaculum? imò, absit elogio inuidia, spectaculum. In te vno multiplici eruditione viro humanarúmque & diuinarum literarum cultore sapientissimo, ingenuo dignas artes spectandas proponis. Te scilicet spectant bonarum artium amatores, & post spectaculum, insignis Bibliothecæ tuæ theatrum demirantur. Te per honorifica doctissimorum hominum iudicia efferũt, te constans vbique fama decantat. Nemini igitur mirum videri debet, si viden di cupidis mortalibus lucem adferre, & ex antiquo Cæsarum documẽto spectacula exhibere curas. Macte esto industria, Lupe Illustrissime, cui rectè Genesis, hoc est, generatio, abiecto obscuritatis integumento propalam debetur: tu enim consepulta tenebris literarum monumenta vitæ restitui Typographiæ beneficio, elaboras. Immò verò rationi dissentaneũ visum fuit, vt Pererius ex ea familia, quã vnice amas, quæq; terrarum orbem nominis sui fama compleuit, breuibus Italiæ angustijs circumscriberetur. Pleno hic riuus alueo extra ripas effluat: & quemadmodum Arar à Rhodano Lugduni incrementũ accipit, sic Pererius Lugduni apud Iuntas tuis auspicijs Rhodano, vel Galliæ coniunctos, crescente in dies eruditionis gloria cõmendetur. At tu Albegaria doctissime, neque amoris pignus asperneris, neque à Iuntis abalienato animo disiungi velis. Quorum alterum obtinebit auctoris dignitas: alterum nobis de tua humanitate pollicemur.

Vale.

HENRI

HENRICO CAETANO,
S. R. E. CARDINALI ET CAMERARIO AMPLISSIMO.

BENEDICTUS PERERIUS
E SOCIETATE IESV, S. D.



I ex eo tempore, quo primus in Geneſim Cõmentariorum meorũ tomus, Cardinalis Amplissime, tui nominis ſplẽdore illuſtratꝰ in publicũ exiit: quã tus ad laudum tuarum magnitudinem acceſſit cumulus, tantum etiam mihi ad Sacras litteras pro earum dignitate tractandas facultatis acceſsiſſet, equidẽ fore ſperarẽ, vt ſi primus ille Cõmẽtariorum tomus viris doctis minimè diſplicuit: iiſdem ſecundus, hic, etiam valde placeret. Namque id tẽporis conſecuta eſt memorabilis illa tua legatio Gallica: quæ vt ampliſſima tibi materies fuit grauiſſimorum laborum & periculorum, moleſtiſſimarúmque curarum: ita ſummę laudis atque immortalis gloriæ ſeges fuit vberrima. Profudiſti quidem tu in ea legatione, ac propemodũ euertiſti patrimoniũ tuũ: ſed ita tamen pro publica Religionis cauſa, in Regno quondam omnium florentiſſimo, propugnandã tuendáque profudiſti: pro qua vel ipſum ſanguinem vitámq; pro fũdere glorioſum erat. Verum maior profecto ea res fuit, quam vt copioſa & diſerta oratione ſatis prædicari, nedũ in præſẽtia ſtrictim & raptim ꝑ merito laudari queat. Conſtat ſanè (iuuat enim innumera prætereũtem hoc tantùm attingere) fuiſſe neminẽ eo tempore in Gallia, qui maiori quàm tu vel Hæreticis odio & terrori eſſet, vel ſolatio & præſidio Catholicis. Tuam ſcilicet Hęretici oderãt ſimúlque formidabant, ad occulta ipſorum retegenda & rete-

xenda, consilia, conatúsque opprimendos mire perspicacem vigilantémque prudentiam. In malis porrò quæ vitari non poterant fortiter perferendis, inuictam animi tui constantiam admirari, vel inuiti cogebantur. Verùm ante omnia vrebat eos, quod tua potissimum auctoritate, cõsilio, oratione, Catholicorum animos, ne tantis in rerum angustiis debilitarẽtur, roborari ac sustentari cernebant. At enim contra, fidei & religionis Catholicæ amatores, atque defensores, ad te quasi firmissimum quoddam Gallicæ Ecclesiæ columen, tutissimúmque propugnaculum confugiebant. Itaque vt te præsentem, pro eximia tua suauitate, & parati ad omnia, tum consilij, tum animi magnitudine, boni omnes mirifice coluerunt: sic tu discedens & absens, incredibile tui desiderium in eorum omnium animis reliquisti. Præclarè igitur defũctus munere tuo (quod sanè in tam arduo & perplexo negotio rarum fuit) rediisti ad nos, re quidem familiari valdè attenuata & attrita: sed rei Christianę prudenter, pie, ac fideliter gestæ conscientia locuples, celebríque apud omnes fama ditissim⁹. Ergo, quia vt Noë paucos illos homines per Arcam, Diluuij exitio liberauit; ita tu plurimos exitiali malorum ab Hæreticis imminentium eluuione seruasti: consentaneum esse duxim⁹, ea tibi offerre ac dicare, quæ nos de Noë, de Arca, de Diluuio, de Animalib⁹ quę in Arcã recepta, Diluuij cladẽ euaserũt, aliísque rebus ad eam Historiam pertinẽtibus commentati sumus, & mãdata Typis in hunc secundum tomum inclusimus. Non peto abs te, vt meũ hoc munus gratũ acceptúmque habeas: id enim dubitare me non sinit tua ista in omnes effusa humanitas, benignitas, & qua me dignatus es, singularis quædam beneuolẽtia & gratia. Illud potius rogo, vt filios excellentissimi Ducis Honorati fratris tui, lectissimos iuuenes, qui Ecclesiasticis muneribus & honoribus destinantur, ad hæc maximè diuinarum literarũ studia inclines & applices: in his detineri eos, his potissimũ gaudere ac delectari velis. Nimirũ in hisce studiis, vera elucẽt Christianę nobilitatis decora, ex his pręcipua Ecclesiasticæ dignitatis ornamẽta petenda sunt: hęc honestissimis animi oblectamẽtis suauissimísq; voluptatibus redũdãt: in his demũ non terrestriũ breuíque periturarũ opum, sed immortaliũ, atq; cęlestiũ diuitiarũ thesauri cõtinẽtur.

AVCTOR LECTORI.

CREDEBAM equidem, humanissime Lector, cum edidi primum Tomum Commentariorum meorum in Genesim, fore, vt quod reliquum erat eius libri vno altero Commentariorum tomo absolui, & cõprehẽdi posset. Verùm opinionem meam fefellit euentus. Ita enim creuit opus, vel propter multarum rerum obscuritatem, quæ ingeniũ ad cõmentandum excitat vehementius, & acrius industriam acuit, vel propter ingentẽ aliarum rerum vbertatẽ atque amœnitatem, quæ ad copiam inuitat simúlque confert plurimũ: vt nisi quod supererat, duos in tomos dispertitũ esset, nec scribenti, nec legenti satis commodum, & iucundum fore videretur. Nunc igitur in lucem prodit secundus tomus, historiã Mosis à capite quinto libris Geneseos, vsque ad duodecimũ, nouẽ libris Commẽtariorũ & Disputationũ explicatã cõtinens. In quo quidẽ opere moliendo, limãdo & perficiendo, quantũ à nobis operæ, laboris & curæ, suscipi & consumi necesse fuerit, in ijs rebus quæ in eo tractantur, doctus & versatus Lector, etiam nobis tacentibus, facilè iudicabit. De tertij autem tomi editione nihil audeo polliceri, propter incertã & fallacẽ valetudinis, & vitæ conditionem. Illud tamen verè possum dicere, maiorem eius tomi partem iam à nobis elaboratam & confectam esse. *Vale.*

APPROBATIO OPERIS.

EGo Frater P. Ioannes çaragoça Magister & Socius Reuerendissimi P. Fratris Bartholomei de Miranda, Magistri Sacri Palatij ex commissione suæ Reuerẽdissimæ P. vidi & perlegi secundũ hunc Tomum Cõmentariorum in Genesim nouem libris cõprehensum, quem Reuerendus admodum P. Benedictus Pererius Valentinus è Societate IESV. Vna cũ libro de Benedictionibus duodecim Patriarcharũ summa diligentia elaboratum edit in lucem. In eo nihil deprehendi Fidei Catholicæ Christianæque disciplinæ, ac morum integritati aduersum, quódve Catholicorũ Principũ nomẽ, aut famã offẽderet, quin potius egregiam eruditionem, variã & multiplicem sanctorum Patrum aliorúmque Theologorum omnium lectionem, atque in explicandis hisce Geneseos capitibus miram dexteritatẽ. Eámque ob rem illum approbo, ac dignum censeo qui typis excusus in communem omnium vtilitatem & vsum exponatur. In cuius rei fidem præsentibus manu propria subscripsi. Die 28. Aprilis, 1592.

F. P. Ioannes çaragoça Magister.

Priuilegium P. Prouincialis Lugdun. Prouinciæ Societatis IESV, *Ioanni Baptistæ Regnauld conceſſum.*

BERNARDINVS CASTORIVS, Prouincialis Collegiorum Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxtà priuilegium eidem Societati à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege, die 10. menſis Maij, anni 1583. conceſſum (quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ad eiuſdem Societatis IESV hominibus compoſitos abſque illorũ permiſsione imprimant) permittit IOANNI BAPTISTÆ REGNAVLD, Lugdunenſi Bibliopolæ, vt opus cui titulus eſt, BENEDICTI PERERII Valentini, presbyteri Societatis IESV, Doctoríſque Theologi, *Commentariorum in Geneſim, Tomus ſecundus.* Cui adiũctus eſt eiuſdem Authoris. *Liber de Benedictionibus duodecim Patriarcharum*: ad ſex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere poſsit. Datum Lugduni, die 1. Iunij, 1592.

BERNARDINVS CASTORIVS.

INDEX

QVÆNAM PORRO IN VNOQVOQVE NOVEM LIBRORVM HVIVS TOMI PRÆCIPVE tractetur materia, Index quem hic subiiciam, perspicuè ac breuiter ostendet Lectori.

INDEX LIBRORVM SECVNDI TOMI.

IN libro octauo, qui est primus huius tomi, agitur de scelerata filiorum Dei & filiarum hominum commixtione: de Gigantibus: de generali hominum corruptela, propter quam missum à Deo est Diluuium.

In libro nono, qui est secundus, de laudibus Noë, & de ijs quæ diluuio interierunt.

In libro decimo, qui est tertius, de Arca Noë tam secundum historiam, quam secundum allegoriam & tropologiam.

In libro vndecimo, qui est quartus, de ijs quæ fuerunt in Arca, id est, de Hominibus, Animalibus & Cibarijs.

In libro duodecimo, qui est quintus, de Diluuij generatione, incremento, & statu.

In libro decimo tertio, qui est sextus, de eiusdem diluuij diminutione ac fine: & de sacrificio quod Noë: statim vt Arca egressus est, obtulit Deo.

In libro decimo quarto, qui est septimus, de carnium esu post diluuium hominibus concesso: de vetito sanguinis esu: de Iride signo nunquam amplius venturi diluuij: de ebrietate ac nuditate Noë:

de filiorum eius partim maledictione, partim benedictione.

In libro decimo quinto, qui est octauus, de prima hominum ex tribus filijs Noë post diluuium multiplicatione: de prima item gentium, nationum & regnorum origine.

In libro decimo sexto, qui est nonus, de ædificatione ciuitatis & turris Babel: de confusione ac diuisione linguarum atque hominum per omnem terræ orbem dispersione: de progenie Sem vsque ad Abraham: de Abrahæ ortu, coniugio & transmigratione ex Chaldæa in Mesopotamiam.

His autem nouem libris subiunctus est commentarius eiusdem Auctoris de Undecim Prophetijs Iacob, siue de Benedictionibus duodecim Patriarcharum, cuius Indicem, tam alphabeticum, quàm locorum sacræ Scripturæ, post finem eius Commentarij reperiet lector.

Quæ verò in singulis superiorum nouem librorum qui sunt proprij huius secundi tomi, visa nobis sunt cum ad agnitionem pulcherrima, tum ad varios legentium vsus commodissima: eorum nos copiosissimum Indicem & quasi Breuiarium quoddam totius operis, hoc loco prætexuimus.

IN

INDEX
DISPVTATIONVM
ET RERVM MEMO-RABILIVM,

QVÆ IN SINGVLIS LIBRIS HVIVS secundi Tomi Commentariorum in Geneſim tractantur.

Litera quæ eſt nota numeri, indicat numeros appoſitos in margine cuiuſcunque libri, ſequens verò paginam: p principium. m. medium: f. finem paginæ indicat. Quæ prænotata ſunt in margine huiuſmodi ſigno ſtellæ*, ea doctrinam moralem & allegoricam continent, quæ vſui Cõcionatoribus eſſe poſſit: vt ad ea Lectori indicanda, ſeparatim propium condere Indicẽ non ſit opus.

IN OCTAVO LIBRO, ID EST PRIMO HVIVS Tomi ſecundi qui eſt de cauſa propter quam miſſum à Deo eſt diluuium.

IMPROBITATEM eorũ hominum qui fuerunt ante diluuium, quatuor rebus fuiſſe maxime inſignem. Numero 1. pag. 2

Examinatur narratio Beroſi Anniani de inſtitutis & moribus hominum qui fuerunt tẽpore diluuij. 3. & 4. pag. 4

Multiplicatio hominum de qua loquitur Moſes initio capitis ſexti, quo tempore poſt Adamum & ante diluuium fieri cœpta ſit. 6. 7. 8. pa. 5. & 6

Refellitur Traditio quædam de hominibus qui fuerunt ante diluuium, falſo adſcripta Methodio. 9 pag. 6

Moralis diſputatio cum in congreſſionibus hominum ferè ab exordio cum pauci ſunt, magis viget virtus & vigor diſciplinæ, quàm cum vehemẽter multiplicati ſunt. 11. & 12. pag. 7

Intemperantia voluptatum numeroſiorem facit procreationem feminarum quàm virorum. 13. pag. 8

Circa illud : *Videntes filij Dei filias hominum* de varia lectione illius vocis *filij Dei*.14. pag.9.

Disputatio quid intelligi debeat per illam vocem Filij Dei. 15. pag.9

Mosem Filios Dei non appellasse Angelos, siue bonos siue malos. 17 pag.10

Vocabulo illo, *Filij Dei*, posse quatuor genera hominum intelligi: sed præcipue posteros ipsius Seth. 20.21.22. pag.11

* Quàm sit noxia & pestilens societas & consuetudo cum improbis, maximè verò cum mulierib⁹ breuis disputatio ex sacris litteris deprompta.25. pag.13

* Quidnam causæ sit cur sæpe qui optimi viri fuerant, peccando in sceleratissimos euadant. 26. pag.13

* Quemadmodum variis modis conatus sit diabolus impedire Dei consilium & propositum prouehendi hominem in sedes illas cœlestes, è quibus mali Angeli deiecti fuerãt, egregia Ruperti sententia.28. pag.14

De multitudine & grauitate Auctorum qui putauerunt filios Dei mixtos cum mulieribus fuisse Angelos.29.30.31.32. pag.15 & 16

Cur eam sententiam putet Cyrillus multis valde placuisse. 33. pag.17

Expenditur Cassiani argumentatio qua supradictam sententiam refellit.34 pag.17

Bonos Angelos non fuisse de cœlo lapsos propter amorem mulierum, probatur tum ex sacra scriptura, tum etiam luculento B. Chrysostomi testimonio. 35.36.37. pag.18.& 19

Disputatio, vtrum Dæmones fuerint quos Moses dixit mixtos esse cum mulieribus.38. pag.20

Mira, sed falsa Platonicos prodidisse de Natura & morib⁹ Dæmonum. 38.39. pag.20

De vario corpore Dæmonum, & sex eorum generibus secundum Psellum.42.43. pag.21

Opinio Franciſci Georgij de Natura Dæmonum falsa & absurda.45. pag.22

Probatur ex sacra scriptura & ex Philosophia, Dæmonem non habere naturaliter corpus siue cœleste siue elemẽtare, siue mixtum. 46. pag.22.& 23

Dæmones non esse mortales, vt Plutarchus, Hesiodus, & Cardanus tradiderunt.48. pag.23

Si Dæmon haberet corpus aëreum, esset multo inferior homine secũdum naturam.50. pag.24

Discutitur ratio Caietani qua ille concludi existimauit Dæmones naturaliter habere corpus aëreum.51. pag.24

Aristoteles nullum putauit esse corpus habens animam intellectiuam, quod non simul etiam haberet

beret animam sensitiuam. 52. pag. 25

Licet Dæmones essent naturaliter corporei, vim tamen generandi habere non possent. 55. pag. 25. & 26

Etiam si Dæmones haberent vim generandi, non possent tamen ex mulieribus quicquam generare nedum hominem. 57. 58. pag 26. & 27

Disputatio de Syluanis, Faunis, & Satyris vtrum fuerint in rerum natura & ex concubitu Dæmonum generati. 60. pag. 28

Disputatio de Dæmonibus, Incubis & Succubis. 63. & sequentibus. pag. 29.

Vtrum Gigantes fuerint generati à Dæmonibus incubis disputatio cum Paulo Burgensi. 66. pag. 30. m

Disputatio vtrum Dæmones gaudeant voluptatibus corporeis. 69. pag. 31. m

* Vitium luxuriæ quatuor rebus esse detestabilius ceteris vitiis. 71. pag. 32. p

Disputatio vtrum Dæmõ per semen virile possit ex muliere generare hominem. 73. & seq. pag. 32. f

Vtrum Dæmon possit assumere corpus, quantum ad omnia simile humano. 77. pag. 34. m

An corpus assumptum à Dæmone, cognosci tactu possit nõ esse corpus viuum, & verè humanũ. 79. pag. 35. m

Duæ notabiles historiæ ex Alexandro, quod corpora à Dæmonibus assumpta, sint tactu frigida, nec mollitiem ac teporem carnis humanæ reddere possint. 82. 83. p. 36. p.m.

Disputatio Caietani quod Dæmones ipsi confessi sint, se quamuis maximè cupiant, nõ posse tamen corpus facere simile humano, quantum ad tactum. 84.

* Quinque significationes, secũdũ quas vocabulum, spiritus, vsurpatur in sacris literis. 85. pag. 38. m. & seq.

An quod monuit Chrysostomus, vocabulũ, carnis, semper in scriptura summi in malam partem, & dici de homine carnali, id perpetuo verum sit 92. pag. 40. m

* Quos appellet scriptura homines carnales. 94. pag. 41. p

* Præclara Gregorij sententia docentis quemadmodũ homo qui rationalis est, fieri dicatur caro. 95. pag. 41. m

Quemadmodum Deus secundum Caietanum, tam bonos quàm malos in hac vita, ferè spiritualiter iudicat, non autem corporaliter. 98. pag. 43. p

Disputatio circa illa verba: *Erũt dies illius centũ viginti annorum*: Vtrum Deus vitam hominis post diluuium contraxerit ad annos tantum centum viginti. 99. pag. 43. f

Tempus illorum centum viginti annorum quod tunc Deus indulsit homini ad resipiscendum &

agendam pœnitentiam,vnde com putari debeat.102. pag.45. p
Quot annorum erat Noe,cum Deus ei locutus est ea verba quæ refert Moses sub initium capitis sexti. 103. pag. 45. f
Disputatio de Gigantibus, quod genus hominum intelligi debeat denotatum à Mose vocabulo Gigãtum.111. pag,48.f
Quid Theodoretus,quid item Berosus Annianus disputẽt de Gigantibus.113. pag.49.13.
Commemorantur variæ proprietates quas diuina scriptura attribuere solet iis quos appellat ipsa Gigantes.116. pag.51.p
Disputatio cum Paulo Burgensi, an quos Moses appellat Gigãtes fuerint veri Dæmones assumptis corporibus naturam humanam mentientes.117 pag. 51 f
De Etymologia vocis Hebrææ Nephilim quam Latinus interpres vertit Gigantes.118. pag.52.m
De origine vocis Hebrææ, Refain qua voce significantur in sacris literis Gigantes.120. pa. 52.f
Discutitur opinio eorum qui putarunt Gigantes esse quidem veros homines,sed generatos tamen ex commixtione dæmonum ac mulierum.121. pag.53.p
Disputatur cõtra Franciscum Georgium negantem Gigantes similiter atque cæteros homines citra dæmonum operam ex solis hominibus generari posse. 122. & sequentibus. pag.53.m.f
Gigantes non tantum fuisse ante diluuium,sed etiam post,etiam post aduentum Saluatoris nostri.126.& sequentibus. pag.54.f.& seq.
Fabulas Poëtarum de Gigantibus, fortasse vt placet viris doctis, ex hac historia Mosis habuisse originem.129. pag.56
Quidnam Poëtæ de magnitudine, robore,forma, habitatione & pugna Gigantum cum diis fabulati sint.129. 130.131.pag.56.m.f. 57.p
* Quomodo intelligendum sit illud quod dixit Moses, cuncta mcogitationem cordis illorum hominũ fuisse intentam ad malũ omni tempore.137. pag.59.m
Disputatio contra Hæreticos nostri temporis aientes omnem actionem cuiuslibet hominis etiam iustificati esse peccatum. 138. pag. 60.p
Hæreticos similes esse Sisypho in promouendis erroribus suis frustra laborantes.140. pag.60.f
Quomodo intelligendum sit quod dixit Isaias, Omnes iustitias nostras esse quasi pannum menstruatæ.142. pag.62
Illius sententiæ Dauidis: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, Quatuor interpretationes ex Patribus depromptæ. 144.pag.62.p
* Super illa verba : *Pœnituit Deum quod hominem fecisset,&c.* Disputatio quomodo verè dicãtur in Deo pœni

pœnitentia & dolor, continens erudita teſtimonia Iuſtini Martyris, Auguſtini, Theodoreti, Ruperti, & aliorum. 151. & ſequentibus. pag. 64. 65.

*Diſputatio ſecũdum Auguſtinum Chryſoſtomum, Theodoretum & alios, cur Deus perire diluuio voluerit etiam animalia quæ nihil peccauerant. 161. & ſequentibus. pag. 69. 70. 71.

IN LIBRO NONO.

Qui eſt de laudibus Noë & ijs qui perierunt Diluuio.

*MAGNÆ laudis & virtutis eſſe inter malos eſſe bonum: ſicut grauis culpæ eſt inter bonos eſſe malum, declaratur exemplis & ſententiis ex diuina ſcriptura productis. num. 1. 2. pag. 73.

Nullo tempore adeo corruptũ fuiſſe genus humanum, vt non tunc etiam ſui nominis cultores habuerit Deus. 4. ibid.

De Etymologia nominis Noe, quod ſignificat quietem vel conſolationem. 5. pag. 74. f

Quemadmodũ Noe conſolatus fuerit homines ſui temporis ab operibus & laboribus cum eius tempore acciderit diluuium. 6. & ſequentibus. pag. 75. m. f. 76. per totam paginam.

* Noe myſterio ſui nominis illuſtrem fuiſſe Chriſti Domini figuram præclara Ruperti ſentẽtia. 11. pag. 77. p

* Quid ſit inuenire gratiam coram Deo, & quemadmodum eam gratiam inuenerit Noe. 12. pag. 77. f & 78. p

Veram nobilitatem hominis non ex claritate parentum aut poſterorum, ſed ex virtutum præſtantia æſtimari debere, egregia diſputatio Ambroſij & Chryſoſtomi. 16. pag. 79. m. f

Quid ſit Noe fuiſſe iuſtum & perfectum, interpretatio Chryſoſtomi & Caietani. 18. & 19. pagin. 80. per totam.

Quid ſit Noe fuiſſe iuſtum in generatione ſua. 21. pag. 81. p. m. f

* Quid ſit quod de nonnullis legitur in ſacra ſcriptura, Ambulare cum Deo vel coram Deo. 22. pag 82. p

* Diſputatio an poſſit quiſquam in hac vita verè appellari perfectus. 23, & ſequentibus. pag. 82. f. & 83. p.

Diſputatio S. Auguſtini quomodo ſcriptura nonnullos appellet immaculatos, innocentes & abſque peccato, cùm alibi eadẽ ſcriptura doceat neminem viuere ſine peccato. 24. pag. 83. m

Qui ſint perfecti in hac vita ſecundum Auguſtinum. 25. pag. 83. f

* Quinque modis poſſe appellari aliquos in hac vita perfectos. 46. pag. 84. p

Laus Noe ſecundum Ezechielem prophetam. 29. pag. 88. m

Lucu

Luculentum eiusdem Noë præconium quod est in libro Ecclesiastici.30. pag.85.f.

Encomium Noë secundum B. Paulum.31. pag.86.m

Quomodo Paulus appellet Noë hæredem iustitiæ,quę per fidem est. 32. pag.86.f.& seq. p

Explicatur sentẽtia Beati Petri aientis Deum nõ peperciſſe originali mundo,sed octauum Noe iustitię præconem custodiuisse. 33.pagin. 87.p

Testimonium Iosephi de Noe.34. p. 77.m

Disputatio Chrysostomi de admirabili cõtinentia Noe.35. & sequentibus. pag.87.f.& seq.

Non esse improbabilem opinionem eorum,qui putauerunt Noe ante generationem Sem, Cham & Iaphet genuisse alios filios, sed eos tamen ante diluuium obiisse. 38. pag.89.p

* Quomodo intelligendum sit terram ipsam pollui & corrũpi propter peccata hominum. 39. & sequentibus. pag. 89. m.f.

Quomodo Deus dicatur videre hominum peccata.43. pag.91.p

* Explicatio illius sententiæ:*Omnis caro corruperat viam suam*, & quam varia sit in sacris litteris significatio illius vocis, via,44. & 45. pag. 91 m.f

Vtrum tempore diluuij non solum homines sed etiam animalia (vt prodidit Lyranus Hebræos secutus (contra naturam inuicem commixta fuerint.46. pag.92.

* Quid sit illud quod dixit Deus: *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* 48. pag.73.m

Prodigia & portenta in cœlo visa ingruente Longobardorum persecutione.49. pag.93.

Quomodo verum sit quod tradit scriptura, terram fuisse diluuio destructã & perditam.52.pag.94.f

Disputatio, an omnes illi qui diluuio perierunt, æternis quoque suppliciis inferni damnati sint. 53. pag.95.m

Exponitur sententia B. Hieronymi & Ruperti, qui sensisse videntur non omnes illos qui diluuio perierunt corporaliter, etiam spiritualiter periisse.53.& 54.pagin.95. & 96.

Christum post mortem descendisse secundum animam ad inferos testimonio multorum patrum demonstratur.55. pag.96.m

Christũ iis qui erant in inferno prædicasse, & cum magno eorũ fructu,opinionem esse multorum Patrum.56. pag.96.

Prædicationem Christi apud inferos profuisse iis qui Noëtico diluuio interierant, opinio Lyrani & Caietani. 58. & sequentibus. pag. 97.f

Tribus modis cogitari posse, eos qui perierunt Noëtico diluuio, non periisse omnes spiritualiter: sed nullũ eorum modorum esse pro-

probabilem. pag.98.f

Præter Noè & eos qui ſeruati ſunt in arca, non fuiſſe aliquos tempore diluuij iuſtos, probatur ex ſcriptura.62. & ſequentibus.pag. 99.

Gratis dici à nonnullis, multos eorum qui perierunt diluuio, licet vſque ad id tẽporis fuiſſent improbi, attamen ingruẽte diluuio reſipuiſſe & ſalutarem egiſſe pœnitentiam. 65. pag.100

Neminem eorum qui ſuppliciis inferni dãnati erãt fuiſſe per Chriſti ad inferos diſcenſum, inde liberatum, doctrinam & ſententiam eſſe Catholicam, multíſque Patrum teſtimoniis comprobatam 67. & ſequentibus. pag. 100 f. & ſeq.

Diſputatur quid ſenſerit Nazianzenus de iis quos Chriſtus ex inferno eduxit.71. pag.102.m

Diſputatio B. Auguſtini, quoſnam Chriſtus deſcẽdens in infernum ſolutos inferni doloribus inde eduxerit. 72. & ſequentibus pag. 103.m

Valida argumentatio qua probatur neminem damnatorum inferni ſuppliciis, fuiſſe à Chriſto liberatum. 76. & ſequentibus. pag.104. f. & ſeq. p.

An ſi Chriſtus aliquos hominum liberaſſet inferni pœnis, conſentaneum itidem ſit aliquos etiã dæmonum liberaturum eum fuiſſe. 78. pag. 105. m.

* Quomodo intelligẽda ſit illa ſententia Nahũ prophetæ: *Non vindicabit Deus bis in idipſum.* 80. & ſequentibus pag.106.p.m

* Quod B. Petrus dixit Actorum 2. Chriſtum ſoluiſſe dolores inferni, quatuor modis exponitur.84. pag. 107.f.

* An ex ſacris literis colligi poſſit, ſinum Abrahæ ſiue limbum ſanctorum patrum, fuiſſe intra terram & partem quandam inferni, de quo dubitaſſe videtur Sanctus Auguſtinus. 87. & ſequentibus. pag.108.f. & ſeq.

Quomodo intelligendum ſit quod ſcripſit B. Petrus, etiam mortuis prædicatum fuiſſe Chriſti Euangelium. 89. & ſequentibus. pag. 109. f. & ſeq.

Quid ſit quod Paulus quodam loco dixit, aliquos baptizari pro mortuis. 92. pag. 110.f

Quomodo ſit intelligendum quod dixit B. Petrus, Chriſtum prædicaſſe iis qui erãt in carcere ſpiritibus, &c.93. & ſequentibus. pag. 111. m

Quid ſignificet in Scriptura, præter vulgatam ſignificationem, vocabulum carceris. 94. pag. 112. p

Sicut Scriptura nominat hominem vocabulo carnis, ita etiam vocabulo ſpiritus.95. pag.112.m

Animaduerſio in Caietanum qui dixit eos qui perierunt diluuio, fuiſſe incredulos quidẽ Noë, ſed non Deo.99. & 100. pag. 114. m.f

IN LIBRO DECIMO.

Quid est de Arca Noë.

IRIA commemorari in sacris literis Dei non solũ iussu sed etiam designatione & præscriptione effecta ab hominibus, Mosaicum Tabernaculum, Salomonis Templum & Arcam Noë: sed hanc fuisse illis mirabiliorem, quinque de causis: num.1. pag.116.

Refellitur Berosus Annianus dicẽs, Noë syderum obseruatione præuidisse venturum diluuium. 2. pag. 117.m

Disputatur cur appellata potius sit Arca quàm nauis.3.& 4. pag. 117.f.118.p

Ratem illam qua Deucalion, vt fabulantur Poëtæ, seruatus est diluuio, etiam vocabulo Arcæ appellatam esse: & illam fabulatam ex historia, Mosis multis admixtis mendaciis fluxisse.5. pag. 118.f

Ex quo genere lignorum confecta sit Arca Noë. 6. & sequentibus. pag.119.

Non idẽ Genus ligni omnibus Arcæ partibus fabricãdis idoneum esse potuisse.8. p.120

Vbi reperiri potuerint ligna, quæ tantæ magnitudini Arcæ construendæ sufficerẽt.9. pag. 120. m

Commendatio cedrorum in sacris literis. 10. pag.120.f.121.p

De natura & viribus bituminis. 12. pag.121.m.f.

Cur Deus iussit Arcam intrinsecus & extrinsecus bitumine vngi. 13. pag. 121.f.& 122.p.

Disputatio de magnitudine & capacitate Arcæ. 14. pag. 122. m

Talem fuisse proportionem dimensionum Arcæ, qualis est dimensiõ corporis humani.14. p.122.f.

De variis mensuratum generibus: quid sit Passus, Vlna, Cubitus vel cubitũ, pes, palmus & digitus.15. pag.123.p

Apud Hebræos duplex fuisse genus cubiti: alterum vulgare, & sesquipedale, alterum quod appellatur Verum & perfectũ, vulgari maius vno palmo, minus autẽ quàm hoc erat vno digito, cubitũ Regium: cuius meminit Herodotus.16. pag. 123. m

Quale sit cubitũm illud quod Deuteronomij capite tertio appellatur cubitum virile seu virilis manus.17. pag. 123.f

Capacitatem totius Arcæ secũdum rationem Geometricã fuisse vulgarium cubitorun solidorũ quadringentorum & quinquaginta mille. 19. pag.124.m

An cubitum sacrum quo magnitudo Arcæ & Mosaici tabernaculi ac templi Salomonis definita est, fuerit ferè duplo maius quàm vulgare & vsitatum 21. pag. 125. p

Argumentatio & demõstratio mathematica, qua probare quidam conati sunt mensuram cubiti sacri fuisse eam quę proximè antea defi

d. finita est. 23. pag. 125. f. & 126.
An Mare æneum quod erat in templo Salomonis, & quod Scriptura dicit fuisse rotundum, existimandū sit fuisse mathematicè & perfectè rotundum. 24. pag. 127. m
Cum dicit Scriptura, longitudinem templi Salomonis fuisse sexaginta cubitorum in prima mensura, quid significare voluerit illis verbis, (in prima mensura.) 25. pag. 127. f. 128.
Sententia Origenis censentis Mosem locutum esse de cubitis geometricis, cum definiuit magnitudinem Arcæ: vnumquodq; autem cubitum geometricum definitur ab Origine nouem pedibus, & continet sex cubita vulgaria. 27. pag. 129. p
Discutitur expositio & deffensio prædictæ opinionis Origenis excogitata à Ioanne Buteone. 28. pag. 130. f.
Confutatio sententiæ Origenis, & demõstratio, Mosem neque hoc loco nec alibi vspiam in suis libris locutum esse de cubitis geometricis. 31. pag. 132 f.
Quam fuisset enormis nec vlli vsui magnitudo & capacitas Arcæ, si ea constitisset cubitis geometricis, vt censuit Origenes 32 pag. 133. p
A quibus hominibus ædificata sit Arca. 33. pag. 133. f
Mira de nauigio Hieronis Syracusarum regis. 34. pag. 134. p
De Ephesino templo Dianæ, & sublata contradictio ex iis quæ de eo scripsit Plinius. 35. pag. 134. p
Refellitur Berosus Annianus apud quem legitur septuaginta octo annos in fabricanda Arca esse consumptos. 36 pag. 134. f
Disputatur an vetus & communis opinio de centum annis in fabricanda Arca, exactis, & vera & certa sit. 37. & sequentibus. pag. 135. p. m
Quinque potissimum spectanda esse in structura Arcæ Noëticæ, primo tabulata siue cõtignationes eius, vel vt vocat Latinus interpres, cœnacula, deinde mansiones ad habitationem animalium, præterea ostium Arcæ, ad hæc fenestram; postremo culmen & fastigium Arcæ. 39. pag. 135. f
Disputatio quod fuerint partes principales Arcæ: partes dico, quarum singulæ totam Arcæ longitudinem & latitudinem cõtinebant, altitudinis verò tantũ partem aliquam. num. 40.
Opinio Origenis facientis quinque partes Arcæ. 41. pag. 137. m
An Septuaginta Interpretes dicẽtes Arcam fuisse bicameratã & tricameratam significare voluerint eam habuisse quinque camerasvt interpretatus est Origenes: an tãtum tres, vt exponit B. Augustinus. 42. pag. 138. p

Opinio Lyrani, Toſtati & Carthuſiani, & Hiſtoriæ Scholaſticæ. quinque partitam fuiſſe Arcam, ſed aliter tamen atque eam diſtinxit Origenes. 43. pag.138. f

Auctoris opinio, qui pręter fundum & ſentinam Arcę, tres facit principales eius partes: infimam, ad habitationem animalium terreſtrium, medium, ad conſeruationem cibariorũ, ſuprema, ad habitationẽ hominum & auiũ. 44.

Infima pars Arcæ erat alta octo vel nouem cubitis: media octo cubitis: ſuprema, nouem vel decem: fundus autem Arcæ, quẽ vocant ſentinam, quatuor vel quinque cubitis. 44. pag.138. f. & ſeq.p.m

Quid appellet Latinus interpres in Arca cœnacula & triſtega. 45. pag.139.f

Cum dicitur: *Deorſum facies cœnacula triſtega*, quid ſignificet illud *Deorſum* & quo referri debeat. 46. & ſequentibus. pag. 140. m.f. & ſeq.p.

Diſputatio de mãſionibus quæ fuerunt in Arca. 47. pag.141.m

In ea parte Arcę quę deſtinata erat habitationi animalium, deſignari potuiſſe trecentas manſiones capiẽdis omnibus animalibus quæ in Arca fuerũt abũdè ſufficientes: quælibet verò mãſiũcula habebat ſex cubitos lõgitudinis totidémque latitudinis, octo autem vel nouem altitudinis. 48.

Deſcriptio eius partis Arcę in qua erant cibaria. 49. pag. 142. m

Quemadmodum & pabula & potus in Arca diſpenſaretur omnibus animalibus. 50. ibid.

Deſcriptio ſupremæ partis Arcę, in qua erãt homines ſecũdum Buteonem. 51. pag.142 f.

Diſputatio cum Hugone Sancti Victoris vtrum extra Arcam fuerint aliquæ manſiunculæ extrinſecus affixæ ipſi Arcæ in vſum animalium quæ nominantur amphibia. num. 52. pag. 142.m.f

Animalia Amphibia poſſe diu in aquis degere, nec aquatili pabulo prorſus indigere. 53. pag.144.m

Diſputatio de oſtio Arcæ: ex quo latere Arcæ fuerit oſtium, & in qua parte eius, ſuprema ne an media, an infima. 54. pag.144. f. & ſeq.p.

Quomodo animalia facile potuerint aſcendere & ingredi in Arcam. 57. & 58. pag.146.p.m

Diſputatio de feneſtra Arcæ. 59. pag.146.m.

Opinio Hebręorum, Arcam habuiſſe lumen à prægrandi quadam gemma fulgentiſſima. 60. pag.146.f

Aliorum opinio, in ſuprema parte Arcæ ſub tecto fuiſſe in circuitu plures feneſtras ſpeculari lapide vel ex vitro aut Chryſtalo. 61. pag. 146.f. & ſeq.

Buteo vnam tãtum facit feneſtram ſed perlucidam. 62. pag. 147.p

Quan

Quanta fuerit feneſtræ magnitudo. 63. pag. 147.p
Diſputatio qualis fuerit figura & forma ſtructuræ Arcæ: enarrantur variæ Auctorum opiniones & refelluntur. 64. pag. 147.f
Prima opinio Origenis. 65. & ſequentibus. pag. 148.f. & ſeq.p.m
Secunda opinio Hugonis. num. 69. pag. 149.f
Tertia opinio Caietani. 72. pag. 151.f. 152
Quarta opinio Nicolai de Lyra. 73. pag. 153.m
Quinta opinio Ioānis Buteonis. 75. pag. 154.f
An tecti altitudo vnius tantùm cubiti, ſufficiens fuerit ad commodam eius decliuitatem & delapſum aquæ. 75. pag. 155.p.

* DISPVTATIO.

De Myſtica, id eſt, Allegorica & Tropologica interpretatione atque intelligentia Noëticæ Arcæ.

ARCAM Noë præter hiſtoriam rerū quæ narrantur à Moſe, præſignificaſſe multa Eccleſiæ Chriſti myſteria, dubitare nedum negare fas nō eſſe. 77. pag. 156.p.

Tractatur triplex Arcę interpretatio myſtica, Secundum Phyſiologiam, Allegoriam, & Tropologiam. 79 pag. 156.m
Pulcherrima diſputatio B. Ambroſij declarandis ſimilitudinem Arcæ & corporis humani quantum ad omnia, quæ de illa tradit Moſes. 80. & ſequent. pag 157.f. & ſeq.
Quomodo Arca Noë ſecundum Allegoriam figura fuit Eccleſiæ Chriſti. 84. & ſequent. pag. 161.p
Noë tam nomine quàm factis fuiſſe Chriſti figuram. 84. ibid.
De duplici quiete quam Chriſtus humano generi attulit. 85. pag. 161.m
Quomodo paſtores, & Doctores Eccleſiæ, ſint velut ligna quadrata, è quibus conſtabat Arca. 87. pag. 162.m.
Quomodo veros Chriſtianos oporteat bitumine vngi intrinſecus & extinſecus ad ſimilitudinem Arcæ. 88. pag. 162.f
Quemadmodum in Arca diuerſitas erat manſionum pro diuerſitate animalium & hominum: ita in domo Dei manſiones multæ ſunt pro diuerſitate meritorum & præmiorum. 89. pag. 163.p
Quid allegoricè ſignificet, Arcam fuiſſe ad vnum cubitum ſuperne collectam: quid, habuiſſe vnum oſtium à latere: & ex vna tantùm feneſtra lumen accepiſſe. nu. 90. pag. 163.f
Sicut Arca omnis generis animalia, & tam munda quàm immunda continebat: ſic in Eccleſia ſunt perfecti & imperfecti, ſunt boni, & mali. 91. pag. 164.m

Cur boni signentur numero septenario, mali verò numero binario. 91. ibid.

Longitudo Arcæ denotabat fidem, latitudo Charitatem, altitudo celsitudinem diuinę sapientię, & perfectionis Euangelicæ. 92. pag. 164. f

Arcam fuisse in imo amplã, in summo autem angustam: pulcherrimè B. Gregorius applicat ad Ecclesiam. 93. pag. 165. p

Quemadmodum Arca Noë secundum Tropologiam fuerit figura viri sapientis & perfecti, Origenis disputatio. 94. pag. 165. f

Quæ de Arca scripsit Moses, ea præclarè ad animã hominis accommodat Hugo Sancti Victoris. 95. & sequentib. pag 166. m

* Quid sit ostiũ & fenestra Animæ, per quæ illa exit foras vel ad actionem vel ad contemplationem. 97. pag. 167. f

* De quatuor modis quibus noster animus exit foras ad actionem. 98. pag. 168. m

* De quatuor modis quibus eximus foras per contemplationem: & de quadruplici consideratione creaturarum. 99. pag. 168. f

* Omnem creaturam his tribus vocibus loqui nobis: Accipe, Redde, Fuge, Accipe beneficiũ: Redde depitum: Fuge supplicium. Primam vocem, esse famulantis: secundam admonentis: tertiam, comminantis. 99 pag. 169. p

Tres mansiones in Arca, significare in Anima tria cogitationum genera. 100. pag. 169. f

IN LIBRO VNDECIMO.

De ijs quæ fuerunt in Arca Noë: id est, de Hominibus, Animalibus, & Cibarijs

DE Nomine vxoris Noë, & vxorem filiorum eius secundũ Berosum Annianũ, secundum Gnosticos, & secundum Epiphanium Numero 1. p. 172. m

Nec homines, nec animalia, dum fuerunt in Arca, vacasse generationi. 2. pag. 172. f

Vbi fuerit Henoch tempore diluuij. 3. pag. 173. p

Solum Noë dignum fuisse qui diluuij exitio seruaretur: ceteros autem seruatos esse tum illius causa, tum quò post diluuium reparandi generis humani auctores essent. 4. pag. 173. f

Cur sicut in exordio mundi Deus ex vno homine ceteros procreauit, non itidem quoque fecerit post diluuium. 4. ibid.

* Disputatio de mundis & immundis animalibus in Arcam ingressis: & quæ appellentur munda, quæ verò immunda animalia. 5. pag. 174. m

Disputatio, vtrum ante legem Mosis & ante diluuium fuerit distinctio mundorũ & immundorum animalium

animalium. 6. & sequentibus.. pag.174.f

Multa quę lege Mosis sancita sunt fuisse antea in vsu apud probos & pios viros.8. pag.175.f

Disputatur cõtra quosdã Hebræorum Rabbinos,multa fuisse licita ante legem Mosis, quæ postea per eam legem Hebręis interdicta sunt.9. pag.176.m

Quid significet illud: *Septena & septena*, vtrum septem tantùm, an verò quatuordecim:& itẽ illud *bina & bina*, an significet quatuor, an duo tantùm 10. & seq. pag.177

Cur Deus iussit in Arcam recipi plura de mundis animalibus, quàm de immũdis.12.& sequen. pag.178.

Cur de mũdis animalibus nec plura nec pauciora quàm septem in Arcam ingredi voluerit Deus 14. pag.179.p

Quid tradat Ambrosius de virtute numeri septenarij.14. ibid

* An, vt significat Chrysostomus, contẽnenda sint mysteria numerorum quæ multi curiosè admodum ac religiosè scrutantur.15.& sequent.pag.179.m.f.& seq.p.m.

Probabilis admodum ratio cur septem de mundis animalibus ingressa sint in Arcam. 18. pag. 180.m.f.

Explicantur quatuor dubitationes de animalibus ingressis in Arcam.19. pag.181.p.

* Cur sicut in animalibus terrestribus,nõ ita quoque in auibus posita sit distinctio mundarum & immundarum.21.pag.181.f.&seq.

Disputatio quemadmodum animalia ex omnibus terræ locis adducta fuerint ad Arcam. 24. pag. 183.p

Nõ fuisse adducta ab ipsomet Noë, vt significat Philo.24. ibid.

Non venisse animalia in Arcam sua sponte,quo iam inchoatum effugerent diluuium,vt videtur indicare Hugo.25. pag.183.m.f.

Fuisse animalia ministerio Angelorum congregata & ducta ad Arcam.26. pag.183.f.&.seq.

Reprehẽditur Philo huiusmodi ponens discrimen inter Arcã Noë & Paradisum terrestrẽ:quòd in illa fuerũt hominnes & de quolibet genere animalium : in hoc autem, homines tantum & nullum animal. num. 27. & 28. pag. 184.

Tria genera animalium non esse in Arcam ingressa:vnũ fuit Aquatiliũ, quibus nihil nocere poterat diluuium : alterum illorum quæ ex putrescẽte materia generantur : tertiũ eorum quæ ex diuersæ speciei animalium commixtione procreantur. 29. pag. 185.p

Sex species animalium ex putri materia nascentium.30 pag.185.f

Supradicta tria animalium genera non fuisse in Arca demonstratur ex narratione Mosis & probatur

tur præclaro B. Augustini testimonio. 30. & 31. pag. 185. f. & seq.

De animalibus quæ fuerunt in Arca.

QVINQVE genera animalium ingressa sunt in Arcam: Aues, Reptilia, Quadrupeda carniuora, Quadrupeda non carniuora & magni corporis denique Quadrupeda nō carniuora & minori corpore prædita 32. pag. 187. m

Exponuntur tres causæ cur Auctor in commemoratione animalium quæ ingressa sunt in Arcam, admirabiles nec quibus-vis notas quorundam naturas & vires breuiter indicare voluerit. 33. pag. 127. f

An malium reptilium quę ingressa sunt in Arcā, memorātur viginti quinque species. 34. pag. 188. p

* Vbi sunt allati angues qui solo afflatu aut etiā obtutu propius accedentes interimant. 34. ibidem

* Vtrum viperæ in partu rumpantur & interficiantur à suis catulis. 35. & 36. pag. 188. m. f

Quomodo intelligendum sit illud quod scriptum est apud Esaiam cap. 14. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.* 37. pag. 189. p

De Basiliſco qui Romæ sub quodā fornice stabulatus, afflatu valde exitiosus Romanis fuit. 37. ibid.

* Mira de Tarantulis Apuliæ. 39 pag. 189. f

Ab hac specie diuersam esse quæ vulgo Romæ Terrantula nominatur. 39. ibid.

Cur nullius fere animalis tam subtiliter & copiosè naturā ac mores persecutus sit Aristoteles vt Chamæleontis. 40. pag. 189. f. & seq. p.

* Vtrum Chamælæon solo pascatur aëre, & in quoslibet mutetur colores. 41. & 42. pag. 190. f

* Mira Scitalis serpentis natura. 43. ibid.

De variis & miris Serpentum generibus. 43. & 44. 190. f. & seq. p

De Hydro & Hydra. 45. pag. 191. m

Carniuororum animalium quæ ingressa sunt in Arcam, triginta quinque species exponuntur. 46. pag. 191. f

*De Draconibus Atlantici montis, & qui sunt ad Gangem fluuium: quorum oculi dicuntur esse lapilli pretiosi fulgoris ignei: de Draconibus item ex Aquila & Lupa generatis. 46. pag. 192 p

De Panthera. 47. pag 192. m

De Tigri. 48. pag. 192. f

De Lupo ceruario, qui & Thos nominatur. 49. pag. 193. p

Lyncem è luporum genere esse: an differat à lupo ceruario: an eius vrina cōcrescat in duritiem pretiosi calculi. 50. pag. 193. m

Sphingem inter Simias numerari, & quale animal sit, cuiusque ingenij & morum. 51. pag. 193. f

De

De Hyæna.52. pag.194.p
De Lycaone quale animal verè sit & quale fingatur à Poëtis. 53. pag.194.p
Vbi sint feles volãtes,& tamen sine alis.54. pag. 194. m
De Leocrocuta.55. pag.194.f
Quale animal Eale sit. 56. pag.194.f
De Boa serpente.56. ibid.
Mira forma serpentium qui sunt in Calicut,quadrupedes enim sunt, suillo capite sine veneno, sed nihilominus tamen homines dentibus conficientes.57. ibid
De Tauro qui cornua habet mobilia.58. pag. 195.p
De Chao,& Cæpho.58. ibid.
Crocuta ex cane lupoq; concepta, omnia dentibus frangens, protinúsque deuorata conficiẽs ventre.59. ibid.
* Describitur admirabilis natura cuiusdam bestiæ, quæ Sclauonice appellatur Rossomacha. 60. pag.195. m.

DISPVTATIO.

De animalibus non caruiuoris & magni corporis quæ Arcam ingressa sunt.

HVIVSMODI animalium commemorãtur quatuor & triginta species.62.pag. 196.p
*De Rhinocerote & Monocerote, ex Plinio, Solino, & Cardano mira traduntur.62. & 63. ibid. p.m.
De Bubalo qui in Italia vulgo appellatur Buffalus. 64. pag.196.f
Ab hoc diuersum esse quẽ Aristoteles & sacra scriptura nominãt Bubalon.64.&.65. pag.196.f & seq.p
Mira de Onagris quorum frequens in diuinis litteris est mentio. 66. pag.197.m
Quale animal sit Vrus, descriptio Cæsaris.68. pag.198.p
De Bonaso & Bisonte.69. ibid.
De Tarando qui colore fit assimilis cuicunque rei appropinquauerit.70. ibid.
*De Strutio camelo. 71. pag. 198.f
Tragœlaphus quale animal sit. 71. pag.199.p
Muflo proprium Sardiniæ animal, cervi philo, magnitudine,cornibus arietinis retro curuis. 73. pag.199.m
* De animali quod vulgo Magna bestia appellatur, cuius vngula collo appensa comitiali morbo auxiliari creditur,descriptio eius ex Cardano. 74.pag.199. m
* Inter Quadrupedes nullum animal visum quibusdam est mirabilius eo genere bouis quem fert noua Hispania, & nominatur Hispanice Corcoüado,id est gibbosum: quod animal incredibile dictu est, quod vsus indigenis prebeat.75. pag.199.f

DISPVTATIO.

De animalibus non carniuoris & minori corpore præditis in Arcam ingreſsis, quorum triginta ſeptem ſpecies commemorantur.

DE Hyſtrice. 76. pag. 200.m

*Sciuri admirabilis ſolertia. 77. pag. 200. f

De Machli. 78 pag. 201.p

*Alce, quale animal ſit, eleganter deſcripſit Cęſar. 79. pag. 201.p.m

*Quatuor genera Simiarum. & mira de Cercopitheco. 83. pa. 202.p

*Allopecopithicon, Aethiopicum animal partim vulpi, partim Simiæ ſimile quaſi crumenam habens ſub vẽtre qua catulos gerit, nec dimittit niſi dũ lactare vult: cuius in hoc ſimilis eſt Chiurca. 85. pag. 202.f. & ſeq.p

De animali quod in Braſilia vocatur Tato. 86. pag. 203.p

Octo ſpecies Caprorum. 87 ibid.

* Admiranda narrãtur de Ibicibus. 88. pag. 203.m

De quodã animali admirabilis naturę, ſed innominati, ex narratione Cardani. 91. pag. 204.m

De Marmota. 92. pag. 204.f

* De quodam animali Iaponico quod cum ſit terreſtre, & magnitudine ac forma non diſſimile canis, certo quodam tempore frequentans mare paulatim ac membratim mutatur in piſcem. 93. pag. 205.p

De Aiotocheli. 94. pag. 205.m

Vtrum in Arca Noë fuerit auis quę appellatur Phœnix. 95. pag. 205.f

*Num credibilia ſint quæ de Phœnice à multis prodita, ſunt, an potius eo pro fabuloſis haberi debeant. 96. pag. 206.p

An rationi philoſophicæ conſentaneum ſit, eſſe in rebus corruptibilibus ſpeciem aliquam quæ nullo tempore habeat niſi vnicum duntaxat indiuiduum. 97. pag. 207.m.f

*Qualis ſit generatio Phœnicis. 98, pag. 208.p

Si Phœnix eſt in rerum natura, fuiſſe eam probatur in Arca Noë, 99. pag. 208.f

Diſputatur, Arcam fuiſſe abunde capacem omnium animalium, quę in eam ingredi debebãt. 100. pag. 209.m

*Quæ fuerint olim munda animalia, demonſtratus ex ſacra ſcriptura: quæ verò animalia ruminent, docetur ex iis quæ tradit Ariſtoteles. 101. pag. 209.f

Cur multis videatur incredibile Arcam illam fuiſſe capacem omnium animalium. 102. pag. 210.f

De variis generibus eſcarum quæ illata ſunt in Arcam ad victum animalium & hominum. 102. pag. 211.m. & ſeq.p

Vtrum animalia carniuora dũ fuerunt in Arca veſcerentur carnibus. 103. pag. 212

Præ

Præclara sentẽtia B. Augustini, docentis quatuor modis potuisse animalia carniuora sine carnibus sustentari dum fuerunt in Arca. 103. pag.212.m

An quicquid est naturale alicui, non possit vllo modo remoueri ab eo. 104. pag.213.m

Dupliciter aliquid dici naturale, vel consequens naturam specificam, vel constitutionem indiuidualem.105. pag.214.p

Probatur tripliciter nullum animal dum fuit in Arca, vsum esse pro cibo carnibus animalium. 106. pag.214.m

Disputatio an omnium escarum & cibariorum quæ ad annuum victum animaliũ satis essent, capax fuerit Arca.107. pag.215.p

Etiamsi carniuora animalia dũ fuerunt in Arca, nutrita sint carnibus aliorum animalium, nihilominus tamen Arcam, vt à nobis designato est, fuisse omnibus animalibus capiendis sufficientem. 108. pag.216

IN LIBRO DVODECIMO.

De diluuij generatione, incremento & statu.

HISTORIAM diluuij tam diligenter à Mose narratam esse, vt nihil quod alicuius momenti sit, ad eam pertinens, ne à curioso quidem lectore desiderari possit.1. pag 219.p.

Cur Noë septẽ diebus ante initium diluuij ingressus fuerit Arcam.2. pag.220.p

An, cum dixit Moses cœptum esse diluuiũ anno sexcentesimo Noë fuerit ne tantùm inchoatus, an verò iam expletus ille sexcentesimus annus.3. pag.221.

Cum dicitur, diluuium esse factum mẽse secundo, disputatur respectu cuius anni dicatur ille mensis secundus.4. pag.222.p

Opinio eorum qui cẽsent diluuium esse inceptum in Autumno. 4. pag.222.f

Plerosque auctores Ecclesiasticos prodidisse diluuiũ incepisse verno tempore, quo scilicet tẽpore creatus fuerat mundus. 5.& sequentibus pag.223.

Mensem qui fecit initium diluuij, appellari secundum, respectu anni ætatis Noë.8. pag.224.m

De causis diluuij, quas Moses duas fuisse significauit.9. pag.225.p

Philo tres causas diluuij tradit. 10.

De quinque causis diluuiorum secundum Senecam. 11. pag.226.p

Reprehẽditur Seneca dicens generale diluuium naturali necessitate fieri, nec semel tantum, sed sæpe factum esse, sæpéque in posterum fieri debere, & in eo omnia animalia hominesq; prorsus occidere, & rursus natura iter regenerari.12. eag. 227.m

Ouidius diluuium Deucalionis describens, tres causas eius indicauit. 13. pag. 228.

Disputatio circa illa verba Mosis: *Et omnes fontes abyssi magnæ rupti sunt*: quænam fuerit illa abyssus magna. 14. & seq. pag. 229. p. m

An Abyssus illa sit is quem Plato & Poëtę veteres appellarũt Tartarum latentem intra terrã, quem illi faciunt originem & finẽ omnium aquarum terrestrium. 15. & 16. pag. 229 m. f. & seq. p

An vocabulo Abyssi intelligere oporteat ipsum Oceanũ, qui altissime inundans omnẽ terrã, effecerit diluuium. 17. pag. 230. m

Sententia Caietani de fontibus abyssi & de Cataractis cœli. 19. p. 231. m

Auctoris sententia quid vocabulo Abyssi Moses significauerit. 20. pag. 231. f

Disputatio de cataractis cœli apertis ad efficiendum diluuium. 21. & seq.

De varia significatione huius vocis, cataractæ. 21. pag. 232. m. f. & seq. p

Disputatur, cœlum astriferum non esse apertum, vt hoc seculo putarunt Eugubinus & Oleaster, & nonnulli etiam ante Bedã. 23. & sequentibus. pag. 233. m. f. & seq. p. m

Auctoris interpretatio, quid sit, apertas esse cataractas vel fenestras cœli. 26. & seq pag. 234. f. & seq. p

* Scripturã vsurpare nomen cataractæ ad significandã ingentem siue bonorum, siue malorum abundantiam. 27. pag. 235. m

* Topologia huius loci ex Ambrosio. 29. pag. 236. p

Disputatio de pluuia quadraginta dierũ, ex qua precipuè factũ est diluuium. 30. & seq. pag. 237. 238.

* Cur Scriptura nonnunquam distinctè dicat aliquid factum esse tot diebus, & tot noctibus. 30. pag. 237. p

Vnde tam ingens & cõtinua pluuia generari potuerit. 32. pag. 237. f

Vtra fuerit causa principalior diluuij, aquane pluuialis, an terrestris. 33. ibid.

* Morale documentũ Chrysostomi circa hanc pluuiã. 34. pag. 238. p

Quid significet illud quod dixit Moses, in articulo illius diei ingressum esse Noë in Arcam. 35. pag. 239. p

Quo die Noë ingressus sit Arcam. 38. pag. 240 m

Quid sit illud quod ait Moses de Noë: *Et inclusit eum Dominus deforis*. 39. pag. 241. p

* Præclara Chrysostomi disputatio de malis, quæ passus est Noë intra Arcam conclusus. 40. & sequentibus pag. 242.

Disputatio vtrum omnes montes terræ aquis diluuij operti fuerint. pag. 143. m

Refellitur opinio Caietani aiẽtis ad vertices aliquorum mõtium non perue

peruenisse aquas diluuij. 44.seq. pag.244.p.m.f. & seq.p.
Discutiũtur quæ ab auctoribus tradita sunt de altitudine montium Olympi, Atho & Atlantis.46. & seq. pag.245.m.f.& seq.p
Nullum esse in terris montem qui mediam aëris regionem transcendat.48. pag.246.f
*Egregium contemnẽdæ vitę, Platonis exemplum. 49. pag. 247. p.
Disputatio, an diluuium peruenerit ad mediam vsque regionem aëris.51. pag. 247.f.& seq.
Qui fuerint illi cœli quos B. Petrus significat periisse diluuio.52.pag. 248.m
Quanto tempore durauerit diluuium omnem terram obruens. 55. pag.249.f
Cum Moses ait aquas obtinuisse terram centũ quinquaginta diebus, quæritur vnde tempus illorum dierum computari debeat. 55.&. seq.p.249. 250. &. 251.p. m
Refelluntur Stoici & Berosus Annianus& Petrus Aliacensis &alij qui putarunt diluuium ex causis naturalibus effici & prænosci potuisse. 60. & sequent. pag. 251. f 252.p.m
Diluuium per Dei omnipotentiam esse factũ, probatur ex sacra scriptura.64.65. pag. 252. f. 253. p. m
Nec secũdũ Platonem, nec secundum Aristotelem diluuium generale posse fieri.66. pag. 253. f. 254.p
Quatuor rationibus probatur diluuium Noëticum non esse factum ex solis causis naturalibus. 67.& sequent.254. m. f.255. p. m. f.256.p.m.f
Argumentatio physica, quod astrorum vi & efficientia generale diluuiũ effici nequeat: nec per lumen aut motum, nec per genus aliquod influentiarum. 71.& seq. pag.256.p
Commemorantur auctores Ethnici, qui diluuij Noëtici vel mentionem vel significationem aliquam fecerunt 74.& sequentibus pag.257.m.f.258.p.m.f
Quomodo intelligendum sit quod scripsit B. Augustinus, nullis historicis notum fuisse diluuium Noëticum.78. pag. 258.f
De diluuio Ogygis quod fuit mille viginti annis ante primã Olympiadem.79. pag.259.p
Diluuium Ogygis fuisse eo tempore quo Iacob patriarcha annum circiter nonagesimũ ætatis agebat: & post Noëticum diluuium annis ferme quingentis quadraginta.81. pag.259.f
Reiicitur Ioannes Annius qui dixit idem fuisse Ogygianũ diluuium atque Noëticum 82. pag.260.p.
Animaduersio in Iustinũ, Clementem Alexandrinũ & Eusebium, qui prodiderũt eo tempore contigisse diluuiũ Ogygis, quo tempore Moses eduxit populũ Hebræum ex Aegypto.82. ibidem

Disputatur de diluuio Deucalionis: & primo quidem sub quo rege Atticæ factũ sit. 83. pag. 260. m.f

De tempore quo euenit diluuium Deucalionis, variæ Auctorum sententiæ memorantur. 82. pag. 261.p

Auctor sequens Eusebium & Orosium, Deucalioneum diluuium posterius facit Ogygiano ducentis triginta annis, & censet incurrisse in annum ætatis Mosis quinquagesimum, & fuisse post Noëticum diluuium septingentis circiter ac septuaginta annis. 85. pag. 261.m

Eodem sęculo cõtigisse decem plagas Aegipti, diluuium Deucalionis, & Phaëtontis incendium. 86. pag. 261.f

IM LIBRO XIII.

Qui est de diminutione & fine diluuij.

DISPVTATIO Theologica & moralis quo modo Deus dicatur recordari & obliuisci tam bonorum quàm malorum. 1. & sequentibus. pag. 264.m.f. & seq. p.m.f

Quemadmodum debeat intelligi quod dixit Paulus Deo non esse curam de bobus. 4. pag. 265.f

Præcepta quæ per legem Mosis data sunt de animalibus, ad quem finem data fuerint. 5. pag. 266.m

De duabus causis propter quas incepit diminutio diluuij. 6. & seq. pag. 266.f. 267.p.m.f. 268.p

Quis fuerit ille spiritus quem misit Deus ad siccandas diluuij aquas. 11. pag. 268.f

An ille spiritus intelligẽdus sit Spiritus sanctus, an Sol, an vẽtus aliquis. 12. & seq. pag. 269.m.f 270.p.m

Vtrum ventus ille siccans aquas diluuij, naturaliter generatus sit. 16. pag. 270.f

An illius venti potentia siccandi aquas diluuij, fuerit naturalis. 17. pag. 271.p

Quando facta sit occlusio fontium abyssi. 18. pag. 271.m.f. 272.p.m.f

Quoto mense & quoto die mensis fieri cœperit decremẽtum diluuij. 21. pag. 273.p.m.f

Animaduersio in Iosephum: cuius vel falsam esse sentẽtiã, vel mendosam scripturam ostenditur. 23. pag. 274.p.

*Morale documentũ, quemadmodum Deus vitam seruorum suorum ex rebus secundis & aduersis salutari tẽperamento misceat, vt inter spem & metum cauti & tuti incedant. 24. pag. 274.m.f

*Malorum hominum interitũ dupliciter vtilem esse bonis. 25. pag. 275.p

*De bonitate Dei non solum erga homines sed etiam animalia. 26. pag. 275.m

*Explicatur illa sententia Salomonis

nis : *Nouit iustus iumentorum suorum animas.26.* ibid.

* Historia de singulari Xenocratis humanitate erga animalia simili eius quam in B. Frãciſco enituiſſe legimus.27. pag.245.f

* Politicum documentum, ſi Deus ad ea quę per ſe agere poſſet, vtitur miniſterio & opera creaturarum, quo magis bonitatẽ & beneficentiam ſuam demõſtret, & rerum à ſe creatarum conditionem cõmendet & ornet: eo magis id Principes imitari oportere cum miniſtros probos, prudẽtes ac fideles nacti ſunt, 28. & 29. pag.276.p.m

* Quemadmodum omnis creatura promptiſſimè deſeruiat Deo, ſiue ad vltionem improborum hominum ſiue ad bonorum conſolationem & conſeruationem.30. pag.276.m

* Ruperti ſuper hac hiſtoria Moſis allegorica interpretatio pertinens ad Chriſtum. 31. pag.276.f. & ſeq.p.

Diſputatio de eo monte ſuper quo requieuit Arca. 32. pag 227. p.m.f

Baſim Arcæ non fuiſſe anguſtã ad ſimilitudinẽ carinę nauis, ſed latam & planam.35. pag.287.p

Diſputatio vnde computandus ſit menſis ille ſeptimus quo dicitur requieuiſſe Arca.36. pag.278.m

Refellitur Caietanus qui huiuſmodi mẽſes faciens lunares, cuique tamen eorum nõ aſſignat niſi viginti nouẽ dies præcisè: idemque cogitur dicere quo die cœperũt diminui aquę diluuij: eodẽ die reſediſſe Arcam ſuper montem.37.&38. pag.374.p.m

Diſputatio de diſcrepantia lectionis Latinę ab Hebraica ſuper eo die quo requieuit Arca: nam ſecundum Latinã fuit dies vigeſimus ſeptimus mẽſis ſeptimi, ſecundũ Hebraicam verò, fuit dies decimus ſeptimus. 42. & ſequentib. pag.280.f.281.282

Latinam tranſlationem vulgatam, vbi cõſtat ſcripturam eſſe emendatam & integram, ſummæ fidei & auctoritatis eſſe oportere. 43. pag.281.p

Explicatur computatio illius ſeptimi menſis ſecundum lectionem Hebraicam.44

Exponitur cõputatio eiuſdẽ menſis ſecundum lectionẽ Grȩcam & Latinam.46. pag.282.f

Diſputatio cũ Caietano de illo decimo menſe, cuius primo die apparuerunt cacumina montium. 47.48.pag.283.m.f.&.284.p

Qualis fuerit annus apud veteres, Græcos, Romanos, Aegyptios, atiã tẽpore Moſis & Noë, ſecundum Caietanum. 51. pag 285.p

Refellitur opinio Caietani de magnitudine anni apud veteres, & docetur quot diebus cõſtaret annus apud Aegiptios, Thebęos & Græcos, 52.& ſeq. pag.285.m

Moſem

Mosem in descriptione mensium & dierum diluuij non omnes menses & dies eius anni quo durauit diluuium, nominasse, sed eos tantũ, quibus aliquid insigne & memorabile contigit. 57. pag. 286. f

Disputatio quanta pars Arcæ demersa fuerit aquis, cum aquæ in summo erant incremẽto. 58. pag. 287. m

Secundum Lyranum, Arca tredecim ferme cubitis demersa aquis ferebatur. 62. pag. 288. m

Refellitur opinio Lyrani, tanquam rationibus partim falsis, partim dubiis subnixa. 63. pag. 288. f. & 289. p. m. f

Vnde computãdi sint quadraginta illi dies, quibus transactis dicitur Noë aperuisse fenestram Arcæ. 67. pag. 290. p

Disputatur qualis fuit illa fenestra quam aperuit Noë. 67. & 68. pag. 290. p. m.

Cur Noë suis ipse oculis non prospexit per illam fenestram an cessasset diluuium: sed ad id explorandum dimisit aues. 69. pag. 290. f

Cur emissus à Noë coruus non sit reuersus ad Arcam? vtrum quia inuentis cadaueribus, in eorum pastu detentus est, vt plerique arbitrantur. 70. & 71. pag. 291. m

Excutitur diuersitas lectionis Græcæ & Latinæ ab Hebraica super historia corui: nam secundum illas dicitur coruus non rediisse, secundum hanc verò exisse & rediisse. 72. & sequentibus. pag. 291. f. 292. p. m

Si coruus non est reuersus, cur ex eo non iudicauit Noë iam cessasse diluuium: sicut id postea iudicauit ex eo quod non esset reuersa columba. 75. pag. 292. f

Cur Noë ad explorandum diluuij finem coruum & columbam potius emiserit quàm alias aues. 76. pag. 293. p

Etiam Deucalionẽ in diluuio emisisse columbam, narrat Plutarchus: vt id ex hac Mosis historia tractum esse dubitari non possit. 76. ibid.

Quomodo columba nõ inuenit locum vbi requiescceret, cum iam quadraginta diebus ante, cacumina montium nudata aquis apparuissent. 77. &. sequent. 293. f 294. p. m. f

Disputatio circa illa verba Mosis: *Portans ramum oliuæ virentibus folijs.* quomodo olea virentibus frondibus, aut per vnum annum profundissimè diluuio obruta conseruari, aut cessante diluuio ex aquis extans tã breui tempore frondescere potuerit. 82. &seq. pag. 295. p. m. f

Discutitur cõtradictio quæ videtur esse in narratione Mosis, primo dicentis, terram fuisse exiccatam primo die primi mensis anni sexcẽtesimi primi: mox verò subiungentis, aretactam esse terram die vigesi

vigesima septima mensis secundi eiudem anni. 86. pag.296.m

Moses secũdum Caietanum tripliciter tempus diluuij computauit: primo respectiue ad initiũ diluuij: deinde respectiue ad annos Noë, denique respectiue ad annum tunc currentem, sed in hoc refellitur Caietanus.86.87. pag. 296.f.& seq.p

Disputatio quanto tẽpore duraverit diluuium, & Noë manserit in Arca.88. & sequentibus. pag. 297.m.f.&.seq.

Confutatur Xenophon Annianus faciẽs quinque diluuia,& singulorum definiens tempora. 89. pag.297 f.298 p.

Improbatur Ioannes Annius diluuium Noëticum faciens nouimestre.89. pag.298.p.m

Refellitur Caietanus omne tempus diluuij ab initio eius vsque ad finem & egressum Noë ex Arca, determinans decem mensibus lunaribus, & insuper viginti quinque diebus,id est,trecẽtis & quatuordecim diebus.90.91. pag. 298.m.f.& seq.p

Diluuium duraſſe vnum annum integrum solarem.92. pag.299.m

*De egressu Noë & animalium ex Arca:cur Noë nec ingressus nec egressus est Arcam nisi mandato Dei.93. pag.300.p

Cur Deus iubens homines ingredi in Arcam seperatim nominauit viros & mulieres: iubens autem egredi,coniũctè nominauit eos. 95. pag.300.f.&.seq.p.m

Cur opus fuerit nouo Dei mandato,vt Noë animalia educeret ex Arca: ratio allegorica & historica.96.& 97. pag.301.f.& 302.p

De Altari quod ædificauit Noë, & sacrificio quod obtulit Deo. 98. 99. pag.302.m.f

Cur Noë qui cetera omnia nonnisi ex mandato & prescriptione Dei fecerat,is nõ iussus, verum sponte sua Altare & sacrificium fecerit.101. pag.303.m

* Disputatio Chrysostomi cur Deus à sanctis illis Patriarchis corporalia sacrificia fieri sibi voluerit.102 & sequentibus. pag. 303.f.& seq.

*Explicatur illa sententia: *Odoratus est Dominus odorem suauitatis.* Et vnde haberent illa sacrificia corporalia, vt accepta essent Deo. 104.& sequentibus. pag.304.f

Munera non tam eorum pretio, quàm donantium studio ęstimari & commendari,demonstratur exemplo Artoxerxis Persarum regis.108. pag.305.m

Præclarum Platonis dictum,Deum non ad præstantiam munerum sibi oblatorum,sed ad offerẽtium animum respicere.109. pag.305.f

Gẽtiles poëtas quod scriptura dicit Deum odorari sacrificium in odorem suauitatis, detorsisse ad fabulas quas de diis finxerũt. 110. ibid.& seq.p.

Multiplex terræ calamitas & excidium ex diluuio. 113. pag. 307.p
* Qualis sit illa ratio cur Deus non vltra maledicere velit terrę propter hominem quia sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. 114.& sequentibus. pag.307. m.f 308.p.m
* Cur homines statim ab adolescentia ferantur ad vitia.118. & seq. pag.308.m.f.309.p.m
Reprehenditur Ouidij & aliorum poëtarum sententia,qui quatuor anni temporum siue tẽpestatum vicissitudinem,dixerunt nõ fuisse aureo Saturni sæculo, cum ea naturali ordine & necessitate pẽdeat ex immutabili ratione motus cœlestium corporum. 129. pag.311.f

IN LIBRO XIIII.

Qui est

De Carnium esu post Diluuium hominibus concesso: de non comedendo sanguine, de Iride, &c.

VANDIV Noë post natum Abraham vixerit. 1. pag. 315.m
* Deũ in exordio Mundi tria dedisse homini bona, fœcunditatẽ naturæ, Excellentiam imperij, copiam cibi: eademq; dedisse eidem post diluuium, verùm multis partibus inferiora. 2. 3. pag. 316 p.m.f
Quemadmodum homo terrori sit cũctis Animalibus.5. pag.317.m
* Valde notabilis sententia B. Gregorij,eos qui prẽsunt aliis nequaquã se timeri à subditis suis velle debere.6. pag.317.f
Continentiam ab esu carnium, eorum, qui in primęua mundi etate fuerunt, etiam Ethnici prædicarunt.7.& 8. pag.318.m.f
Tres causæ, cur post diluuium indultus homini sit esus carnium. 9. pag.319.p
Tribus ex rebus maior post diluuiũ extitit hominis indigentia. 10. pag.320.m
* Disputatio vtrum licitus homini fuerit ante diluuiũ esus carnium: & primò quidem exponitur sententia Lyrani, Tostati & Carthusiani, quod is fuerit inusitatus & illicitus.12. & sequentibus. pag. 319.f.320.321
Altera opinio quod fuerit vsitatus & licitus:& hæc tribuitur Iustino martyri expresse verò est Caietani, Francisci de Victoria, & Dominici de Soto. 16.& sequẽtibus. pag.321.m.& seq.
Tertia opinio Chrysostomi, Theodoreti,& B.Thomæ,quanque sequitur Aucto ,fuisse quidem licitum esum carniũ ante diluuium, sed eum tamen apud probos & pios viros non fuisse in vsu. 19. & sequentibus. pag.323.m.f.324.p
Deum esum carniũ non feciſſe post diluuium ex illicito licitum, sed indicaſ

indicasse tunc cœpisse indigẽtiã eius propter humanæ vitę ac valetudinis infirmitatem.22 pag. 324.p

* Confutatur opinio quorundam agẽtium plantas melioris esse alimenti, quàm carnes animalium. 23.24. pag.324.m.f.& seq.p

* Potestas edendi carnes per indulgentiam permissa est homini à Deo, non autem præcepto aliquo imposita, qua, qui virtutis causa uti nolunt, eos laude dignos esse. 25. pag.325.m

Quæ fuerint prima Dei præcepta post diluuium homini data. 27. pag.326.m

* Quatuor significationes huius vocis, anima.29. pag.327.p

* Quomodo Deus requirat sanguinẽ hominis de manu bestiarum, interpretatio Ruperti, Caietani & aliorum.31.& sequentib. pag. 328.p

Quomodo verum sit, quicunq; occiderit hominem, ipsum quoque occisum iri.37. pag.329.f

* Quid sit fundere sanguinem hominis in homine, vt habet lectio Hebraica.38.& sequentib. pag. 330.p.m.f

* Quàm valida ratio esse deberet ad fugiendũ homicidium, quod homo factus sit ad imaginẽ Dei. 42. pag.331.m

Quid sit comedere carnẽ cum sanguine, opinio Eugubini refellitur. 45. & sequentibus. pag. 332.m

An comedere carnẽ cum sanguine, sit comedere animal suffocatũ, vt interpretatur B. Chrysostomus.49. pag.334.p

* Quid sit quod dixit Iob, cõtubernales eius optasse saturari carnibus ipsius.47.& seq. pag.333.m

An comedere carnem cũ sanguine, sit, vt Caietanus exponit, comedere carnem viuẽtis animalis, vt lupus & leo faciunt. 50.& 51.pag. 334.m.f

Secundum Lyranum & Tostatum, quatuor modis intelligi potest, canẽ comedi cum sanguine. 52. pag.334.f

Cur Deus statim post diluuium interdixit esum sanguinis.53. pag. 335.p

* Quinq; causæ cur lex Mosis Hebræis prohibuerit esum sanguinis.55. pag.335.f

* Cur vita animalis præcipuè consistat in sanguine. 56. pag.336.p

* Cur in exordio Ecclesiæ interdictus ab Apostolis fuerit esus sanguinis.59. pag.336.f

Cur in Ecclesia longo tẽpore apud quasdam gẽtes abstinẽtia ab esu sanguinis permanserit. 63. pag. 338.m.

Qualis sit illa ratio propter quam Deus vetuit comedi sanguinem animalis: quia videlicet nõ oportet fundere sanguinem hominis. 64.& sequentibus. pag.338.f.& 339.340.

Cur Deus Iridem appellet Arcum ſuum.71. pag.341.f

* De varietate ſignorum quibus Deus firmare ſolet promiſſa ſua. 73. pag.342.m

Quomodo intelligendum ſit Deum poſuiſſe Iridem pro ſigno vt recordaretur ipſo fœderis ſui. 75. pag.343.p

* Diuerſam eſſe debere cõtemplationem Iridis apud Chriſtianos, quàm apud Gentiles.77. pag. 344.p

De diſcrimine iuſtitię & miſericordiæ Dei.77 ibid.

Vtrum quem Scriptura hoc loco appellat arcum cæleſtem, intelligere oporteat Iridem, an aliud quippiam, vt cẽſit B. Ambroſius. 79.& ſeq. pag.344.f.& ſeq.

Refellitur opinio quorundã qui dixerunt nec pluuias fuiſſe, nec Iridem aparuiſſe vnquam ante diluuium.82.& ſequentibus. pag. 346.m.f.347.p

An Iris naturale ſignum diluuij eſſe poſſit.85. pag.347.m.f

Opinio S. Thomæ & Caietani, quod Iris ſit naturale ſignum diluuij non cito venturi, examinatur.87.& ſeq. pag.348.

Quid ſignificet in Scriptura vocabulum hoc, Generatio. 91.pag. 349.m

An Iris ſignum ſit omnino voluntariũ non venturi diluuij, vt placet Lyrano & Toſtato. 92.& 93. pag.350.p.m

Auctoris ſententia quomodo Iris ſignum ſit non futuri diluuij. 94 pag.350.f

* Quaſnam habeat Iris naturales proprietates, propter quas valde congruenter & apte adhibita ſit à Deo vt ſignum non venturi diluuij.96. pag.351.f

* Quarum rerum naturalium, Iris ſit naturale ſignũ, ex Seneca, Plinio & aliis. 97. & ſequentibus. pag.352.p.m

Mira virtutes & effecta Iridis indicantur.100. pag.352.m.f

Refellitur opinio quorundam, per quadraginta annos ante finem Mundi non appariturã in cœlo Iridem.101 pag.353.p.m.f

* Hiſtoria Moſis de Iride quænam cõtineat myſteria.104. pag 354.p

Quid eſt quod Ioannes in Apocalypſi vidit thronum Dei circundatum Iride.105 pag.354.m

Triplex color Iridis, cuius rei figura ſit. 106. pag.354.f

Iris nunquam explens circulum, quidnam myſtice ſignificet 107. pag.355.p

Notabilis opinio Ruperti arbitrantis hiſtoriam illã Iridis non pertinuiſſe ad Noë & filios eius: nec vt ſonãt verba, eſſe accipiẽdam, ſed propriè pertinere ad Chriſtũ & ad credentes in eum: quæ tamen opinio refellitur, non vt falſa, ſed vt minime literalis.108.& ſequentibus. 355.m.f.356.p.m.f

Refelluntur Ioannes Annius & Caieta

ietanus rati Noë post diluuium alios genuisse filios, 112. & seq. pag.157.m.f.358.p.m

Quid causę fuerit cur Noë per trecentos quinquaginta annos quibus diluuio superstes fuit, nullũ genuerit filium.116 pag.358.f

An Chanaan filius Cham & nepos Noë genitus sit intra Arcam durante diluuio, vt significat Chrysostomus.117. & sequentib. pag 358.f.359.p.m.f.360.p

*Sicut admirabilis fuit tam breui tempore tanta humani generis propagatio ex tribus filiis Noë, ita lõge maius fuisse miraculum, fidem Christi breuissimo tempore per totum orbem esse propagatam, pulchra Chrysostomi dispntatio.121.& seduentib. pag. 360.m.f

An Noë primus omnium mortalium coluerit terram & conseruerit vites,& cui vsui fuerint homini vites ante Diluuium. 123. pag.361.p

Vnde habuit Noë vites quas sereret.124. pag.361.m

Cur Noë post Diluuium tam cupidus fuerit bibendi vini,cuius potu per sexcentos annos ante diluuium caruerat.125. pag.361.f

Cur Noë non prius quæsiuit tritici fructum , quàm vitis. 126. pag. 362.p

Cur Moses enarrauit ebrietatem Noë, & pudendam eius nuditatem.128. pag.362.f

*Exponuntur quinque causæ cur Noë lapsus fuerit in ebrietatem. 129,& sequentibus. pag.363.m.f. & seq.

Senectutem magis quàm aliam hominis ætatem esse obnoxiam temulentiæ.129 pag.363.m

*Quemadmodum potus vini temperandus sit,vtilia vererum præcepta.130. pag. 363.f

Ebrietatem Noë sine peccato accidisse.132. pag.364.m

Potum vini non fuisse in vsu ante Diluuium.133. pag.364.f

De malo & damno ebrietatis.134. & seq. pag.365.p.m.f

* Beatus Chysostomus ebrietatem scite appellauit Dæmonem voluntarium.134. pag.365.p

* Egregia Plinij sententia de malo ebrietatis.135. pag.365.m

Exaggeratur indignitas casus Noë. 136. pag.365.f

*Diuisio hominum in bonos ac malos quàm sit antiqua,& vnde originem ducat. 137. pag.366.p

Tres causæ cur Cham signatè nominetur pater Chanaan. 138. & seq.pag.366.m.f.& 367.p

* Cur partes illę corporis in quibus sæuit libido,præ ceteris nominẽtur pudẽda,& vnde is pudor natus sit.140.& sequentib.369. m.f. 368.p

Cur earum.partium nos magis pudeat quàm aliarum.142. pag. 368.m

Narratio ebrietatis Noë , quæ est

apud Berosum Annianũ, excutitur.144. pag.369.p
Opinio quorundam, Cham filium Noë, fuisse eum ipsum quẽ Ethnici appellarũt Zoroastrem, magicarum artium inuẽtorem. 145. pag.369.m.f.
* Cur improbi lapsu bonorum valde lætentur, luculenta Basilij & Ambrosij oratio. 147. & 148. pag.370.p m.f
Eximia Sem & Iaphet aduersus patrem suum Noë reuerentia & pietas commẽdatur. 149.& 150. pag.371.p.m
* Memorabile Constantini Magni exemplum de honorãdis Ecclesiæ Prælatis, eorumq; tegendis, si qua fuerint, erratis.151. pag. 371.f
* Notabilis B. Gregorij sententia, quemadmodũ subditi erga Prælatorum suorum vitia se gerere debeant.152. pag.372.f
De tribus somni causis. 153.p.373.p
Vnde Noë cognouerit quæ sibi fecerat Cham.154. pag.373.m
Cur Cham dictus sit à Noë filius minor.155. pag.373.f
* Quomodo Cham, secũdum Augustinum, figura fuerit Hæreticorum, & quæ vtilitas ex Hęreticis accidat Ecclesię Catholicę. 156 pag.374.m
Descriptio summę improbitatis atque impietatis Cham secundum Berosum Annianum.157.p.374.f
Disputatio cur non sit maledictus Cham qui peccauerat, sed filius eius Chanaan.160.161. pag. 375.f.& 376.p
Disputatio quomodo non sit iniquum, aliquos propter peccata aliorum puniri à Deo.162.& seq. pag.376.f
* Vocabulum pœnæ tripliciter sumi posse.163. pag.377.p
* Quomodo pœna sæpenumero sit medicina.164. pag.377.m
* Neminem puniri pœna spirituali pro alieno peccato. 165. p.378.p
Quomodo puniantur quidam pœna corporali propter aliena peccata.166 pag.378.m
* Peccatum vnius, tribus modis deriuari posse ad alios.167. pag. 378.f
* Disputatio super illis verbis Exodi capite vigesimo, quibus dicitur Deũ visitare peccata patrum in filios, in tertiam & quartã generationem.170.& seq. pag.379. m.f.& 380.p.m
Quid sit vindicare peccata in tertiã & quartam generationem. 174. pag.381.p.m
Cur vt Deus punit quosdam pro peccatis aliorum: non idem quoque facere possit Princeps vel Iudex.176. pag.382.p
* Duplex genus diuinæ vindictæ vnum in hac vita, alterum post hanc vitam 177. pag.382.m
* Quemadmodũ humano iudicio possit quispiã pœna damni affici pro alieno peccato.178. p.382.f

* Nota

*Notabilis sententia B. Gregorij de variis modis quibus Deus punit hominum peccata. 180. pag. 383. m. f

Originem seruitutis apud homines ex peccato fuisse, egregia Chrysostomi & Augustini sententia. 182. & seq. pag. 384. 385

*Nouem bona in sacris litteris prędicta, promissa filiis erga parentes suos gratis & piis. 186. & seq. pag. 386. m. f

Quod prædixit Noë Iaphet esse habitaturum in tabernaculis Sem, quinque modis posse intelligi. 190. & sequent. pag. 387. f. & seq.

*Tabernacula Sem in quibus habitaturus erat Iaphet, pulchrè interpretatur Rupertus priuilegia, & prærogatiuas Iudæorum, maximè vero sacra eloquia quæ obtinuerunt posteri Iaphet, id est, Gentes ad Christum conuersæ. 193. pag. 388. f. 389. p

*Allegorica interpretatio huius historiæ de plantatione vineæ, de nuditate Noë, de filiorum eius benedictione & maledictione. 194. & sequentibus. pag. 389. m

*Quomodo Cham figura fuit Hęreticorum: Sem bonorum Prælatorum: Iaphet bonorum subditorum. 195. & seq. pag. 389. f. 390

Strictim exponitur Chronologia omnis vitæ Noë. 197. & sequen. pag. 391. p. m. f. & seq.

*Declaratur quemadmodum vera fides & cultus Dei continuationem habuerit ab initio mundi. 200 pag. 392. m

Refellitur opinio eorum qui prodiderunt, genitũ fuisse à Noë post Diluuium, quendam nomine Ionithum, de quo mira illi prædicant. 202. & seq. pag. 392. f. & 393.

Cur tam pauca de Noë scripserit Moses cum in historia Abrahæ tam copiosus fuerit. 205. p. 393. f

Vbi nam post Diluuium habitauerit Noë secundum Hebræos & Berosum Annianum. 206. pag. 394 m

Cur post Noë, Sem & Iaphet, & vsque ad Abraham nullus laudatæ virtutis ac pietatis vir memoretur à Mose, disputatio B. Augustini. 208. pag. 395. p

*Præclarum Augustini documentum, nõ omnia quæ in diuinis libris, narrantur latẽs aliquod habere mysterium, nec ad res futuras significandas commemorari. 209. pag. 395. m

IN LIBRO XV.

De multiplicatione hominum post Diluuium ex tribus filijs Noë: & de prima origine gentium linguarum & regnorum.



VR Moses recẽsere voluit gentes ex tribus filiis Noë ortas. 2 pag. 398. m

Quẽadmodũ prima gẽtiũ vocabula deinde variata sint maxi

maxmè ob vanitatem Græcorum.3. pag.398.f
Quomodo Iosephus tres partes orbis partiatur posteris trium filiorum Noë.4. pag.399.m
Epiphanius tradit Noë ductis sortibus, cuique suorum filiorum assignasse eam terræ partem quę ei forte obtigerat.5. pag.399.f
Noë post diluuium perlustrasse orbem, & pleráſque eius partes habitatoribus cõpleuisse, narratio Berosi Anniani.6. pag 400.p
Breuis & dilucida descriptio posterorum Iaphet.7. pag.400.m
Quam lõgè latéque per orbem dilatata fuerit posteritas Iaphet. 9. pag.401.p
An Iaphet fuerit idẽ atque is quem Ethnici Iapetũ nominarunt. 10. pag.401.m
Discutitur opinio Iosephi quẽ multi secuti sunt, Galatas oriundos esse ex Gomer filio Iaphet.11. pag. 401.f
Declaratur ex loco quodam Ezechielis, quæ gens fuerit Gomeritarum, & quàm orbis partem tenuerit.12. pag.402.p
Quæ gentes ortæ sint ex Magog.13. pag.402.m
De origine Medorum.14.pag.402.f
Iones & Græcos originem duxisse ex Iauan quarto filio Iaphet. 15. pag.402.f
An ex Ionibus orti sint Athenienses.15. pag.403.p
Thubal quarum gentiũ auctor fuerit.16. pag.403.m
Quę gẽtes proseminatę sint ex Mosoch.17. pag.403 m.f
Vnde originem duxerint Thraces. 19. pag.404.p
An posteri Ascenez fuerint Rhegini, ver Gothi, vel Germani. 19. pag.404.f
De origine Paphlagonum. 20.pag. 405.p
An Thogorma parens fuerit vel Phrygum: vel Turcarũ, vel Cappadocum, vel Germanorum. 21. pag 405.p.m
An posteri ipsius Elisa insulas maris Mediterranei, ipsamque Italiam primi incoluerint: & an præteruecti fretum Gaditanũ, vsque ad insulas Fortunatas peruenerint, quę ab ipsis nominati sint Campi Elysij.22. pag.405.f
Quę regio fuerit Tharsis, & quid eo vocabulo significetur in sacris literis.23. pag.406.p
Quanta olim fuerit potentia Cilicum 24. pag.406.f
Quę dicãtur naues Tharsis, & quod vocabulo Tharsis significetur interdum mare Mediterraneum & Occeanus Indicus.25. pag.407.p
Quæ gens vel regio significetur in diuina scriptura vocabulo Cethim.26 pag.407.m
De origine Rhodiorum.27.p.408.p
Omnes pene insulas, & totius orbis littora, terráſque mari vicinas Græcis accolis fuisse quondam occupatus.27. pag. 408.m

Disput

Descriptio vnius & triginta posterorum Cham, quos Moses commemorat.28. pag.409.p.m

Disputatio quæ regio aut gens denotetur vocabulo Chus, vtrum ne Æthiopia an Arabia. 29. pag. 409.f.& seq.

Sephora vxor Mosis fuerit ne Æthiopissa.30. pag.410.m

Zara rex Chusæorum exercitum habuit decies cẽtenum millium, de quo quæritur an rex fuerit Arabum an Æthiopum. 31.pag. 400.m.f

Discutitur opinio eorũ, qui cõtendunt vocabulo Chus in Scriptura significari Arabiã, non Æthiopiam.32. pag.411.f

Duplicem constitui debere Æthiopiam, vnam Orientalẽ, alteram Occidentalem.33. pag.412.p

Cur Ægyptus dicta sit ab Isaia esse transflumina Æthiopiæ.34.pag. 412.m

Quo tẽpore fuerunt Danaüs & Ægyptus fratres, à quo Ægypto terra Niliaca nominata est Ægyptus.35. pag.412.f

Disputatio de Antiquitate Ægyptiorum.36. pag.413.m

Disceptatio inter varias gentes de principatu antiquitatis.37. pag. 413.f

Phryges quo argumentato probati sint antiqũissimi omnium mortalium.37. pag.414.p

Paradoxum Gerardi Mercatoris facientes gentẽ Ægyptiorũ, non modo vetustiorẽ diluuio, verum etiam æquæuam primis humani generis parentibus.39. pag. 414.m.f

Refellitur hæc opinio Mercatoris. 40. pag.415.p

Sententia Ioannis Annij de primis quindecim Dynastiis Ægyptiorum.41. pag.415.f

Fabulosum esse, ante diluuiũ, multas fuisse Dynastias Ægyptiorũ. 42. pag.416.p

Cur terra Ægypti nonnunquam in sacris literis appellatur terra Chã. 42. pag.416.m

Phut, Libyæ dedit colonos, qui deinde Libyes appellati sunt.43. pag.416.f

Qua re differant Saba filius Chus, & alter Saba filius Regma. 46. pag.418.p

De gente Sabæorum. 46. pag. 418.m

De felicitate terræ Sabæorum.47. pag.418.

Qui sint Heuilæi populi.48. pag. 419.m

Qui sint Sabatheni,& Astabari. 49. pag.419.f

Quam gentem condiderit Regma. 50. pag.420.p

Qui fuerint illi Sabęi qui nominantur in primo capite libri Iob. 51. pag.420.f

De regina Saba quæ venit ad Salomonem.52. pag.421.p

De duplici lapsu Iosephi, altero circa reginam Saba, altero circa

Dedam filium Regma. 52.&. 53. pag.421.p.m

Quænam fuerit gens Dedanæorum, vtrum in Occidentali Æthiopia, an potius Idumæis vicina.53.& 54. pag.421.m.f

Quare Moſes ſeparatim ab aliis filiis Chus, egerit de Nemrod. 54. pag.422 f

Primum regem vel tyrãnum iu terris poſt Diluuiũ fuiſſe Nemrod 55. pag.422.m

Qualis fuerit Nemrod ingenio, moribus & factis, pulcrhè deſcribitur à Ioſepho & Hugone. 56. pag.422.f

Quomodo intelligendum ſit Nemrod fuiſſe venatorem, & de vtilitate venationis. 58. pag. 423.m

Quid ſignificet illud, Nẽrod fuiſſe venatorem coram Domino, quatuor interpretationes.59. &.ſeq. pag.424.p.m.f

Diſputatio quiſnam fuerit Nemrod & an fuerit is quem Ethnici appellãt Belũ patrẽ Nini, vt viſum eſt Euſebio, Hieronymo, Auguſtino.61. pag.425.

Diſcutitur contradictio quędã quæ videtur eſſe in iis quę ſcripſit Auguſtinus de Nemrod.61. pag. 425.f

Fabuloſa quædã ttaditio de Nemrod & Ionitho filio Noë.62. pag. 425.f

Secundum Beroſum Annianum, Nemrod fuit Saturnus primus & pater Iouis Beli, auuſq; Nini regis, quam opinionum acriter refutat mercator.63,64. pag. 426.p

Mercator putat Nẽrod fuiſſe eum quem Ethnici appellant Ninum: nec eum fuiſſe filium Chus, ſed pronepotẽ, verum hæc ſententia refellitur.64.& 65. pag. 426. m.f.427.p

Auctoris ſententia, Nemrod fuiſſe Belum, patrem Nini. 66. & 67. pag.427.m.f

Diſputatio vtrum Nemrod primus Babylonis conditor & regnator fuerit, vt ſignificarũt Hieronymus, Auguſtinus, & Oroſius.68. pag.428.m

Conſiliantur variæ Auctorum opiniones de conditore Babylonis. 73. pag.430.p

Exordium regni Babylonici incidiſſe in annum à diluuio exacto centeſimum octogeſimum quartum, in annum verò poſt diuiſione linguarum octogeſimum tertium.74. pag. 430.m

Variæ interpretationes verborum illorum Moſis: *de terra illa egreſſus eſt Aſſur*, &c.75. pag.430.f

Quanta fuerit vrbs Niniue, cum eſt condita à Nino.77. pag. 431 f

Quanta erat vrbs Niniue tempore Ionę prophetę.78. pag.432. p.m.

Lapſus Diodori Siculi prodentis Nini

Niniue ædificatam fuisse supra Euphratem.77. pag.432.p
Disputatio quis fuerit Assur conditor vrbis Niniue.79.& sequent. pag.432.& seq.
Discutitur opinio Mercatoris de Assur.79. pag.433.p.m
Auctoris sententia, Ninum regem non fuisse Assur filium Sem. 80. pag.433 f.& seq.p
Vtrum Assur filius Sem, fuerit primus ædificator Niniue.81. pag. 434.f
Disputatio de regione Assyriorum. 82.& seq. pag.435.p
De tempore Beli falsa Thali, Theophili & Lactantij sententia affirmantium, Belum antiquiorem Troiano bello fuisse trecentis viginti duobus annis, & fuisse æqualem Saturni qui pater fuit Iouis.84.& 85. pag.435.m.f
Cur Ninus primus regum omnium, nactus sit scriptores rerũ suarum. 86. pag.436.p
Animaduersio in Dionisium Halycarnasseum male sentientem de amplitudine monarchiæ Assyriorum.86. pag.436.p
Quot reges Assyriorũ fuerint à Nino vsque ad Sardanapalum, variæ auctorum sententiæ. 88.pag. 436.f
Disputatio quandiu steterit monarchia Assyriorum. 89. & sequent. pag.437.p
Epistola Alexãdri Magni ad Olympiadem matrem de duratione regni Assyriorum, & aliorum regnorum, plena mendaciorũ. 89. ibid.
Iosephus variè scripsit de duratione regni Assyriorum, quodam loco significans stetisse mille, trecẽtis & decem annis, alibi verò annis mille trecentis quinquaginta.90. pag.437.m
Herodotus ait Assyrios per quingentos annos imperio Asiæ potitos.91. pag.437.f
Diodorus assignat regno Assyriorum mille trecẽtos sexaginta annos: Velleius Paterculus eidem attribuit mille septuaginta annos, Iustinus verò mille trecentos.91. ibid.
Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Isidorus, Beda, durationem imperij Assyriorum defluierunt mille ducentis quadraginta annis.92. pag.438.p
Paulum Orosium inconstanter locutũ esse de duratione Assyriorum.92. ibid.
Animaduersio in sentẽtiam B. Augustini de duratione regni Assyriorum.93. pag. 438.m
Disputatio quãdiu steterit vrbs Niniue.94.& sequentib. pag.438.f & seq.
An Niniue ceciderit regnãte apud Iudæos Ozia, vt vult Eusebius. 95. pag.439.p
Animaduersio in opinionem. Beati Hieronymi, qui scripsit euersam esse Niniue regnãte apud Medos.

Astyage, & apud Iudæos Iosia. 96. pag.436.m
An,vt placet Bedæ & Hebræis,Niniue subuersa sit in exordio regni Nabuchodonosor.97. pag.436.f
Disputatur contra Eusebiũ, nec vrbem Niniue,nec regnũ Assyriorum funditus corruisse regnante Ozia.98.& 99. pag.440.m.f
De tempore mortis Tobiæ 100. pag.440.f
Babylonem,Hierusalem,& Niniue sępe subuersas,& denuo refectas esse.103. pag.441.f
Quando fuerit prima vrbis Niniue ruina.104 pag.442.p
Satis credibile esse regnũ Assyriorum stetisse mille trecẽtis & circiter nonaginta annis.105. pag. 442.m
Quænam gens fuerit Ludæorum. 107. pag.43.p
De origine & ditione Philistinorum.108. pag.443.f
Cum Philistæi non fuerint ex stirpe Chanaan, quomodo eorum terra pertinuerit ad possessionem Hebræorum.109. pag.444.p
Quæ gens fuerit Caphthorim. 110. pag.444.m
Vocabulum Cyrene dupliciter in scriptura accipi.111. pag. 444.f
Multa de Sidone vrbe, & cur ea in sacris literis cognominetur magna.112.& 113. pag.445.f.&seq.
De Hethæis vbi habitauerint,quantę proceritatis & fortitudinis fuerint.114. pag.446.m
De Iebusæis.115. pag.446.
De amplitudine gentis Amorrhęorum,& varia habitatione,& inusitata corporis proceritate atque immanitate animi.116. pag.446. f.& seq.p
Heuæi vbinam habitauerint, & an sint illi quos Scriptura appellat Rephaim.117.& 118. pag.447.m.f
De Aradiis & Arado insula. 119. pag.448.m
Diuersos fuisse Sinæos à Cinæis,& vbi vtrique habitauerint 120. pag.448.f
Disputatio de Emath ciuitate,& regione.121 pag.449.p
An Emath pertinuerit ad ditionem Hebræorum,& ad sortem tribus Nephtali.123.& 124. pag.450.m f.451.p
Cur Moses capite decimo inter posteros Chanaan non memorauerit Pherezæos & Chananæos. 125.& 126. pag.451.m.f
Ex vndecim populis quod ex stirpe Chanaan genitos recensęt Moses capite decimo,qui nã ab Hebręis deleti fuerint,& quatenus. 127. pag.452.p
Cur Eber specialiter nominetur filius Sem, cum fuerit pronepos eius disputatio B.Augustini. 131. pag.453.f
Disputatio vtrum Sem fuerit natu maximus filiorum Noë.132. pag. 454.f
Disputatio cum Hebræis qui Sem faciunt minimum fratrum suorum

rum.135. pag.455.f.& seq.p
Si Sem primus fuit filiorum Noë.& natus quingentesimo eius anno, quomodo eum biennio post diluuium fuisse centum annorum narrat scriptura? Examinatur solutio huius quæstionis à Caietano tradita.136.& sequentib. pag. 456.m.f
De origine Ælamitarum & Persarum.140. pag.458.p
An Chaldæi orti sint ab Arphaxad. 141. pag.458.m
De origine Lydorum.142. pag. 458.f
Quænam regio in Scriptura nominetur Haran,& quàm variè. 143. pag.459.p
De patria Sancti Iob.144.145. pag. 459.m.f
Disputatio an nomen Phaleg impositum sit filio Heber,quia quo tẽpore natus est, diuisio linguarum & dispersio hominum facta sit. 146.& sequentib. pag.460.f. & seq.
Processus bellorum & victoriarum Ninj regis.149. pag.462.f
De fluuio Cophene.150. pag.463.f
Saba filius Abrahæ quam gentem condiderit.151. pag.464.p
Eustachius citat librum quintũ Aristotelis de rebus gestis Alexandri.150. pag.463.f
De Ophir & Heuila.152.& sequent. pag.464.f
Gryphes vbinam terrarum sint custodes & propugnatores auri. 154. pag.465.m
An Gryphi & Pegasi sint fabulosa animalia.155. pag.465.f
An Sem resederit in Iudæa & vbi postea fuit Hierusalem.156. pag. 466.p
De dissonãtia Græcorum codicum à Latinis & Hebræis in enumeratione posterorum Sem. 157. pag.467.m
Qualis diuisio hominum fuit ante diluuium.156. pag.468.f
Cum longe plures fuerint posteritrium filiorum Noë, quàm quos recẽset Moses,cur ipse alios prętermiserit.160. pag.469.

IN LIBRO XVI.

Qui est

De ædificatione turris Babel, de confusione ac diuisione linguarum ac dispersione hominum.

HISTORIA scholastica refellitur dupliciter tum quod in ea scriptum est,ædificationem turris Babel & confusionem linguarum contigisse post mortem Noë: tum quod progeniem Noë, dum ille vixit, non amplius vigintiquatuor millia hominum multiplicatam facit. num.1.& 2. pag.473.&.474.
Disputatio, vtrum omnes homines qui tunc erant in terris,cõuenerint ad ædificandam ciuitatem

Babel. 3.& seq.p.475.m.f.& seq.
Examinatur opinio Caietani quod negat.3 & sequent. ibid.
Quid significet quod ait Mosest.erram fuisse vnius labij, & eorundem sermonum.3.& 4. ibid.
Quid vocabulo Oriētis intelligendum sit, cùm dicitur filios Adam profectos ex Oriente venisse in campū Sennaar,& cur inde profecti sint.6.& 7. pag.476.f
*Moralis disputatio B. Chrysostomi, nunquam homines rebus ac bonis præsentibus esse contentos.8. pag.477.p
Vtrum inter eos qui ex Oriente venerunt in campum Sannaar,fuerint Noë & Abraham. 9.& seq. pag.477.m
De duplici Oriente allegorica Philonis disputatio.12. pag.478.m
Ethnicos auctores meminisse aduentus illorum hominū in campum Sennaar.13. pag.479.p
De Etymologia nominis Sennaar. 14. pag.479.m
*Pulchra Philonis oratio, quod improbi sibi ipsis causa sunt malorum & miseriarum quæ eis contingunt:& quod sapiētes tractant se vt peregrinos in hoc mundo, insipientes verò tanquam ciues. 16. pag.479.f
Plato tria facit genera habitationis hominū post diluuiū.17.pag.480.f
De quatuor causis cur ex lateribus ædificata sit turris Babel. 18.pag. 481.m
Quanta sit firmitudo lateritiæ structuræ 20. pag.482.p
Refellitur Diodorus Tarsensis, dicēs ædificatores illius turris vsos fuisse calce, non autē bitumine. 23.& 24 pag.482.f.& seq.
Bitumen Babylonicū maximè idoneum fuisse ædificiis.25. pag 483.m
An tempore Mosis laterum vsus esset in ædificiis.25 pag.83.f
* Disputatio B. Gregorij supradictam historiam moraliter exponentis.26. pag.484.p.m.f
Principem & auctorem ædificandi turrim & ciuitatem Babel fuisse Nemrod.27.28. pag.485.p.m
De triplici vsu turrium in ciuitatibus.29. pag.486.p
Calumnia Gentilium aduersus historiā Mosis de ædificatione turris Babel.52. pag.486.
Philo depellit eam calumniā interpretando verba Mosis non historicè,sed allegoricè.33.& sequent. pag.487.m.f
Vera depulsio illius calumnię Gentilium.36. pag.488.p.m
Poëticam fabulā de Gigātibus belligerantibus cum Ioue, & ascensum struentibus in cœlum videri posse ex hac Mosis historia originem habuisse. 37. pag.488.m
Quantæ altitudinis turrim fecerint homines illi.39. pag.489.p
An turris illa fuerit altitudine quatuor mille passuum, vt refert B. Hieronymus.41. pag.489.m

Quæ-

Quænam de illa turri prodita esse videntur ab Herodoto & Diodoro.42 pag.489.m

De sex causis quibus adducti videntur homines illi ad ædificandam turrim Babel.44. pag.490.f

Nec propter metum diluuij nec incēdi, voluisse homines illos ædificare turrim.45.& sequent. pag. 461.p.m

Quàm vehemens in homine sit, sed vitiosus & peruersus amor laudis & famę, egregia sancti Chrysostomi oratio.54.&55. pag. 494.p

Quanta sit stultitia improborū flagitiis se nobilitari,& famosos fieri gestientium.57. pag.495.p.m

Disputatio cum Tostato negante peccasse illos homines ædificando ciuitatem & turrim.59.& seq. pag.496.p

Cum Deus pręsens sit rebus omnibus, quomodo dicatur descēdisse vt videret ciuitatem & turrim quæ ædificabatur.64.& sequent. pag.498.p

* Moralia quædam documēta, quæ ex hoc descensu Dei licet colligere.65. pag.499.m

* Nec temere nec festināter ad dānanda & puniēda hominū peccata esse procedendum, pulchra Chrysostomi oratio.68. pag. 499.f

* Egregia Philonis sententia de immobilitate Dei, & cur vocabula motus localis tribuantur Deo. 69.& 70 pag.500.p.m

* B. Basilius discrimen ponit inter videre Deū de cœlo quid agant homines, & inter descendere Deum de cœlo vt videat quid agant homines: verùm illud discrimen non esse perpetuum in sacris literis. 71.& 72. pag.500. m.f.& seq.p

Quid significet descēsus Dei secundum Rabbi Mosem, Ægyptiū.73

An illa verba, *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum*, locutæ sint diuinæ personæ inter se vt quibusdam visum est.74. & seq. pag.501.f.& seq. p

Verba illa locutum esse Deum Angelis.76. pag.502.p

* Philonis oratio, quomodo Deus innumerabiles Angelos habeat suæ prouidētiæ administros, tam in cœlo, quàm in aëre.78.79.pag. 502.p.m

Notatur error, Philonis, qui verba illa, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, putauit locutum esse Deum Angelis.80. pag. 503.f

* Admonitio lectoris vt cautè legat libros Philonis: & cur illis permixta sint multa parum consentanea sacris literis.81. pag.504.p

* Quemadmodum Deus loquatur sanctis Angelis, præclara sanctorum patrum Augustini & Gregorij disputatio. 82. & sequent. pag.504.m

* Quid sit Deum loqui aliquid Angelis,

gelis, & quomodo reuelet ipsis quod ab eis sciri aut fieri vult Deus.85. & sequent.pag.505. m.f

Deum vti ministerio & opera Angelorum, facit ad ordinatam & decentem Dei prouidentiam,& ad commendendam Angelicæ naturæ dignitatem.87 pag.506.p

Quomodo diuisio linguarum fuerit pœna conueniens impietati & superbiæ illorum ædificatorum, ex Augustino, & Cassiano. 88. pag.506.f.& seq.p

Quemadmodum pietas & humilitas causa est vnitatis & vnionis & congregationis:ita superbiam & impietatẽ causam esse confusionis, & dispersionis B.Gregorij sententia.90. pag.507.m

* Non minus pernicioſam esse improborum concordiam: quã est pernicioſa discordia bonorum, erudita Beati Gregorij disputatio.91.& seq. pag.508.p

Propter infinitam diuini intellectus perspicaciam non solum simpliciter futura sed etiam cõditionaliter futura cõtingẽtia, Deo certè nota esse.95. pag.506.p.m

*Infeliciſſimam & miserrimam esse improbis,temporalem eorum felicitatem. 97. pag.509.f

*Præclara Philonis sententia, prosperitatem improborũ lugẽdam & execrandam esse potius,quàm optandam aut inuidendam. 98. pag.510.p.m

Ab tanta fuerit linguarum confusio inter ædificatores turris Babel,vt nemo illorum quenquam alium ex illis loquentem intellexerit. 100.pag.510.f

Cum accidit diuisio linguarũ,quanta hominibus illis contigerit perturbatio animi & confusio. 103.

* Comparatio eius quod accidit in ędificationis turris Babel cum eo quod euenit in die Pentecostes circa varietatem linguarum.104. pag.511.f

Refellitur causa,quam ex Sibylla & Abydeno referunt Ioſephus, & Eusebius, cur omissa sit ædificatio turris.105. pag.513.m

Cur gigas ille Nemrod,qui post diuisionem linguarum in eodẽ illo loco remansit & regnauit,non sit persecutus ędificationem turris,cuius ipse auctor inchoandæ fuerat.106. pag.512.f

* Tres causæ,cur non tantùm vtile, sed etiam necessarium fuerit homines toto orbe dispergi. 107. & 108 pag.512.m. f

Quomodo intelligendum sit quod scribit Moses linguam illam,quę prius vna omnium hominũ fuerat fuisse confusam. 110. numer. 514.m

Quàm multis rebus fecerit Deus memoriam illius confusionis linguarũ,& dispersionis hominum in omne posterum tempus perdurare.111. pag.514.f

Disputatio vtrum lingua quæ ante ędificationẽ turris Babel fuerat com-

communis omnium hominum, fuerit Hebræa, ita vt ea sit prima omnium linguarum. 112. & seq. pag. 515. m

Discutitur sententia Theodoreti, agentis primam linguam fuisse Syriacam: Hebræam verò donatam esse à Deo per Mosem. 112. & sequentibus. ibid. f

Eupolemus prodidit primum literarum inuentorem fuisse Mosem & literas à Iudæis accepisse Phœnices, Græcos verò à Phœnicibus. 115. pag. 516. f

Putat Theodoretus sed falsò, originem appellationis Hebræorum, non ab Heber, sed ab ipso Abraham esse repetendam. 116. & seq. pag. 516. f. & seq. p

B. Augustinus censet primam omniũ linguarum fuisse Hebræam, sic appellatã ab Heber, quod ea post diuisionem linguarum in sola familia Heber manserit. 118. pag. 517. m

Quia solam familiam Heber non attigit pœna confusionis linguarum, ex eo recte argumentatur S. Augustinus, in ea tantum familia veram fidem & pietatẽ illo tempore viguisse. 119. pag. 517. f

Non linguam tãtùm sed etiã literas & characteres Hebraicos fuisse in vsu ante Mosem. 120. pag. 518. m

Disputatio vtrũ Phaleg fuerit primogenitus ipsius Heber. 121. pag. 518. f

Sententia B. Hieronymi affirmantis Hebræam linguam omnium linguarũ fuisse matricẽ. 122. pag. 519. m

Disputatio Tostati de principatu vetustatis linguæ Herbææ. 123. pag. 519. f

Qualis fuerit lingua Hebræa ante captiuitatem Iudæorum, & qualis post illam fuerit. 124. pag. 520. m

Quatuor rationes quibus probat Oleaster primam omniũ linguarum fuisse Chaldaicam, à qua diuersa non fuerit à principio Hebraica. 126. pag. 520. f

Sententia Genebrardi de primatu antiquitatis linguæ Hebręæ. 127. pag. 521. m

Disputatio qualis fuerit illa confusio linguarum. 128. pag. 521. f

Philosophica disputatio Philonis de mixtura, temperatura & confusione in rebus naturalibus. 128. ibidem.

Putat Philo quæ narrant Moses de confusione linguarum, non historicè, sed allegoricè interpretanda esse. 129. & sequentibus pag. 522. m

Orationem Mosis de cõfusione linguarum esse veram historiã probatur contra Philonẽ 132. & seq. pag. 523. m

Quemadmodum repente facta sit confusio illa & diuisio ac multiplicatio linguarum. 135. pag. 524. m

Philastrius cẽsens ante turris Babel ædificationem, fuisse in vsu hominum diuersas linguas refellitur.137. & sequentibus. pag. 524.f

Disputatio, an facta confusione ac diuisione linguarum, extiterint duæ & septuaginta linguæ. 139. & seq. pag.525.f

Quid hac de re sensserint Origenes, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Prosper.140.& sequẽtibus. pag 526.p

Quemadmodum Genebrardus exponat ex vna lingua, factas esse septuagintaduas.145. pag.528.p

Non singulis hominibus contigisse singulas linguas, sed singulis tantùm familiis & gentibus. 147. pag. 528.f.& seq.p

Cum turris Babel ædificabatur: an fuerint tunc duæ & septuaginta gentes.148. pag.529.m

An illæ primæ linguæ fuerint quasi matrices omnium aliarum linguarum, & an linguarum illarum alique perierit.152.153. pag. 530.f.& seq.p

Cur prisci Poëtæ homines appellauerint Meropes, id est, partitę vel diuisæ vocis seu linguæ, triplex interpretatio.154.& 155. pag. 531.p. m

Ethnicorum calumnia aduersus historiam Mosis de diuisione linguarum discutitur.156. pag.531.f

Ridicula Ethnicorũ fabula de vna omnium animalium lingua, 156. ibidem

Vera supradicta calumniæ Ethnicorum depulsio.160. pag.533.m.f

Disputatio, vtrũ inter Arphaxad & Sale interponenda sit generatio Cainam, quam habẽt septuaginta interpretes & B. Lucas, sed Hæbræi & Latini codices non habent.163.& sequentibus. pag. 536.f.& seq

Refellitur opinio eorum qui dixerũt errasse Septuaginta addẽdo generationem Cainam, eorũ autem errorem non per insciti̇ã sed scienter & bono cõsilio secutum esse B. Lucam.164. & sequentibus. pag.537.p

Improbatur sentẽtia Caietani agentis libros Hebręos & Latinos qui non habent generationem Cainam esse corruptos & mẽdosos. 167. pag.538.p

Sale & Cainã non esse duo nomina eiusdem personæ, vt visum est Ioanni Lucido & Nauclero.179. pag.538.f

Lippomanus & Canus putarunt veram esse generationem Cainam, sed eam mysterij cuiusdam gratia consultò esse prætermissam à Mose: horum sentẽtia examinatur.171. pag.539.p

Excutitur opinio eorum qui arbitrantur nullam fuisse generationem Cainã, nec eam vel à Septuaginta vel à B. Luca esse proditam, sed per aliorum vel insciti̇am vel incuri̇ã fuisse postea libris eorum inser

incertam.178. pag.540.f
Hæc quæstio de generatione Cainan, quàm visa sit inexplicabilis venerabili Beda.180. pag.542.p
A diluuio vsque ad ortum Abrahæ, secundum Hebræos & Latinos codices, numerari annos ducentos nonaginta duos: secundum Græcos autem, mille centum septuaginta duos.181.& sequentib. pag.542.m.f
De duplici alia discrepãtia codicũ Græcorũ ab Hebræis & Latinis circa generationes quę recẽsentur à diluuio vsque ad Abraham 184. pag.544.p
Disputatio, vtrum Abrahã natus sit anno septuagesimo patris sui Thare.186. pag.546.p
Opinio Hebræorum, Lyrani & Caietani, Abraham esse natũ anno Thare centesimo trigesimo, sed refellitur.187. & seq pag.545.m
Annos Abrahę quos nominat Moses, non esse computandos ab ortu eius, sed à liberatione ex incẽdio Chaldæorum falsa Hebræorum opinio.186. pag.546.p
Si Abraham nõ esset natus anno (vt ait Moses) septuagesimo Thare, incertũ esset tempus natiuitatis eius, & Chronologia sacra redderetur dubia 383. pag.547.f
Si Abraham natus est anno septuagesimo Thare qui vixit annos ducẽtos quinq;, quomodo Moses narrat, Abrahã post mortem patris sui, cum ex Mesopotomia venit in terram Chanaan, fuisse septuagintaquinque annorũ.196. & seq. pag.548.f
Abrahã bis ex Mesopotamia profectum esse in terram Chanaan, primùm viuo adhuc eius patre, cũ esset ipse septuagintaquinque annorum: iterũ, sexaginta annis post, mortuo iam patre cũ ageret ipse centesimũ trigesimum quintum annum.199.& seq. pag.550.p
Disputatio vtrũ Sara vxor Abrahæ fuerit vera eius soror, non tamen vterina, vt censerunt Clemens Alexãdrinus, Lippomanus, Dominicus de Soto & Caietanus. 205.& seq. pag.554.& seq.
Quinã auctores existimauerint cõiugiũ inter fratrẽ & sororem non vterinam fuisse licitum tempore Abrahæ.212. pag.557.p
Auctoris sententia, Saram nõ fuisse germanam sororem Abrahę, sed filiam fratris eius.214.& sequentibus. pag.557.f
Non fuisse tempore Abrahę licitum coniugium inter fratres & sorores.220.& seq. pag.559.f
Apud quas gentes cõiugia fratrum & sororum erant vsitata & inusitata.225.
Declaratur quomodo Abraham dixerit Geneseos.20. Sarã vere sororem esse, filiam patris sui, sed non matris suæ.227. pag.562.p
Vtrum Abraham fuerit primogenitus Thare, disputatur probabiliter in vtramque partẽ 228. &

ſequentibus. pag.562.f
Multa memorari in ſacris literis quæ per ſe non attingunt hiſtoriam ſacram, ſed quia cõiunctionem aliquam habẽt cum iis quæ ad ſeriem & ordinem eius hiſtoriæ propriè ſpectant. 231 pag.563.f
Vtrum Abraham coniectus fuerit in ignem à Chaldeis, & inde mirabiliter à Deo liberatus, vt habet vetus Hebræorum traditio. 232. & ſeq. pag.564.m
Improbabilem eſſe ſupradictã Hebræorum traditionem. 236. pag. 565.f
An cum dicit Scriptura, Deũ eduxiſſe Abraham de Vr Chaldæorũ, illa vox, Vr, ſignificet ignem, an potius ſit nomen proprium certæ cuiuſdam vrbis vel regionis. 237. & ſeq pag.566.p
Quomodo intelligendum ſit quod ſcriptũ eſt in libro ſecũdo Eſdræ capite nono: *Tu Domine eduxiſti Abraham de igne Chaldæorum*, duplex interpretatio. 240. & ſeq. pag.568.p
An Thare pater Abrahæ fuerit aliquando idolorum cultor. 243. & ſequentibus. pag.569.p
Quis primus inter mortales filius, memoretur eſſe mortuus ante patrem ſuum. 244. pag.569.m
Secundum Epiphaniũ & Suidam, tempore. Sarug, qui fuit auus ipſius Thare, cœptam eſſe Idololatriam: ipſum autẽ Thare induxiſſe cultum ſtatuarum. 244. & ſequentibus. ibid.
Thare non fuiſſe in Chaldæa cultorem Idolorum, ſententia Philonis & B. Auguſtini, quę probatur auctori. 247. & ſequentibus. pag 570.m
* Notabilis ſentẽtia Philonis: Quò quis magis ſeipſum cognoſcit, eo magis ſui eſſe cõtemptorem eoque magis proficere ad comparandam Dei cognitionem. 252. pag.572.p
Quia in libro Ioſue ſignificatur, Thare, cum habitabat trans flumen, id eſt, in Meſopotamia, fuiſſe Idolorum cultorem: fieri credibile cum dum fuit in Chaldæa veri Dei fuiſſe cultorem? inde autẽ profectũ in Meſopotamiam, fuiſſe inibi deprauatum, & ad cultum idolorũ declinaſſe. 253. & 254. pag.572.m.f
Vtrum Abraham ſemper veri Dei cultor fuerit, an verò nonnunquam Idola coluerit, vt Philo ſignificat, & quibuſdam aliis, viſum eſt. 255. & ſequentibus pag. 573.f
Egregiis auctoritatibus & rationibus firmatur Abraham ſemper fuiſſe veri Dei cultorem. 260. & ſeq. pag.575. & ſeq.

INDEX

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVI EX ALIIS SACRIS LIBRIS ASSVMPTIS CVM CVRA IN HOC SECVNDO Tomo tractantur.

Geneſis capite 15.

EGO *Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam & poſſideres eam. libro 16. numero 236. & 239. pag. 565.f. & 567.f*

Geneſis 20.

Vere ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ: & duxi eam in vxorem. lib. 16.num.227. pag.562.p

Geneſis 25.

Ieſan quoque genuit Saba, & Dadam. lib.15. num.151. pag.464.p

Exodi 20.

Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me. lib.14.num.170. p. 379.m

Leuitici 17.

Homo quilibet ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo: quia anima carnis in ſanguine eſt. lib.14.num.55. pag.335.f

Deuteronomij 2.

Heuæos quoque qui habitabant in Haſerim vſque Gazan, Cappadoces expulerunt qui egreſſi de Cappadocia, deleuerunt eos & habitauerũt pro illis.lib.15.num.110.p.444.m

Deuteronomij 3.

Monſtratur lectus eius ferreus nouem cubitos habens longitudinis & quatuor latitudinis, ad menſuram cubiti virilis manus. lib. 10 num.17.pag.123.m

Deuteronomij 14.

Omne animal quod in duas partes findit vngulam & ruminat, comedetis.libr. 11. num. 101 pag.209.f

Deuteronomij 23.

Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi. li.15.num.143. pag.459.p

Deuteronomij 24.

Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.lib.14. num.176. pag.382.p

Deuteronomij 31.

Congregate ad me omnes maiores natu atque Doctores, & loquar audientibus illis ſermones iſtos, & inuocabo contra eos cœlum & terram. lib.16.num.120. pag. 448.f

Ioſue 11.

Heuæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in terra Maſpha. lib. 15. num 117. pag.474.m

Ioſue 19.

Vſque ad Sidonem Magnam.lib.15.num. 12. pag.402.p

Iosue 24.

Hæc dicit Deus Israël, transfluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, seruieruntq; Dijs alienis. lib.16.numer. 253.259.& 264. pag.572.m.p.575.p.577.p

Iudicum 1. & 2.

Filij autem Cynei cognati Moysis ascenderunt de Ciuitate palmarum cum filijs Iuda in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo. lib. 15. num.129. pag.448.f

3. Regum capite 4.

Erat cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprarum, bubalorum, & auium altilium. lib.11. num.65. pag. 197.p

3. Regum 10.

Sed & Regina Saba audita fama Salomonis venit tentare eum ænigmatibus. lib. 15.num.52. pag.521.p

4. Regum 7.

Ecce mercede conduxit aduersus nos Rex Israël Reges Hetæorum & venerunt super nos. lib. 15. num.114 pag.446.m

4. Regum 16.

Ascendit Rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam: & transtulit habitatores eius Cyrenem. lib. 15.num. 111. pag. 445.p

1. Paralipomenon 18.

Percussit Dauid Adarezer regem Saba regionis Emath. & paulò infra: *Cum audisset Thou Rex Emath percussisse Dauid omnem exercitum Adarezer regis Soba,* &c. lib.15.num. 123. pag.459.f

2. Paralipomenon 3.

Hæc sunt fundamenta quæ iecit Salomon, vt ædificaret domum Domini longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti. lib.10.num.25.p.128.

2. Paralipomenon 14.

Egressus est contra eos Zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia. lib. 15. num. 31. pag.410.m

2. Esdræ capite 9.

Tu ipse Domine Deus qui elegisti Abram, & eduxisti eum de igne Chaldæorum: & posuisti nomen eius Abraham. lib.16. num. 240. pag.568.p

Iudith capite 5.

Populus iste ex progeme Chaldæorum est: hic primum in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos Patrum suorum qui erant in terra Chaldæorum, &c. lib. 16.num.148. pag.529.

Iob capite 1.

Vir erat in terra Hus nomine Iob. lib.15. num. 144.& 145. pag.459.f

Iob 1.

Irruerunt Sabæi, tuleruntq; omnia, & pueros percusserunt gladio, Chaldæi quoque fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos. lib.15.num.51. pag.420.f

Iob 31.

Si non dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus eius vt saturemur. lib.14. num. 47. pag.333.m

Psalmo 71.

Reges Tharsis & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent. lib.15.num.46. pag.418.m

Psalmo 119.

Heu mihi, quia incolatus meus, prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. lib.15.num.18. pag.403.f.

Psalmo 142.

Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. lib.8.num.144. pag.62.m

Prouerbium 12.

Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia. lib. 13. num.26. pag.275.m

Ecclesiastici 3.

Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs.

filijs, & in die orationis suæ exaudiëtur, &c. lib. 14. num. 186. pag. 386. m

Isaię 14.

De radice colubri egredietur Regulus, & semen eius absorbens volucrem lib. 11. num. 37. pag. 189. p

Isaiæ 64.

Facti sumus vt immundi omnes nos: & quasi pannus menstruatæ, vniuersæ iustitiæ nostræ. lib. 8. num. 142. pag. 61. m

Isaiæ 66.

Mittam ex eis qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam. lib. 15. num. 142. pag. 458. f

Hieremiæ 46.

Procedant fortes Æthiopiæ, & Lybiæ tenentes scutum & Lydij arripientes & iacientes sagittas. libr. 15. num. 107. pag. 443. m

Hieremiæ 49.

Fugite & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius libr. 15 num. 54. pag. 421. f

Hierem. Threnorum 4

Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento. libr. 14. num. 173. pag. 380. f

Ezechielis 16.

Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa. libr. 15. numer. 116. pag. 447. m

Ezechielis 18.

Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita & anima filij mea est: anima quæ peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. libr. 14. numer. 175. pag. 378.

Ezechielis 27.

De domo Thogorma, equos & equites & mu-

cos adduxerunt ad forum tuum. libr. 15. num. 21 pag. 405. m

Ezechielis 27.

Venditores Saba & Regma, ipsi negociatores tui: cum vniuersis primis aromatibus, & lapide pretioso & auro, quod proposuerunt in mercatu tuo. libr. 15. numer. 50. pag. 420. m

Ezechielis 27.

Habitatores Sidonis & Aradij fuerunt remiges tui. libr. 15. num. 119 pag. 448. m

Ezechielis 30

Æthiopia & Libya & Lydi & omne reliquum vulgus, & Chub & filij terræ fœderis cum eis gladio cadent. lib. 15. numer. 44. pag. 417. m

Ezechielis 43.

Istæ autem mensuræ altaris in cubito verissimo qui habebat cubitum & palmum. lib. 10. num. 26. pag. 128. m

Nahum 1.

Non consurget duplex tribulatio: vel non indicabit seu puniet bis in idipsum. lib. 9. num. 80. pag. 106. p

Lucæ 16

Factum est, vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: & Chaos magnum firmatum est inter nos & vos. lib. 9. num. 85. pag. 108. f

Lucæ vltimo.

Palpate & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. lib. 8. num. 78. pag. 35. p

Ioannis 8.

Nos ex fornicatione non sumus nati: vnum Patrem habemus Deum, & pater noster Abraham est. lib 16. num. 162. pag. 534

Actorum 2.

Quem Deus suscitauit solutis doloribus Inferni iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. lib. 9. num. 84. pag. 107. f

Actorum 13.

Et destruens gentes septem in terra Chanaan: lib. 15. num. 127. pag. 452. p

Acto

Actorum 15.

Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato, & fornicatione à quibus custodientes vos bene agetis. lib. 14. num. 59. pag. 336. f

1. ad Corinthios 9.

Nunquit de bobus cura est Deo? libr. 13. num. 4, pag. 266. p

1. ad Corinthios 15.

Alioquì quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt, vt qui baptizantur pro illis? lib 9. num. 92. pag. 111. p

Ad Hebræos 11.

Fide Noë responso accepto de ijs quæ adhuc non videbantur metuens aptauit Arcam in salutem domus suæ per quam damnauit mundum: & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus. lib. 9. num. 31. pag. 86. f

1. Petri 3.

In quo & ijs qui erant in carcere spiritu veniens predicauit: qui increduli fuerant aliquando quando expectabat Dei patientia in diebus Noë, cum fabricaretur Arca. lib. 9. num. 93. pag. 111. f

1. Petri 4

Propter hoc & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne viuant autem secundum Deum in spiritu. lib. 9. num. 89 pag. 109. f

2. Petri capite 2.

Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit. libr. 8. num. 2. & lib. 9. num. 33. pag. 87. p

2. Petri 2.

Latet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius & terra, de aqua & per aquam consistens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. lib. 12. num. 52. & 53. pag. 248. m. & 249. p

Apocalipsis 4

Et Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ. lib. 14. num. 105. pag. 354. m.

BENEDI

BENEDICTI PERERII E SOCIETATE IESV.

Libri de vndecim prophetiis Iacob, siue de Benedictionibus duodecim Patriarcharum.

AVCTOR LECTORI.

ETSI Commentarius hic de Benedictionibus duodecim Patriarcharum, cùm totus in explanatione quadragesimi noni capitis libri Geneſis versetur, ad tertium tomum magis quàm ad hũc ſecundum pertinet: eum tamen adiicere huic ſecundo Tomo viſum nobis eſt: ne, ſi nos fortè dũ tertiũ tomum molimur, & ad exitum perducere ſtudemus, mors opprimeret, quod ſanè vereri nõ temere poſſumus, propter infirmiſſimam valetudinem noſtrã, liber hic cupidis ſacrarum litterarum minimè contẽnendus, quem iam perfectum, & maturũ editioni habebamus, irrito labore noſtro, nulloque Studioſorũ fructu periret. Quod ſi vita nobis vſque ad tertij tomi abſolutionem, fauente Deo, contigerit, nihil propterea lector damni faciet, cuius videlicet nihil interſit, vtrũ hic liber in ſecundo an in tertio tomo legatur. Quanquam ita nunc eum à reliquis huius tomi libris ſeparatũ excudi typis curauimus, vt cum tertius tomus exierit, hinc facile in eum tomum, vbi propriam ille ſedem & locum habet, transferri queat.

INDEX

QVÆSTIONVM ET INSIGNIORVM RERVM.

Quę in hoc de benedictionibns duodecim patriarcharum Commentario tractantur.

1 AN nouißima verba quæ Iacob locutus eſt filijs ſuis, recte appellentur Benedictiones duodecim Patriarcharum. Num.1.pag.3.m

2 Qui libri olim de his Prophetijs Iacob ferebantur, ſed apocryphi tamen. num.3.pag.4.m

3 De veteri quodam libro qui inſcribebatur, Teſtamentum duodecim Prophetarum.4.pag.5.m.

4 De Antiquo more quo Patres, appropinquante morte filijs ſuis benedicere ſolebant.5.pag.6.p

5 Vtrum humanus animus morti vicinus, fiat diuinior, & præſagus futurorum.6.pag.6.m

6 Quale genus prophetiæ fuerit id quo Iacob vſus eſt prænuncians quæ filijs ſuis euentura erant.8.pag.7.m

7 Quid intelligere oporteat per Dies nouißimos, quorum crebra in ſacris litteris fit mentio. 8.pag. 7.f

PRIMA PROPHETIA DE RVBEN.

8 CVR Ruben dicatur fortitudo patris ſui, & principium doloris eius. num.11.& 12.pag.9.m.f.& ſeq.p

9 De octo prærogatiuis Primogenitorum, ante legem Moſis.14.pag. 10.f

10 Quid ſignificet, Ruben effuſum eſſe ſicut aquam.16.pag.41.m

11 Quomodo non fuerit contra caritatem naturalem & diuinam, Iacob

Quanta

imprecatum esse mala filio suo Ruben.18.pag.12.m

12 *Quanta fuerit turpitudo & deformitas peccati Ruben. 19. pagina 13. p*

13 *An prophetia hæc Iacob intelligi debeat secundum litteralem sensum de Ruben, an potius, vt vult sanctus Ambrosius, de Iudæis & de Christo. 20.pag.13.m.f*

14 *De Allegorico, & tropologico sensu huius prophetiæ. 21,pagina 14. p.m.f*

15 *De quatuor documentis moralibus huius prophetiæ.24.pag.15.f*

SECVNDA PROPHETHIA

DE SIMEONE AC LEVI,

16 QVANTA *& quàm multiplex iniquitas eorum fuerit in cæde Sichimitarum.26.pag.16.f*

17 *Quomodo Iacob tantopere incusat Simeonem de cæde Sichimitarum, cum ea de re vehementer ipsum laudet sancta illa mulier Iudith. 27.pag.17.p*

18 *Cur Moses Deuteronomij 33. benedicens alijs omnibus tribubus solam tribum Simeonis sine benedictione præterierit. 34. pagin. 20.m*

19 *Mystica Prophetiæ huius expositio.37.pag.21.m*

20 *Moralis doctrina de reprimendo appetitu vindictæ, etiam quem Zelus iustitiæ incitat.38.pag. 22.p.m*

TERTIA PROPHETIA

DE IVDA

21 DE *præstantia & vtilitate huius prophetiæ.39. & 45. paginæ 23.p.& pag.6.p*

22 *De varia interpretatione illarum vocum, sceptrum, Dux fœmur. 45. pag.26.p.m*

23 *Disputatio de voce Schiloh, pro qua Latinus interpres vertit (qui mittendus est) 46.pag.27.p*

24 *Quomodo Messias erat expectatio Gentium, cum esset plane ignotus Gentibus. 46 pag.28.m*

25 *Mystica explanatio huius prophetiæ, de Christo, de Ecclesia eius, & de vicario eius in terris summo Pontifice. 54. pag. 31. p*

Longa & ardua Disputatio super hac Prophetia. *Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat qui mittendus est.*

26 *A Tempore quo Iacob edidit hanc prophetiam, vsque ad Iudaici sceptri defectum, quantum temporis interfluxerit. 62. pag. 34. f.*

27 *De quadriformi regimine populi Hebræi. 63. pag. 35. f*

28 *An tũ dicitur:* Non deficiet sceptrum de Iuda, *vox sceptrũ sine virga significet virgã tribulationis, & oppressionis. 65. pa. 36. f*

29 *An significetur post aduentum Messiæ nunquam deinceps defecturum sceptrum de tribu Iuda, non autem quod nunquam vsque ad Messiæ aduentum deficere deberet. 66. pag. 37. p*

30 *An etiam nunc in aliquibus regionibus, habeat tribus Iuda principatum in populo Iudaico. 67. pag. 37. m*

31 *An vox Schiloh, pro qua Latine est,* qui mittendus est, *significet hoc loco vrbem Schiloh. 68. pag. 38.*

32 *An illud* qui mittendus est, *non denotet hoc loco Messiam, sed regem Nabuchodonosor. 69. pag. 38. f*

33 *An hæc promissio Dei per Iacob data tribui Iuda, fuerit tãtùm conditionalis, non autem prædestinationis, idest, absolutè atque omnino implenda. 70. pag. 34. m*

34 *Quanto tempore principatus in populo Hebræo, penes proprios fuerit prior eius gentis principes. 72. 73. pag. 40. m. f. & 41. p*

35 *Quot annis tribus Iuda imperium in populo Hebræo habuerit, à Mose vsque ad Herodem 73. pag. 41. p*

Varię opiniones Christianorum Doctorum circa huius prophetiæ complementum & euentum

36 PRIMA *opinio Eusebij Cæsariensis, Diodori Tarsensis, & Hugonis sancti Victoris. Num. 74. pag. 41. m*

Secunda

37 Secunda opinio, B. Cirilli Alexandrini. 75. pag. 42. p
38 Tertia opinio, Lyrani, Tostati, Dionysij Carthusiani. 76. pag. 42. f
39 Quarta opinio Genebrardi. 78. pag. 43. m
40 Machabæos principes genus paternum duxisse ex tribu Leui. 81. pag. 44. f. & 45. p
41 Quinta opinio quorundam recentiorum. 82. pag. 45. m
42 Sexta opinio Pauli Burgensis, Ioannis Annij, Petri Galatini, Ioannis Lucidi. 83. pag. 45. f.
43 Septima opinio Caietani. 87. pag. 47. f
44 Octaua opinio Melchioris Cani. 90. pag. 49. f
45 Nona opinio quam sequitur Auctor, & quam ostendit fuisse Iustini martyris, & Eusebij, Athanasij, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini, Theodoreti, & Ruperti. 92. & seq. pag. 50. f. 51. p
46 Si hæc Prophetia in commune dicta est de populo Hebræo, cur ea specialiter applicata & propriè assignata fuerit tribui Iuda. 100. pag. 55. p
47 An tempore Iudicum, Politia Hebræorum fuerit Aristocratia nécne. 104. pag. 56. m
48 Cur nec Christus dominus, nec Apostoli, nec Euangelista vnquam hoc vaticinio Iacob vsi sunt, cum eo vaticinio tempus Messiæ aduentus euidenter demonstretur. 105. pag. 57. p

QVARTA PROPHETIA

DE ZABVLON.

49 AN vrbs Sidon terminus fuerit sortis Zabulon. Numer. 108. pag. 60. f
50 Insignia terræ quam possedit Tribus Zabulon, præsertim propter Christum dominum. 109. pag. 61. p
51 Cur maritimæ gentes ferè vitiosiores sint quàm mediterraneæ. 110. pag. 61. m
52 Allegorica huius prophetiæ interpretatio pertinens ad Ecclesiam Christi. 111. 61. f. 62.

QVINTA PROPHETIA

DE ISSACHAR.

53 DE Campo Esdrelon & montibus Gelboë, qui erant in sorte Issachar. 114. pag. 63. m

54 De felicitate agricolarum qui fertili & amœno agro fruuntur. 117. & 118. pag. 64. f. 65 p

55 Mystica expositio huius prophetiæ continens magnæ vtilitatis & consolationis documenta. 119. pag. 65. f

SEXTA PROPHETIA
DE DAN

56 SAMSONEM eodem sæculo floruisse atque Herculem, maiorque fuisse illius facta: quam poëtarum de hoc mendacia. 121. pag. 66. f

57 Cur Dan vel Sanson comparetur colubro. 123. & 124. pag. 67. m. f

58 Illorum verborum: Salutare tuum expectabo Domine, octo interpretationes. 125. & seq. pag. 68. p. m.

59 Sanson decem rebus figura fuit Messiæ. 129. pag. 69. m

60 Vtrum Antichristus futurus sit de tribu Dan. 131. pag. 70. m.

61 Quomodo Patres hoc vaticinium de tribu Dan interpretati sint de Antichristo. 134. pag. 71. m

62 Expositio eorum verborum, quibus Moses benedixit tribui Dan, Deuteronomij, 33. cap. 137. p. 73. m

SEPTIMA PROPHETIA
DE GAD.

63 AN Iephte fuerit ex tribu Gad, vt putat Caietanus. Num. 141. pag. 74. p. m

64 Allegorica interpretatio huius Prophetiæ. 142. pag. 74. f

65 De more & causis accingendi vel præcingendi se. 142. pag. 75. p

66 Documenta moralia quæ præbet hæc prophetia 145. pag. 75. f

OCTAVA PROPHETIA
DE ASER

67 EXPLICATVR Benedictio qua Moses benedixit tribui Aser, & traditur Deuteronomij. 33. cap. 146. pag. 76.

68 Allegoria huius Prophetiæ. 146. pag. 78. m

NONA PROPHETA
DE NEPHTALI.

69 TRIPLEX expositio huius Prophetiæ, & an Barac Iudex Hebræorum trepidauerit in ea quam suscepit expeditione. 150. pag. 78. f. 79. p

70 Explicatur Benedictio huius tribus pronunciata à Mose Deuteronomij. 53. cap. 153. pag. 80. p

71 Allegoria huius prophetiæ pertinens ad Christum. 154. pag. 80. m

DECIMA PROPHETIA
DE IOSEPH.

72 CVR Ioseph dicatur filius accrescens, & cur pulchritudo eius memoretur à Iacob. 155. 156. pag. 81. p

73 Quibus rebus Ioseph figura Christi fuerit 157. pag. 82. p

74 Quomodo intelligendum sit Ioseph fuisse pastorem & lapidem. 161. pag. 83. m

75 De nomine Dei Shadai, quid significet. 163. pag. 85. m

76 Quomodo Cœlum & abyssus causæ sunt abundantiæ rerum quæ terra nascuntur. 164. pag. 86. p

77 Quomodo Christus habuit benedictiones Cœli & Abyssi, & de duplici benedictione carnis eius, & quomodo habuit Benedictionem vberum & vuluæ. 165. pag. 86. m

78 De veteribus & vulua Sponsæ Christi, id est, Ecclesiæ. 166. pag. 87. p

79 Vtrum Iacob plura promissa & dona, & plures ac maiores reuelationes acceperit à Deo quam priores Patriarchæ. 170. & sequentib. pag. 88. m. f

80 Cur Ioseph dictus sit Nazaræus. 175. pag. 90. f

81 Cur Moses Deuteronom. 33. comparet Iosephum primogenito Tauri & Rhinoceroti. 177. pag. 93. m

VNDECIMA PROPHETIA
DE BENIAMIN.

82 CVR Beniamin dictus sit Lupus rapax, quinque interpretationes. 178. pag. 92. p

An

83 *An templum Dei fuerit intra sortem tribus Beniamin. 179. pag. 92. f.*

84 *Quemadmodum Patres hanc prophetiam de Beniamin accommmodauerint ad B. Paulum. 182. pag. 93. f.*

85 *De fortitudine bellica Beniamitarum præ cæteris tribubus. 185. pag. 95. p.*

86 *Cur Patriarchæ tantopere concupiuerint corpora sua post mortem ipsorum sepeliri in terra Chanaan. 188. pag. 97. m*

87 *Quid sit apponi ad patres suos vel congregari ad populum suum quod in veteri Testamento dicitur de ijs qui mortui sunt. 193. pag. 98. f. & 99. p*

88 *An verum sit quod tradit Paulus Burgensis, Neminem iustorum hominum qui fuerunt ante Abraham, statim post mortem recta descendisse in Limbum, non prius transito igne purgatorij. 196. pag. 100. p*

89 *An ex eo quod scriptum est de morientibus, eos congregari ad populum suum, concludatur immortalitas animarum, quinetiam futura corporum resurrectio. 198. pag. 100. f*

CAPVT

CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM LIBRI GENESIS.

VERS. 1.

VOCAVIT autem Iacob filios suos, & ait. Congregamini vt annunciem quæ ventura sunt vobis. Cõgregamini & audite filij Iacob, audite Israël patrẽ vestrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principiũ doloris mei prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, nõ crescas, quia ascẽdisti cubile patris tui & maculasti stratum eius. Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorũ non veniat anima mea, & in cœtu illorum nõ sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderũt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël. Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna: quis suscitabit eum? NON auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam

2 3 4 5 6 7 8 9 10 11

12 *ſuam,& in ſanguine vuæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt*
13 *oculi eius vino,& dẽtes eius lacte candidiores. Zabulon*
in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertin-
14 *gens vſque ad Sidonem. Iſachar aſinus fortis accubans*
15 *inter terminos. Vidit requiẽ quod eſſet bona & terram*
quod optima: & ſuppoſuit humerum ſuũ ad portandum,
16 *factúſque eſt tributis ſeruiẽs. Dan iudicabit populũ ſuum*
17 *ſicut & alia tribus in Iſraël. Fiat Dan coluber in via, ce-*
raſtes in ſemita, mordens vngula equi vt cadat aſenſor
18 *eius retro.* SALVTARE *tuum expectabo Domine. Gad,*
19 *accinctus præliabitur ante eũ, & ipſe accingetur retror-*
20 *ſum. Aſer pinguis panis eius: & prębebit delitias regibus.*
21 *Nephtali ceruus emiſſus,& dans eloquia pulchritudinis.*
22 *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, decorus aſpectu:*
23 *filiæ diſcurrerunt ſuper murum. Sed exaſperauerũt eum*
24 *& iurgati ſunt, inuiderunt q illi habentes iacula. Sedit*
in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum
25 *& manuum illius per manus potentis Iacob, inde paſtor*
egreſſus eſt lapis Iſraël. Deus patris tui erit adiutor tuus.
& omnipotẽs benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper,
26 *benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus*
vberum & vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ ſũt
benedictionibus patrum eius: donec veniret deſiderium col-
27 *lium æternorum: fiant in capite Ioſeph & in vertice Na-*
28 *zaræi inter fratres ſuos. Beniamin lupus rapax: mane co-*
medet prædam, & veſpere diuidet ſpolia. Omnes hi in tri-
29 *bus Iſraël duodecim: hæc locutus eſt eis pater ſuus, benedi-*
30 *xitq; ſingulis benedictionibus proprijs. Et præcepit eis, di-*
cẽs. Ego congregor ad populũ meum: ſepelite me cũ patri-
bus meis in ſpeluca duplici quę eſt in agro Ephrõ Hethęi,
contra Mambre in Terra Chanaan, quam emit Abraham

cum

cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum & Saram vxorem eius: ibi sepultus est 31
Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. 32
Finitisq; mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum & obijt: appositúsque est ad populum suum.

PRÆFATIO.

1 NOVISSIMA verba quæ proximus morti Iacob dixit duodecim filiis qui Patriarchæ fuerunt & parẽtes duodecim tribuum, ex quibus omnis Hebræus populus constabat, iampridẽ vsu receptum est vt Benedictiones duodecim Patriarcharũ inscribãtur & appellentur: cùm tamen, vt verè monuit Ambrosius in libro de Benedictionibus Patriarcharũ cap. 2. & Ruffinus in libro eiusdẽ tituli ad Paulinũ, nec non & Theodoretus in Quæstionibus in Genesim, quæst. vltima, minimè congruat is titulus cum ipsa oratione Iacob, per quã maledicitur primogenito Rubẽ, & item Simeoni ac Leui. Quãobrẽ Ambrosius: *Prophetia* inquit, *dicenda est oratio Iacob, nõ Benedictio: siquidẽ, Prophetia, est denũtiatio futurorum: Benedictio autem, sanctificationis, & gratiarum votua collatio.* Declarãt hoc ipsũ verba quibus Iacob primò affatus est filios, *Congregamini*, inquit, *vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* Non enim dixit: *vt benedicam vobis*, sed, *vt annuntiem vobis quæ ventura sunt.* Illud quoque ad huius rei confirmationem valet, quod Moses post verba Iacob subiungit: *Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus proprijs.* ergo quæ prius locutus fuerat, non fuerant benedictiones, sed prædictiones. *Ambros. Ruffinus. Theodoretus.*

2 NEC similis ratio est supremorũ verborũ quæ Moses pro-

ximè ante mortẽ suã locutus est filiis Israël, vt legitur Deut. 33. ille enim apertissimis verbis benedixit singulis tribubus. Sic enim eo loco scriptum est: *Hæc est benedictio qua benedixit Moyses seruus Dei filijs Israël ante mortẽ suam.* Atque hæc quoque sententia est apud Hebræos Rabbi Abrahã & Auen-Ezra. Quod autẽ commemorat hoc loco Tostatus, dixisse quosdã Iudęos, eorúmque Rabbinũ Salomonem, Iacob, paratum quidem fuisse benedicere filiis, sed recedẽte ab eo Spiritu Dei incidisse in delirium, eóque factum esse vt quibusdam benediceret, aliis malediceret: ridiculũ, absurdũ, impium est. Sed vnde, inquies, communis de illo titulo sentẽtia originẽ habuit? Videlicet quia plerique filiis Iacob bona & fausta denũtiauit, visum est orationẽ eius ex maiore patre posse benedictionẽ appellari. At enim bona quæ illis Iacob denũtiauit, non optando, & precando, quod est benedicere, sed prædicẽdo quod est prophetare locutus est.

Tostatus in Genes. hoc loco

FVIT olim non incelebris liber hoc titulo prænotatus: (ORATIO vel narratio Ioseph filij Iacob patriarchæ) apud veteres tam Hebręos, quàm Christianos non parũ habens auctoritatis. Eum librũ vocat Origenes Mysticam orationem. Nec mirũ placuisse ipsi, suffragari enim videbatur erroribus eius. Nãque in secundo tomo explanationis Euangelij Ioannis huius præcipuè libri testimoniis vtitur Origenes, ad fidẽ astruendam opinioni suæ de incarnatione quorundam Angelorum, quos ille ad exemplum, & imitationem Christi assumpsisse humanum corpus & animum credidit. Et in tomis explanationis libri Geneseos, ex eo ipso libro demõstrare volẽs, omnes humanorũ euentuũ significationes & prænotiones in astris cęli tãquam in libris legi posse à peritis siderũ inspectoribus ad hunc modũ scripsit: *Vniuersũ cœlũ est quasi liber quidam apertus omnia futura in se velut præscripta & prænotata continens. Quocirca in Oratione Ioseph sic intelligi potest illud quod Iacob dixit filij suis legi in tabulis cœli, quæcunque contingent vobis & filij vestris.* Quæ verba ex illo ipso libro sumpta refert Eusebius libro sexto Euangelicæ præparationis, & Procopius Gazæus in expositione primi capitis libri Geneseos.

3

Origenes de incarnatione Angelorum.

Origenes putauit in astris prænotari omnia futura.

VERVM enim verò eam orationem & scripturã abiicit Athana-

Athanasius

Athanasius in Synopsi & inter apochrypha scripta reiicit: nimirũ nec astra præsignare possunt futuros euentus hominũ vt à nobis disputatum est in secundo tomo Cõmentariorũ nostrorũ in Gen. capite quarto eius disputationis quã contra Astrologos scripsimus: & vt astra prę significarẽt res futuras, Iacob tamẽ nõ per Astromantiã, sed diuino afflatus spiritu quæ cõmemorãtur hoc loco, prædixit. Nec illud ignoret lector, Iosephũ historicũ Hebræũ, qui in cætera Patriarcharum historia narranda minimè ieiunus est, extremã hanc orationẽ Iacob vix attigisse. In libro enim secũdo Iudiacarum Antiquitatũ hoc tantum de ea scribit: *Iacob septem & decem annis in Aegypto exactis, inter manus filiorum vitam finiuit, precatus eis prius prosperitatem & abundantiam, & vaticinatus quod singulorum posteri in partem possessionis Chananæorum terræ essent peruenturi: id quod factum est aliquanto post tempore.* Hæc ibi Iosephus. *Iosephus.*

Vocauit Iacob filios suos, & ait eis, Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israël patrem vestrum. *Genes. 49. VERS. & 2.*

MOs fuit priscis Patribus veteris Testamenti, cùm se præsentirent vicinos morti, conuocatis filiis & posteris suis vel amicis, aut quorum ipsi præcipuam gerebant curam, suprema verba loqui, quibus aut ventura ipsis prænuntiarent, aut salutaria bene viuendi præcepta & documenta traderent. Ac licet primus omnium id feciisse legatur in sacris litteris Iacob patriarcha, credibile tamen sit idem feciisse Adamum, Noë, Abraham & Isaac. Sed quia nouissima illorum oratio nihil habuit insigne & notabile, vel ad prædictionem rerum futurarum, vel ad singularem aliquam posterorum eruditionem, ob eam opinor, causam non est illa litteris & memoriæ prodita. Licet autem valdè insignis fuerit benedictio illa quo Isaac benedixit Iacob, vt narrat Moses Genes. 27. ea tamen non fuit nouissima, & imminente morte collata, vt hæc Iacob. Exemplum patris sui Iacob secuti sunt filij eius, duodecim dico Patriarchas populi Hebræi. Sanè ferebatur olim peruestutus liber hac inscriptione: Testamentum Duodecim Patriarcharum. In eo multa erant prophetica oracula, graues item ad studium virtutis Deiq, cultum ex- *Testamẽtũ Patriarcharum.*

hortationes: nonnulla ex libro Henoch incerta vaticinia, de iis quæ filiis & nepotibus duodecim Patriarcharum euentura erant, de futuris Hebræorum sceleribus & pœnis, de mundi Saluatore ab Hebræis occidendo, & de Iudæorum ob illius necis vindictam euersione, captiuitate, ac per omnes gentes vniuersumque orbem terrarum dissipatione. Meminit huius libri Origenes homilia 15. in Iosue, & Procopius Gazæus in Commentariis suis in Genesim super capite trigesimum octauum

Origenes. Procopius. Gazæus.

MOSES quoque sub finem vitæ suæ nouissima oratione quam habuit ad filios Israël, & benedixit illis, & vice testamenti multa reliquit futurarum rerum oracula & perutilia documenta: vt videre licet in extremo libro Deuteronomij. Idem fecisse Iosue, declarat liber eius capite vigesimo quarto, idémque fecit Samuel, 1. Regum capit. 12. Dauid primum Paralipomenon duobus vltimis capitibus, Tobias capite tertio, & Mathathias primi Machabæorum capite secundo. Auctor porrò & conditor noui Testamenti Christus Iesus post nouissimam cœnam quam mortalis egit cum discipulis suis, ad mortem pergens, sermonem habuit bene longum ac planè diuinum, & cœlestium oraculorum atque præceptorum refertissimum. Cuius exemplo incitatos, legimus idem fecisse magistros & quasi patriarchas Monachorum ac Religiosorum hominum, Antonium dico, Benedictum, Franciscum, Dominicum, alioscque. 5

Animam hominis, sub tempus mortis diuinatricē esse vetus opinio multorū, sed falsa.

INOLEVERAT quidem olim apud multo, satis graues & nobiles philosophos ea opinio, animum hominis, appropinquante morte, diuiniorem euadere, & vi quadam afflari & affici diuinandi futura: vnde Xenophon libro octauo Cyrum inducit vicinum morti affirmantem sub tempus mortis, hominis animam esse diuinatricem: & Plato in Apologia Socratem hæc loqui facit: *In illud*, inquit, *tempus incidi quo homines maximè solent ventura prædicere, cùm iam moriturí sunt.* Sed ea opinio vana & futilis est, quanquam eam apud Ciceronem libro primo de Diuinatione, Quintus Cicero eius frater multis exemplis probare ac firmare conatur: verùm ea vel fabulosa & confícta sunt, vel artificio & fallacia dæmonis composita. Nec verum est, animum hominis propinquante morte diuiniorem efficiquin potius contrà, quia tunc maximè deficitur corporis ac sensuum viribus, & morborum ac dolorum cruciatu vehementius conflictatur, languidior, confusior atque obtusior fit ad intelligendum. Falsum quoque, tunc eum acrius & verius prospicere futura. Quod si in aliquibus id contingat, id vel ad magnam prudentiam, & rerum ciuilium atque humanarum peritiam longissimo vitæ decursu ab illis comparatam, vel ad cœlestem Dei afflatum & instinctum referri conuenit. Verùm expendamus verba Iacob supra nobis ad explanandum proposita. 6

Cicero.

IN supradictis verbis Iacob bis ponitur verbum illud, *Congrega-* 7

mini

mini, & illud, *Audite*, scilicet ad maiorem emphasim & vim orationis, & ad maiorem captandam docilitatem & attentionem: significat enim non tantum congregationem corporum & attentionem aurium, sed intentionem mentis, & vt ita dicam, congregationem cogitationum, ne aliò diuertantur atque dissipentur. Quo indicauit Iacob maximi momenti esse, atque eorum plurimum interesse quæ dicturus erat, eos ipsos percepta & cognita habere. Rupertus libro nono Commentariorum in Genesim, cap. 25. ait, his verbis denotari duplicem congregationem, & auditionem, alteram secundum corpus, alteram secundum animum: Et quia filij Iacob alij sunt filij secundum carnem, & alij secundum promissionem ac spiritum, vt diuinè Paulus disputat ad Rom. 4. & 9 & ad Gal. 4. idcirco putat ipse hæc Iacob oracula & vaticinia, secundum historiam quidem ad Sinagogam, secundum verò allegoriam & sensum à Spiritu-sancto principaliter intentum, ad Christi Ecclesiam pertinere. Pro illo: *Vt annuntiem vobis* Hebraice est, *Enunciabo vobis*: verùm significantius est verbum Hebræum. Namque *Vagath*, significat ante conspectum & ante oculos ponere, inde enim est Præpositio *Vegeth*, significans coram & è regione. *Rupertus.*

3 SEQVITVR *Quæ ventura sunt in nouissimis diebus.* Fuit igitur hæc denunciabo Iacob prophetia diuinitùs ei data, non futura contingentia nosse, solius Dei est. Habuit autem hanc Iacob, vt licet coniicere, non modo sensibili, nec per visiones imaginarias, sed per supernaturalem mentis illustrationem, quod est excellentissimum prophetiæ genus. Hæc autem prænuntiari, eo voluit Deus, vt cùm essent completa, intelligerent Hebræi, ea non casu, neque naturæ necessitate, sed Dei voluntate & ordinatione contigisse: præsertim autem vt haberent Hebræi certissimum, & manifestissimum indicium eius temporis quo venturus erat Messias, videlicet cum defecisse cernerent sceptrum de Iuda, & Ducem de fæmore eius.

PER nouissimos autem dies intelligere oportet posteriora tempora, quæ scilicet consecuta sunt id temporis quo Iacob hoc vaticinium edidit, vt idem significet, *In nouissimis diebus*, quod *In consequentibus vel futuris temporibus & sæculis.* Certè quę Iacob denunciauit filiis suis, eorum quædam exitum habuerunt eo tempore quo duodecim tribus terram Chanaan sortitione diuisam possederunt: ad hoc enim tempus spectat quod Iacob dixit de Simeone & Leui: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël*: & illud de Zabulon: *In littore maris habitabit Zabulon, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem*: Alia verò contigerunt tempore Iudicum, vt illud de tribu Dan: *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël, Fiat Dan coluber in via, &c.* quis non videt pertinere ad Samsonem qui ortus est ex tribu Dan, & Iudex fuit populi Hebræi, quiq; frequenter ac variè occursans Philistæis vehementer eos afflixit atque contriuit? quanquam hoc vaticinium multi & in primis clari Patres, interpretati sunt *Quid per nouissimos dies intelligere oporteat.* *Iud. 13.*

sunt de Antichristo, vti dicemus cùm ventum erit ad eius loci expositionem. Illud quoque quod de Iuda dixit Iacob: *Iuda te laudabunt, fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabũt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti*: nemo est tam imperitus sacræ historiæ, vt non animaduertat esse id completum in regibus Iuda, præsertim autem in Dauide. Denique illud: *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*: præmonstrat expresse tempus Messiæ. Exitus igitur & complementum huius prophetiæ Iacob diuersis admodum temporibus accidit.

NEC solum hoc loco nouissimi dies significant quod diximus, 9
sed aliis quoque multis locis: nobis vnum aut alterum indicasse satis fuerit. Apud Danielem cap. secundo, interpretaturus Daniel visionem statuæ, quam rex in quiete viderat præfatus est illud: *Indicauit tibi Deus, ô Rex, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus* vbi illud *nouissimis temporibus*, significat idem atque (posterioribus temporibus quæ tuam ætatem tuúmque imperium consecutura sunt.) Vnde quod hic Daniel dixit: *in nouissimis temporibus*, paulò infrà quasi exponens dixit: *Deus ostendit regi quæ ventura sunt postea*. Ergo idem est, *quæ ventura sunt nouissimis diebus*, ac, *quæ ventura sunt postea*, id est, post tuum imperium. Certè monarchia Persarum, quæ proximè subsecuta est Imperium Chaldæorum, exorta est tribus tantum & sexaginta annis post visionem illius statuæ, cuius pectus & brachia argentea, monarchiam illam Persicam figurabant: at verò monarchia Græcorum significata per ventrem & fœmora ærea illius, statuæ, minus trecentis annis extitit post visionem illius statuæ. Alter locus est in Nouo Testamento apud B. Paulum prioris Epistolæ ad Timotheum capite quarto, & posterioris capite tertio, quibus locis prædicit fore *vt in nouissimis diebus exurgant homines, seipsos amantes, deficientes à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, &c.* Nouissimi autem dies significati à Paulo fuerunt tempora proximè subsecuta ætatem Apostolorum: namque homines illi à Paulo præscripti & præsignati, fuere sectatores Simonis, & item Gnostici, aliique similes hæretici. Quocirca B. Iudas in sua epistola quam scripsit post excessum Apostolorum, significat, nouissimos illos dies prædictos ab Apostolis sua ætate iam venisse.

An nouissimi dies in scriptura significet diem siue tempus Messiæ. Rab. Dauid. Kimchi. Hieronymus. Lyranus.

NON me fugit, Rabbi, Dauid, Kimchi super secundum caput Isaiæ 10
affirmare, quoties in scriptura nominantur nouissimi dies, vel dicitur, *In fine aut in termino dierum*, significari tempus Messiæ: idemque docuisse eo loco & Michææ 4. B. Hieronymum, Lyranum, aliósque nec paucos nec minutos auctores: tempus autem Messiæ ac legis Euangelicæ propterea nouissimum appellari, quod fuerit finis & terminus status Iudaici, quantum ad legem, Sacerdotium & Regnum, & finis prophetiarum ac figurarum veteris Testamenti: & quia post legem Euangelicam non erat expectanda alia lex, nec aliud

facer-

sacerdotium, nec alia Sacramenta. Sed vt hoc sæpè verum est, ita sæpè verum non est, vt apparet ex iis quæ paulò suprà disputauimus. Non est omittenda interpretatio huius loci, quam habet Thargum Hierosolymitanum, quæ Latinè conuersa hanc reddit sententiam: *Congregamini & docebo vos finem reconditum, arcana & abscondita, & præmium quod nanct iustos, pœnam item impiorum, atque fœlicitatem horti Eden quænam illa sit.* Sic est ibi. Secundum quam interpretationem liquet hanc Prophetiam Iacob non tantum ad bona temporalia & terrena, verùm etiam ad spiritualia & sempiterna pertinere. *Thargũ Hierosolymitan.*

PRIMA PROPHETIA DE RVBEN.

Rubẽ primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua: non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. VERS. 3. & 4.

11 IACOB in alloquendo filios, seruat ordinem generationis & ortus eorum quantum ad primos quatuor & duos vltimos, quantum verò ad cæteros minimè. Et ordo quidem generationis eorum, vt patet ex capite 29. & 30. Geneseos, hic fuit: Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Dan, Nephtali, Gad, Aser, Issachar, Zabulon, Ioseph, Beniamin. Miratur Ruffinus in libro de Benedictionibus Patriarcharum, cur scriptura, quoties memorat duodecim filios Iacob, ferè diuerso eos ordine recenseat, vt videre licet Genes. 30. 46. 49. Numero. 1. 2. 7. 10. 13. 26. 34. Deuteron. 27. 33. Iosue 15. Orsus est igitur Iacob prophetiam a Ruben, quòd is primus esset filiorum. *Fortitudo mea.* Dicitur qui erat primogenitus, fortitudo ipsius Iacob, quod eum genuisset Iacob cùm erat valido corpore & florenti ætate, agens annum circiter octogesimum quartum, quæ ætas florens æstimari debet comparatione totius vitæ Iacob, quæ fuit centum quadraginta septem annorum. Vel dicitur fortitudo patris, quia in ipso primum apparuit virile robur & perfectio patris. Nam tunc demum vnumquodque perfectum est, cùm generare potest sibi simile, vt docet Aristoteles libro quarto Meteororum. Vel nominatur fortitudo, quia ipsum maximè decebat esse robur ac firmamentum patris sui, & quasi baculum senectutis eius. *Ruffinus.* *Cur primogenitus dicatur fortitudo vel dolor patris.*

12 PRINCIPIVM *doloris mei*) Ita dicitur, quia Ruben ob incestum cum nouerca sua commissum, dolorem patri grauissimum inussit: *Genes. 35.*

vel quia ipse primum attulit laborem & solitudinem patri, vt rebus eius prospiceret. Sic enim natura comparatum est, vt parentes statim, vt genuerunt filios, cura incessat & sollicitudo consulendi ipsis, eorumque rebus prouidendi. Vel vt interpretatur Tostatus primogenitus filius dicitur dolor patris quod in virginibus primus congressus non sine dolore ac pœnitentia peragitur: id quod etiam dixit Plinius libro 10. cap. 63. *Homini tantum*, inquit, *primi coitus pœnitentia, augurium scilicet vitæ à pœnitenda origine.* Hanc interpretationem si admittimus, etiam, illud intelligere licet, quanta fuerit Iacob castitas, qui ante primum vxoris congressum, iam grandis natu nullam mulierem attigerat. Pro his autem verbis, Pagninus & alij ex Hebræo ad verbum sic vertunt, *Principium roboris vel laboris mei*, vox enim Hebræa *on* significat robur & laborem: opus enim robore est ad ferendum laborem. Chaldaicè est *Principium seminis mei*: Græcè est, *Principium vel caput filiorum meorum*, quomodo nominatur primogenitus Deuteronom. 21. Veruntamen in hac lectionum varietate eadem est sententia.

Tostatus in c. 49. Geneseos.

Plinius.

Pagninus.

PRIOR *in donis: maior in imperio.* Supplendum est illud, esse debebas, & his quidem verbis duplex tangitur prærogatiua primogeniti: quarum altera pertinebat ad vtilitatem, significatam illis verbis: *Prior in donis*, etenim in diuisione hæreditatis paternæ, primogenitus præponebatur cæteris filiis, accipiendo duas partes hæreditatis, & de bonis paternis dabantur ei cuncta duplicia: hoc enim præceperat Deus Deuteronom. 21. *Dabit*, inquit, *pater primogenito suo de ijs quæ habuerit, cuncta duplicia, iste est enim principium liberorum eius, & huic debentur primogenita*, atque hoc quidem seruauit Iacob erga filium suum Ioseph, ad quem transtulit ius primogenituræ Ruben quantum ad hoc: vide caput 48. libri Geneseos, & caput. 5. libri 1. Paralipomenon. 13

ALTERA prærogatiua primogeniti pertinebat ad honorem & dignitatem, quæ significatur illis verbis: *Maior in imperio.* Habebat enim primogenitus quasi regalem quendam principatum atque dominatum in omnes fratres: id quod licet perspicere ex iis verbis quæ dixit Isaac Genes. 27. benedicens filio suo Iacob, eumque constituens primogenitum.

OCTO porrò memorantur fuisse primogenitorum prærogatiuæ in populo Dei, etiam ante legem Mosis. Prima: Erant Sacerdotes, & idcirco Leuitæ assumpti sunt vt essent Sacerdotes in cultu Dei loco omnium primogenitorum Israël, vt 2. cap. Numerorum traditur. Secunda: Primogenitus sedebat primus in mensa, maiorque portio ei dabatur: vide 42. caput Geneseos. Tertia: Benedicebat ille alios fratres, & ipsi submittebant se illi, & adorabant eum. Quarta: Habebat imperium & dominatum in fratres, vt Genes. 27. indicant verba Isaac. Quinta: Accipiebat duplices partes paternorum bonorum, vt traditur Deuteronom. 21. Sexta: Primogeniti redimebantur 14

quinque

quinque siclis, alij verò filij minimè, tanquam illi specialiter essent Deo consecrati & addicti. Septima: vtebatur singulari quodam vestitus genere, id est, præ cæteris fratribus delicato & pretioso: quamobrem Iacob induit vestes Esau. Octaua & vltima prærogatiua: Primogenitus singulariter benedicebatur à patre iam moribundo: atque has ferè omnes prærogatiuas perdidit Ruben. vnde Paraphrasis Chaldaica sic habet hoc loco: *Tuum erat vt acciperes tres partes potiores præ fratribus tuis, Sacerdotium, primogenituram, & regnum: sed quia peccasti, data est primogenitura Ioseph, regnum Iuda, Sacerdotium Leui.* Paraphrasis Chaldaica.

15 PRO supradictis verbis: *Prior in donis maior in imperio*, Pagninus vertit, *Excellentiæ dignitas, excellentia fortis.* Arias Montanus sic reddit: *Excellentia extollendi, excellentia fortis.* B. tamen Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim ita transtulit ex Hebræo. *Maior ad portandum, & maior robore.* Verùm multò dissimillima est lectio Græca, quæ vt hic refert Hieronymus, si habet: *Durus ad ferendum, & durus procacitate & iniuria.* Ruffinus ita legit: *Durus in conuersatione, & durus temeritatis contumeliam irrogasti.* Romana editio Græca quæ ad fidem & veritatem vetustorum exemplarium censetur emendatissima, ita expressit: *Durus ad ferendum, & durus peruicax faciſti contumeliã:* quæ verba nihil sanè faciunt ad declarandam dignitatem futuram Ruben, si is non peccasset, sed valent potius ad exaggerandum peccatum eius: quasi dicat ipsius scelus fuisse valdè durum & intolerandum, ex maxima temeritate & contumacia natum, & cum summa patris iniuria atque contumelia coniunctum. Varietas lectionum. Hieronym. Ruffinus.

16 SEQVITVR: *Effusus es sicut aqua, non crescas.* Hieronymus ex Hebræo habet. *Effusus es sicut aqua, ne adycias.* Pagninus vertit, *Leuis sicut aqua.* Montanus, *Festinatio sicut aqua.* Verùm hæc omnia eodem recidunt: sensus enim est, Non potuisti cohibere tam nefariam libidinem, sed præceps ruens ad scelus, effudisti eam, & vt ait Hieronymus, quasi aqua quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu. Ergo his verbis denotatur intemperantia libidinis Ruben, qui ne à nouerca quidem sua, patre adhuc viuente temperare sibi & libidinem coërcere potuerit. Cæterùm diuersa est apud Lyranum interpretatio horum verborum: *Hoc interest*, aic Lyranus, *inter aquam & alios liquores, vt vinum, oleum, atramentum, quòd hi dum ex vase quo continentur, effunduntur, semper aliquid sui relinquunt inhærens vasi, vel substantiæ, vt mel, vel saporis, vt vinum, vel coloris, vt atramentum, vel odoris & pinguedinis, vt oleum, aqua verò effusa nihil horum relinquit, non colorem, non odorem, non saporem, sed omnino vacuum ea relinquitur vas.* Putat igitur Lyrannus eo significari, Ruben suo scelere perdidisse omnes prærogatiuas primogenitorum. At enim Tostatus sic exponit: aqua effusa non attollit se super terram, sed ad decliuiora & humiliora loca terræ defluit: Sic Ruben, cum propter ius primogenituræ extolli debuisset super cæteros Hier. in Traditionibus Hebraicis. Lyranus. Differentia liquorum.

fratres, propter scelus ab ipso admissum depressus & deiectus est.

ILLVD porrò quod subditur: *Non crescas*, prophetia est eius quod futurum erat, dictum enim est non crescas, pro non cresces. 17
Quid est autem: Non crescas? Non crescas dignitate, supereminendo aliis, vel non crescas propagatione familiæ, videlicet numerosè multiplicata posteritate. Atque hic posterior sensus videtur conuenientior: namque vt ex libro Numerorum licet animaduertere, tribus Ruben non æquè ampla & numerosa fuit sicut ceteræ tribus, præsertim autem tribus Iuda. Quapropter etiam Moses spiritu prophetico vt est in Deuteronom. cap. 33. de tribu Ruben loquens: *Viuat*, inquit, *Ruben & non moriatur, & sit paruus in numero.* Græca lectio sic habet: *Sicut aqua non efferuescas*, vel vt alij legunt, *non ebullias*. id est, non extollaris neque crescas, vt solet aqua bulliens & efferuescens: vel non calescas ad multiplicandam prolem. Sic enim exponit Theodoretus.

Theodor. in Genes. quæst. 109. & vltima.

VERVM quærat aliquis, quomodo Iacob, vir nempe sanctissimus, maledicat & imprecetur mala filio suo, cùm id ne in ipsos quidem inimicos fieri deceat? Sed facilis est responsio: Sæpenumero quidem in sacris litteris legi, sanctos viros mala esse imprecatos hominibus sceleratis. Vide psalmo 34. 54. 82. 108. & Isaiæ capite secundo. Et ne credatur id fecisse eos perturbatione animi, vt ira, vel odio incensos, scire conuenit eiusmodi orationes non fuisse sanctorum hominum imprecationes aut vota, sed prædictiones propheticas: quocirca verba optatiui modi declaranda sunt per verba indicatiui & futuri temporis. Sanè apud Isaiam capite secundo pro illo: *Ne dimittas illis hoc peccatum.* Septuaginta Interpretes faciunt Deum ea verba loquentem: *Non dimittam eis hoc peccatum.* Præterea viri sancti intelligentes mala illa esse impiis æterno Dei decreto parata & constituta, conformantes se ad eius voluntatem, volunt id quod velle Deum norunt: quin etiam seipsi offerunt & exhibent diuinæ iustitiæ ac vindictæ ministros: sicut fecit Eliseus 4 Regum cap. 2. aduersus eos pueros qui ei illudebant & insultabant. Lege Beatum Augustinum libro duodecimo contra Faustum, capite trigesimo tertio. Similiter beatus Petrus fraudem & perfidiam Ananiæ & Saphiræ repentina morte puniunt: & Paulus contumaciam Magi Elymæ prædicationi Euangelicæ repugnantis, subita cœcitate percussit. Adiice quod non ferè solent sancti imprecari mala spiritualia, sed tantùm corporalia, quæ scilicet futura sperant improbis tanquam medicinam sanandis morbis animi, ac velut frenum coërcendis ac reprimendis eorum cupiditatibus & quasi acres quosdam stimulos incitandis eorum animis ad studium virtutis, Deique cultum & legis eius obsequium. Vnde Dauid: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et rursus: *Cum occideret eos quærebant eum & reuertebantur*, & alio loco loquens de seipso: *Bonum*, inquit *mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Sanctos imprecari mala hominibus sceleratis, quomodo sit intelligendū. 18

Augustin. Act. 5.

Psalm. 82. Psalm. 77. Psalm. 118.

RESTANT

19 RESTANT extrema illa verba huius vaticinij de Rubem explicanda: *Quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Quibus verbis indicat Iacob iustam sibi fuisse causam maledicendi filio Ruben. Historia rei huius nota est ex capite trigesimo quinto libri Geneseos vbi traditur Ruben dormiuisse cum Bala vxore patris sui, nec id latuisse patrem. In quo scelere multa erant implicata crimina, primùm adulterij, violando alienam vxorem, tum incestus, constuprando nouercam suam, ad hæc summæ ingratitudinis atque irreuerentiæ & insignis contumeliæ aduersus patrem suum. Quocirca Beatus Paulus 1. ad Corinth. 5. exaggerans huiusmodi peccatum vehementer obiurgat Corinthios quòd tale peccatum non seuerissimè castigassent. Auditur, inquit, inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, vt habeat quis vxorem patris sui. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui id operatus est. Et subdit, se decreuisse eum hominem tradere Sathanæ in interitum carnis. Pagninus sic vertit hunc locum: *Ascendisti cubile patris tui, tunc polluisti, stratus meus excisce fuit:* Et sic videtur legendum secundum punctuationem Hebræorum, Id est, inquit Kimchi, & Auen Ezra, *A die quo tu polluisti stratum meum, stratus meus fuit excisus vel defecit:* quo significatur, post id temporis Iacob nunquam rem habuisse cum Bala, sed eam à suo toro separasse. Simile fecit Dauid decem suis concubinis congressu Absalonis fœdè violatis, vt est in secundo Regum, capite decimo sexto.

20 VERVM Ambrosius libro de Benedictionibus Patriarcharum capite secundo hanc nostram interpretationem quæ verè historica est, vt falsam & Hebræis confictam improbat. *Iudæi*, inquit, *putant Iacob dixisse hoc ad Ruben, quia cum concubina sua Bala concubuerat, & patrium thorum polluerat. Sed facile refelluntur: hoc enim erat ante gestum. Iacob autem, non ea quæ gesta erant, sed quæ ventura erant in nouissimis diebus: professus est se esse dicturum. Ergo Iacob videns persequentibus Iudæi futuram Domini passionem, execratus immanem primogenitæ plebis audaciam, quæ incredula, nec legi Dei suadita, iugum Christi dura nesciens portare ceruice, auctorem vitæ non solum scelere necis, sed etiam sacrilegæ insultationis affecit iniuria.* Sic Ambrosius. Sed profectò Ambrosij expositio mystica potius est quàm literalis, vt manifestum est cuiuis eam perpendenti. Nec eius refutatio nostræ interpretationis firma est: Scelus enim Ruben iam pridem admissum hic memoratur à Iacob, vt iustam esse ostendat causam eius pœnæ seu vindictæ, qua eum punitum iri prædicit. Prophetia igitur Iacob, pœnam & vindictam Ruben respicit vt futuram, vt eius autem causam & meritum, narrat flagitium Ruben iam patratum. Non igitur secundum hanc expositionem, contra propositum & sententiam suam fecit Iacob. Concludam hunc locum, subiiciens quasi paraphrasticam eius explanationem à Hieronymo traditam

Opinio B. Ambrosij examinatur.

Hieronym.

in Quæstionibus Hebraicis in Genesim. *Sensus*, inquit Hieronymus, *loci huius est hic. Tu Ruben es primogenitus meus maior in liberis: & sedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & hæreditatem quæ primogenitis iure debebatur, sacerdotium scilicet & regnum, accipere debebas: hoc quippe in portando onere & prævalido robore demonstratur. Verùm quia peccasti, & quasi aqua quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu, ideirco præcipio tibi vt vltra non pecces, sisq; in fratrum numero pœnam ex peccato luens, quòd primogeniti ordinem perdidisti.* Sic Hieronymus.

Allegoria interpretatur triplex. Ambros. Isidorus. Exod. 4. Osea.

ATQVE historica quidem huius vaticinij enarratio ita se habet, Mystica porrò, id est, Allegorica & Tropologica quoque attingenda est. Allegorica triplex à Patribus traditur. Etenim Ambrosius & Isidorus hanc prophetiam applicant ad populum Hebræum, & Christum Dominum. Namque in Exodo & apud Oseam populus Hebræus appellatur filius & primogenitus, prior vtique in donis, & major in imperio: multas enim magnásque prærogatiuas à Deo accepit, quas priore parte Deuteronomij Moses commemorat, & Paulus ad Romanorum 9. eásque nos fusius explicauimus libro quarto Commentariorum in Danielem super illa verba Cantici trium puerorum: *Benedicat Israël Dominum, laudet & superexaltet eum in secula.* Is autem populus perdidit omnia Dei beneficia, & à Deo maledictus est, quia ascendit cubile Dei & stratum eius commaculauit, quia fuit contumeliosus contra carnem & corpus Christi, affigens illud Cruci: Sancta verò illa Humanitas fuit quasi lectus Diuinitatis. Si enim delitiæ sunt Dei esse cum filiis hominum, quanto magis esse cum filio suo? de quo ipse dixit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Hunc lectum maculârunt Iudæi, cùm Christum occiderunt. 21

Dan. 3.

Prouerb. 8. Matt. 3. & 17.

Ruffinus.

RVFFINVS sequitur hanc interpretationem, qua pertinet ad populum Hebræum: sed discordat, eo quod illud de cubili maculato & strato polluto, non de Christo interpretatur, sed de lege Mosayca, per quam legem Deus in eo populo tanquam habitabat & requiescebat. Eam porrò legem Iudæi maculârunt quatuor modis: primò, non eam obseruando: tum intelligendo eam tantum carnaliter & secundum literam quæ occidit, non secundum spiritum qui viuificat: ad hæc cùm lex Mosis esset velut pædagogus, vt ait Paulus, præparans & idoneum faciens eum populum ad accipiendam Christi gratiam, Iudæi prætulerunt legem gratiæ Christi, & maluerunt esse sub iugo legis, quàm sub Christi libertate: postremò Iudæi vanè & superbè gloriabantur de externa legis obseruantia, nullo respectu nullâque cura habita fidei, charitatis & iustitiæ: quæ res præcipuus erat legis fructus ac finis.

Quatuor modis Iudæi polluerũt legem Mosis. 2. Cor. 3. Galat. 3. Matt. 9. & 23.

Glossa ordinaria.

TERTIA Allegorica tangitur in Glossa, pertinens ad Lucifer. 22
rum vel Adamum. Etenim Lucifer fuit quasi primogenitus inter alios Angelos, amplissimis Dei muneribus super omnes ornatus, qui tamen effusus est sicut aqua, de sua felicitate sibi vanissimè placens

cens & superbissimè insolescens: quocirca effusus est, de cœlo nempe deturbatus ac deiectus, quia ascendit cubile Dei, honorem scilicet soli Deo debitum affectans: id quod significant verba eius apud Esaiam, *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Esai 14.

23 CÆTERVM secundum Tropologicum sensum possunt hæc accommodari ad Pseudoprophetas & hæreticos, vt facit Rupertus. Ruben quippe, typus est Hæreticorum, qui videri in Ecclesia volunt tanquam primogeniti, gloriantes de Spiritu, de puro verbo Dei, de magnis donis eloquentiæ ac doctrinæ, atque ob id alios præ se contemnentes. Verùm quia lectum patris sui polluunt, id est, Ecclesiam, & conscientias simplicium ac rudium hominum falsis doctrinis maculant, meritò diuinis & Ecclesiasticis maledictis, execrationibus & pœnis plectuntur. Simile quid dici potest in malos Prælatos Ecclesiæ, eoque magis quo sunt illi maiores: siquidem in populo Christiano Prælati, sunt velut primogeniti, honoribus, delitiis, omniumque bonorum copia affluentes: verùm effunduntur sicut aqua, quia cùm ad amorem cœlestium rerum omne studium suum conferre deberent, terrenarum rerum cupiditatibus depressi, defluunt ad amorem & consectationem bonorum huius mundi. Hi maculant cubile Dei, hoc est, Ecclesiam suo exemplo dehonestant atque turbant, & tantæ dignitatis fastigium exemplo vitæ valdè fœdant. *Tropologia.*

24 POSSVNT hinc præterea quatuor elici perutilia documenta. primùm: Boni patris esse flagitiosos filios asperè tractare, & pro meritis eorum castigare: nam qui talibus filiis indulgent, iusto Dei iudicio per ipsosmet filios grauiter puniuntur, vt contingit Heli pontifici & regi Dauidi: Alterum, vindictam admissi sceleris semper esse timendam, nam etsi sæpè lenta & sera, nunquam tamen irrita est. Ecce sceleris Ruben post quadraginta annos quam fuerat ab eo patratum, & à Iacob dissimulatum, vindicta & pœna pronuntiata est. Tertium, quàm vili de causa sæpissimè homines peccando plurima & maxima bona perdant. Nónne Ruben omnia primogenituræ bona amisit breuissimæ voluptatis turpissima mercede? quemadmodum Esau quoque edulio lentis vendidit primogenita. Quartum, quantum sit scelus & nefas, contumacem & contumeliosum esse in parentes: cuius rei tria sunt perillustria in sacris litteris exempla, vnum Cham filij Noë, alterum Ruben filij Iacob, tertium Absalonis filij Dauidis. *Quatuor documenta.* *1.Reg.3.* *2.Reg.18.* *Genes.25.* *Heb.12.* *Genes.9.* *2.Reg.18.*

* * *

SECVN

SECVNDA PROPHETIA
DE SIMEONE ET LEVI.

Genes. 49. VERS. 5. 6. & 7. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël.*

AD intelligentiam huius Prophetiæ, memoria repetere 25
oportet historiam cædis Sichimitarum factam à filiis Iacob, præcipuè tamen à Simeone & Leui, quam narrauit suprà Moses capite trigesimo quarto huius libri. Hoc igitur eorum facinus vt plenum iniquitatis, furoris & crudelitatis, detestatur Iacob hoc loco. Ac licet omnes filij eius ad cædem illam faciendam concurrerint: quia tamen eius cædis faciendæ impulsores, auctores & principes fuernnt Simeon & Leui propterea eos tantùm culpat & incusat Iacob. Signatè verò appellauit eos fratres, non quidem carne, namque ea ratione alij quatuor similiter erant eorum fratres, eodem scilicet patre matréque generati, sed fratres vocantur societate & concordia sceleris. *Vasa iniquitatis bellantia.* Vocabulum, *vas*, in Scriptura, prout, variis cum rebus iungitur, varias item habet significationes. Sed in vniuersum significat idem atque instrumentum: vnde vasa bellantia, vel bellica, significat instrumenta bellica, id est, arma, & vasa psalmi, id est, instrumenta musica. Abominatur igitur Iacob arma bellica, quibus iniquè vsi sunt Simeon & Leui ad cædem Sichimitarum: nam illud, *Vasa iniquitatis*, Hebraismus est pro, vasa iniqua, vel iniquè adhibita.

Vocabuli, Vas, variæ significationes.

Quàm multiplex & quā grauis iniquitas fuerit in cæde Sichimitarum.

SED quæ & quanta fuit in ea cæde illorum iniquitas? Sanè 26
multiplex & grauis admodum ac deformis. Primò, cædes illa facta est contra pactam datam & pactum initum cum Sichimitis: deinde per dolum & fraudem fecerant pactum, non sincerè sed simulatè, quò facilius ac vehementius homines inermes atque incautos opprimerent: præterea peccarunt contra suam ipsorum religionem, nam cùm suasissent illis, vt ritum Iudaicum circuncisionis subirent, nihilominus tamen eos iam ad Iudaicam religionem adscitos interemerunt: ad hæc occiderunt eos cùm maximè circuncisionis cruciatu & dolore conflictarentur: his accedit, quod non solum interfece-

terfecerunt Sichem qui auctor fuerat ſtupri, ſed omnes inſuper ciues, homines ſcilicet innocentes, nec eius flagitij participes: ad extremum, non ſatis fuit neci dare homines, ſed præterea vrbem vſquequaque vaſtarunt & euerterunt, itaque maior ſcelere vindicta fuit.

27 CÆTERVM exiſtit quæſtio, quemadmodum Iacob cædem illam Sichimitarum tantopere deteſtetur, cùm eam ſancta illa mulier Iudith non ſolum commendet, verùm etiam Deo auctore atque incitatore factam prædicet? Namque capite nono libri eius in ea precatione quam habuit ad Deum, hæc dixit: *Domine Deus patris mei Simeonis, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum qui violatores exiterunt in coniunctione ſua, & denudauerunt fœmur virginis in confuſionem, & dediſti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis qui zelauerunt zelum tuum.* Ait igitur Iudith, Deum dediſſe Simeoni gladium in vltionem Sichimitarum. nam hoc ſignificat illud, *in defenſionem alienigenarum.* Frequens enim eſt Latino interpreti, pro vlciſci, defendere, & pro vltione, defenſionem ponere, veluti ad Roman. 12. *Non vosmetipſos defendentes, ſed date locum iræ*: & Iudith capite primo. *Iurauit per Thronum ſuum quod ſe defenderet ab illis regionibus.* ait item Simeonem eo facto zelauiſſe zelum Dei, Deúmque non ſolum approbando, ſed etiam remunerando illud factum, dediſſe illi quaſi mercedem operis, mulieres & virgines in captiuitatem, omnémque ſuppellectilem in prædam.

Quæſtio an iuſta fuerit cædes Sichimitarum propter verba Iudith.

Locus Iudith c. 9.

28 MAGISTER Hiſtoriæ Scholaſticæ, & Dionyſius Carthuſianus ſuper eum locum Iudith, viderunt hanc difficultatem, & ad hunc modum expediri poſſe putarunt. Cædes, inquiunt Sichimitarum triplicitèr conſiderari poteſt: vel ex parte Dei, & ſic iuſta fuit, decuit enim Deum fœdiſſimum illud ſtuprum non inultum dimittere: vel ex parte Sichimitarum, qui quoniam de ſcelere vel ab ipſis, vel apud ipſos commiſſo nullam egerant pœnitentiam, digni profecto erant ſupplicio: atque hac duplici ratione cædens illa laudari poteſt & laudata eſt à Iudith: vel ex parte Simeonis & Leui, & ſic plane iniuſta fuit, quia cum dolo & contra datam fidem, & poſt fœdus ac pacem initam facta eſt, & hac ratione eam Iacob damnat ac deteſtatur. Veruntamen ſi quis conſideratè perpendat ſupradicta verba Iudith, aduerteret hoc iſtorum reſponſo nequaquam exhauriri propoſitam difficultatem. Dicit enim Iudith Simeonem zelaſſe zelum Dei, ergo videtur laudare, & cædem etiam ex parte Simeonis.

Magiſt. hiſt. ſcholaſt.

Dionyſius Carthuſ.

29 QVOCIRCA ſimilius vero eſt reſponſum Lyrani, qui explanans verba illa Iudith, iubet nos in illa cæde duas res conſiderare, quarum altera, eſt zelus quo incenſi ſunt illi ad faciendam cædem, altera eſt modus quem in facienda cæde tenuerunt. Zelus quidem fuit odium ſtupri ſororis, quod iuſtum erat & laudabile, voluntas etiam vlciſcendi tantum ſcelus, hoc eſt, vt non abiret inultum & impunitum, & hoc quoque bonum fuit: denique ſtudium repellendi iniuriam

Lyrani & Auctoris ſententia.

ſorori illatam, quod erat honeſtum. Ac de his quidem laudatus eſt Simeon à Iudith. At enim modus quo iſta ſunt executi & ad effectum perduxerunt, prauus, peruerſus & abominabilis fuit, id eſt, vt diximus, per dolum & cum ſumma crudelitate. Quamobrem & cædem & cædis auctorem meritò deteſtatus eſt Iacob.

SED pergamus quæ ſequuntur exponere. *In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea.* Senſus eſt: Abſit vt ego tanto ſceleri vlla ratione aſſenſus ſim, & tam iniqui conſilij participatione fœdauerim gloriam meam. Vel: Abſit vt factum illud ad laudem & gloriam meam pertinuiſſe putetur. Totum hoc eo ſpectet, vt demonſtret Iacob ſe neque tunc participem fuiſſe illius ſceleris, & nunc ipſum deteſtari. Alij ſic exponunt, Nolit Deus, vel, Auertat Deus vt in concilium ac cœtum eorum aliquando veniat anima aut gloria mea: nam vt ſunt temerarij furentes, ne mihi quidem parcerent, quod ita diceremus Italicè: *Diogardi la vita è l'honor mio d'alle conſulte & congregationi loro.* Vox, conſilium, Hebraicè ſignificat non modo conſilium, ſed quicquid occultum & ſecretum eſt. 30

RABBI Salomon illud. *In conſilium eorum non veniet anima mea*, ait ſpectare ad facinus Zamri, qui inſpectante Moſe cum vniuerſo populo intrauit lupanar vt coiret cum muliere quadam alienigena: quamobrem Dei zelo incenſus Phinees, vtrumque gladio perfodit. Vide caput 25. Numerorum. Itaque pro conſilio legit & intelligit Salomon ſecretum locum, id eſt, lupanar: hoc ergo ſcelus præuidens Iacob ſpiritu prophetico, illis verbis abominatus eſt. Fuit autem Zamri de tribu Simeonis. Quod autem ſubiungitur: *Et in cœtu illorum non ſit gloria mea*, idem Salomon pertinere exiſtimat ad ſeditionem illam quam Core qui erat de tribu Leui, concitauit aduerſus Aaron, arrogare ſibi volens dignitatem & poteſtatem ſacerdotalem: cuius rei Moſes hiſtoriam ſcripſit capite 16. Numerorum. Sed enim cum ea interpretatione nequaquam conſonant verba quæ proximè ſequuntur: *In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum*: quod ad hiſtoriam Zamri & Core minimè quadrat. 31

QVIA *in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Illud, virum, vel dictum eſt pro viros, id eſt, Sichimitas omnes, poſito ſingulari pro plurali: vel occiderunt virum, idem valet atque, fuerunt homicidæ: vel potius ſingulariter dictum eſt, occiderunt virum, propter Sichem ſtupri auctorem, cuius vnius vlciſcendi nimia cupiditate, etiam ad alios omnes eius ciues cædes illa graſſata eſt. Illud: *ſuffoderunt murum*, hanc habet ſententiam: Tanto furore debacchati ſunt, vt non contenti fuerint cæde hominum, ſed inſuper vrbem vſquequaque depopulari, vaſtare ac demoliri voluerint. Suffodiſſe eos murum, in hiſtoria eius rei quæ ſuprà narrata eſt capite trigeſimo quarto non ponitur expreſsè, ſed fortaſſe ſignificatur illis verbis: *Simeon & Leui arreptis gladijs ingredi ſunt vrbem confidenter* 32

fidenter, interfectisque omnib. masculis, Hemor & Sichem pariter necauerũt. Illud: *Confidenter ingressi sunt vrbem.* significare videtur, audacter eos esse ingressos diruendo partem aliquam vrbis: vel potius significatur aliis illis verbis proximè sequentibus: *Quibus egressis irruerunt super occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri.* Ex quibus verbis existimare licet Simeonem & Leui auctores fuisse cædis hominum, cæteros autẽ fratres eorũ tantùm direptionis & vastationis vrbis.

32 PRO illo: *Suffoderunt murum*, Septuaginta verterunt, *Subnernauerũt taurum*: nam vox hebræa, Sor, frequenter vsurpatur in Scriptura ad significandum taurum vel bouem: Est autem Subneruare, incidere neruos, id est, infirmare vires & robur tollere. Per taurum significatur Sichem, qui ætatis iuuenilis cum esset, pollebat robore corporis. Hebræi significari putant Iosephum, ad quem occidendum primi omnium Simeon & Leui conspirarunt, & cæteris fratribus in eius necem conspirandi auctores fuerunt: nam licet hoc in sacris litteris explicatè non tradatur, est tamen valde verisimile, neque enim minores fratres ausi essent tantum scelus tentare, nisi eius faciendi priores & maiores fratres principes fuissent. *Genes. 37.*

AC non fuisse cædis eius auctorem Ruben neque Iudam, eo liquet, quod Ruben adnixus est liberare Iosephum de manu aliorum fratrum, & Iudas vt necem eius auerteret, suasit eum vendi Ismaelitis: consequens igitur est principes eius sceleris fuisse Simeonem & Leui. Ad huius quoque rei confirmationem facit, quod cum Ioseph in Ægypto insimulasset fratres suos proditionis quasi essent exploratores, & idcirco vnus eorum relinquendus esset quasi obses in potestate Ioseph, relictus est Simeon, vt qui auctor fuerat conspirationis aduersus Ioseph, ipse præ cæteris eius sceleris pœnas lueret. Atque hunc in modum argumentatur Caietanus, cui etiam suffragatur Thargum Hierosolymitanum, sic habens hoc loco: *In ira sua occiderunt principes, & in voluntate sua vendiderunt Ioseph, qui assimilatus est boui.* Comparatus autem tauro Ioseph, propter dignitatis & potestatis eius excellentiam primum ipsi puero in somnis demonstratam, postea comparatam in Ægypto. Moses certè Deutero. 33. benedicens Ioseph, comparat eum primogenito tauri. *Ibidem.* *Genes. 42. Caietanus.* *Genes. 36.* *Infra 41.*

AT enimuero hæc interpretatio præterquam quod continet sententiam leuibus nixam coniecturis, etiam non congruit cum eo quod adiicitur, *Occiderunt virum*, non enim Ioseph ab illis occisus est. Dicitur porrò furor eorum pertinax, & dura indignatio, quia etiam post pacem factam, fœdúsque percussum perdurauit, neque ex saturari potuit mediocri pœna, nec nisi omnia funditus euertendo ac delendo expleta est.

33 DIVIDAM *eos in Iacob & dispergam eos in Israël.* His verbis continetur prophetia Iacob, pertinens ad pœnam sceleris eorum, nam superiora facinoris eorum expositionem simúlque detestationem habent: sensus autem horum verborum est, quia inquit, sceleratissimam

isti duo coierunt societatem, idcirco non habitabunt simul in Terra promissionis, sed disiuncti erunt inuicem : quod ita euenit. Simeon enim non habuit separatam hæreditatem, sed eam accepit in medio tribus Iuda, vt traditur Iosue 19. tribus autem Leui dispersa erat per omnes tribus: nam quia nulla est data Leuitis hæreditas, assignatæ sunt illis ciuitates ad habitandum, sparsæ per alias tribus. Hebræi tradunt ex tribu Simeonis fuisse pædagogos & magistros puerorum populi Hebræi, qui victus parandi & lucri faciendi causa cæteras tribus peruagabantur in docendis & erudiendis pueris occupati. Cui traditioni adest Thargum Hierosolymitanum, in quo locus hic ita expressus est : *Dixit pater noster Iacob, non conuenit vt hæc castra simul sint: alioqui nullus populus, nullúmque regnum poterit consistere coram eis. Diuidam ergo tribum Simeonis, vt sint Scribæ & doctores legis in Synagoga Iacob, tribum verò Leui distribuam vt præsit concionibus vel contentionibus inter filios Israël.*

Ex tribu Simeonis fuisse pedagogos & magistros puerorum.

VERVM illud inquisitione & explicatione dignum est, cur Moses Deuter. 33 omnibus aliis tribubus benedicens, solam tribum Simeonis sine benedictione præterierit. Nec est probabile responsum eorum qui aiunt, quia Iacob maledixerat Simeoni, propterea Mosen noluisse eius tribui benedicere : namque ob eandem causam nec tribui Ruben nec Leui benedicere debuisset Moses. Illud foret probabilius (siquidem verum esset) propterea indignam benedictione Simeonis tribum esse iudicatam, quod ille eius tribus fator & parēs, ad necem Ioseph, inferendam præ cæteris incubuisset : sed quia hoc probari non potest, fidem non habet. Illud igitur verius dictu fuerit, quia non multo ante, vt est in libro Numerorum, capite 25. Zamri princeps tribus Simeonis spectante Mose atque vniuerso populo lupanar Madianitarum ingressus cum quadam Madianite concubuerat summo cum mœrore totius populi & principum indignatione atque insigni Dei contumelia: quia etiam huius facinoris recens erat memoria, ad eius detestationem Moses ei tribui suam benedictionem impertiri noluit. 34

Dubitatio cur Moses Deut. 33. benedicens cæteris tribubus, præterierit tribum Simeonis.

Vera solutio.

DICENDVM præterea nonnihil est (vt curioso lectori satisfaciamus) de varietate lectionis huius loci. S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim hanc citat lectionem huius loci ex interpretatione Septuaginta interpretum. *Simeon & Leui fratres consummauerunt iniquitatem adinuentionis suæ, in concilium eorum non veniat anima mea, in congregatione eorum non æmuletur iecur meum, quia in furore suo interfecerunt homines, & in desiderio suo subnernauerunt taurum* : quam lectionem ait discordare à veritate Hebraica quæ hanc reddit sententiam. *Simeon & Leui fratres : vasa iniquitatis arma eorum : In arcanum eorum non veniat anima mea, & in conuentu eorum ne dissoluatur gloria mea: quia in furore suo interfecerunt virum, & in libidine sua foderunt murum. Significat autem his verbis,* inquit Hieronymus. *non sui consilij fuisse, quod illi Sichimitas fœderatos viros interfecerint,* 35

Varietas lectionis. Hieronym.

contráque

contràque ius pacis & amicitiarum sanguinem fuderint innocentem, & quia quodam furore sic crudelitate rapti muros hospitæ vrbis euerterint. Illud, Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël *bene congruit cum euentu. Leui enim hereditatem propriam non accepit sed inter alias tribus, paucas vrbes ad habitandum habuit : Simeon quoque, vt est in libro Iosue, proprium funiculum non est consecutus, sed de tribu Iuda quiddam accepit. Et in primo Paralipomenon, capite quarto scriptum est, cum multiplicata essent tribus Simeonis nec haberet possessionis locum, exisse in desertum ad quærendum sibi locum. Quidam propheticè, interfectos homines, Apostolos, & subneruatum taurum à Pharisæis Christum interpretantur.* Hactenus ex Hieronymo. *Iosue 19.*

36 In paraphrasi verò Chaldaica pro illo: *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea,* Sic est : *In secretis eorum non fuit anima mea, & cum congregarentur ipsi vt irent non descendi de gloria mea.* Sensus est: Non consuluerunt me, quando consultarunt de occidendis Sichimitis, sed & clam & ignorante me facinus illud & deliberarunt & perfecerunt. Illud: *Non descendi de gloria mea*: variè potest exponi: vel, Non sum assensus illis, ne perderem gloriam & claritatem famæ quam vsque ad id temporis habueram: vel, Non recessi à Deo qui est gloria mea, vt tale quiddam contra illius voluntatem designarem, vel, Non sum deductus de sententia & proposito animi mei probe sciens quid æquum, iustum, honestum & glorioſum factu esset aut non esset. Iam verò pro illo: *Occiderunt virum*: Sic est: Occiderunt occisione, id est ingentem, atrocem horrendámque hominum cædem fecerunt, geminatio enim illa ad exaggerationem facit.

37 Restat vt quæ ad mysticum vaticinij huius sensum & intelligentiam pertinent, carptim dicamus. Et Allegorica quidem huius prophetiæ interpretatio eadem ferè traditur ab Ambrosio, Ruffino, Isidoro, Ruperto, Aiunt Iacob spiritu prophetico vidisse exectandum concilium, in quo Scribæ & Sacerdotes de necando Messia deliberaturi erant: doctores autem legis & Scribæ, vt placet Hebræis, erant de tribu Simeonis, Sacerdotes autem de tribu Leui. Istos porrò narrant Euangelistæ concilium fecisse vt Iesum morti traderent, & Dominus noster dixit: *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte. Maledictus fuit illorum furor quia pertinax* nimirum toties vehementer cupiente & adnitente Pilato Iesum, vt planè innocentem dimittere, illi contrà obnixè obstiterunt clamantes, *Tolle crucifige eum.* Nimis quoque dura fuit eorum indignatio, quia Barabbam homicidam dimitti, auctorem autem vitæ occidi flagitarunt. *Expositio mystica.* *Ambros.* *Ruffinus.* *Isidorus.* *Rupertus.* *Matth. 20.*

Recte igitur de ipsis dicitur: *Occiderunt virum & suffoderũt murum,* id est, corpus eius flagellis, clauis ac lancea lacerauerunt atque perfoderunt: aut quia tanto scelere admisso meruerunt ipsi, vt prostratis mœnibus vrbs Ierusalem funditus euerteretur, & su- *Ioan. 19.*

premo ipsi opprimerentur exitio. Vnde sequitur: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël:* Desierunt enim, vt inquit Rupertus, esse veri filij Iacob, in eorum locum succedentibus, & hæreditariam promissionis benedictionem cernentibus, qui ad fidem Christi ex Gentibus conuersi sunt. Vel, Diuidam eos per ciuiles discordias & intestinas seditiones, quæ auctore Iosepho in vltimis libris Iudaïcarum antiquitatum, & in iis quos de bello Iudaïco scripsit, antecesserunt bellum Romanorum aduersus Iudæos, & Hierosolymitanum excidium. Sanè illud: *dispergam eos*, verissimè contigit: namque eo bello victi captique, per omnes terræ plagas miserrimè dissipati sunt: quod prædictum fuerat per Dauidem Psal. 58. *Deus*, inquit, *ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos. Disperge illos in virtute tua.*

Rupertus.

Morale documentum de reprimendo appetitu vindictæ.

LICET præterea morale quoddam & perutile documentum ex hac prophetia capere: Omnem scilicet vindictam, etiam quæ videtur zelo iustitiæ concipi, aut suscipi studio repellendæ iniuriæ & recuperandi honoris, esse repudiandam atque fugiendam: sed illam tamen tam lege diuina quàm humana execrandam esse, quæ ad similitudinem illius vindictæ Simeonis & Leui his quinque circumstantiis insignita fuerit: Prima, si fiat per dolum & fraudem, maxime verò sub obtentu pacis & amicitiæ: Secunda, si aduersus homines incautos, inermes & ad resistendum inualidos: Tertia, si aduersus eos qui versantur in summis ærumnis & calamitatibus, aut magnis animi corporisve doloribus cruciantur: Quarta, si ea vindicta redundet in contemptum & iniuriam religionis: Quinta, si magnitudo vindictæ, grauitatem sceleris, & iniuriæ mensuram excedat, nullóque respectu humanitatis, barbara & ferina credulitate sæuiatur. 38

TERTIA PROPHETIA
DE IVDA.

Genes. 49. VERS. 8. 9. 10. 11. 12. *Iuda, te laudabũt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna: quis suscitabit eum? NON auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam,*

ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

39 HÆc prophetia quam de Iuda edidit Iacob, & Moſes poſteritati, litterarum monumentis conſignatam prodidit, vt eſt nobiliſſima & celebertima, ſic eſt aliqua in parte obſcuriſſima & ad explicandum difficillima. Ex hac euidens firmúmque ducitur argumentum ad redarguendos Iudæos qui Meſſiam adhuc veniſſe negant, & perſpicua ratione concluditur dominum Ieſum Saluatorem noſtrum verum eſſe Meſſiam. Sed enim veritatem huius prophetiæ cum ipſo euentu, rerúmque ſucceſſu comparare atque componere valdè arduum & impeditum opus eſt: quò maiori ſtudio & cura enitendum & perficiendum nobis eſt, vt quemadmodum fecimus in illa Danielis de Septuaginta Hebdomadis prophetia, ita quoque veritatem huius prophetiæ quoad eius fieri poſſit manifeſtam & planam lectori faciamus. Ac primò quidem ſingula verba ſubtiliter ac diligenter excutienda & ponderanda ſunt, vt germana & propria eorum ſententia, & vt vocant, litteralis ſenſus enoteſcat: deinde ſenſus quoque myſticus indicabitur: poſtremò duas inſignes admodum quæſtiones tractabimus, alteram contra Iudæos, vtrum hæc prophetia denotet tempus aduentus Meſſiæ, alteram cum Chriſtianis Doctoribus, quemadmodum hæc prophetia intelligenda & interpretanda ſit, vt eius veritati euentus aptè reſpondeat.

SPECTAT porrò hæc prophetia ad laudem Iudæ vel potius poſteritatis & tribus eius: nam in Iudam qui filius fuit Iacob, penè nihil comperit eorum quæ hic dicuntur. Prædicat autem Iacob quatuor excellentias Iudæ, primam honoris & laudis, quòd ipſum cæteri fratres laudaturi & adoraturi eſſent, alteram, fortitudinis, quod vt Leo hoſtes ſuos debellaturus eſſet: tertiam: principatus atque imperij & diuturnitatis eius vſque ad Meſſiæ aduentum, qui ex ea tribu generandus erat: quartam, incredibilis abundantiæ bonorum temporalium, maximè autem vini & lactis.

IVDA *te laudabunt fratres tui.* Hebraicè eſt (*Iuda tu*) tu diceris
40 Iuda, & iuxta nomen tuum quod ſignificat laudem vel confeſſionem laudis, continget tibi: nam te laudabunt fratres tui. Vide 29. caput Geneſeos. Sic Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Paraphraſis Chaldaica ſic habet hoc loco, *Iuda, tu confeſſus es & non erubuiſti, in te confitebuntur fratres tui.* Quid illud, fuerit quod Iudas confiteri non erubuerit, difficilè eſt diuinare. Quidam referunt ad factum Thamar, quod ille non abnuit, ſed ſimpliciter confeſſus dixit, *Iuſtior me eſt, &c.* Geneſ. 30. Alij referunt ad liberationem Ioſeph à cæde, quam ei cæteri fratres Matth. 16.

tres

tres moliebantur Geneſ. 37. Vel illud: Confeſſus es & non erubuiſti, poſitum eſt pro futuro, confiteberis & non erubeſces, more ſcilicet prophetiarum, in quibus propter certitudinem præterita ponuntur pro futuris. Illud: In te confitebuntur fratres tui, intelligi poteſt, vel in te propter te, vel ſimpliciter, Te confitebuntur ſiue laudabunt omnes fratres tui, & ex nomine tuo vocabuntur omnes Iudæi.

MANVS *tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Hebraicè ſingulariter eſt, in ceruice. Senſus eſt: ſubiugabis tibi inimicos tuos. Hoc impletum eſt in ipſa tribu Iuda ſtatim poſt mortem Ioſue: hanc enim monitu Dei ducem ſecutæ aliæ tribus debellarunt hoſtes ſuos: ſed euidenter ac perfectè completum eſt in Dauide, ſicut patet legenti primum & ſecundum librum Regum. Id quod ipſemet de ſe confirmat Pſalmo 17. *Perſequar*, inquit, *inimicos meos & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant. Confringam illos nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum* (Hebraicè eſt ceruicem) *comminuam eos vt puluerem ante faciem venti vt lutum platearum delebo eos. Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Idem quoque contigit quibuſdam aliis regibus Iuda vt Aſa, Ioſaphat & Ezechiæ. 41

Iudicum 1.

CHALDAICE ita eſt: Manus tua prævalebit hoſtibus tuis, diſſipabuntur inimici tui, erunt vertentes verticem coram te, prævenient te, petituri pacem tuam. Petere pacem tuam, vel ſignificat, honorificè & amanter ſalutare, pacem, hoc eſt, ſalutem, & omnia fauſta precando, vel ambire pacem alicuius, vehementer optando in pace eſſe cum aliquo. Hanc quoque Iuda victricem hoſtium ſuorum fortitudinem ſignificauit Moſes Deuteronomij 33. illis verbis quibus benedicens Iuda dixit, Manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduerſarios eius erit. *Adorabunt te filij patris tui.* Hebraicè pro adorabunt, eſt, incuruabunt ſe tibi. Hinc appares, ius primogenituræ pertinens ad honorem & poteſtatem, ex Ruben tranſlatũ eſſe ad Iudam: ſiquidem Iſaac Geneſ. 27. vt primogenito dixit Iacob, *Seruiant tibi populi & adorent te tribus: eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur antè te filij matris tuæ.*

3. Reg. 15. Infra 22. 4. Reg. 19.

CATVLVS *Leonis Iuda.* Hoc poteſt conuenire etiam in Iudã qui filius fuit Iacob: eum nempe tradunt fuiſſe omnium fratrum ſuorum fortiſſimum & generoſiſſimum. Et in primo libro Paralipomenon capit. 5. Sic eſt: *Iudas erat fortiſſimus inter fratres ſuos: de ſtirpe eius principes generati ſunt.* Rectè autem comparatur Leoni qui eſt fortiſſimus animalium, & illis maxime terribilis, de quo ſcriptum eſt in Prouerbijs: *Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.* & Amos 3. *Leo rugiet quis non timebit.* Catulus porrò Leonis etiam audacior eſt, vel vt contrariarum & validiorum virium inexpertus, vel vt acutioribus firmioribuſque dentibus inſtructus, vel vt cibi præ læque auidior. Nomen verò Catuli Leonis præcipue conuenit in Dauidem de tribu Iuda generatum. 42

generatum, qui etiamnum, adoleſcens pugnabat cum leonibus & vrſis eóſque ſuperabat, & Goliath gigantem, terrorem Hebræorum deuicit. 1. Reg. 17. Ibidem.

43 AD *prædam fili mi aſcendiſti.* Hebraicè eſt, ex præda, verbū autem Hebræum propriè ſignificat raptum & dilaceratum, vt cum leo beſtiæ alicuius membrum diſperſit & rapuit ſibi in cibum. Hieronymus legit, *ex captiuitate*: ſed in idem recidit. Septuaginta verterunt, *Ex germine*, quod nullam habet cum Hebræa & Latina lectione conuenientiam, nec video quem ſenſum reddat ſecundum hiſtoriam, niſi forte ſignificatur Iudam nihil degeneraſſe à maioribus ſuis, ſed moribus factiſq; oſtendiſſe ex ſanctorum ſe ac fortium virorum ſtirpe generatum. Hoc loco paraphraſis Chaldaica hanc habet lectionem: *poteſtas erit in principio, & in fine magnificabitur regnum de domo Iuda, eo quod à iudicio occiſionis fili mi animam tuā abſtinuiſti.* Senſus eſt: Primo non erit plenum regnum in Iuda, ſed magnificentia quædam, & poteſtatis atque imperij excellentia ſuper alias tribus: proceſſu tamen temporis in iuſti regni faſtigium aſſurget: & hoc meritus eſt Iudas propter æquitatem & iuſtitiam qua vſus eſt, tum liberando nutum Thamar ab incendio, tum eripiendo innocentem Ioſeph ex manibus fratrum interficere eum cupientium. Hieronym. in Traditionib. Hebraicis.

44 REQVIESCENS *accubuiſti vt leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eū?* Hebraicè eſt *Incuruauit ſe & accubuit*: alluditur ad morem leonis, qui poſtquam rapuit prædam incuruat ſe ſuper crura (id enim Hebræum verbum ſignificat & cubat, nec vult ſurgere, licet tranſeant alia animalia, quaſi nullum timens. Pro leæna, Hebraicè eſt. *Labi*, ſignificans leonem maiorem. Sed quia ea vox in plurali habet formam fœmininam, dici poteſt, in ſingulari ſignificari vtrumque ſexum. S. Hieronymus ferè vertit *leænam*. Pro illo: *Quis ſuſcitabit eum?* Hebraicè eſt: *Quis ſurgere vel ſtare faciet eum?* ideſt, Quis irritabit eum? quo ſignificatur, ſubiugatis omnibus hoſtibus ſecurè Iudam & tutò victurum. Nimirum ita contigit Dauidi poſt multas victorias debellatis Philiſtæis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, & Syris, vſque ad Euphratem: ſed maximè ſub Salomone pax floruit, lege quartum & quintum caput libri tertij Regum. Senſus igitur eſt: profligatis hoſtibus, in ſecura pace erit, nec quiſquam eum laceſſendo & irritando audebit ad bellum concitare. In Chaldaica paraphraſi ita legimus hunc locum: *Quieſcens habitabit in fortitudine ſicut leo & ſicut leæna, non eſt regnum quod commouebit eum* Genes. 30. Infr. 37. 2. Reg. 8. & 21. Paral. 9.

* * *

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius.

VERS. 10.

RVPERTVS libro tertio de victoria verbi Dei cap. 9. ait hanc esse tertiam Dei promissionem datam homini de aduentu Messiæ. Nam prima expressa est iis verbis quæ Deus serpenti dixit Genes. secundo, *Inimicitias ponam inter semen tuum & semen mulieri: & ipsum conteret caput tuum*. Secunda promissio data est Abrahæ Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Tertia promissio & quidem prioribus multo expressior, per Iacob his verbis pronuntiata, & mundo publicata est.

PRO, *Non auferetur*, Septuaginta habent, Non deficiet. Hebraicè est, *Non recedet*, à verbo (*Sur*) quod significat recedere, declinare, separare *Sceptrum*. Hebraicè (*Sheuet*) significans virgam regiam, quale est sceptrum, & qualis erat virga Assueri. In Psalmo 44. dicitur: *Virga directionis, virga regni tui*, significatur igitur regalis dignitas & potestas ideo Septuaginta verterunt: *Non deficiet princeps*: & Ionathas reges. Solet nonnunquam in Scriptura nomen virgæ poni pro afflictione & oppressione, vt in Psalmo secundo. *Reges eos in virga ferrea*. & apud Esaiam, *Assur virga furoris mei*: & apud Paulum: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, &c.* Verùm ea significatio hic locum non habet vt manifestum est ex iis quæ proximè sequuntur, quæ declarant Iacob loqui de principatu & dominatu Iudæ, omnia illi læta, faustaq; & gloriosa prænuntiando. Nec verum esset non recessuram fuisse à Tribu Iuda virgam afflictionis vsque ad Messiæ aduentum, cùm ea Tribus regnantibus Dauide & Salomone florentissima & felicissima fuerit. *De Iuda*, hoc est, de familia, posteritate & tribu Iuda Onkelus & Ionathas verterunt, de domo Iuda.

Esther 5. & 15.

Esai. 10.

2. Cor. 4.

ET *dux*: sic etiam Septuaginta. Hebraicè est *Mechochec*, significans eum qui facit scribere leges & decreta, hic ponitur pro Legislatore, idem nomen Psalmo 59. Latinus interpres verti regem, ibi *Iuda rex meus*. Est autem munus summi principis ac regis sancire leges, & decreta condere. Isaias certè capite 33. tribus gloriosis nominibus Messiam insigniuit, Iudicis, Legislatoris & Regis. *Dominus*, inquit, *Iudex noster. Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse saluabit nos. De fœmore eius*, Septuaginta: *De fœmoribus*. Hebraice ad verbum: (*De interpedes eius*:) sensus igitur est: Ex semine vel ex stirpe eius. Onkelus & Ionathas habent: De filiis filiorum eius. Sanctus Hieronymus honestati aurium consulens, ne nominaret genitalia, quod proximum erat posuit, *De fœmore*: & alibi dicitur, *Ex vtero*, etiam in viris, vt Genes. 15. & secundo Regum 16. certè locus virilitatis vt est inter fœmora, sic est in imo ventris

DONEC

46 DONEC *veniat qui mittendus est.* Illud *donec* expressius reddiderunt Onkelus & Ionathas: Ille quidem, Non deficiet, in seculum seculi, vsque dum veniat Messias: hic autem, vsque ad tempus quo veniet. *Qui mittendus est.* Messias scilicet: nam hoc nomen expresse posuerunt hic Onkelus, Ionathas & Pagninus. Certe Messias hoc vocabulo, Missus, sæpe insignitur in scriptura: nimirum inter omnia quæ Deus misit hominibus, Christi missio fuit maximè optata, exspectata, promissa & salutaris hominibus. Hebraicè est *Shiloh* obscuræ admodum & ambiguæ significationis: nam prout varia ex origine seu radice dicitur, sic ad varias significationes applicatur. Etenim quia (*Scil*) filium significat, quidam vertunt, donec veniat filius eius: intelligit volentes Messiam. Oleaster repetit originem eius à (*Scialah*) & significari vult eo nomine quietum, securum & pacificum, quo nomine Messias commendatus & nobilitatus est tum apud Isaiam tum apud Zachariam capite nono. Est præterea (*Sihloh*) proprium nomen cuiusdam loci qui erat in sorte vel tribu Ephraim, vbi ductæ sunt sortes super diuisione terræ promissionis, Iosue 18. mansit quoque eo in loco arca Domini vsque ad Samuelem. Vide Psalmum 77. Hieremiæ caput 7. Eugubinus putat tempore S. Hieronymi non fuisse scriptum (*Shiloh*) sed *Saliach*, vt loco litteræ (*he*) fuerit (*cheth*) & ita significari, vt ipse verti, Missum.

Oleaster.

1. Regum. Augustinus Eugubinus, in Genesim.

47 SEPTVAGINTA verterunt: *donec veniam quæ reposita sunt ei.* Sic enim secundum ipsos legit Augustinus libro 12. contra Faustum, capite 42. & libro 17. de Ciuitate Dei, capite 41. Cyprianus libro primo contra Iudæos: legit: *Deposita illi*: alia lectio habet: *Donec veniat cui repositum est.* Sic legit Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Ambrosius, Leo Papa, & S. Hieronymus, Iustinus martyr, & intetpretes Origenes vtramque lectionem agnoscunt: in Codicibus Theodoreti manuscriptis, in vltima quæstione in Genesim, bis est: *Qui reseruatur*, vel *Qui reseruatur*. Hæc circa translatione Septuaginta huius loci annotauit Flaminius Nobilius, quem ego virum propter magnam probitatem & doctrinam, & meam multorum annorum cum eo familiaritatem, amoris simul, & honoris causa libenter nomino.

Augustinus Cyprianus. Ignatius. Irenæus. Tertull. Ambros. Leo Papa. Hieronym. Iustinus. Theodoret. Flaminius. Nobilius. Eugubin.

OPINATVR Eugubinus, Septuaginta diuisam legisse dictionem illam (*Shiloh*) in (*Sci*) quod significat relatiuum quis, quæ, quod, & pronomen (*Lo*) quod significat, ei vel ipsi vt sensus fuerit: Donec veniat quod ei, suppleuisse autem ipsos Septuaginta illud: *repositum est.* Dicuntur autem reposita, quæ sunt nobis valde cara & pretiosa, & quia nihil erat carius aut pretiosius aduentu Messiæ, aut quod æquè illustraturum atque nobilitaturum esset tribum Iuda, idcirco dicitur, *Donec veniat quod est ei, repositum.* Messias porrò erat repositus siue depositus in promissis Dei, in prædictionibus Vatum, denique in multis figuris &

signis atque in omnibus pene ceremoniis Iudaicis.

Et *ipse erit expectatio Gentium*: Hebraicè est: *Et ei erit obedientia populorum*, ideſt, obedient illi populi & accipient leges eius: quod in parte contigit Dauidi, vt de ſe ipſe teſtatur pſalmo decimo ſeptimo. *Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi in auditu auris obediuit mihi*: ſed omnino completum eſt in Chriſto domino, cui dixit Deus pater Pſalmo ſecundo, *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam*, & Pſalmo ſeptuageſimo primo, *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei*. Quamobrem Pſalmo quadrageſimo quarto fauſtis vocibus ei acclamatur: *Intende proſperè, procede & regna*. Rabbi Salomon ait vocem hebræam ſignificare congregationem populorum, & indicari multos populos ad eius ditionem & imperium aggregatum iſſe: quod aliquatenus euenit in principatu Dauidis, qui multas gentes parere ſibi, & tributum pendere coëgit. 48

2. Reg. 8.

Hier. in traditionibus hebraicis.

Hieronymvs in vna littera ſenſum mutauit: nam vox (*Ia*) eſt à verbo (*Iacha*) & habet prædictam ſignificationem. Sanctus Hieronymus deriuaſſe eam videtur à (*Chaua*) quod ſignificat expectare, & frequenter littera (*He*) ponitur in loco (*Vau*) & tunc habet ſignificationem, qua vſus eſt hic Beatus Hieronymus. quod tamen propterea non probatur peritis linguæ hebreæ, quòd talia nomina quæ fiunt per prepoſitionem litteræ (*Iod*) perquam rara ſunt, nec ferè ſunt niſi propria nomina, quale non eſt hoc: nec reperitur hæc vox alibi quàm in præſenti loco, & capite trigeſimo Prouerbiorum. Onkelus habet, *Et ipſi obedient Gentes*: Ionathas, *Subijcientur ei omnes reges terræ*. 49

Quomodo Chriſtus expectatio fuerit Gētiū, cum ita nullam haduentus Chriſti notitiam habuerint. Iuſt. Mart.

Cæterum Latina lectio hanc fert quæſtionem, Quomodo Meſſias fuerit expectatio Gentium, cum is ante ſuum aduentum nullo modo eſſet Gentibus cognitus. Namque apud Iſaiam capite ſexageſimo quinto (idemque vſurpatum à Paulo eſt ad Romanos decimo (de Gentibus loquens Deus, ait: *Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant*. eadem difficultas accidit loco illi Aggæi capite ſecundo, *Veniet deſideratus cunctis gentibus*. Tribus modis hic nodus ſolui poſſet, primò, vt ſoluit Iuſtinus in eo Dialogo quem habuit cum Tryphone Iudæo, interpretando hæc verba non de primo, ſed de ſecundo aduentu Meſſiæ, qui ſicut in primo aduentu fuit expectatio Iudæorum, ita in ſecundo aduentu erit expectatio Gentium, quæ in ipſum crediderunt. Similiter eundem locum expoſuit Auguſtinus ſcribens libro decimo octauo de Ciuitate Dei, capite trigeſimo quinto. *Iam verò*, inquit, *quod ſequitur: Et veniet deſideratis cunctis gentibus: de nouiſſimo eius expectatur aduentu. Vt enim deſideratus eſſet expectantibus, prius oportuit eum dilectum eſſe credentibus*. Idémque repetit capite quadrageſimo octauo eiuſdem libri. *Non*, inquit, *prior aduentus eius deſideratus erat omnibus gentibus, non enim quem debebant deſiderare ſciebant, in quem*

non

non crediderunt, Sed hanc profecto Iustini & Augustini expositionem verba illa Iacob excludunt; quæ proximè antecellerunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c. donec veniat qui mittendus est*, quibus verbis manifestum fit, non de secundo, sed de primo Messiæ aduentu Iacob loqui.

20 ALTERA ratio explicandi hanc difficultatem illa est, cùm dicitur, Gentes desiderasse & expectasse aduentum Messiæ, non esse propriam sed figuratam & metaphoricam locutionem: qua scilicet illud significetur, tantopere Gentes indiguisse adnentu Messiæ in remedium malorum quibus oppressi tenebantur, vt si nouissent ipsum, proculdubio ardentissimè eius aduentum desiderassent atque expectassent, quemadmodum frequens est cùm in sacris tum in profanis litteris dicere, terram desiderare vel expectare imbres, soles, ventos, significando terram istiusmodi rebus vehementer indigere, quò fructus optatos & expectatos hominibus ferre queat. Hac eius vocis significatione vsus Moses dixit, Terram promissionis expectare de cœlo pluuias, Deuteronomij capite vndecimo, id est, indigere pluuiis, & eas in tempore accipere.

NEC sanè tertia illa via dissoluendæ huius quæstionis repudiari debet, vocabulum expectationis hoc loco esse positum pro spe & fiducia: & sententiam Iacob intelligi debere de Gentibus iam ad Christi fidem conuersis: mos enim scripturæ est conuersos ex Gentibus ad Christum, etiam post conuersionem appellare Gentes, ad differentiam videlicet Iudæorum. Audi Paulum loquentem cum Gentibus iam Christi fidem amplexis, ad Romanos 11. *Vobis dico Gentibus, Quandiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, &c.* Sensus igitur est: Non tantùm Iudæi, sed multo maxime Gentes Messiam recipient, atque in eo suam spem, omnémque fiduciam collocabunt: quemadmodum prædixerat Isaias capite vndecimo secundum translationem septuaginta: *Erit radix Iesse & consurget qui sit princeps Gentium, & in eo Gentes sperabunt.*

Scriptura cõuersos ex Gẽtilibus suo ad Christũ etiã post cõuersionem, nominat Gentes.

51 LIGANS *ad vineam pullum suum, & ad vitem asinum suum.* His verbis & aliis proxime sequentibus predicit Iacob fertilitatem eius regionis, quæ in diuisionem terræ Chanaam sorte obuentura erat tribui Iuda. Tria verò ponuntur summæ fertilitatis eius terræ argumenta: primò quidem, quod tam grandes habitura esset vites, easque adeo vuis onustas, vt posset asinus ad vnam vitem alligari, & ex illa sola vuis onerari cui rei fidem facit quod prodidit Moses libro Numerorum, capite 13. Deinde tantam significat fore vini abundantiam, vt id non modo sufficiat bibendo, sed etiam supersit ad lauandas vestes: quod accipiendum est quasi hyperbolice dictum, neque enim significatur vestes esse lauandas vino, sed indicatur abunde superfuturum vinum non ad bibendum tantùm, sed vt quemadmodum aqua vestes, sic eo lauari possint: postremò tan-

tam fore significat vini & lactis copiam, vt habituri sint homines aculos rubicundos præ nimia potatione vini: iidemque assiduè & af-

Onkelus fatim lacte vescentes, habituri sint dentes lactei candoris.

Rab. Salomó. ONKELVS & Rabbi Salomon censent quidem hisce verbis de- 52
monstrari fertilitatem tetræ Iuda, verùm aiunt ea verba non propriè sed figuratè & parabolicè accipienda. Nam illud: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam*, significat, tam iuuenes quàm senes in tribu Iuda futuros iustos, adhærentes legi & doctrinæ Dei. Itaque pullus significat filios, asina parentes: ligare, est adhærere: vitis, est lex vinea, synagoga. Illud: *Lauabit in vino stolam suam*, significat principes Iuda vsuro: pretiosis vestibus, ex purpura & serico quod sit intinctum coccineo colore: per oculos rubros à vino, significantur montes, ex quibus vsquequaque longinquus fit prospectus, qui montes in terra Iuda abundaturi erant vitibus & vino. Dentes lactei, significant colles, campos, loca spatiosa, quæ frumento abundabunt, & propter vbertatem ac bonitatem pascuorum, gregibus & armentis copiosa erunt. Quod si lectorem iuuat hanc interpretationem ex ipsamet paraphrasi Chaldaica cognoscere, hæc sunt eius verba: *Circumdabit Israël ciuitatem suam, populus ædificabit templum suum, erúntque iusti in circuitu eius, & factores legis iuxta doctrinam eius, purpura bona, erit vestimentum eius, operimentum eius, sericum tinctum coccino varijs q; coloribus: rubicundi erunt montes eius, in vineis, stillabunt torcularia eius vinum, albicabunt campi eius frumento & gregibus ouium.* Sic est ibi.

SED paululum expendamus singula verba. *Ligans ad vineam* 53
pullum suum, & ad vitem asinam suam. Hebraicè (*gephe*) significat propriè vitem, & item locum in quo sunt vites. Vox (*guhir*) significat pullum, non quemlibet sed asini, & aliquando etiam muli propter cognationem quam is habet cum asino, Vox, Sorecha, quam interpretes Latinus vertit vitem, significat vitem optimam, nobilem præstantem: potest etiam deflecti ad significandum ramum seu palmitem, quemadmodum vertit Pagninus. Sequitur: *Lauabit in*

Tostatus. Burgensis. Carthusian. *vino stolam suam, &c.* Tostatus, Burgensis & Carthusianus contendunt hæc verba secundum literalem sensum non dici in tribum Iuda, nec significare fertilitatem terræ sortis eius, sed intelligi debere de Messia. Cùm enim illud participium, ligans, sit tertiæ personæ, non potest referri ad Iudam, de quo locutus fuerat Iacob in secunda persona, sed iungi debet cum eo quod proximè ante cessit: *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Sed hoc leue est, siquidem Iacob etiam de Iuda locutus est in tertia persona, dicens, *Quis suscitabit eum?* Et, *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Constat præterea, in prophetiis etiam in eodem sermone frequentissimum esse transitum ex vna persona in alias, nihil igitur prohibet, quinimo perbellè conuenit, verba hæc interpretari de singulari & eximia fertilitate sortis Iuda, quæ cum

asinum

aliorum bonorum, tum lactis & vini feraciſſimam fuiſſe dicitur.

Miſtica vaticinij de Iuda explanatio.

54 EXPLANATO igitur primo loco litterali ſenſu huius vaticinij, ſequitur vt ſecundo loco myſticam quoque ſed breuem & ſuccinctam eiuſdem prophetiæ intelligentiam & interpretationem exponamus. *Iuda te laudabunt fratris tui.* Nomen Iuda, ſignificans confeſſionem ſiue laudem, mirificè conuenit Chriſto domino, qui ab exordio vſque conceptionis ſuæ nunquam deſtitit confiteri & laudare Deum, quippe qui ſtatim vt mundum ingreſſus eſt, ſe ipſe offerens Deo, patri dixit, *Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Omnes autem electi, ſiue homines ſiue Angeli, fratres Chriſti ſunt per gratiam adoptionis. Sicut etiam ipſe filius Dei eſt ſecundum naturam, ſic illi per gratiam filij Dei facti ſunt. Quapropter appellatur ipſe primogenitus in multis fratribus. *Pſal. 36. Hebr. 10.* *Rom. 8.*

LAVDARI verò Chriſtum ab omnibus ſuis fratribus, licet intelligere ex eo quod narrat Ioannes Apocalypſis capite quinto vidiſſe ſe circa thronum Dei quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores, per quos omnes electi tam veteris quam noui Teſtamenti ſignificantur: & inſuper millia millium Angelorum: & hi omnes concinnebant & celebrabant laudes Agni: quin etiam vidit omnem creaturam quæ in cœlo eſt ſuper terram, & ſub terra dicentem. *Sedenti in throno, & agno, Benedictio, honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.* Vniuerſa item Eccleſia tum militans tum triumphans, Deum laudat per Chriſtum dominum, quemadmodum ipſamet canit Eccleſia: Per quem maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates.

55 VERVM de quo noſtrum hunc Iudam laudant fratres eius? *De hoc ipſe*, inquit Rupertus, *quod fecit ipſos fratres ſuos: cùm enim inimici eſſent Dei, per Chriſtum facti ſunt non tantùm amici, ſed etiam hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: vnde Ioannes primæ Epiſtolæ capit. tertio: Videte, ait, qualem charitatem dedit nobis Pater vt filij Dei nominemur & ſimus, & apud eundem in Apocalyſi cap. quinto myſtica illa animalia & ſeniores laudant Agnum: quia, inquiunt, redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes & regnabimus ſuper terram.* *Rupert. Rom. 5. Infra. 8.*

56 ADORABVNT *te filij patris tui.* Lege Pſal ſeptuageſimum primum, in quo multa Dauid cecinit de Adoratione ac veneratione Meſſiæ, ſed hoc ipſum expreſſius Paulus ad Philippen. 2 *Vt in nomine eius*, inquit *omne genus flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, &c.* Cum quo Pauli ſententia Hebræa lectio huius loci conuenien

uenientior videtur, sic habens: *Incurvabunt se tibi filij patris tui*: sequitur: *Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum*. Mirabiliter Christus omnes suos inimicos subiugauit, Diabolum, qui ei necem molitus fueras: Iudæos, qui eum repulerunt: Gentes, quæ ei contradixerunt. Itaque illud Dauidis in Psalmo centesimo nono magna in parte iam completum est: *Confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus: implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum*. Et in Psalmo quadragesimo quarto. *Sagittæ tuæ acutæ populi sub te cadent in corda inimicorum regis*. Hoc figurauit apud Danielem capite secundo lapis ille percutiens atque in puluerem redigens statuam quæ regna mundi huius repræsentabat. *Catulus leonis Iuda. Appellatur Christus*, inquit, Ambrosius *Catulus leoni, vt intelligatur Christum esse filium connaturalem & consubstantialem Deo patri: sicut catulus leonis parenti suo leoni*. Sed quia nomen catuli videtur significare paruum quid & minus Patre, ne cui suspicio incideret Filium esse minorem Patre, ad eam suspicionem arcendam mox subditur: *Accubuisti vt Leo & quasi Leæna*.

Ambros.

AD *prædam fili mi ascendisti*. Maximus prædator fuit Christus, & 57
prædandi causa in mundum venit: quocirca iussit Deus per Isaiam capite octauo imponi ei nomen prædatoris: *Voca*, inquit, *nomen eius, Accelera spolia detrahere, Festina prædari*. Quam multos Christus deprædatus est & rapuit de manu & faucibus Dæmonis? Hebraica lectio habet: Ex captiuitate ascendisti: quod pulchrè competit in Ascensum Christi, cùm ex inferno in terram, tum ex terra in cœlum; Ascendens enim in altum, captiuam duxit captiuitatem.

Psal.67.
Ephes.4.

REQVIESCENS *accubuisti vt Leo*. Requies & accubitus Christi fuit mors eius & sepultura. *Ego*, inquit, *dormiui, & somnum cepi, & exurrexi*. Mortuus est Christus vt Leo, quia fortitudinem suam plusquam leoninam in morte sua maximè declarauit: non solum quod moriens totum mundum concussit, tremefecit atque conturbauit, sed eo maximè, quod mortem moriendo destruxit, & cadens ipse diabolum prostrauit. Vnde Paulus: *Quod infirmum est Dei, fortius est*, inquit, *omnibus hominibus*. Sic etiam Samson: tum maximè demonstrauit robur suum, cùm intra ciuitatem quasi carcere quodam inclusus teneri videbatur, & cùm demolitus columnam, moriens ipse pariter hostes suos interemit.

Psal.3.
Matth.27.
1.Cor.1.
Iudic.16.

Ruffinus mirum refert de catulo leonis.

REFERT hoc loco Ruffinus tradi à physiologis hanc esse catuli 58
leonis naturam, cum natus est, triduum dormire, tertiò autem die fremitu patris tremefacto cubili excitari. Hoc bellè quadrat in triduum mortis Christi & in eius resurrectionem potentia Dei patris cum magno custodum sepulchri terrore factam. *Quis suscitabit eum?* Quasi dicat, non indiget aliena potentia vt resurgat. *Propria auctoritate*, ait Ambrosius, *natus est: proprio arbitrio mortuus est, propria potestate suscitatus est*. Et hoc ipse Dominus dixerat. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam & iterum sumendi eam*.

Matth.vlt.
Ambros.
Ioan.10.

NON

58 NON *auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius.* Non deficiet regnum Christi quod est Ecclesia, nec regni eius princeps, qui est Pontifex summus eius Vicarius: quid dicitur de fœmore eius, vel quia sicut filius succedit in dignitatem & auctoritatem patris, ita summus Pontifex subit vicem Christi quantum ad dignitatem & auctoritatem: vel quia scriptum est in Apocalypsi Christum visum esse Ioanni habere in vestimento & in fœmore suo scriptum: *Rex regum & Dominus dominantium*, inde summus Pontifex tantam habet dignitatis & potestatis vim & excellentiam. *Apo. 19. & 1. Tim. 6.*

DONEC *veniat qui mittendus est.* Vsque ad diem iudicij stabit Ecclesia, & in ea sumus Pontificatus: ideo Dominus dixit, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*, & Petro dixit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ipse erit expectatio Gentium.* Tota expectatio militantis Ecclesiæ est secundus aduentus Christi, sicut Paulus ait: *Expectantes beatam spem & aduentum gloria magni Dei.* Hæc iridem Ecclesiæ triumnhantis expectatio est propter consummatam totius hominis felicitatem. Vnde Ioannes in Apocalypsi audiuit animas sanctorum magno clamore expectantes Dei iudicium. Et responsum est illis vt requiescerent & expectarent adhuc tempus modicum, donec conserui & fratres eorum complerentur. *Matth. vlt. Supra 16. Tit. 2. Apoc. 6.*

59 LIGANS *ad vineam pullum suum & ad vitem asinam suam.* Pullus significat populum Gentilem, asina Iudaicum: vitis, est ipse Christus, vinea, Ecclesia quæ ex gentibus & Iudæis congregata est. Christus enim fuit lapis angularis coniungens vtrumque parietem, & faciens vtraque vnum. Duplex autem est ligamen fidelium, vnum ad vitem, id, cum Christo per fidem, spem & charitatem, alteram ad vineam, id est, cum Ecclesia, per vnitatem, pacem & concordiam: prtus ligamen rumpunt hæretici, posterius Schismatici. *Ephes. 2.*

LAVABIT *in vino stolam suam*, stola & indumentum Chisti, fideles sunt, legitur in Ecclesiasticis historiis Beato Petro Episcopo Alexandrino visum esse Christum cum veste lacerata, & dixisse, vestis mea Ecclesia est, quam peruersis & impiis opinionibus Arius dilacerauit. hanc Ecclesiam lauit Christus suo sanguine, Lauans nos à dilectis nostris in sanguine suo, legitur in Apocalypsi capite 1. & ideo lauit Ecclesiam, vt nec maculam nec rugam habẽs vllam, pura, immaculata & sancta esset. Signare autem dicitur *In vino*, quia sanguis Christi fuit Ecclesiæ lauacrum, prætium & potus. *Ephes. 5.*

PVLCHIORES *sunt oculi eius vino.* Paulus ad Ephesios 4. ait, 60 Deum dedisse Ecclesiæ Prophetas & Apostolos, doctores item & pastores ad ædificationem corporis eius quæ est Ecclesia, ne tanquam parvuli fluctuantes circumferamur omni veuto doctrinæ. Oculi igitur Ecclesiæ, Prophetæ & Apostoli fuerunt: nam sicut oculi *Ephes. 1. & colloss. 2. Oculi Ecclesiæ propheta & Apostoli.*

celsissima parte locati, regimen habent totius corporis, sic Prophetæ & Apostoli, supremum docendæ, regendæ tuendeq; Ecclesiæ, dignitatis ac potestatis gradum tenuerunt. Sed cur isti oculi dicuntur pulchriores vino? equidem quatuor in vino laudari video, colorem, odorem, saporem, vim præterea exhilarandi & roborandi. Talia quædam fuisse in Apostolis licet animaduertere: colorem quidem, sanctitatem exterioris vitæ & conuersationis: odorem, virtutum interiorum fragantiam: saporem, dulcedinem doctrinæ, prædicationis, & gubernationis: virtutem exhilarandi & corroborandi, efficaciam eorum & patiendi, & faciendi magna, in miraculis præsertim patrandis, quibus Ecclesiam maiorem in modum recreabant atque confirmabant.

Quatuor in vino laudari.

Dentes, pastores & Doctores Ecclesiæ Triplex munus & vsus dentium.

DENTES *eius lacte candidiores.* Per dentes, nec ineptum nec alienum fuerit intelligere pastores & doctores Ecclesiæ. Triplex porrò dentium munus est: conferunt enim ad comminuendum & conterendum cibum, sine quo attritu non posset is postea bene concoqui: vulgatum est enim, & fertur in primis apud medicos iuxta ac philosophos, primam fieri in ore, ac per dentes cibi concoctionem. Deseruiunt etiam dentes procudendæ linguæ ac formandæ locutioni & sermoni. Valent denique ad mordendum. Similiter triplex est secundum allegoricã intelligentiam munus pastoris ac doctoris Ecclesiæ: primum est loqui, id est, prædicare & docere, quæ plebem Christianam nosse non modo necesse est, sed etiam quo quomodo expedit: Deinde mordere, idest, castigare ac reprehendere: vnde Paulus dixit Timotheo, *Prædica verbum, instã opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa* Ad hæc cibum terere, & quasi mansum in os audientium ingerere: non quidem eundem, eodemque modo confectum comparatum præbere omnibus, sed accommodatè ad singulorum habilitatem atque captum. Ideò Paulus dixit eidem Timotheo: *Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem rectè tractantem verbum veritatis.* Pro illo: *rectè tractantem*, Græca lectio significat, rectè scindentem: quibusdam enim solidior, aliis tenerior ac mollior quibusdam copiosior, aliis parciori & scindendus & tribuendus est cibus. 61

2. Tim. 4.

Supra 2.

Explicatur duæ disputationes, altera contra Iudæos, altera verò cùm Christianis Doctoribus.

EXPOSITVS est à nobis adhuc vaticinij huius de Iuda sensus & intellectus, tam hystoricus quàm mysticus: restat vt extremo loco duas tractemus disputationes, quæ ad eiusdem prophetiæ vim & veritatem penitus cognoscendã plurimum conferunt. Sed ante omnia, duo prænotanda sunt quæ in earum disputationũ tractatu sæpius 62

vsui

vsui nobis futura sunt. Primùm igitur scire conuenit, ab eo tempore quo Iacob edidit hoc vaticinium, id est, ab eius morte, vsque ad id remporis quo defecit omnino principatus Iudaicus ad alienigenas translatus, præteriisse annos mille sexcentos nonaginta octo, vsque ad Messiæ verò aduentum, ideſt, ortum Christi Saluatoris nostri, annos mille septingentos triginta quinque: qui numerus annorum ad hunc modum colligitur. A morte Iacob vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, anni fluxerunt centum nonaginta octo: namque à promissione diuinitùs facta Abrahæ anno ætatis eius septuagesimo quinto (vt scriptum est capite duodecimo Geneseos) vsque ad legem datam Hebræis per Mosem (Lex verò data est tertio mense quàm egressi fuerant Hebræi ex Ægypto) transierunt anni triginta & quadringenti (tot enim memorat Paulus capite tertio Epistolæ ad Galatas) iam verò à septuagesimo quinto Abrahæ anno vsque ad mortem Iacob, ex ipso libro Geneseos computare licet ducentos & triginta dnos annos: ex quo manifestè concluditur, à morte Iacob vsque ad egressionem Hebræorum ex Ægypto, vel vsque ad legem datam, centum nonaginta octo annos excurrisse.

A tempore huius Prophetiæ, vsque ad Iudaici principatus defectionem præterüsse annos 1698. Vsque ad Christi autẽ ortum 1735.

RVRSVS ab egressu Hebræorum ex Ægypto vsque ad ædificationem templi Salomonis, transactos esse quadringentos atque octoginta annos, in sexto capiti libri tertij Regum proditum est, hinc porrò vsque ad liberationem populi Hebræi ex captiuitate Babylonica factam primo anno monarchiæ Cyri quingentos annos exactos esse, tertius & quartus liber Regum apertè docent. A reuersione autem Hebræorum ex captiuitate, vsque ad defectum imperij Iudaici transisse annos quingentos & triginta, eo liquet, quod primus annus monarchiæ Cyri, fuit etiam primus annus Olympiadis quinquagesimæquintæ: imperium autem Iudaicum defecit occiso Antigono Iudaicæ stirpis vltimo rege Iudæorum, & Herode alienigena imperium Iudaicum rapiente: quod euenit, teste Iosepho libro decimo quarto Iudaicarum Antiquitatum, Olympiade centesima octogesima quinta, Coss. M. Agrippa & Canidio Gallo, quorum consulatus vt constat ex factis Capitolinis, comperit in annum vrbis conditæ septingentesimum decimum sextum: à cæde autem Antigoni, & exordio regni Herodis pacifici vsque ad ortum Christi domini, ideſt, vsque ad annum quartum Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, triginta & septem anni præterierunt. Ex hac igitur computatione satis apparet verum esse quod suprà diximus, ab eo tempore quo Iacob edidit hoc vaticinium, vsque ad id temporis quo primum defecit sceptrum Iudaicum, effluxisse annos mille sexcentos nonaginta octo: vsque ad Messiæ verò aduentũ & ortum Saluatoris nostri, annos mille septingentos trigintaquinque.

Iosephus.

63 ILLVD præterea lectorem ignorare nolumus, regimen populi Hæbræi non vnius semper modi fuisse, sed quadruplicem distingui.

Quadruplex regimen populi Hebræi.

posse formam gubernationis eius populi. Primùm enim suprema po-
Deut. 29. testas & dominatus penes Duces fuit. Mosem dico & Iosue, per annos
Principatus Iudaicus fuit penes Duces, annis 66. penes Iudices annis 330. penes Reges, 515. penes Pontifices vsque ad Herodem annis. 520. Iosephus. sexaginta sex, nam Mosem quadraginta annos præfuisse populo Hebræo, sacris litteris testatum est, Iosue autem viginti sex annos ferunt eiusdem populi principatum tenuisse. Deinde fuit penes Iudices, id-est, ab Othoniele vsque ad Samuelem, per annos trecentos triginta: Adhæc penes Reges à Saule vsque ad Sedechiam, per annos quingentos tredecim: Nouissime fuit penes Pontifices, hoc est post reditum Hebræorum ex captiuitate Babylonica vsque ad Herodem, per annos quingentos viginti. Hinc si detrahas centum octoginta annos captiuitatum quæ narrantur in libro Iudicum, & captiuitatis Babylonicæ, itemq; annos decem interregni post mortem Iosue, vt significatur in libo Iudicum, & apertè traditur à Iosepho, reliquum erit tempus omne quo Iudæi principes habuerunt suæ gentis vsque ad Herodem, annorum mille trecentorum & decem. Atque his præmissis & constitutis, aggrediamur primam disputationem quę contra Iudæos tractanda est.

DISPVTATIO
CONTRA IVDÆOS.

Denotari hac prophetia Iacob, certum tempus aduentus Messiæ, & ex ea concludi euidenter iampridem venisse Messiam.

IVDÆI qui fuerunt post aduentum Christi, cum à Christianis qui Messiam venisse, & hunc esse saluatorem & 64
Dominum nostrum Iesum Christum ostendunt, cum aliis diuinæ Scripturæ testimoniis, tum hoc vaticinio Iacob vehementer vrgerentur atque premerentur, multiplici tergiuersatione vim huius vaticinij eludere atque effugere cotani, varias huius prophetiæ interpretationes confixerunt, quibus apertam rectamq; eius sententiã quoquomodo infuscarẽt atque pernertetent, Has eorum commentitias expositiones volumus hoc loco commemorate, ac refellere breuiter, fideliter, diligenter.

PRIMA Iudæorum interpretatio. Aiunt vocem Hebræam (*Sheueth*) quam Latinus interpres vertit, sceptrum siue virgam, significare hoc loco non virgam dominationis ac principatus, sed virgam tribulationis & tyrannicæ oppressionis, vt sit sensus: Non recedet à tribu Iuda vexatio & oppressio, quoad veniat Messias, Verùm hanc interpretationem falsam esse, liquet dupliciter: tum quod post illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, subditur: *Et dux de fœmore eius.* Ergo loquitur Iacob de virga principatus & dominationis 65

non

non autem oppreſſionis & vexationis. Quinimo videre licet, omnia quæ Iacob in hac prophetia denuntiat tribui Iuda, eſſe fauſta, proſpera & glorioſa, tum etiam perſpicuè falſum eſt nunquam receſſiſſe à tribu Iuda vexationem & tyrannicam oppreſſionem vſque ad Meſſiæ aduentum: Siquidem ex libris Regum palam eſt fuiſſe penes tribum Iuda à Dauide vſque ad Sedechiam, per annos ferè quingentos regalem principatum, & imperium, & aliquādiu potentiſſimum etiã atque florentiſſimum.

66 SECVNDA interpretatio: non eum eſſe huius prophetiæ ſenſum quem iactant Chriſtiani, ſed plane contrarium: Neque enim ſignificatur, principatum in tribu Iuda nunquam defuturum vſque ad Meſſiæ aduentum, ſed illud potius ſignificatur, poſt aduentum Meſiæ nullo tempore deinceps ſceptrum Iudæ defecturum: adueniens enim Meſſias reſtituet tribui Iuda regnum, idque in poſterum ita firmabit, vt nunquam deficiat. Sed iſta expoſitione plane corrumpitur ac peruertitur ſententia Iacob. Nam ipſe ait, *Non deficiet ſceptrum, donec veniet Meſſias*, iſti exponunt, Non deficiet poſtquam venerit: donec autem venerit, & poſtquam venerit, valde diuerſa ſunt, illud enim reſpicit futurum Meſſiæ aduentum, hoc autem, iam præteritum.

TERTIA interpretatio Rabbi Salomonis. Concedit iſte ſignificari hoc vaticinio, manſurum in tribu Iuda ſceptrum, donec veniat Meſſias, negat tamen veniſſe adhuc Meſſiam, quia manet adhuc in tribu Iuda ſceptrum & imperium. Sed vbi terrarum aut gentium ſceptrum & imperium habet tribu Iuda? Reſpondet, in his regionibus quæ ſunt circa Mediam, Aſſyriam, Babylonem & circa montem Caucaſum. Hanc opinionem, vt ſuo tempore à Iudæis vulgò iactatam memorat Origenes initio libro quarto, de Principiis. Sed quem non potius iuuet ridere iſtius hominis impudentiam & mendacia, quam confutare ſententiam? Eſto habeat ſceptrum & imperium in illis regionibus tribus Iuda, multiſque ſæculis habuerit, non propterea tamen non impletum eſſe vaticinium Iacob, quippe qui loquitur de principatu & imperio, quod tribus Iuda habitura erat in terra promiſsionis. Id quod planum eſt ex his quæ ſubiungit Iacob de fertilitate terræ quæ ſorte obuenit tribui Iuda in diuiſione
77 terræ promiſsionis. *Rabi Salomon.*

SED profectò impudentiſsimum eſt minimeque ferendum iſtius Rabbini mendacium de imperio tribus Iuda in illis regionibus. Ex omnibus enim hiſtoriis liquidò conſtat, ex eo tempore quo Iudæi in captiuitatem ducti ſunt, ſiue decem tribus primò, ſiue deinceps tribus Iuda, ſemper illas regiones ſub alienigenarum regum fuiſſe imperio. Primum enim fuere ſub Aſſyriorum & Chaldæorum imperio, tum ſub Medorum & Perſarum, deinde, ſub Alexandri Magni & Græcorum, poſtea ſub Parthorum, adhæc rurſus ſub regibus Perſarum, hoc autem ſæculo partim ſunt ſub imperio Turcarum,

partim sub eius qui vulgo appellatur Magnus Sophi, & est Persarum Imperator.

1.Reg.4. QVARTA interpretatio, aiunt, verbum illud (Schiloh) pro quo Latinus interpretes posuit, *Qui mittendus est*, significare Silo, in qua multo tempore fuit arca Domini, & in eadem vrbe primus rex Hebræorum Saul creatus est, & multis post annis inibi rex electus est Hieroboam, qui separauit decem tribus ab imperio regum Iuda, volunt igitur hunc esse sensum prophetiæ: Non recedet principatus à Iuda, donec veniat Schiloh, idest, donec in Silo, vngatur in regem Saul qui erat ex tribu Beniamin, in quem translatus est principatus ex tribu Iuda. Similiter donec veniat Schiloh, idest, Hieroboam, qui in ea vrbe assumptus est in regnum decem tribuum. 68

SED enim istam expositionem falsam esse, multis argumentis conuincitur. Principio destruunt isti rectam verborum prophetiæ constructionem. Iacob enim dixit non defuturum sceptrum, donec veniat Schiloh: quod non potest intelligi de ciuitate: interpretari autem, donec Saul aut Hieroboam assumantur in reges in ciuitate Silo, non est aliud quàm ex suo sensu nouam sententiam adiicere prophetiæ Iacob. Qui quod falsum est Saulem & Hieroboam creatos esse reges in Silo; Siquidem Saulem creatum esse regem in Masphat, Hieroboam verò in Sichem apertis verbis traditur in primo Regum, capit. 10. & in tertio libro, capit 12. Quomodo præterea quadrat in Saulem & Hieroboam quod sequitur: *Et ipse erit expectatio gentium*. Denique quod ab istis dicitur, ad Saulem translatum fuisse imperium ex tribu Iuda, & tunc verè sceptrum Iuda defecisse, perspicuè falsum est: Tum quia proximè ante Saulem principatus Hebræi populi fuit penes Samuelem & Heli, aliósque iudices qui non fuerunt ex tribu Iuda: tum etiam quia post Saulem tantum abest vt defecerit sceptrum in tribu Iuda, vt maximè tunc imperium in ea tribu fundatum sit per Dauidem qui successit Sauli, firmatumque sit in posteris Dauidis per annos fermè quingentos.

QVINTA interpretatio quæ censetur probabilior cæteris, per illud: *Qui mittendus est* non est significatum esse Messiam, sed Nabuchodonosor regem Chaldæorum, quem missum esse à Deo ad punien- 69
Hiere.25. da scelera Iudæorum, apertè prodiderunt Hieremias Ezechiel. Vo-
27.39.50. 51. lunt igitur hunc esse verum germanúmque huius prophetiæ sensum:
Ezech. 26. Habebit tribu Iuda regale imperium, donec veniet rex Nabucho-
4.Reg.vlt. donosor, is enim regale imperium ademit tribui Iuda: capto, effossísque oculis ducto Babylonem rege Sedechia, post quem nullus deinde posterorum Dauidis, aut ex tribu Iuda regnauit apud Iudæos.

Iulianus Apostata. Cyrillus Alexand. ATQVE hac etiam natione vaticinium hoc Iulianum Apostatam & hostem Christianorum intellexisse, ex verbis quæ commemorat Cyrillus Alexandrinus libro octauo eorum decem quos aduersus

uersus illum conscripsit, licet intelligere quæ sic habent: *Quod non deficiat princeps de Iuda, neque dux de fœmoribus eius, non de Messia vel de Iesu dictum est, sed de regno Dauidis, quod cessasse constat in Sedechia, notissimo posterorum Dauidis rege Iudæorum.*

VERVMTAMEN procul verò hanc esse interpretationem, eo maximè patet argumento, quod nullo modo competit in regem Nabuchodonosor id quod proximè Iacob subiecit: *Et ipse erit expectatio gentium.*: tantum enim abest vt eum Gentes desideraverint & expectauerint, vt tanquam infensissimum hostem & tyrannum crudelissimum vehementer oderint, eiúsq; calamitatibus, infortuniis & exitio incredibiliter lætatæ sint, quemadmodum significat Isaias capit. 14. Quamquam autem Deus miserit Nabuchodonosor ad castigandos Iudæos, solus tamen Messias simpliciter & præcisè nominatur in scriptura Missus vel Mittendus, neque id nomen in alium quempiam dicitur, nedum in istum regem impium, quem scilicet Azarias apud Danielem capite tertio appellat iniustissimum & pessimum vltra omnem terram.

70 SEXTA interpretatio. Aiunt quidam vaticinium hoc pertinere ad Messiam & ad perpetuitatem principatus in tribu Iuda vsque ad Messiæ aduentum, verum dicunt non esse prophetiam, vt vocant, prædestinationis, ideſt, absolutè certam omnino implendam, sed esse prophetiam conditionalem, quales sunt multæ continentes Dei promissiones aut comminationes, quæ non simpliciter & omnino impleri debent, sed sub conditione, quæ si abest, destinatum non habent exitum. Promiserat Deus Iudæis æternam terræ Chanaan possessionem & habitationem, sed sub ea tamen conditione, si vicissim ipsi pietatem & iustitiam colerent, legemque Dei custodirent, quod ipsi quia non præstiterunt, propterea diuini promissi particeps non sunt facti. Similiter igitur Deus per Iacob promisit tribu Iuda principatum vsque ad Messiæ aduentum, non tamen absolutè, sed sub conditione, si à Dei cultu & obseruantia diuinæ legis non recederet: quod quia secus euenit, idcirco minimè peruenit ad effectum hoc Dei promissum.

71 AT enim duo faciunt contra hanc expositionem: tum quod prophetiæ conditionales vel expressam habent illam conditionem, vel ex aliis diuinæ scripturæ locis ea conditio elici potest & cognosci: at vaticinium hoc Iacob neque conditionem habet vllam, neque quod ea intelligi debeat conditionaliter, vspiam in sacris litteris significatur. Dicere igitur, non esse prophetiam absolutam, est temerè loqui, & pro suo arbitrio fingere quod sibi placeat. Accedit, quod sicut prophetiæ de aduentu Messiæ fuerunt absolutæ, & vt dicunt, prædestinationis, sic etiam prophetiæ omnes quæ denotabant varias circunstantias aduentus Messiæ: exempli gratia, quod esset futurus Messias ex semine Abrahæ, quod ex stirpe Dauidis esset generandus, quod eum Virgo esset paritura, quod nascitu-

Esa.7. Matth.1 Mich.5 Matt.2. Luc.1.

rus

rus esset in Bethlehem. Quemadmodum igitur eæ prophetiæ fuerunt absolutæ non autem conditionales: sit etiam hæc prophetia censenda est, quæ tempus Messiæ aduentus ex defectu principatus in tribu Iuda cognoscí voluit.

NAM licet Iacob nunc expressè dicat principatum in Iuda tunc defecturum, cùm veniet Messias, perspicuè tamen significat, si quando contingat deficere principatum in Iuda, tunc certissimè aduentum Messiæ expectari oportere. Nam si non deficiet donec veniat Messias, ergo cùm iam defecerit, necesse est iam venisse Mes-
Dan. 9. siam. Quod si hoc vaticinium de tempore aduentus Messiæ non est absolutum sed conditionale: consimili profecto ratione nobilis illa prophetia Danielis de tempore aduentus Mesiæ septuaginta hebdomadis denotato ac definito, non absoluta, sed conditionalis fuerit.

Disputatio cum Christianis Doctoribus quemadmodum veritas huius prophetiæ cum ipso euentu, rerùmque successu congruat atque consentiat.

DISCVSSIS atque profligatis Iudæorum commentitiis interpretationibus, alterum & quidem grauius ac difficilius cum Christianis Doctoribus subeundum est certamen. Est enim valde operosum & arduum liquido ostendere, quemadmodum prophetiæ huius veritati euentus & res ipsa planè responderi. Hac in re plurimi maximique viri vehementer laborarunt ac desudarunt, quorum tamen omnium vix vnum reperies (vt ex hac nostra disputatione lector intelliget) qui scopum veritatis attigerit, multos autem videre licet qui ab eo longissimè aberrauerint. Summa difficultatis huius in eo versatur, quòd populus Hebræus statim post egressum ex Ægypto & legem à Deo acceptam, principes gentis suæ habere cœpit, dissimili tamen, diuersis temporibus, principatu. Nam primi principes eius populi fuêre duces. Mosen dico & Iosue, qui summo cum imperij ei populo præfuerunt per annos sexaginta sex, quorum neuter fuit ex tribu Iuda, sed Moses ex tribu Leui, Iosue autem ex tribu Ephraim.

DEINDE principatus fuit penes Iudices vsque ad Saulem primum regem per annos plus trecentos: toto autem eo tempore de tam multis, id est, quindecim iudicibus, duo tantum fuerunt ex tribu Iuda, Othoniel & Abesam, per annos septem & quadraginta
1. Reg. 10. 2. Reg. 2. principatu defuncti. Post hæc imperium fuit penes Reges, quorum primus fuit Saul ex tribu Beniamin: post quem rex creatus est Dauid ex tribus Iuda, in qua tribu mansit regalis principatus penes Dauidis

uidis posteros vsque ad captiuitatem Babylonicam, per annos quadringentos septuaginta tres. Post reuersionem autem Hebræorum ex captiuitate Babylonica in patriam suam, vsque ad Herodem, per annos quingentos viginti, summus Iudæorum principatus in manu fuit Pontificum qui erant de tribu Leui. Nam quod scripsit Iustinus lib 36. Iudæorum eosdem esse reges & sacerdotes, ad hoc tempus tantum pertinet.

Ex hac igitur breui narratione apparet, cum principatu Iudæo-
73 rum ab egressu eorum ex Ægypto vsque ad Herodem, steterit annos mille quingentos, ex toto eo tempore annos duntaxat quingentos viginti principatum habuisse tribum Iuda: Ergo ante Dauidem principatus Iudaicus extra tribum Iuda fuit per annos quadringentos, post reuersionem autem ex captiuitate fuit etiam extra tribum Iuda præter vnum Zorobabel, quantum ex sactis litteris potest intelligi, & penes tribum Leui per annos plus quingentos vsque ad Herodem & ad Messiæ aduentum. quomodo igitur constare potest veritas huius vaticinij, quo significatur futurum in tribu Iuda principatum vsque ad Messiæ aduentum? Hic nodus valde torsit viros doctos, qui nullum non mouerunt lapidem, vt commodam eius soluendi rationem aliquam inirent, varias igitur adhibuerunt vias & rationes quibus explicarent propositam difficultatem, & veritatem huius vaticinij aptè cum euentu componere atque concordare possent: quas nos ad præsens exponemus diligenter, & expendemus.

PRIMA sententia Eusebij Cæsarienſis libro octauo de Demon- *Eusebius.*
74 stratione Euangelica, & Diodori Tarsensis, vt citatur in Catena in Ge- *Diodorus.*
nesim. Arbitrantur isti Iacob non significare hac prophetia, imperium populi Hebræi futurum penes tribum Iuda vsque ad Messiæ aduẽtum: sed illud tantum indicasse, tribum Iuda comparatam cum aliis tribubus, fore semper illis dignitate & honore præstantiorem, etiam tunc cum erat penes alias tribus principatus.

IDEM significat Hugo Sancti Victoris in annotationibus in Genesim super hunc locum, ita scribens (*Non auferetur sceptrum*) *id est dominium quoddam, sicut quod prima tribus Iuda intrauit mare rubrum, & prima obtulit oblationem in deserto, vbi constructum est Tabernaculum, & huiusmodi alia quæpiam parua prælatio. Donec veniat qui mittendus est, in Hebræo est donec veniat Silo vbi Saul à Samuele inunctus est in Regem. Et est sensus, vsque ad Saulem & post eum habebit Iuda principatum: quia eripuit Ioseph de manibus fratrum suorum.* Sic Hugo.

VERVM hæc sententia non est probabilis. nam illud vocabulum (*sceptrum*) vel vt Hebræa sonant, virga regia, & vt verterunt septuaginta. princeps, & illa vox (*dux*) vel vt significant Hebræa, *legislator*, manifestè denotant, summam principatus & imperij potestatem. Neque illud rationi consentaneum est, si supremum imperium diu fuerit continuatum in alia tribu, non fuisse eam, quo tempore prin-

cipatu potiebatur, ceteris nobiliorem & honoratiorem : ſupremus enim principatus longo tempore continuatus in aliqua familia, facit eam multo nobiliorem cæteris quæ eo principatu carent. Quis igitur dubitet credere, cùm poſt reuerſionem Hebræorum ex captiuitate Babylonica per annos plus quingentos, Pontifices qui erant de tribu Leui, ſummum imperium obtinuerint, & plerique regalem maieſtatem ſimul cum dignitate pontificia coniunctam habuerint, fuiſſe apud Hebræos eo tempore, tribum Leui omnium nobiliſſimam atque honoratiſſimam?

Cyrillus Alexandrinus.

ALTERA ſententia B. Cyrilli in libro octauo aduerſus Iulianum Apoſtatam. Negat Cyrillus poſt captiuitatem Babylonicam deficiſſe ſceptrum & principatum in tribu Iuda: quinimo putat, ſtatim vt Iudæi reuerſi ſunt ex Babylonica captiuitate, principem eorum fuiſſe Zorobabelem qui erat de tribu Iuda, vt apud Eſdram & Zachariam videre licet: eúmque principatum deinceps in poſteris eius vſque ad Herodem eſſe perpetuatum. 75

SED pace tanti viri dictum ſit, non videtur verum quod ſumit. Nullus enim poſterorum Zorobabelis ſummum habuiſſe principatum apud Iudæos legitur vel in ſacris litteris, vel in hiſtoriis Ioſephi: ſed contra legitur fuiſſe id temporis imperium eius populi penes Pontifices qui erant de tribu Leui. Quid quod Cyrillo aduerſari videtur Hieremias cap. 22. quippe qui prædixit nullum Iechoniæ poſterorum (fuit autem Zorobabel nepos Iechoniæ) poteſtatem habiturum in Iuda. Hæc ſunt verba Hieremiæ de Iechonia: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec enim erit de ſemine eius vir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iuda.* Verùm vt daremus Cyrillo, à Dauide vſque ad Herodem fuiſſe principatum in tribu Iuda, non propterea tamen omnino expedita eſſet difficultas propoſita: Quid enim Cyrillus diceret de eo tempore quo principatus Hebræorum ab egreſſu eorum ex Ægypto vſque ad Dauidem, fuit penes alias tribus per annos ferme quadringentos, vt ſupra diximus?

Lyranus. Toſtatus. Carthuſian.

TERTIA ſententia Lyrani, Toſtati & Carthuſiani hoc loco, quam alij permulti ſequuntur. Negant iſti etiam poſt reditum Iudæorum ex captiuitate Babylonica tribum Iuda omnino perdidiſſe ſceptrum & imperium. Nam licet tunc principatus fuiſſe videatur penes Pontifices, ipſi tamen Pontifices paterno quidem genere erant ex tribu Leui, ſed materno erant ex tribu Iuda: propter nobilitatem enim harum duarum tribuum mutua inter illas miſcebantur & iungebantur connubia. Id quod planum fit exemplo Aaronis, qui primus fuit Pontifex: is enim duxit Elizabeth, vxorem, filiam Aminadab principis tribu Iuda, vt habes in libro Exodi capite ſexto, & poſteriori libro Paralipomenon traditur Ioſabeth filiam Ioram regis, Iuda vxorem fuiſſe Ioiadæ pontificis. Ergo principatus Iudaicus etiam quo tempore fuit penes Pontifices, fuit aliqua ex 76

1. Paral. 22.

parte

parte penes tribum Iuda, ex qua illi Pontifices genus trahebant maternum.

77 SED hæc opinio facilem habet confutationem. Primum, etsi aliquando Pontifices vxores ex tribu Iuda duxerint, semper tamen, aut plurimum duxisse eos, nec isti ostendunt, cum probare tamen deberent, nec sanè ostendi potest, quin contra solitum fieri, vt ex sua tribu quæ nobilissima erat propter imperium, vxores acciperent Pontifices, credibilius videtur. Sed esto, semper aut plerumque Pontifices vxores ex tribu Leui duxerint, non propterea tamen difficultas tollitur: quippe secundum hanc prophetiam sceptrum fore prædicitur penes tribum Iuda: apud Iudæos autem nemo censebatur huius aut illius tribus esse propter genus maternum, sed tantummodo propter paternum, quapropter genealogiæ illorum non nisi per genus paternum contexebantur.

78 NAM si secus esset, ratio illa B. Pauli qua in epistola ad Hebræos cap. 7. argumentatur, Christum dominum non fuisse sacerdotem ex tribu Leui & secundum ordinem Aaron, quia Christus fuit ex tribu Iuda, ex qua nullus vnquam sacerdotio functus est, hæc inquam, Pauli ratio infirma esset: Namque sic ei occurri posset, matrem Domini nostri fuisse quidem ex tribu Iuda paterno genere, sed materno ex tribu Leui, & idcirco Christum participem fuisse vtriusque tribus, & in vtraque tribu censeri posse. Sed illud meo iudicio aduersus istius sententiæ sectatores non parum valet. Fatentur isti sceptrum fuisse penes Pontifices qui paterno genere, id est, simpliciter erant ex tribu Leui, materno autem, id est, secundum quid ex tribu Iuda: ergo sceptrum & imperium toto eo tempore non nisi secundum quid fuit penes tribum Iuda, simpliciter autem & propriè fuit penes tribum Leui. Ex quo rectè concluderetur, prophetiam hanc Iacob vel magis, vel æquè saltem pertinuisse ad tribum Leui quam ad tribum Iuda.

Genebrardus in chronologia vbi de Machabæis. Baronius in apparatu ad Annales Eccles.

An Machabæi paternũ genus ex tribu Iuda duxerint.

NON NVLLI ætatis nostræ viri sanè docti, & clari nominis scriptores putauerunt & scriptis prodiderunt, Machabæos, Iudam dico, Ionatham & Simonem, eiusque posteros, qui principatum summum in populo Iudaico vsque ad Herodem obtinuerunt, etiam paterno genere fuisse de tribu Iuda. Rectè enim illi pro sua prudentia & doctrina animaduerterunt, si Machabei genus tantum maternum duxissent ex tribu Iuda, id nequaquam facere vt principatus tunc fuisse dicatur penes tribum Iuda, sicut nos paulò antè ostendimus. Quod autem illi paterno genere fuerint ex tribu Iuda, duplici argumento persuadere volunt. primo, auctoritate B. Cyrilli, qui libro octauo aduersus Iulianum affirmat principatum Iudaicum etiam post captiuitatem Babylonicam permansisse in posteris Zorobabelis & Dauidis vsque ad Herodem. Sed ego hanc Cyrilli opinionem paulò suprà validè (vt opinor) confutaui.

TVM id maximè probare contendunt ex quibusdam verbis quæ

sunt in priore libro Machabæorum sub finem quinti capitis, vbi agitur de quibusdam Iudæis qui inconsultè ac temerè inito cum hostibus conflictu ceciderant. Et subditur: *Illi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israël. Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël & gentium omnium vbi audiebatur nomen eorum.* Illud, *Et viri Iuda* secundum illos haud dubiè significat viros ex tribu Iuda, nec alios sanè, aut certè potissimum Iudam, & fratres eius erant igitur illi de tribu Iuda.

SED non est hoc firmum argumentum: tum quia altera lectio eius loci sic habet: *Et vir Iudas & fratres eius magnificati sunt, &c.* tum verò quia etiam secundum eam lectionem nihil locus hic adiuuat eorum sententiam. significatur enim illis verbis, *Viri Iuda*, id est, qui sequebantur ducem eius belli Iudam, milites scilicet & comites atque adiutores eius in eo bello, significatur, inquam, eos viros qui cum Iuda militabant, propter egregia ab illis patrata facinora, esse apud omnes magnificatos & celebratos.

Machabæi non iure hæreditario sed per electionẽ populi, & ad tempus principatum acceperunt.

ENIMVERO principatum Iudaicum non obuenisse Machabæis iure hæreditario, quasi ipsi essent de tribu Iuda & ex Dauidis stirpe, sed delatum eis fuisse per electionem populi, nec simpliciter, sed quoad surgeret propheta qui ex Dei sententia doceret quid facto opus esset, apertis verbis traditur in priore libro Machabæorum, in cuius capite nono sic est: *Et congregati sunt omnes amici Iuda & dixerunt Ionathæ, Nunc te hodie eligimus esse nobis in principem & ducem ad bellandum bellum nostrum.* Et in capite decimo quarto eiusdem libri sic legitur: *Iudæi & sacerdotes consenserunt Simonem esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis.* 79

B. Hier.

CERTE Beatus Hieronymus super caput 21. Ezechielis non semel asseueranter ait regnum Iuda & Dauidis omnino finitum esse in rege Sedechia, qui fuit vltimus ante captiuitatem Babylonicam, nec vltra fuisse: nam quamuis posteà Machabæorum posteri & regnum & pontificatum obtinuerint, non tamen ipsis iure debitum fuisse, nec in ipsis locum habuisse prophetiam illam Iacob. *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Non sum nescius eundem Hieronymum super primum caput Sophoniæ scriptum reliquisse, vsque ad tempus passionis & mortis Domini nostri perseueraſſe reges Iuda de stirpe Dauid, secundum illam prophetiam Iacob: *Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec veniat cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium.* Verùm quod eo loco dixit Hieronymus & obiter, & in Tropologica expositione, & ex aliorum fortasse, vt plerunque solet, sensu, non valdè curandum est: præsertim cùm id manifestè sit falsum. Nemo enim est qui nesciat, multò ante passionem Domini, id est, per annos septuaginta, principatum Iudaicum esse ad alienigenas, quorum primus Herodes fuit, translatum. 80

QVOD autem Machabæi paterno genere fuerint de tribu Leui, 81

non de

non de tribu Iuda, vt ſupradictis auctoribus viſum eſt, adeo perſpicuis verbis docet ſacra Scriptura, vt neminem qui animum modo aduertat eius verba, negaturum putem. Loquens enim in priore libro. Machabæorum, ſub initium ſecundi capitis de Mathathia qui pater fuit Machabæorum, eiúſque genus indicans ſic ait: *In diebus illis ſurrexit Mathathias filius Ioannis filij Simeonis, ſacerdos ex filijs Ioarim*, id eſt, ex vice & familia Ioarim, quæ inter viginti quatuor familias poſterorum Aaronis, ſorte prima exiit, vt habes primo Paralipomenon, capite vigeſimo quarto, & Ioſephus idem narrans libro duodecimo Antiquitatum, dicit eum fuiſſe ſacerdotem ex vice Ioaribi.

Machabæi paternum genus ex tribu Leui traxiſſe docet ſcriptura.

Ioſephus.

DEINDE Beatus Paulus, vt paulò ſuprà diximus, ſimpliciter ait, nullum vnquam de tribu Iuda ſeruiſſe altari: ex quo argumentatur, Dominum noſtrum qui fuit ex tribu Iuda, non fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. Et quia Deus libro Numerorum & alibi, grauiſſimis verbis, quin etiam pœnis vetuerat quenquam miniſteria ſacerdotum tractare qui non eſſet ex tribu Leui, & ſemine Aaron, propterea non modo vetitum, illicitum & inauditum erat apud Iudæos, eſſe aliquẽ ex alia tribu quàm Leui vel Pontificem, vel etiam ſacerdotem, vt id munus vel tractare, impium & execrandum haberetur, & nonnunquam miris à Deo prodigijs editis ſeueriſſimè vindicatum eſſet, vt oſtenduat exempla Dathan & Abiron, & Oziæ regis Iuda.

Heb. 7.

Pſal. 109.

Num. 16

2. Paral. 26.

82 QVARTA ſententia. Quidam aiunt, illud vocabulum *sheueth*, quod Latinis interpres vertit, ſceptrum, alij virgam, nonnunquam in ſacris litteris ſignificare tribum ſiue familiam: quod Oleaſter probat ex illis verbis Pſalmi 70. *Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda.* Vbi pro illa voce (*tribum*) Hebraicè eſt (*sheueth.*) hac igitur ſignificatione eam vocem eſſe poſitam hoc loco: vt ſenſus prophetiæ ſit: Non auferetur tribus Iuda, id eſt, Permanebit vſque ad Meſſiam.

Oleaſter.

SED contra hanc interpretationem facit communis ſenſus Hebræorum & Patrum, paraphraſis item Chaldaica, tranſlatio Septuaginta, & ferè omnes verſiones, quæ vocabulo imperij, ſceptri, regni, principatus, regalis virgæ, eam vocem expreſſerunt. Deinde ſecundum iſtam expoſitionem, Iacob nihil dixiſſet eximium aut ſingulare de tribu Iuda, ſed quod in alias quoque tribus communiter & æquè conueniat. nam (vt de aliis taceam) certè tribus Leui vſque ad Domini noſtri aduentum, non ſecus quàm tribus Iuda permanſit.

83 QVINTA ſententia Pauli Burgenſis hoc loco, Galatini lib. 4. de Arcanis Fidei, Ioannis Annij in Breuiario temporum, Philonis, & Ioannis Lucidi in libro de Emendatione temporum, vbi agit de vita Chriſti. Affirmant iſti, Moſen Dei iuſſu, vt proditum eſt Numerorum 11. inſtituiſſe ſenatum quendam ſiue collegium ſeptuaginta

Burgenſis. Galatinus. Annius. Lucidus.

virorum quos delegit omnes ex tribu Iuda: & hoc collegium vocant isti, *Sanedrin*, penes quod erat summa potestas & auctoritas circa ea quæ spectabant ad legem Mosi, siue moralia essent illa, siue cæremonialia, siue iudicialia. illi callebant, & apud se tenebant interiorem sublimioremque intelligentiam Scripturæ, quam vocabant Cabala, quod verbum significat receptionem, quòd ea doctrina non per publicam disciplinam & scripta acciperetur, sed per secretam traditionem spectatis probatisque auditoribus commendaretur.

Ioannes Mirandulanus. IOANNES MIRANDVLANVS ait tale fuisse illud Collegium, quale est in Ecclesia Collegium Cardinalium, eósque viros appellari solitos in sacris litteris seniores, quorum traditiones & præcepta Iudæi summa obseruantia reuerebantur & custodiebant: de his intelligi volunt quod est in psalmo octuagesimo primo: *Deus stetit in synagoga Deorum, &c.* Et rursus: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* De hoc igitur Senatu qui totus, vt diximus, erat de tribu Iuda, censent isti prophetiam hanc Iacob esse intelligendam: Siquidem penes hunc Senatum mansit suprema potestas vsque ad Herodem, qui paulò ante Christi ortum omnem ei Senatui auctoritatem ac potestatem ademit.

SED in hac opinione multa sunt animaduersione & castigatione digna. Principiò, deberent isti ostendere ex sacra Scriptura, vel probatis historiis talem fuisse vnquam in populo Hebræo Senatum qualem ipsi depingunt, & permansisse eum vsque ad Herodem. Certè apud Iosephum diligentissimum & curiosissimum Iudaicarum rerum scriptorem, mirum de isto Senatu silentium est: nec Philo quicquam prodidit, nam illud Breuiarium temporum non veri Philonis fuit, sed Philonis Anniani, id est, vel ab ipso Annio, vel ab aliquo quopiam confictum, vt à nobis demonstratum est libro duodecimo Commentariorum nostrorum in Danielem, quæstione prima. 84.

VERVM demus istis talem fuisse aliquando Senatum in populo Hebræo: illud tamen non est eis concedendum, illum Senatum fuisse totum ex hominibus tribu Iuda: nam nec hoc isti probant, nec est sanè probabile, quin magis credibile est, si talis fuisset Senatus eum non ex vna tribu Iuda, sed ex omnibus fuisse delectum atque conflatum: quo scilicet cunctis tribubus satisfieret, vt omnium ratione habita, iudicia & decreta illius Senatus propensiùs ac libentiùs omnes amplecterentur. Sic enim non semel apud Hebræos esse factum replicantem sacros Annales facilè est intelligere: quotiescunque enim ex vsu illius populi fuit certum aliquem numerum virorum prudentium & proborum deligere, vel ad res ciuiles prudenter tractandas & administrandas, vel ad grauissimum aliquod negotium, & ad publicum bonum spectans expeditè & rectè conficiendum, semper fuisse eos viros legimus non ex vna aliqua tribu, sed ex omnibus electos. 85.

HVIVS

HVIVS rei aliquot sunt in sacris literis exempla. Primùm, Exodi capite decimo octauo, vbi narratur, Mosen ex consilio soceri sui Iethro constituisse super populum Principes & Iudices ex toto Israële. Alterum exemplum, Numerorum capite decimo tertio, de duodecim exploratoribus missis à Mose ad speculandam terrã Chanaan, ex qualibet tribu vno eorum delecto. Tertium exemplum narratur ab Aristea, Iosepho & Eusebio de duobus & septuaginta interpretibus sacræ Scripturæ, quos rogatu Philadelphi Regis Ægypti misit Eleazarus Iudæorũ Pontifex, senos ex qualibet tribu omnium sapientissimos diligendo, ad conuertenda sacra Biblia ex Hebræo sermone in Græcum: nec vspiam legitur in sacris libris tales aliquos septuaginta viros ex vna tantùm tribu fuisse delectos. Nam quod isti proferunt ex libro Numerorum de illis septuaginta senibus, quos delegit Moses, eorum opinioni minimè suffragatur, quin potiùs refragatur. Deus enim iussit illos septuaginta viros eligi de senibus Israël. Audis, de senibus Israël, non autem de senibus Iuda? Vocabulo enim Israël, antequam decem tribus separẽtur à Iuda, vniuersus populus Hebræus significabatur.

86 QVID multa? liberaliter cum istis agam, fuerit sanè iste Senatus in populo Hebræo vsque ad Herodis tempora, fueritque vniuersus ex tribu Iuda: non propterea tamen proposita difficultas circa hanc prophetiam exhauritur. Siquidem Iacob loquitur de sceptro & suprema potestate atque imperio, tale autem sceptrum & imperium non erat in isto Senatu, sed vel in Duce, vel in Iudice, vel in Rege, vel in Pontifice, penes quos in diuersis tẽporibus fuit summus Hebræi populi principatus. Illi enim septuaginta viri erant tanquam consiliarij Principis, & vt iudices populi, nec penes illos, sed penes Principem erat sceptrum & imperium. Similiter nempe vt in regno Galliæ, sub rege Galliæ est, quod vulgò appellant Parlamentum: & in regno Hispaniæ sub rege est, quod vulgò appellant Concilium regium, seu Concilium status, & Romæ atque in Ecclesia sub ipso Papa est Concilium Cardinalium, & olim apud Romanos erat Senatus tempore Imperatorum.

87 SEXTA opinio Caietani hoc loco. Caietanus tractans hanc ipsam quam in manibus habemus quæstionem, ad hunc modum scribit: (Volo enim propria eius verba hic adscribere, quò planiùs & certiùs eius sententiam lector intelligat (*Discurre*, inquit, *& discute Nouiti expositiones omnes tam Hebræorum, quam aliorum, & reperies nullam quadrare verbis illis Iacob: Non auferetur virga de Iuda, nisi hanc meam, hoc est, Non auferetur penitus principatus de tribu Iuda, donec veniat Messias. Ablatus sanè fuit antea, sed non penitus: impeditus est ad tempus principatus eius, sed non totaliter defit, siquidem remansit semper certitudo Messiæ nascituri de tribu Iuda, ad differentiam reliquarum tribuum, quòd in reliquis tribubus potuit omnino deficere principatus ita quòd nunquam amplius recuperaretur: in tribu autem* Caietanus.

Iuda

Iuda quicunque & quocunque acciderunt defectus principatus, siue Regalis, siue Ducalis, certa tamen erat spes principatum esse reddendum tribui Iuda.

ILLVD autem: *Donec veniat Messias, non est sic accipiendum, quasi post Messiæ aduentum defecturus sit principatus Iuda, imò tum maxime firmandus erat & perpetuandus in æternum. Verùm satis fuit tollere id, quod poterat esse ambiguum: non enim poterat esse dubium, an regnum Messiæ futurum esset æternum: sed an principatus Iudaicus vsque ad Messiæ aduentum futurus esset perpetuus: & ad hoc tollendum dubium prædixit Iacob, quamuis imperium Iuda non esset confirmandum vsque ad Messiam, non esse tamen penitus auferendum, sed certissima expectatione expectandum esse, vsquequo ex muliere tribus Iuda, nasceretur filius qui redimeret regnum Israel. Libra cæteras expositiones, & inuenies in illis multa falsa permista & multa voluntariè & gratis dicta, huic autem nostræ nullum occurrit offendiculum, & propterea præpono illam cæteris.*

ATQVE hæc quidem Caietanus, cuius opinionis hæc est summa, dupliciter potuisse auferri sceptrum de tribu Iuda, vel secundum actum ad tempus, vel omnino sine vlla spe iterum aliquando ipsum recuperandi: priori modo negari non posse aliquando defecisse sceptrum Iuda: Sed posteriori modo, nequaquam defecisse: semper enim mansisse in tribu Iuda certissimam spem nascituram ex ea tribu Messiam, qui principatum eius repararet ac firmaret in æternum.

Refutatio Caietani. VERVM hæc sententia Caietani, si rectè pensetur, paruam aut 88 potius nullam habere probabilitatem reperietur. primùm enim dubitari non potest quin Iacob locutus sit de principatu & imperio Iuda terreno & temporali, non autem de spirituali, siquidem potestas verè spiritualis nunquam fuit in populo Hebræo: neque enim lex Mosis, nec sacerdotium Aaronicum, nec sacrificia cæteraque legales cæremoniæ vim habuere producendi vllum spiritualem effectum, vt ex illa disputatione quam tractat Beatus Paulus in Epistola ad Hebræos, perspicuè licet cognoscere. Et vt fuerit talis potestas spiritualis in populo Hebræo, ea tamen non fuit in tribu Iuda, sed in tribu Leui, penes quam solum erat sacerdotium & Pontificatus. Maneat igitur, Iacob esse locutum de terreno & temporali principatu Iuda. Talem autem principatum post captiuitatem Babylonicam omnino perdidit tribus Iuda, tam scilicet quantum ad actum, quàm etiam quantum ad spem recuperandi, nunquam enim postea principatum recuperauit. Nam Messias cum venit, non reparauit terrenum & temporale regnum Iuda aut Dauidis, sed fundauit & firmauit spirituale, nempe Dominus ipse testificatus est regnum suum non esse de hoc mundo, & Hieremias vigesimo secundo capite, prædixerat neminem futurum ex semine Iechoniæ qui amplius regnaret & potestatem haberet in Iuda, videlicet temporalem & terrenam. Dominum autem nostrum fuisse de stirpe

Iecho-

Iechoniæ, non finit nos dubitare genealogia eius quam descripsit Matthæus.

89 ILLVD præterea valdè officit sententiæ Caietani, quòd secundum eam iacere videtur causa Christianorum, & contumacia Iudæorum exultaret ac triumpharet. Etenim argumentatio qua Patres omnes vsi sunt ad conuincendos Iudæos de aduentu Messiæ ex hoc vaticinio Iacob contexta, infirmissima esset ac plane nulla. Sic enim illi argumentantur: Iacob vaticinatus est non defecturum principatum Iuda donec veniret Messias, sed defecit tempore Herodis, quo tempore natus est Iesus, iam igitur venit Messias, nec is alius fuit quàm Dominus Iesus. Hanc Iudæi argumentationem facile, secundum Caietani expositionem, eluderent: dicerent enim tempore Herodis defecisse principatum Iuda quantum ad actum, sed non quantum ad spem recuperandi: expectari enim ab ipsis adhuc Messiæ aduentum, qui principatum Iuda non solum reparabit, sed multo maxime amplificabit. Non igitur ex defectu imperij Iudaici qui contigit tempore Herodis & Domini nostri, conuinci posset iam venisse Messiam. *Matth. 1.* *Matth. 2.*

90 ADDE E quod Caietanus non satisfacit difficultati quantum ad illos quadringentos annos ab egressu ex Aegypto vsque ad Dauidem qui principatum fundauit in tribu Iuda. Per illos enim annos principatum non fuit penes tribum Iuda, sed penes alias tribus: quocirca non potest dici quod ait Caietanus, eam, tametsi perdiderit principatum quantum ad actum, non tamen perdidisse quantum ad spem recuperandi.

SEPTIMA opinio Melchioris Cani lib. 2. de locis Theologicis, cap. 11. in solutione quarti argumenti. Cùm tres de supradictis opinionibus eo loci breuiter commemorasset Canus, ex suo sensu subdit hoc: *Nos* inquit, *quibus consilium est alienas expositiones non immicè aut insectari aut repellere, facilius hunc nodum expediemus, si ex primo Machabæorum libro intelligemus populum Iudæorum ducatum Machabæis tradidisse non tanquam proprium & hæreditarium, sed ad legem depositi conseruandum, vt videlicet Israëlitica plebem interea tuerentur, donec surgeret propheta fidelis qui eos instrueret, vel quem de tribu Iuda venturum expectabant: qua ex re sceptrum de tribu Iuda non auferebatur, & præsertim quod ipsa quoque tribus Iuda in hoc populi conditum & sententiam à principio saltem creditur consensisse.* Ita Canus. *Melchior Canus.*

91 VERVM hæc opinio siue coniectura, multiplici patet confutationi. Primùm Canus fortasse nolens delabitur in opinionem Caietani à nobis paulò supra confutatam: cogitur enim dicere quod ille dixit, tribum Iuda perdidisse principatum multis sæculis ante Messiæ aduentum: perdidisse, inquam, quantum ad actum siue quantum ad vsum, non tamen perdidisse quantum ad proprietatem & ius, siue, vt ille dixit, quantum ad certam spem iterum recuperandi. Ergo secundum expositionem Cani, nō posset hac prophetia Iacob peruinci

contra Iudæos iam veniſſe Meſſiam propter defectum principatus in tribu Iuda: diceretur enim perdidiſſe tribum Iuda iam pridem principatum quantum ad actum ſiue vſum, retinere tamen ipſum quantum ad ius & proprietatem quæ in aduentu Meſſiæ reducatur ad actum.

PRÆTEREA quid Canus dicet de Pontificibus qui ante Machabæos ſummum in populo Iudaico principatum, poſt reditum ex captiuitate Babylonica, obtinuerunt, neque enim probare poteſt illis fuiſſe delatum communi eius populi conſenſu. Vnde porrò enotuit Cano, tribum Iuda conſenſiſſe in electionem Machabæorum ad imperium: Iam verò cum per quadringentos annos ante Dauidem principatus Iudaicus fuerit penes Duces & Iudices ex aliis tribubus, quomodo ad explicandam hanc difficultatem, interpretatio Cani valere poteſt?

DENIQVE, vt dixi, ex hac prophetia non poſſet oſtendi tempore Herodis quo natus eſt Dominus, venturum fuiſſe Meſſiam, & hunc fuiſſe Saluatorem noſtrum, in quo vno vaticinium hoc Iacob, ſicut omnia aliorum vatum oracula, completum fuerit, quia nimirum tunc principatus Iudaicus defecit tranſlatus ad alienigenas. Nam vel intelligitur defeciſſe quantum ad actum & vſum, & hoc non valet: Tum quia dicetur prophetiam Iacob intelligi oportere de defectu quantum ad ius & ſpem recuperandi: tum quia non primum defecit tempore Herodis principatus in tribu Iuda, ſed quingentis circiter annis antea. Vel intelligitur defeciſſe tunc, id eſt tempore Herodis omnino, id eſt, etiam quantum ad ius & ſpem recuperandi: ſed hoc probari non poteſt, dicent enim Iudæi adhuc ſupereſſe tribu Iudæ ius & ſpem iterum obtinendi principatum, cum ſcilicet venerit Meſſias, quem illi etiamnum venturum expectant. Verùm de aliorum opinionibus circa huius vaticinij intelligentiam & interpretationem ſatis adhuc fuerit à nobis diſputatum.

Auctoris iudicium de vero ac germano huius prophetiæ Iacob intellectu & ſententia.

QVÆNAM igitur eſt noſtra ſententia? Breuiter dicam. 92
Credo equidem, vaticinium hoc intelligi debere in vniuerſum de ipſa gente Iudaica, quæ duodecim in tribus erat diuiſa: de tribu autem Iuda non niſi ſecundum congruam quandam applicationem, ſiue vt in ſcholis loquimur, appropriationem intelligi debere, aut poſſe: vt hic ſit prophetiæ huius intellectus, futurum ſemper in gente Iudaica, & penes viros eius gentis principatum, donec veniret Meſſias.

Illud,

Illud semper, non significat perfectam continuationem temporis excludens omnem interruptionem, constat enim tempore captiuitatum, amissum esse principatum absolutum & planè liberum, sed quia id contigit ad breue tempus, & rursus postea recuperatus est principatus, idcirco illud pro nihilo ducitur. Semper igitur vsque ad tempus Herodis & ortum Domini nostri, qui principatum tenuerunt in populo Hebræo, fuerunt ex ea gente, & non alienigenæ, siue illi fuerint ex tribu Leui, vt accidit post reditum ex captiuitate Babylonica, siue de tribu Iuda, vt tempore regum à Dauide vsque ad Sedechiam, siue ex aliis tribubus, vt euenit post egressum ex Ægypto vsque ad tempora Dauidis.

93 CVR igitur, dicet aliquis Iacob hanc prophetiam propriè de tribu Iuda pronunciauit, si non ei propriè conuenit, sed in commune pertinet ad omnem gentem Iudaicam? Dicam de hoc paulò infrà, & causas eius rei valde probabiles exponam. Sed prius ostendere oportet veram esse hanc interpretationem, & præ cæteris omnibus à lectore amplectandam. Quod sanè dupliciter potest demonstrari. hæc enim interpretatio reddi prophetiam Iacob planam & facilem intellectu atque creditu, nihil continet absurdi, nihil confictum habet, nihil gratis & temerè dictum, non inuoluitur difficultatibus quibus aliæ expositiones inexplicabiliter intricatæ sunt, nullis premitur incommodis quibus aliæ omnes vehementer vrgentur, denique mirificè congruit & consentit cum euentu, & ipso rerum successu. Siquidem quicunque ante Herodem tenuerunt apud Hebræos imperium, ex genere, & stirpe Iudaica fuerunt, primúsque alienigenarum Herodes, non per electionem populi, sed per vim & per auctoritatem & potestatem Romanorum occisis legitimis Principibus, imperium Iudaicum sibi vindicauit.

94 CONFIRMATVR hoc ipsum præterea auctoritate vetustissimorum scriptorum Ecclesiasticorum, & grauissimorum Patrum, qui similiter vt nos hoc vaticinium intellexerunt & explanarunt, & idcirco nullam circa ipsum mouerunt quæstionem, nullámque sensérunt difficultatem. Iustinus martyr in eo sermone quem habuit cum Tryphone Iudæo, & scriptis prodidit, sic ait: *Iacob patriarcha duos Christi aduentus prædixit, & in primo fore ipsum passibilem, post quem nec prophetam vllum vos habituros nec regem qui sit vestri generis audis illud, vestri generis (id est, ex genere & stirpe Iudaica) & cum Iustinus memorasset hoc vaticinium Iacob, subdit: Certè non estis tam impudentes, vt negare audeatis prophetas & qualescunque principes vnquam vobis defuisse vsque ad aduentum Christi: sed postquam Christus dominus in gente vestra exortus & necatus est, nunquam prophetam habuistis nec habetis, immo ne regem quidem proprium.* Sic Iustinus. Vides igitur, quemadmodum Iustinus intellexerit semper futuros principes generis & stirpis Iudaicæ, qualescunque illi fuerint, id est, ex qualicunque tribu? *Iustinus martyr.*

95 VERVM apertior est hac de re sententia Eusebij, qui libro primo *Eusebius Cæsariensis.*

Historiæ Ecclesiasticæ, capite sexto ad hunc modum scribit : *Eodem tempore cum Herodes primus extero & peregrino genere ortus, Iudaicæ gentis regnum obtinuisset, prædicto Iacob : Non deficiet princeps de Iuda, &c. finem videbatur consecuta, tantisper enim prædictio illa euentum non habuit, dum sub principibus ex ea gente prognatis potestas esset, qui quidem initium imperij ab ipso Mose capientes, vsque ad Augusti regnum duraverunt, sub cuius imperio Herodes primus externæ gentis stirpe procreatus, Iudæorum principatum à Romanis adeptus est, ad quem cum peruenisset regnum Iudæorum, proforibus iam is adesse sentiebatur secundum Prophetæ oraculum qui futurus esse gentium expectatio : quippe ex illo tempore principes qui successione vsque ab ipso Mose deriuata, Iudæorum potirentur imperio, deficere ac prorsus euanescere videbantur. Nam ante captiuitatem Babylonicam gens Iudaica subiecta fuit regibus : ante regnum verò tempora Iudicibus : post reditum autem ex captiuitate Babylonica, Pontifices summam rerum administrarunt vsque ad Herodem : ex quo tempore principes & Duces ex Iuda, hoc est, Iudæorum familia ac gente prognati rempublicam illam regere destiterunt : atque hoc ipso tempore aduenit promissus à Deo Messias Saluator noster : vt in eo completam esse prophetiam Iacob dubitari nullo modo possit.* Hactenus ex Eusebio, qui clarissimis verbis per principes ex Iuda, interpretatus est principes ex gente & stirpe Iudaica, non autem ex peregrina & externa qualis fuit Herodes.

Consimili ratione Athanasium intellexisse hoc vaticinium non obscurè significant eius verba in libro de Incarnatione verbi, ait enim hoc vaticinio Iacobum definiuisse tempus quo duraturum erat regnum Iudaicum, scilicet vsque ad Messiæ aduentum. Non dixit Athanasius, regnum in tribu Iuda, sed vniuersè regnum Iudaicum, id est, quod obtinerent qui Iudaica stirpe ac gente prognati essent. Idem sensisse Beatum Ambrosium non obscurè indicat ipse, in capite quarto eius libri quem edidit de Benedictionibus Patriarcharum: nam interpretans illud : *Non deficiet ex Iuda donec ille veniat*, ait vsque ad ortum Saluatoris fidem regalis successionis apud Iudæos integram esse conseruatam, posteà verò per Herodem adulterata successione prærogatiuam dignitatis amisit. Ergo ait Ambrosius significasse Iacob, seruatum iri in Iudicibus & Regibus Iudæorum intemeratæ successionis hæreditatem, donec veniret Messias. Vult igitur Ambrosius propterea non defecisse sceptrum de Iuda vsque ad Messiam, quod Iudæi vsque ad Herodem proprios & suæ gentis principes semper habuerunt.

Chrysosto. Sanctvs Chrysostomus homilia 67. in Genesim exponens illa verba : *Non deficiet princeps in Iuda* : *Manifestè*, inquit, *declaratur his verbis tempus quo aduenturus erat Messias : tandiu enim ait Iacob, durabunt Iudaica & princeps Iudæorum, quoad ille venerit.* Idem in eo libro qui inscribitur : Demonstratio aduersus Gentes quod Christus sit Deus : *Scriptura*, inquit, *etiam tempus quo venturus erat manifestauit,* 96

stauit, dicens: Non deficiet Princeps ex Iuda, nam tunc comparuit, cùm iam deficerent Principes Iudaici & sceptris Romanorum subderentur. Beatus Augustinus libr. 18. de Ciuitate Dei, capit. 45. ita scribit de Iudæis: *Deinde Herodem alienigenam Regem habere meruerunt, quo regnante, natus est Christus: iam enim venerat plenitudo temporis significata prophetico spiritu per Iacob, cùm dicit, Non deficiet Princeps ex Iuda, &c. Non enim defuit Iudæorum Princeps ex ipsis Iudæis, vsque ad ipsum Herodem, quem primum acceperunt alienigenam regem.* Theodoretus quæstione vltima in Geneſim explanans prophetiam hanc Iacob: *Hoc*, inquit, *aduentus Domini iudicium est clarissimum: cùm enim Christus nasceretur, defecerunt Iudæorum Reges, Principes Sacerdotum, & Prophetæ, & impetrabant Iudæis Reges ex alia tribu.* Vbi Theodoretus per aliam tribum (vt manifestum est consideranti sententiam eius) intellexit aliam familiam stirpem, genus, id est, non ex genere & gente Iudaica.

Augustin. Galat. 4. *Theodor.*

97 RVPERTVS libro nono Commentariorum in Geneſim, cap. 29. tractans hoc vaticinium Iacob de Iuda, hunc in modum scribit: *Iam verò quasi quæreretur quando ille Messias veniet, & quod signum temporis aduentus eius, continuò sequitur: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est. Quando ablatum est sceptrum de Iuda? ex tunc videlicet, quando regnum Iudæorum Romanis trædentibus adeptus est Herodes alienigena patre Idumæo, matre ortus Arabica. Et Reges sanè iamdudum defecerant a tempore captiuitatis Babylonicæ: Duces tamen qui erant ex gente illa, perseuerauerunt vsque ad contentiones Hyrcani & Aristobuli, qui ex commissis tribubus, sacerdotali scilicet & Regia, orti, Regnum & Sacerdotium discordibus inter se animis diuidentibus contendendo & inuicem pugnando tandem occasionem porrexerunt Romanæ potestati, locumque aperuerunt alienigenæ Herodi. Vnde prudenter non tantum dictum est: Non auferetur sceptrum de Iuda: sed additum est, Et dux de fœmore eius. Tunc primum sublatum est sceptrum de Iuda, quando tulit illud Herodes, qui vtique Iudæus non erat. Tunc autem Iesus Christus Dei filius in Bethlehem Iuda de Virgine matre nasci dignatus est. Cùm ergo dicit, Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est, firmum sermonem propheticum sanctissimus Prophetarum Iacob quasi lucernam in caligineſo loco lucentem attollit, vt sciat inquisitor regni Dei, quando, vel ex quo certus esse debeat de aduentu eius, quem laudare & adorare habeant omnes fratres eius.*

Rupert. Luc. 2. 2. Petr. 1. Genes. 49.

98 HYIC lucernæ, seu prophetico sermoni, Simeon senex attendens, cùm videret regnante alienigena ablatum esse sceptrum de Iuda, intellexit tempus esse vt veniret qui mittendus esset, & idcirco ianuas cœlorum vnde venturum illum sperabat tandiu suſpensa prece pulsare non desiit, donec responſum acciperet à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini, & vidit: & sicut legebat in hoc scripturæ loco, *Ipse erit expectatio gentium, ita credidit, & confessus eum esse lumen ad reuelationem gentium. Vnde autem scire poterat Iacob illum fore gentium*

Luc. 2.

expectationem? Ex Deo videlicet, non solum quia propheta erat, sed quia etiam Deum Abrahæ auo suo permisisse meminerat. In semine tuo benedi-
Gen. 22. *centur omnes gentes.* Idem Rupertus libro 3. de victoria verbi capit. 9. hoc ipsum, paucioribus quidem verbis, sed non minus apertis tradit, nam illud: *non auferetur sceptrum de Iuda*, non intelligit ipse, *de tribu Iuda propriè*, *sed interpretatur non defuturum principem ex Gente Iudaica.* Hæc Rupertus: Apparet igitur ex supradictis auctoritatibus illud: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, Patres non intellexisse de vna tantum tribu Iuda, sed in vniuersum de gente, stirpe & genere Iudaico. Ad veritatem igitur huius prophetiæ comprobandam satis fuerit ostendere, nunquam Iudæos vsque ad tempora Herodis habuisse reges alienigenas, sed habuisse semper Principes ex stirpe & gente Iudaica, qualicunque ex tribu illi fuerint.

Grauis obiectio. CÆTERVM aduersus hanc nostram interpretationem in promptu est sanè grauis & in speciem prævalida obiectio. Nam cum Iacob nouissimo hoc sermone quem cum filiis suis habuit, sigillatim, propriè ac distinctè quæ singulis filiis ac posteritati eorum ventura erant pronunciauerit, ratio ipsa cogit credere, cum in hoc vaticinio alloquitur Iudam, propriè filium Iudam & tribum eius alloqui, non autem vniuersè cunctum populum Iudaicum: alioqui solus omnium filiorum Iudas hoc sermone prophetico à patre suo Iacob esse præteritus, neque hoc vaticinium ad singularem aliquam dignitatem & prærogatiuũ tribus Iuda, potius quàm aliarum tribuum cuiuslibet pertinuisset. 98.

DEINDE in hoc vaticinio, quæ antecedunt illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, illa dico verba: *Iuda te laudabunt fratres tui adorabunt te filij patris tui*, non in commune pertinent ad populum Iudaicum, sed propriè ad Iudam & eius tribum. Similiter verba illa quæ consequuntur: *Ligans ad vitem pullum suum, &c.* propriè denotant fertilitatem regionis in terra Chanaan, quæ tribui Iuda sorte obuenit: quare si prima & extrema huius vaticinij propriè spectant ad tribum Iuda, etiam illud quod inter hæc medium est: *Non auferetur sceptrum de Iuda* ad eandem tribum propriè spectabit. Ridiculum enim & absurdum est dicere, Iacob primis extremisque vaticinij verbis allocutum esse filium Iudam: mediis autem verbis deflexisse sermonem propheticum ad vniuersum populum Iudaicum. Et verò nulla ratio est cur Iacob loquens de tribu Iuda potius quàm de alia qualibet tribu dixerit illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, si id non propriè & singulariter ad tribum Iuda, sed communiter atque indifferenter ad gentem Iudaicam pertinuisset. Præcipua igitur vis huius obiectionis in eo est, quod nulla videtur esse ratio, si illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, non propriè spectat ad tribum Iuda, sed in vniuersum ad gentem Iudaicam, cur Iacob illud dixerit alloquens filium Iudam potius quàm alium quemlibet filiorum, & cur 99.

potius

potius adiungere illud voluerit cæteris quæ de Iuda dicebat, & applicare ad tribum Iuda, quàm ad aliam tribum.

100 VERVM commodè responderi potest, cur id fecerit Iacob, tres afferri posse causas valde probabiles. Prima causa hæc est: prænouerat Iacob spiritu prophetico, principatum Iudaicum futurum penes tribum Iuda, & longissimo tempore, & florentissimum atque potentissimum: fuit penes tribum Iuda per annos quingentos viginti. Nam primum tempore Iudicum, per annos septem & quadraginta fuit penes Othonielem & Abesa, viros de tribu Iuda: postea à Dauide vsque ad Sedechiam, fuit penes eandem tribum Iuda per annos quadrigentos septuaginta tres, quo tempore imperium Iudaicum, maximè verò sub Dauide & Salomone amplissimum, florentissimum ac potentissimum fuit, præstantissimíque reges claruerunt, bellica quidem gloria Dauid, sapientia Salomon, sanctitate ac pietate Iosaphat, Ezechias & Iosias. Recte igitur Iacob vaticinum de principatus Iudaico præcipuè ad tribum Iuda voluit applicare. *Solutio obiectionis.*

101 ALTERA causa: præuiderat item Iacob eodem spiritu prophetico fore aliquando, vt vniuersus populus Hebræus à tribu Iuda nomen accipiens, non iam, vt antea, vel Hebræus vel Israëlita, sed Iudaicus appellaretur: quod primum accidit auctore Iosepho, post reditum ex captiuitate Babylonica. Etenim post id temporis omnes appellati sunt Iudæi, & regio eorum nominata est Iudæa, & regnum Iudaicum: cuius rei fuit causa, quòd ex captiuitate, non alia tribus redierit quàm tribus Iuda, mixta tamen cum tribu Beniamin: & regio terræ promissionis quam tenuit post reditum ex captiuitate, plurimum ea fuit, quæ ad sortem tribus Iuda pertinebat. Non igitur alienum fuit, quod Iacob de vniuerso populo Hebræo vaticinabatur, id accommodasse ad tribum Iuda. *Iosephus lib. 11. Antiquitatum.*

102 TERTIA causa, eáque, vt opinor, potissima & probabilissima, illa fuit: licet post reditum ex captiuitate Babylonica, qui sceptrum & principatum tenuerunt, Pontifices fuerint de tribu Leui, ipsum tamen sceptrum & imperium fuit in tribu & ex tribu Iuda. Hoc vt planè intelligatur, scire conuenit, ex captiuitate solam tribum Iuda reuertisse in terram Chanaan, & item regionem quam tunc & deinceps vsque ad Herodem possederunt Iudæi eam fuisse quæ aut tota aut maxima ex parte ad sortem tribus Iuda pertinebat, nam aliæ partes terræ Chanaan olim cæteris tribubus assignatæ, possidebantur id temporis à Samaritanis aliísque gentibus. Præterea, ciuitas regia & caput ac sedes regni, vrbs erat Ierusalem, quæ vrbs post Dauidem ad tribum Iuda pertinuit. itaque licet persona quæ tenebat sceptrum, esset de tribu Leui, attamen ipsum regnum & ditio regni, & ciuitas regia & subditi ei regno ad tribum Iuda pertinebant. Defecit igitur persona de tribu Iuda semper principatū tenens, ipsum tamen sceptrum non defecit in tribu Iuda: nam illud quod subditur:

tur. *Et dux de femore eius* intelligi potest sub hac distinctione, nunquam defecturum de tribu Iuda vel principem, vel principatum & sceptrum. Etenim vel ipsi Pontifices qui post reditum ex captiuitate summam in ea potestatem habuerunt, quamuis essent de tribu Leui, non tamen appellabantur Reges aut Principes Leui, sed Iuda.

PONAM exemplum cuiuis manifestum, quo res hæc nemini 103
non clara & certa sit. Sceptrum & imperium, & vt vulgo dicitur, Corona Hispaniæ, ab hinc minus centum annos translata videtur ad personas Austriacæ familiæ olim extraneæ sanguini Hispanico, sed per connubium Ioannæ Ferdinandi Regis Catholice filiæ, & Philippi filij Maximiliani Imperatoris in regiam stirpem Hispanicnsem insitæ: non ob id tamen verè dicetur defecisse sceptrum vel corona Hispanica: nam licet personæ fuerint extraneæ gentis & familiæ, ipsum tamen sceptrum eiúsque amplitudo & potentia dominationis, Hispanica est, manétque eadem corona Hispaniæ, etiam si penes diuersi generis ac gentis personas fuerit. Quanquam hoc exemplum eo deficit à vero, quod qui de gente Austriaca imperium Hispanicum tenuerunt hodiéque felicissimè tenent, licet paternum genus habeant Hispanis extraneum, maternum tamen Hispanicum est, quod apud Hispanos ius habet hæreditarium, quocirca propter maternum genus, debebatur illis iure hæreditario Hispanicum imperium. Esset igitur ad id quod agitur, magis accommodatum exemplum imperij Polonici, quod nuper vidimus post excessum nouissimi Sigismundi Regis, in Henricum Vallesium, & post hunc, in Stephanum Battoreum Principem Transyluaniæ translatum: nec ob id tamen sceptrum & regnum in Polonia tunc defecisse dici posset. Ad eundem igitur modum de sceptro ac principatu Hebræi populi, ac de tribu Iuda cogitare & sentire conuenit.

ILLVD porrò scire oportet, quo tempore cœpit Hebræus po- 104
pulus habere Principes suæ gentis, fuisse primum principatum non penes tribum Iuda, sed penes tribum Leui in Mose, & penes tribum Ephraim in Iosue, qui secundum Mosem tenuit principatum: consecutum deinde est tempus Iudicum, qui vsque ad Saulem primum regem fuere quatuordecim: Horum primus Othoniel, & nonus Abesam fuerunt de tribu Iuda, cæteri ex aliis tribubus. Verùm eo tempore etiam sine principatu summa erat in tribu Iuda dignitas & auctoritas: nam cùm forma gubernationis eius temporis esset Aristocratia, id est, optimatum dominatus in eo statu primas sine controuersia tenebat tribus Iuda: cuius rei clarum & certum est illud argumentum, quod post mortem Iosue consultus Deus ab Hebræis, quem in gerendo bello aduersus hostes ducem ac principem sequerentur: respondit, vt sequerentur Iudam, sicut scriptum est in exordio libri Iudicum. Quòd autem eo tempore

Tempore Iudicũ Politiã populi Hebræi fuisse Aristocratiam.

Politia

Politia Hebræorum Aristocratiæ formam haberet, testis locuples est Iosephus, qui libro sexto Iudaicarum Antiquitatum ad hunc modum scribit: *Sub Mose & Iosue Optimates Rempublicam administrabant: post Iosephus.*
Iosue mortem, octodecim annos populus fuit sine summo magistratu, deinde rursus ad pristinam formam reginiinis redierunt, eum qui belli scientia & fortitudine præcelleret, supremum iudicem constituendo, quamobrem totum hoc tempus quo talis hic status duranit, appellauerunt Iudicum. Sic Iosephus.

SED vnus etiam nunc restat eximendus lectori scrupulus. Dicet
105 enim aliquis, Cum hæc prophetia Iacob euidentissimum & validissimum contra Iudæos de aduentu Messiæ præbeat argumentum, qui factum sit vt hoc vaticinio, contra Iudæos disputando, nec Dominus noster, nec Euangelistæ, nec Apostoli vsi sint, quos tamen plurimis aliorum vatum oraculis & testimoniis vsos esse constat. Verum in promptu est causam reddere. ex hac enim prophetia illud tantū concludi potest, quo tempore natus est Saluator noster, eo tempore venturum fuisse Messiam: tunc enim primum defecerat principatus, ex gente Iudaica translatus ad Herodem alienigenam. sed hoc Iudæi non negabant. Quin etiam pro certo habebant tam docti quam ipsum vulgus, in proximo esse Messiæ aduentum. Vnde Samaritana dixit Ioan. 4. *Scio quia Messias venit.* At verò hominem illum qui dicebatur Iesus, filium Mariæ, & vt putabatur, Ioseph, illum inquam hominem verum esse Messiam qui expectabatur, quod Iudæi negabant, & aduersus eos vrgebant Apostoli, hoc inquam, argumentari & concludere non licet ex prophetia Iacob. Non igitur mirum ea non esse vsum nec Christum Dominum nec Apostolos. *Cur nec Christus Dominus, nec Apostoli, nec Euangelistæ vsi aliquando sint hoc vaticinio Iacob.*

SVMMA igitur opinionis nostræ tres potissimum res continet, primò enim arbitramur Prophetiam hanc Iacob si vniuersè, & in communi intelligatur de ipso populo Hebræo, esse omnino veram, & hanc esse eius sententiam, Hebræos semper vsque ad Messiæ aduentum habituros ex sua stirpe ac gente principes ac Duces. Quod ita plane euenisse comperiet qui memoria repetet principes eius populi omnes à Moses vsque ad Herodem, atque hac ratione pleti-que Patrum eam prophetiam interpretati sunt. Deinde censemus de nulla duodecim tribuum Israël propriè, & vt ab aliis tribubus distincta est, verè dici posse in ea fuisse sceptrum & supremū imperium Iudaicum ab initio vsque ad Messiæ aduentum. Siquidem tribus Iuda (de qua id magis dubitari posset quàm de alia quamuis ttibu) à Moyse vsque ad Dauidem, per annos plus quadringentos triginta non habuit imperium in eo populo nisi in duobus tantum Iudicibus, Othoniele & Abesa, & per annos dumtaxat quadraginta septem. Post reditum autem ex captiuitate Babylonica & Zorobabelis principatum vsque ad regnum Herodis per annos scilicet amplius quingentos, cum summo imperio præfuerunt Iudaico populo Pontifices, qui erant de tribu Leui. *Epilogus totius disputationis.*

TERTIO loco illud etiam affirmamus, licet hæc prophetia non in vna tantum & sola tribu Iuda effectum suum ex toto habitura esset, verè tamen rectéque applicatam fuisse eam tribui Iuda potius quàm alicui aliarum tribuum duas ob causas, tum quòd sceptrum & imperium Iudaicum longissimo tempore, id est, per annos plus quadringentos septuaginta continuatum fuerit in tribu Iuda, eóque tempore potentissimum & glorioſissimum fuerit: tum quòd etsi post reditum est Babylonica captiuitate qui sceptrum & principatum tenuerunt, Pontifices fuerunt qui erant ex tribu Leui, attamen ipsum imperium & vt vulgò dicitur *Corona* erant tribus Iuda. Namque & ipsum regnum, id est regio quæ possidebatur, vel tota vel maxima ex parte ad sortem tribus Iuda pertinebat: & qui subditi erant ei regno, homines erant tribus Iuda, hæc enim sola admixtis sibi Beniamitis, reuersa est ex captiuitate. Ciuitas quoque regia & sedes atque caput regni, id est vrbs Hierusalem à Dauidis vsque tempore pertinuit ad tribum Iuda. Quo factum est vt post reuersionem ex captiuitate Babylonica, & tota illa gens vno Iudæorum nomine appellata sit, & quamuis qui tenebant imperium essent de tribu Leui, attamen nec ipsum regnum dicebatur Leuiticum sed Iudaicum, nec principes appellabantur reges Leui, sed Iuda.

DICAM hoc ipsum paulò etiam si potero, expressiùs & breuiùs, cupiens scilicet vt nostra hæc opinio facilius in eorum qui legent hæc, animis imprimatur, & penitus hæreat impressa. Prophetia hæc dupliciter intelligi potest: primò quidem in commune de vniuerso populo Hebræo: vt sententia illorũ verborum, *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.* hæc sit, non desinet populus Hebræus habere principes quorum imperio regatur, ex sua stirpe, gente, ac sanguine, quousque veniat Messias. Quocirca illud (*de Iuda*) idem valet atque *de populo Iudaico* vel (*de Iuda*) significat propriè tribum Iuda, sed posita est pars illius populi nobilissima, pro toto populo: vt interdum Hierusalem vel Sion pro Iudæis, & Babylon pro Chaldeis in vniuersum, & Samaria vel Ephraim pro regno decem tribuum. Atque hac ratione intellecta hæc prophetia, simpliciter atque omnino vera esse liquido perspicitur: à Mose enim vsque ad Herodem, imperium Iudaici populi, non alij quam qui ex stirpe ac gente Hebræorum erant, obtinuerunt. Et hanc Prophetiæ huius intelligentiam sequuti sunt ferè Patres qui ante mille annos fuerunt. Cur autem Iacob vaticinium, quod in vniuersum pertinebat ad populum Hebræum, tunc potissimum voluerit pronuntiare, cum loquebatur de tribu Iuda, causas suprà exposuimus.

ALTERA huius Prophetiæ interpretatio est, non minus quàm superior probabilis, quin etiam planior ad intelligendum, & ad credendum procliuior: totam hanc Prophetiam propriè ad tribum Iuda pertinere: & sententiam eius esse hanc, cum tribus Iuda principatum in populo Hebræo nacta erit, tenebit ipsum perpetuò nec perdet

det vnquam vsque veniat Messias : quod ita plane euenit. Etenim primò adepta est regale imperium creato rege Dauide, idque tenuit in posteris eius vsque ad captiuitatem Babylonicam. Postea, licet personæ tenentes in eo populo sceptrum, fuerint Pontifices de tribu Leui, attamen sceptrum ipsum atque imperium, & vt vulgo dicitur, *la Corona*, erat tribus Iuda: namque ipsa regio & ditio eius regni, & subditi, & sedes regni & ciuitas regia erant tribus Iuda, quapropter appellabantur reges & regnum Iuda, non autem Leui. Hoc autem sceptrum & imperium Iuda, licet Herodes quoque habuerit, quia tamen non habuit legitimè, id est, nec hæreditario iure, nec populi consensu & electione, sed iniquè sibi delatum à Romanis, etiam per vim ipse rapuit: idcirco verè dicitur regnante Herode ablatum esse sceptrum de Iuda. Verùm de hoc vaticino Iacob quod pertinet ad Iudam quæ hactenus disputata sunt satis esse debent. Nimirum eius obscuritas & nobilitas fecit, vt in eo diligenter & accuratè tractando, paulò longiorem rationem & disputationem poneremus.

QVARTA PROPHETIA DE ZABVLON.

Gene.49. VERS.13.

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.

106. ZABVLON, decimus fuit ordine generationis filiorũ Iacob, & sextus eorum quos genuit Lia. Huic præscribens Iacob situm eius regionis quam eius posteritas & tribus in sortitione & partitione terræ Chanaã possessura erat, significat eam fore maritimam & confinẽ Sidoni. Hoc quamuis exiguum & leue videatur, magni tamen intererat prædici, opulentam & abundantem fore sortem Zabulon, propter maritima commercia, & mercaturæ negociationem, scilicet vt intelligerent Hebræi quam terram Chanaan ipsi obtinuissent, eam neque casu obtigisse illis, nec humana prudentia & potentia, sed diuina gratia & ope : quippe cum animaduerterent tot sæculis ante & promissum & prædictum eis fuisse, quam quæque tribus eius terræ portionem, & cuius conditionis atque qualitatis possessura esset, idque cernerent tam distinctè, propriè, atque expressè per Iacob fuisse præsignatum : ideóque nihil ipsi dubitarent de eius terræ consecutione, neque vbi eam adepti essent, vllam cum habitatoribus eius vel ob metum, vel ob securitatem coirent societa

tem, fœdusve inirent. Quo fuit profecto deteſtabilior Iudæorum diſfidentia & peruicacia, qui audita proceritate ac fortitudine habitatorum eius terræ, protinus deſperata eius acquiſitione in Ægyptum regredi conſtituerunt, vt in libro Numerorum, capite 13. & 14. ſcriptum eſt. Nec minus execranda fuit eorum ignauia, qui Chananæis toties à ſe támque mirabiliter profligatis, tamen turpis lucri pactione contra Dei iuſſa pepercerunt, & vna ſecum habitare, quos iuſſi fuerant penitus exterminare, paſſi ſunt.

Varietas lectionum.

SED expendamus verba huius prophetiæ, & ante omnia varietatem lectionum quæ vix eſt notabilis. Pagninus ita vertit: *Zabulum in portu maris habitabat, & erit in portu nauium, & terminus eius vſque ad Sidonem*, vel, vt alij reddunt, *Latere ſuo ad Sidonem pertinget*, & vt habet Oleaſter, *Ad ſinum marium habitabit, & ipſe ad ſinum nauium, terminus eius ſuper Sidon.* Dixit autem numero multitudinis, ad ſignum marium, quia in ſinu ſiue portu duo videntur quaſi maria, alterum quod ſinu concluditur, & alterum quod extra ſinum eſt. Septuaginta ſic habent: *Zabulon iuxta mare habitabit, & ipſe ſecus acceſſus nauium & pertendet vſque ad Sidonem.* Paraphraſis Chaldaica huiuſmodi effert ſententiam: *Zabulon in littore maris habitabit, & ipſe ſubiugabit regiones nauibus, bonúmque maris comedet, & terminus eius pertinget vſque ad Zedon.* In vocabulo Zabulon pulchra fit annominatio, ſignificat enim habitationem: pulchrè igitur dicitur *Zabulon habitabit.* Pro vocabulo littoris, Hebraicè eſt, *Coph*, ſignificans & littus & portum & ſinum. ſignificatur igitur, regionem eius fore maritimam & portuoſam vel ſinuoſam. Pro illa autem, *Et in ſtatione*, Hebraicè eſt eadem vox quæ ſupra, *Coph*, ducta à verbo *Caphaph*, quod ſignificat tegere, abſcondere ſeu protegere, quia portus protegit naues à furore ventorum, & idcirco naues appelluntur ad portum quo ſint tutæ ac ſecuræ. vnde Septuaginta verterunt, iuxta acceſſum nauium. 107

PRO illo: *Pertingens vſque ad Sidonem.* Hebraicè ad verbum eſt: *Et latus eius ſuper Sidon*, vox Hebræa *Iarech*, ſignificat femur & latus, & ponitur ad ſignificandum, plagàm terræ Zabulon ſpectaturam Sidonem, id eſt, terminum eius fore verſus Sidonem. Verùm quia in libro Ioſue cap. 19. cum ſubtiliter deſcribuntur fines & termini ſortis & regionis Zabulon, nulla fit mentio Sidonis, quam tamen, cum eſſet vrbs illa antiquiſſima & nobiliſſima, tacitam minime præteriiſſet Ioſue, propterea exiſtimat Andreas Maſius in commentario eius capitis. Sidonem non fuiſſe terminum ſortis Zabulon, neque aliud ſignificare hoc loco voluiſſe Iacob quàm poſteros Zabulon habitaturos ad mare, verſaturóſque frequenter in portubus & naualibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis illam ipſam maris oram tenẽtibus, ac mercatoribus toto orbe celeberrimis: ex quo futura erat illius tribus Zabulon ingens opulentia & rerum omnium abundãtia. Quod indicauit paraphraſis Chaldaica di- 108

Andreas Maſius.

cens

cens, subiugabit regiones nauibus & bonum maris comedet: similiáque significauit Moses Deuteronomij 33. cum benedicens Zabulon dixit: *Lætare Zabulon in exitu tuo:* significans Zabulonitas feliciter exituros in mare, & nauigaturos ad fora rerum venalium, rémque foris ac peregrè facturos. Subdit Moses: *Inundationem maris quasi lac sugent, & absconditos thesauros arenarum:* non obscurè significans, per mare importatum iri in eius regionem multa & magna bona, tum ad victum eius, tum ad opulentiam. *Locus Deuteronomij c. 33.*

ATQVE hæc fuit temporali & terrena felicitas fortis Zabulon. Verùm tempore Christi domini nostri habuit tria etiam ad laudem & decus eius insignia. Primùm enim in ea tribu fuit mons Thabor glorioſa Domini transfiguratione nobilitatus: fuit item ciuitas Nazareth ante alia vrbes clara & veneranda propter ortum Dei paræ Virginis, Conceptionem Domini nostri & educationem, multorúmque annorum inibi habitationem: denique in ea terra Dominus noster exorsus est prædicare Euangelium, vt traditur Matth. 4. quamobrem quasi lætabūdus Isaias capite nono dixit: *Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris trans-Iordanem Galilæa Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis.* Quibus verbis significatur futuros per id tempus quo Messias prædicaturus illis esset Euangelium, Zabulonitas vitioſiſſimis atque corruptiſſimis moribus. *Insignia terræ Zabulon.* *Matth. 17.* *Luc. 1.* *Locus Matt. 4.*

110 NIMIRVM animaduertere licet ciuitates & gentes maritimas pluribus atque maioribus quàm mediterraneas vitiis esse obnoxias, tum propter superbiam quæ nascitur ex fiducia virium, sunt quippe maris præsidio munitæ, tum ob auaritiam, quod ad lucra mercaturæ incumbunt, denique ob rapinas & prædas, ad quas opportunitate maris, & naualium commoditate inuitantur: adiice quod cum sint emporia & aduenarum receptacula, facile peregrinis moribus, vitiis atque erroribus inficiuntur, Quapropter noluit Plato ciuitatem quam suæ Reipublicæ designabat futuram metropolim, esse maritimam, sed minimùm decem millia passuum mari remotam, habere tamen vicinum portum, vt ea ratione nec externis moribus prauis, aut vilibus facilè corrumpatur, nec omnino tamen vtilitate maris iucunditatéque priuetur. Talem fuisse Hierosolymitanæ vrbis situm qualem desiderabat Plato, docet Eusebius lib. 12. de Præparatione Euangelica, capite vigesimo septimo. *Maritimæ gentes ferè vitioſiores Mediterraneis.* *Plato.* *Eusebius.*

111 ALLEGORICAM huius prophetiæ de Zabulon interpretationem copiosè & eleganter tractat B. Ambrosius in lib. de Benedictionibus Patriarchatum, capite quinto: quam nos, quò plura breuiori oratione complectamur, non verbis Ambrosij, sed nostris, licet minus disertis exponemus. Hæc prophetia de Zabulon, secundum allegoriã, præclarè ad Christi Ecclesiam accommodatur, in quam bene cõuenit nomen Zabulon, significans habitaculum, siue habitationem. Namque in Ecclesiam verissimè dici potest illud quod est in Psalmo 130. *Allegorica expositio.* *Ambros.*

Qualis sit Ecclesia Catholica.

Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. est enim Ecclesia omnium fidelium & ipsius Dei habitatio in terris. Dicitur autem Ecclesia habitare in littore maris: Significat enim mare, mundum tempestatibus & procellis, vitiorum turbatum & agitatũ, iuxta quem est Ecclesia: nam licet in mundo sit, non est tamen de mundo, sed est in littore & in terra, firma scilicet & immobilis: pulsatur quidem fluctibus mundi, sed non frangitur, quinimo quasi scopulus ipsos fluctus frangit ac dissipat: similis domui fundatæ, non super arenam, sed super firmam petram, cuius insuperabilem firmitatem descripsit Dominus in Euangelio.

Matth. 7. EST autem iuxta littus Ecclesia: prospicit enim Hæreticorum, Iudæorum & Paganorum naufragia, periculorum ipsa immunis & expers, & quasi prompta & parata & velut obuia excipiendis ex naufragio mundi ad securum ipsius portum confugientibus. Est præterea mercaturæ dedita: neque enim aliud in terris agit Ecclesia quàm spirituales merces inter Deum & homines tractare: in quam sanè verius competit quàm in Zabulonites, quod Moses dixit Deuteronom. 33. *Lætare Zabulon in exitu tuo, inundationem maris quasi lac suges, & thesauros absconditos arenarum.* Id est, Felix eris & nimium felix Christi Ecclesia, cùm ex Iudæa ad Gentilitatẽ exibis: per totum enim orbem terra marique dilataberis, & præcipuas mũdi delitias diuitiásque possidebis. Suges lac gentium, & mammilla regum lactaberis: accipies pro ære aurum, pro ferro argentũ, pro ligno ac lapidib. ferrum. Quod autem subdit Iacob: *Perringens usque ad Sidonem*, non id vacat mysterio. Sidon enim significat venationem. Significatur igitur, Ecclesiam Christi non solùm quia futuras erat iuxta mare, habituram piscatores hominum, sed etiam venatores, id est, ex omnibus insulis & regionibus terræ continentis innumerabiles ad eius magisterium, cultum & obsequium esse venturos. Quare hunc accommodari posset quod est apud Hieremiam capite decimo sexto. *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle & de cauernis petrarum.*

Esa. 49. & 60.

* * *

QVINI

QVINTA PROPHETIA

DE ISSACHAR.

Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factúsque est tributis seruiens. Genes. 49. VERS. 14. & 15.

113 PRÆNVNCIAT Iacob in diuisione terræ Chanaan tribum Issachar sortituram, & fertilitate & amœnitate soli regionem optimam ac fœliciss. tam, & idcirco deditos fore Issacharitas agriculturæ, adeòque natalis soli amantes ac tenaces futuros, vt quiduis passuri potiùs sint, quàm se à sedibus suis abstrahi: quemadmodum clitellarij mulli quamtumuis onusti, si læta gramina quæ carpant, per iter nacti fuerint, nec ipso onere, nec etiam fustibus facilè propelluntur. Simile est illud quod de hac ipsa tribu dixit Moses Deuteron. 33. *Lætare Issachar in tabernaculis tuis:* Significãs videlicet fertili eos amœnáque regione sua delectatos, libenter manssuros domi, nec ad externa loca negotiationis causa profecturos. Locus Deut. cap. 33.

114 ARGVMENTVM bonitatis terræ Issachar, vel vnus campus Esdrelon, maxima ex parte intra sortem Issachar contentus, esse potest: nullus enim eo per totam Chananæam terram locus est amœnior atque vberior, abundat enim frumento, oleo, vino, atque omnium rerum copia, quæ ad victum, cultúmque hominum conferunt. Erant præterea in sorte Issachar montes Gelboe propter cædẽ Saulis & Ionathæ maledicti diriſque à Dauide rege affecti, quasi propter necem tantorum virorum inibi factam digni essent qui perderent naturalem fertilitatem & amænitatem, qua maxime commendabantur. Campus Esdrelon. 2. Reg. 5. Montes Gelboe.

115 B. HIERONYMVS in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, hanc citat lectionem huius loci ex Septuaginta Interpretibus: *Issachar bonum desiderauit requiescens inter medios cleros, & videns requiem quia bona est, terram quia pinguis, supposuit humerum suum ad laborandum & factus est vir agricola.* Subdit Hieronymus, in Hebræo ita legi: *Issachar asinus osseus recumbens in terminis, videns requiem quia bona est, & terram quia pulchra est, inclinauit humerum suum ad portandum, & factus est in tributum seruiens.* Interpretatur autem appellari asinum osseum, quòd in cultura terræ & vehendis ad mare oneribus Varietas lectionum.

eorum

eorum quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboratus esset, regibus quoque tributa pensitaturus; Hebræos porrò tradere his verbis per metaphoram significari quod Issachar scripturas sanctas die ac nocte meditans, plurimum in earum studio elaboraturus esset, & ideo omnes tribus ei seruituras, quasi magistro dona portantes. Paraphrasis Chaldaica huiusmodi habet lectionem: *Issachar diues in facultatibus, & possessio eius erit inter terminos: vidítque partem quod bona erat, & terram quod fructifera erat, subiecítque prouincias populorum, & deleuit habitatores earum, & qui relicti sunt in eis, serui & tributarij eius facti fuerunt.*

SED expendamus singillatim verba huius prophetiæ secundum 116
nostram lectionem. *Asinus fortis.* Hebraicè, *asinus ossis seu osseus*, id est, magnorum & firmorum ossium: in quo est robur animalium, Oleaster ait vocem Hebræam significare dorsum seu spinam dorsi, & ideo vertit, (*asinus dorsi*) id est, habens robustum dorsum ad ferenda onera. Cur autem pro, (*asinus fortis*) Septuaginta posuerint, *bonum desiderauit*, vide hoc loco Eugubinum. Onkelus reddidit *diues in facultatibus. Accubans inter terminos.* Septuaginta verterunt, *inter cleros siue sortes*: namque Issacharitæ à Meridie contermini erant Manassensibus, à septentrione Zabulonicis. Vel hoc dictum est quia tribus Issachar intra nobiles admodum terminos interiacebat, habens ab Occidente mare Mediterraneum & montem Carmelum, ab Oriente verò mare Tiberiadis, quam etiam perluebat torrens Cison, non incelebris in Scriptura, quem humor partim ex monte Thabor, partim ex Hermon & Gelboe defluens geminum faciebat, altero alueo ac occasum in mare Mediterraneum, altero ad Ortum in lacum Genesareth decurrentem. Kimki & Oleaster pro inter terminos, vertunt, inter sarcinas seu onera, affirmantes id propriè significari vocabulo Hebræo: significari autem asinum fortem, qui etiam cum requieuerit, non leuatur onere, sed sub eo quietem capit: eoque denotari Issacharitas in rusticis laboribus fore assiduos atque indefessos: adeo vt laborem & curam agriculturæ in loco solatij & quietis sint habituri. Vel illud: Cubabit inter terminos, significat fore vt Issacharitæ inter terminos suæ regionis consistant, nec externas negotiandi causa terras petant.

August. Eugub.

VIDIT *requiem quod esset bona: & terram quod optima.* Id est, elegit 117
vitam quietam qualis est agricolarum, vacuam nempe à periculis & molestiis tam bellicis quàm aulicis: ad quod vitæ genus trahebatur bonitate soli, quod ei optimum, vel vt habent Septuaginta, pingue, siue vt propriè significat vox Hebræa, pulchrum & elegans sorte contigerat. De quieto ac fortunato agricolarum statu, elegans est apud Virgilium secundo Georgicorum digressio quæ incipit:

Virgilius.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolæ.

Homerus. Qua de re multa quoque & præclara Homerus libr. sexto & septimo,

mo Odysseæ. Cato, Varro & Columella in exordio suorum voluminum de re Rustica, Plinius libro decimo octauo primis aliquot capitibus prodiderunt. *Et supposuit humerum suum ad portandum.* vel secundum Septuaginta, ad laborandum. Perstat in metapl ora de asino forti, & significat libenter Issacharitas subituros omnem laborem atque molestiam in cultura terræ propter vberrimos eius prouentus: vel quia abundabant bonis maximè vendibilibus & expetitis à mercatoribus, solebant eas vel suis vel animalium humeris deportare ad mare, vt inde mercatoribus vendita exportarentur.

118 FACTVS *est tributis seruiens.* Septuaginta diuersam reddiderunt sententiã, transferentes, *factus est vir agricola.* Paraphrasis Chaldaica contrarium planè sensum expressit: *Subijciet*, inquit, *prouincias populorum, & delebit habitatores earum & qui relicti fuerint serui & tributarij eis fuerunt.* Verum cur præcipuè dicantur Issacharitę futuri vectigales, triplex ratio potest adferri. Etenim cùm propter fertilitatem suæ regionis omnium essent ditissimi, solebant à regibus plus cæteris tribubus onerari & grauari tributis. Ipsi quoque ne ab externis hostibus infestarentur, vel à suis regibus euocarentur ad militiam vel ad aulam, & patrio solo, fertilissimo scilicet & amœnissimo, abscedere & abesse cogerentur, libenter hanc redimebant vexationem largiendis muneribus & pensitandis tributis. Ad hæc, ex aliis tribubus plurimi seruiebant Regi vel in aula, vel in militia, vel aliis quibuslibet muneribus regiis: quapropter vel immunitatem tributorum, vel remissionem à Rege mercedis loco consequebantur. Issacharitæ autem bellicum laborem ac molestiam, & aulicam ambitionem auersati, suísque bonis contenti, nec immunitatem, nec alleuationem vectigalium merebantur.

119 HÆc Prophetia de tribu Issachar (ne intelligentiam eius mysticam omnino prærereamus) pulchrè aptari potest ad virum iustum, maximè verò humilem & mitem. Iusto enim bene conuenit nomen Issachar, significans mercedem: cui enim merces in cœlis à Deo parata est nisi iusto? huic nempe per Isaiam Dominus: *Dicite*, inquit, *iusto quoniam bene, fructum enim adinuentionum suarum comedet.* & Christus in Euangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* His consona sunt quæ de eadem tribu dixit Moses Deuteronom. 33. *Lætare*, inquit, *Issachar in tabernaculis tuis*, quasi dixerit, Lætare iuste, siquidem vt Dauid ait? *Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Asinus fortis.* Quam benè quadrat similitudo? *Vt iumentum factus sum apud te*, inquit Dauid, *& ego semper tecum.* Saluator noster vnum omnium animalium insedit asinum: Et sanè nullo in hominum genere libentius quàm in humilibus acquieuit. Asinus est animal humile, mansuetum, totúmque hominis addictum obsequio & vtilitati: talis est erga Deum humilis & mansuetus. *Fortis*: Nihil est quod ad toleranda mala quamlibet multa & ardua, magis hominem robustum.

Mystica interpretatio.

Esa.3.
Matth.5.

Psalm.11.7
Psal.72.

Matth.21.

firmúmque reddat, quam humilitas & manſuetudo: nam qui de ſe humiliter ſentit, is nunquam ſibi putat iniuriam fieri, nec ſe indebita ſibi atque immerita mala pati. Manſuetus porrò nullis iniuriis nullíſque malis laceſſitus commouetur, nedum ad iram vel vltionem incitatur.

ACCVBANS *inter terminos.* Propterea iuſtus nunquam nō eſt 120
læto & tranquillo animo, tam ſecundis rebus quàm aduerſis, quia cubat inter terminos. Proſpicit enim quis poſt hanc vitam finis bonorum & malorū futurus ſit, cernítque improbos breui voluptate ſempiternum emere dolorem, bonos contra temporario labore comparare ſibi æternam felicitatem. In horum conſideratione terminorum conquieſcens, nullum detrectat laborem, nullum periculum recuſat, nihil ſibi graue & acerbum vel intolerādum ducit. *Suppoſuit humerum ſuum ad portandum.* Duos habemus humeros, quia duplex eſt laboris genus: alij labores pertinent ad animum, ad corpus alij, vir iuſtus vtrumque humerum ſupponit ad laborandum, quia corpus pariter atque animum offert ad quoſlibet labores pro Chriſti gloria & hominum vtilitate proferendos. *Factus eſt tributis ſeruiens.* Iuſtus tributum debet & ſoluit, Deo, Proximo, & ſibi: Deo tributum amoris, religioſi cultus, obedientiæ & patientiæ: Proximo, dilectionis, iuſtitiæ, compaſſionis, ac miſericordiæ: ſibi mortificationis & continentiæ.

SEXTA PROPHETIA
DE DAN.

VERS. 16. 17. 18. *Dan iudicabit populum ſuũ ſicut & alia tribus in Iſraël. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro. Salutare tuum expectabo Domine.*

Iudic. 13. PRÆVIDENS Iacob tribũ Dã, quæ ſatis alioquí obſcu- 121
ra & ignobilis futura erat, maiorẽ in modũ à Samſone qui ex ea tribu fuit, illuſtratum ac nobilitatũ iri, propterea vaticinium hoc de tribu Dan, totũ retulit ad Samſonem. Fuit autem talis reuera Samſon robore corporis ac fortitudine animi, qualem fuiſſe Herculem ambitioſo mendacio finxerunt Græci. Et verò vtriuſque tempora non multum diſcrepant: namque fuiſſe eos propemodum ſynchronos, indicat Euſebius in Chronicis. A Latina lectione huius loci nihil diſcordat Græca & Hebraica lectio, niſi quod pro illo, *Ceraſtes in ſemita*, Hieronymus legit, *regulus*: & pro illo, *Salutare tuum expectabo Domine.* Lectio quam ſequitur Ruffinus, & quam habet nouiſſima Septuaginta Interpretum editio Romana, ſic habet: *Salutem Domini expectans* quod refertur vel ad equitem, vel ad mordentem vngulas

Quæ poëtæ finxerunt de Hercule, ſimilia eorum eſſe quæ de Sãſone narrantur, nec eorũ tempora diſcrepare. Euſebius. Ruffinus.

vngulas equi. Paraphrasis Chaldaica hanc reddit sententiam : *De tribu Dan eligetur & consurget vir. In diebus eius redimetur populus eius, & in annis eius requiescent simul tribus Israël : huius terror irruet super populos, & cædes eius prævalebit in Philisthæis : Tanquam serpens & coluber quiescet in via, tanquam aspis insidiabitur in semita : interficiet robustos in castris Philistæorum, equites cum peditibus : enervabit equos eorum & quadrigas, & deiyciet ascensores eorum retrorsum. Redemptionem tuam expectabo Domine.*

122 DAN *iudicabit populum suum, sicut & alia tribus Israël.* Alluditur ad nomen Dan, significans iudicare seu vindicare : nam Rabbi Salomon sic interpretatur : Vltionem capiet populi sui de Philistæis, vt cum dicitur : *Dominus iudicabit populum suum.* Ex hoc vaticinio & superioribus atque posterioribus quibusdam apparet agnominatione vocabulorum in his oraculis edendis delectatum esse Iacob. *Sicut & alia tribus in Israël.* Et multis aliis tribubus fuère, Iudices populi Hebræi, præter quatuor, Ruben, Simeonis, Gad & Aser. Putat quidem Caietanus Iepthe, qui Iudex fuit, de Gad fuisse : sed similius verò est fuisse eum de tribu Manasse, siquidem is fuit (vt traditur in libro Iudicum) de Galaad, quæ terra cecidit in sortem Manassis, vt habes Iosue 17. Nam Barach, quem inter iudices ac Duces populi Hebræi censet Samuel primo Regum, fuit de Tribu Nephtali. *Deut. 32.* *Iudic. 11.* *Ex qua tribu fuerit Iephte.*

123 FIAT *Dan coluber in via, cerastes in semita, &c.* Illud, fiat, more prophetico positum est pro, fiet, vel erit. Hæc autem verba nonnulli existimant facere ad vituperationem tribus Dan, quasi ea futura esset valde astuta, insidiosa, fallax & serpentina malitia pollens, cuius rei nonnullum extat argumentum in libro Iudicum, cap. 18. Sed verius dictu fuerit, ea verba referri ad Samsonem : qui comparatur colubro & cerasti, vt significetur quàm is fuerit terrificus & formidandus hostibus. Quemadmodum enim nemo audet ingredi per eam viam, & semitam quam scit à venenatis fæuisque serpentibus obsideri : ita populum Hebræum duce ac propugnatore Samsone, nullos hostium audebat infestare : aut quia, sicut serpentes latent in viis, & inopinatò aggressi hominem feriunt mortiferè, ita Samson incautos nec opinantes aggressus hostes, magnas sæpe eorum strages edidit.

124 COLVBER Hebraicè dicitur, *nachash*, à verbo *nachash*, quod significat augurari seu incantare, vel quia serpentes norunt incantatorum artes & voces effugere, vt de aspide proditum est Psalmo 57. aut quia per ipsum auguria & incantationes fieri solent. De Ceraste vide Plinium lib. 8. cap. 23. Est autem Cerastes, genus serpentis (auctore Solino cap. 30.) præferens quadrigemina cornicula, quorum ostentatione velut ad escam illectas aues perimit : nam reliqua corporis tegens arenis, nullum sui præbet indicium, nisi ex ea parte qua inuitatis ad pastum auibus necem affert. B. Hieronymus pro Ceraste legit Basiliscus seu Regulus. *Mordens vngulas equi, vt* *Plinius. Solinus. Cerastes quale animal.*

cadat ascensor eius retro. Significatur astutia eius serpentis etiam quos non tangit interimentis, sicut serpens mordens calcaneum equi, nec tangens equitem, deiicit tamen ipsum in terram & occidit. Spectat autem hæc oratio ad extremum facinus Samsonis, omniúmque factorum eius celeberrimum: cum columnas theatri quod Philistæorum principibus erat completum demolitus, tria millia eorum tuina oppressa simul ipse occumbens interfecit.

Iudic. 16.

SED illud quod sequitur perobscuram habet sententiam. *Salutare tuum expectabo Domine.* Hebraicè ad verbum est, salutem, Chaldaica paraphrasis habet, redemptionem. Alij, Saluatorem. Veruntamen perobscura est hæc sententia: & argumentum magnæ obscuritatis, est multiplex interpretandi eius ratio à Doctoribus excogitata. Oleaster tres huius loci expositiones ponit, sic enim scribit. *Quemadmodum solent senes & ægroti inter verba emittere suspiria, ita Iacob fecit, qui fessus inter tot verba, vocem illam emisit ad Deum: Salutem tuam expecto Domine, idest, Spero quod sanabis me, aut, Sana me Domine, quoniam salutem tuam spero. Si verò sententiam cùm præcedentibus iungere vis, tunc sensus erit: Quoniam hanc tribum Dan serpentina malitia præditam fore video, spero Domine vt me salues ab ea, quemadmodum de Simeone & Leui dixerat: In consilium eorum non veniat anima mea. Prior tamen expositio mihi magis germana litera videtur. Est & tertia: Salutem tuam expecto Domine, vt scilicet hæc mea vaticinia impleantur per Messiam qui est salus tua.* Sic Oleaster. Verum has interpretationes esse perquàm leues, vel me non dicente per se lector intelliget.

Locus perobscurus. 125

Oleastri tres expositiones.

ALII existimant hæc verba Iacob continere precationem qua vsus est Samson, cum siti admodum fatigatus ac propemodum moribundus potum à Deo postulauit. *Sitiens valde Samson,* inquit Scriptura, *clamauit ad Dominum, dicens: Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, & en in siti morior, incidamque in manus inimicorũ istorum, &c.* Vel potius verba illa referri debent ad nouissimas preces Samsonis, vt est in eodem libro capite decimo sexto. *Samson,* inquit Scriptura, *inuocato Domino, ait, Domine Deus memento mei, & redde mihi nũc fortitudinem pristinam, vt vlciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum vnam vltionem recipiam.*

Quarta expositio. 126

Iudic. 15.

BEATVS Hieronymus, eúmque secuti Rupertus, Lyranus, aliíque complures putant Iacob prophetico spiritu contemplantem eximias & admirandas virtutes Samsonis clarissimaque facinora, incidisse in eam cogitationem, num fortè Samsom futurus esset Messias. Verùm quia intellexit eum post mortem non statim ad vitam rediturum, & post eius principatum nihilominus Hebræos ductum iri in captiuitatem, liquidò agnouit nequaquam illum fore Messiam. Et idcirco protinus exclamauit, *Salutare tuum expectabo Domine.* quasi diceret, Alium ego expecto Saluatorem populi mei, quàm vel Gedeonem vel Samsonem. Adest huic expositioni

Quinta expositio. Hieronym. Rupertus. Lyranus. 217

That

Thargum Hierosolymitanum, in quo sic est ad verbum hoc loco: *Dixit Pater noster Iacob, Non expecto redemptionem Gedeonis quæ est salus temporalis, neque redemptionem Samsonis quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Messiæ filij Dauid, quid venturus est, vt adducat filios Israël, cuius redemptionem expectat & desiderat anima mea.* Sic ibi: eadémque itidem habentur in paraphrasi Chaldaica editionis Complutensis.

128 HANC interpretationem minimè probabilem esse censet Paulus Burgensis hoc loco: Non enim talis vel dubitatio, vel etiam suspicio Iacobi animum subire potuit: ei nempe notum erat, & ipse paulò ante significauerat Messiam futurum de tribu Iuda: non igitur Samson, qui erat de tribu Dan, Messias esse poterat. Ac licet maxime roboris fuerit Samson, haud magni tamen consilij & prudentiæ fuit, & quædam gessit satis inconsultè atque imprudenter, quæ in Messiam cadere non potuissent. *Paulus Burgensis.*

129 EST alia quædam huius sententiæ interpretatio, Iacob secutum esse morem Prophetarum, qui quoties loquuntur de persona aliqua, vel de re quapiam, quæ illustrem venturi Messiæ similitudinem & imaginem gereret, repentè in eius vel desiderium vel præconium, vel rerum ad ipsum vaticinium pertinentium prorumpere solent. Samson porrò decem rebus Messiam mirificè præfiguravit. Primò conceptio Samsonis, vt etiam Christi, fuit diuinitùs per Angelum parentibus nunciata. Secundò fuit Samson Nazaræus, id est, consecratus Deo ab infantia vsque ad mortem, nihil immundum aut quod inebriare posset bibens vel commedens: neque nouacula ascendit super caput eius: *Et erunt puer*, inquit Scriptura, *Et benedixit illi Deus.* Tertiò duxit vxorem gentilem contra voluntatem parentum, prætérque fas legis Mosaicæ, verùm Dei consilio & instinctu. Quartò robur eius & fortitudo dicitur fuisse in capillis, præsertim verò in septem crinibus. Quintò leonem in se ferociter irruentem manibus suis in fruſtra discerpsit. Sextò asini maxilla occidit mille Philistæos. Septimò petendi à Deo potum ex maxilla asini ad bibendum, aqua scaturiuit. Octauò conclusus intra ciuitatem ab hostibus media nocte surgens, euulsas cardinibus fores ciuitatis cum postibus & seris in apicem montis, humeris suis deportauit. Nonò trecentas vulpes caudis inuicem colligatas cum facibus incensis immisit in areas Philistinorum, quæ non segetes tantùm omnes, sed etiam vineas & oleas incendio perdiderunt. Decimò duas columnas, quibus domus Philisteorum principibus completa sustinebatur, suis manibus apprehendens atque conquassans de molitus est, eàque ruina moriens ipse plures hostium quàm dum vixerat, interemit. Iacob igitur dum vaticinabatur de Samsone quod is multiplicem ferret similitudinem Messiæ, flagrans aduentus eius desiderio & expectatione, orationem suam eripuit in illa verba: *Saluare tuum expectabo Domine.* *Sexta expositio.* *Samson decē rebus figurat Messiā.* *Iudic. 13. 14. 15. & 16.*

Septima expositio.

NEC mihi non illa placet huius sententiæ interpretatio, Iacob lumine prophetico vidisse quo tempore populus Hebræus vehementer ab hostibus Philistæis vexandus erat, missurum Deum eo tempore Samsonem, virum fortissimum, qui afflictis rebus subueniret, & firmissimum Hebræis aduersus hostes quasi propugnaculum & præsidium futurus esset: nec eo tantum tempore id facturum Deum, sed quotiescunque illi magnis in periculis & angustiis versarentur, si piè ac fidenter ad misericordiam Dei, præsidiumque confugerent, missurum Deum, qui eos periculis & malis eriperent, & ab hostibus defenderent: quod sæpe factum esse, liber Iudicum ostendit, tales enim fuere Othoniel, Gedeon, Iephte, aliique, quos propterea in eo libro Saluatores esse appellatos legimus. Iacob igitur hæc animo prospicientem atque contemplantem, ex occasione Samsonis, de quo præcedentia vaticinatus erat, generalem illam sententiam pronuntiasse: *Saluare tuum expectabo Domine*, quasi diceret, non tantum in illa persecutione Philistæorum quos profligabit Samson, sed in omni alia persecutione hostili expectabo: id est, populus meus cuius ego caput sum (nam loquitur de populo Hebræo sub nomine suo) expectabit vel expectare debebit salutare tuum, id est, abs te vel salutem, saluationem & redemptionem, siue saluatorem. Ac mihi quidem hæ duæ postremæ interpretationes secundum literalem sensum videntur omnium probabilissimæ. 130

Octaua expositio de Antichristo, & an ille futurus sit de tribu Dan.

RESTAT vltima interpretatio multis probata celebratáque: quæ hoc vaticinio dixit Iacob de tribu Dan, non tam ad Samsonem pertinere quàm ad Antichristum etiam secundum sensum historicum, vel certè secundum mysticum intra corticem illius historiæ inclusum, & à Spiritu sancto principaliter intentum. Sumunt autem istius expositionis auctores quasi certum de tribu Dan futurum Antichristum. Hoc incertum esse dixit Tostatus: sed Oleaster longiùs procedens, etiam fabulosum esse ausus est dicere, sed quale obsecro est vetustissimam, in populo Dei traditionem, plurimorum atque in primis nobilium scriptorum auctoritate firmatam scriptisque proditam, tanto fastidio ac supercilio reiicere? quanto cautior hoc loco Caietani fuit opinio, qui licet hoc non vt planè certum atque indubitatum dicat, eo tamen posito asseueranter dicit & euidenter ostendit eiusmodi expositionem cum sententia verborum Iacob aptissimè congruere. 131

Tostatus. Oleaster. Caietanus. Irenæus. Hippolyt. Ambros. August. Prosper. Theodor. Gregor. Andreas. Cesariensis. Areta. Aymo. Richard. Anselm.

HOC igitur vaticinium Iacob de Dan intellexerunt atque interpretati sunt de Antichristo Irenæus lib. 5. aduersus hæreses, Hippolytus martyr in Oratione de consummatione sæculi, Ambro. in lib. de Benedictionibus Patriarcharum, cap. 7. Aug. quæst. 22. in Iosue, Prosper lib. de promissionibus & prædictionibus Dei, parte quarta, Theodoretus quæst. vlt. in Genesim, Gregorius lib. 30. Moralium, c. 18. Denique super cap. 7. libri Apocal. Andræas Cæsarien. & Areta, Haymo, Richardus, Anselmus, Rupertus & complures alij. Cum 132

enim

enim eo loco Ioannes recensitis omnibus aliis tribubus Iudæorum, solam in ea tribuum enumeratione prætermiserit tribum Dan, id feciſſe Ioannem dicunt Patres in odium ac deteſtationem Antichriſti, quem ex tribu Dan futurum eſſe cognouerant.

133 NEQVE obeſt huic Patrum opinationi quod apud Ioannem eo loco in commemoratione tribuum etiam tribus Ephraim præterita videatur: non enim præterita eſt, ſi quis rem paulo attentius conſideret, ſed ea ſignificata eſt per tribum Ioſeph. ſiquidem non alia erat tribus Ioſeph, quàm tribus Ephraim & tribus Manaſſe. Cum igitur diſtinctè nominata ſit tribus Manaſſes, conſequens eſt, eam quæ appellatur tribus Ioſeph, nō aliam debere intelligi, quàm tribum Ephraim, verùm vtcunque ſit, Antichriſtum eſſe futurum de tribu Dan, licet ex ſacra Scriptura non poſſit euidenter oſtendi, attamen propter antiquiſſimam eius rei traditionem, & tot ac tantorum Patrum conſenſum, fidem meretur.

134 CÆTERVM quomodo verba huius prophetiæ in Antichriſtum competant, & Theodoretus quæſtione vltima in Geneſim, & S. Gregorius libr. 30. Moralium fusè oſtendunt, nos hic ſummatim comprehendemus. *Dan iudicabit populum ſuum.* Antichriſtum qui ex tribu Dan futurus eſt, vt regem ſuum primi omnium ſtudiosè ſequentur Hebræi. *Erit autem ſicut coluber in via, & Ceraſtes in ſemita.* Per viam ſignificantur filij huius ſeculi, latam voluptatum & vitiorum viam tenentes, iſtis erit Antichriſtus quaſi coluber in via, id eſt peſtifera doctrina venenum erroris & impietatis lenociniis & blanditiis voluptatum imbutum eorum animis infundet. Per ſemitam ſignificantur homines arctioris & ſeuioris vitæ: aduerſus quos inſurget Antichriſtus vt ceraſtes quadrigemina cornua ferens: Similiter Antichriſtus quatuor maximè rebus ſectatores ac profeſſores virtutis & pietatis ſeducere conabitur, primum ſimulatione ſanctitatis, tum oſtentatione ſcientiæ & eloquentiæ, deinde mirabilitate prodigiorum quæ faciet: ad extremum terrore potentiæ ſuæ, ac tormentorum quibus aduerſantes ſibi cruciabit, immanitate. *Theodoretus Gregorius.*

135 MORDENS *vngulus equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Equus, animal eſt magni faſtus & ambitionis, & alacre ad bella: qua re mundum hunc deſignat: calcaneus equi, extremum eſt mundi tempus quo venturus eſt Antichriſtus: mordere calcaneum equi, eſt nouiſſimo illo mundi æuo atrociſſimam perſecutionem concitare: aſcenſores equi, Principes ſunt mundi bonis & delitiis eius affluentes, quos facilius cæteris in ſuam ſententiam & obſequium pertrahet Antichriſtus, Retrorſum cadere, in ſolos conuenit reprobos. Cadunt ſane boni aliquando, ſed in faciem ſuam: nam etſi nonnunquam labuntur, lapſum tamen ſuum agnoſcunt: & ſeriò pœnitentes erati, ſeſe proſternunt coram Deo, peccatum ſuum amarè flentes & dicentes cum Dauide: *Peccatum meum contra me eſt ſemper*: Mali verò *Aliter bonos labi atque improbos.* *Pſal. 50.*

verò retrorsum cadunt, nam neque quid quantúmve peccauerint considerant aut æstimant, neque de resipiscendo ac resurgendo per veram
Prou. 4. pœnitentiam curant. Impius nempe, vt dixit Salomon ambulat, & nescit vbi corruat.

SALVTARE *tuum expectabo Domine.* Iacob præuidens Iudæos 136
pro Messias recepturos Antichristum, sicut illis prædixerit Dominus noster Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: alius veniet in nomine suo, & illum recipietis.* Illum alium quem recepturi sunt Hebræi, Antichristum fore interpretati sunt Patres. Hoc igitur prouidens Iacob, & toto animi sensu abominatus, exclamauit. Absit hoc à me, non ego Antichristum recipiam, sed cum ille venerit, tum ego expectabo Saluatorem, aduentus enim Antichristi, erit prænuntius appropinquantis Christi ad iudicium: quo enim tempore Antichristus maxime desæuiet, veniet de cœlo Christus, & impium illum interficiet Spiritu oris sui, vt scribit Paulus. Quamuis igitur tempus An
2. Thess. 2. tichristi propter eius persecutionem tristissimum & acerbissimum erit, hoc tamen afferet solatij Sanctis, quod scient in proximo esse aduentum Domini.

Locus Deuteronom. cap. 33. CONCLVDAM hanc prophetiam de Dan, si adiecero breuissimam expositionem eorum verborum, quibus Moses benedixit tribui 137
Dan, quæ verba Mosis trigesimo tertio capite Deuteronomij sic habent: *Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.* Sic quoque vertit Pagninus. Sed alij pro illo *fluet de Basan* censent ex Hebræo vertendum: Exiliet, vel, prosiliet: & verò ita verterunt Septuaginta. Horum verborum duplex est interpretatio. Altera est Lyrani & Caietani: *Describitur*, inquit Caietanus, *situs sortis Dan, in ea nempe ciuitate quæ dicebatur Lachis, quam Danitæ de tribu sua appellauerunt Dan, vt prodiit est in libro Iudicum capite decimo octauo. Aiunt enim esse ibi fontem principium fluminis Iordanis, qui fons subterraneo meatu fluit ex quodam alio fonte qui est in terra Basan, & propterea dicitur quod Dan saltabit de Basan. Aqua enim scaturiens in vno fonte, quæ occulto meatu procedens inuenitur scaturiens in alio fonte, dicitur saltare de loco ad locum.* Ita Caietanus, similia scribit Lyranus.

HANC interpretationem valde adiuuat paraphrasis Chaldaica quæ sic habet eo loco: *Dan fortis sicut catulus leonum, terra eius irriga-* 138
tur à torrentibus qui fluunt de Mathanan. Appellat Chaldæus paraphrastes terram Basan Mathanan, non solum ibi, sed vbique. Cuius
Masius. appellationis causam inuestigans Masius super caput duodecimum Iosue, suspicatur eum litteram *Mem* posuisse pro *Beth*, quod etiam apud Græcos non est insolens, aut fortassis quia eius interpretis tempore sic vulgo appellaretur: Iam verò *Schin* in *Tau* conuer-
Eusebius. tere, vsitatissimum est Chaldæis & Syris. Meminit quidem Eusebius in libro de locis Hebraicis vrbis Mathanam, sed locatæ ad Arnonem, id est, extra Basanitidem. Quod autem suprà dictum est Iordanis fontem fuisse in Dan, confirmant Hebræi qui hanc esse

aiunt.

aiunt explicationem vocabuli Iordanis, *Iored min Dan*: id autem est fluens ex Dan. Is locus postea nominatus est Panæas, sed Philippus Tetrarcha tempore Saluatoris nostri instauratam vrbem de-Cæsaris & suo nomine Cæsaream Philippi appellauit, quæ abest à Sidone versus Orientem millia passuum circiter trigintaquinque, & quia versus Septentrionem habet à tergo montem Libanum, quo terminabatur Chananæa regio, propterea sæpe in sacris litteris Dan pro termino Terræ Sanctæ Aquilonari dicitur, sicut Bersabea pro Australi.

39 ALTERA interpretatio est: in regione Basan robustissimos & rapacissimos fuisse leones, qui ex insidiis & improuisò sæpe in homines & iumenta prædæ causa exiliebant, Danitas igitur comparati leonibus prosilientibus ex Basan, quo significatur eos fore audaces, robustos, bellicosos violentósque & prædæ auidos pariter ac rapaces. Verum pergamus ad alia.

SEPTIMA PROPHETIA
DE GAD.

Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum. VERS. 19.

40 NON multum differt à sententia nostræ lectionis Paraphrasis Chaldaica quæ sic habet: de domo Gad castra armata erunt, quando transibunt Iordanem ante fratres suos, ibunt ad bellum, & cum multa substantia reuertentur in terram suam. Ita verterunt Septuaginta: Gad, tentatio tenabit eum & ipse tentabit eum iuxta pedes. Beatus Hieronymus refert hanc lectionem: *Gad latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantã*, Pagninus hoc modo transtulit: *Gad exercitum succidet, & ipse succidet calcaneum.* Secundum Montanum sic legitur: *Exercitus superabit eum, & superabit*, tandem secundum Oleastrum, *Gad exercitus exercitabit eum, & ipse exercitabitur in fine, seu à tergo.* Et sensus est: Licet magnam difficultatem experturi sint Gaditæ in debellandis Chananæis, ad extremum tamen eos debellabunt & eiicient de terra ad quam obtinendam prægredientur ipsi reliquos fratres suos. Videtur autem hic alludi ad nomen Gad, quod significat congregare exercitum. Illud, *accinctus*, significat armatum vel expeditum & ab omnibus impedimentis vxorum, liberorum, gregum, armentorum, cæteræque suppellectilis domesticæ vacuum: nam hęc omnia Gaditę dereliquerunt ante transitum Iordanis in terra regum Og & Sehon, quam illis assignauerat Moses in possessionem. Ac

licet id commune fuerit illis cum Rubenitis & media tribu Manasse, attribuitur tamen Gaditis, quia Iacob voluit Ruben tantùm increpare & incusare ob scelus admissum. De Manasse verò sicut etiam de Ephraim nullum verbum hic facit Iacob, sed de solo Ioseph loquitur qui fuit eorum pater. Illud porrò quod sequitur: *Et ipse accinget retrorsum*: Hebraicè hanc reddit sententiam: *ipse ducet exercitum in vestigio seu per vestigia, vel retro siue à tergo.* Id autem est, Postquam Gaditæ deuicerint Chananæos & terram eorum fratribus suis subiecerint, tunc ipsi per eadem vestigia seu per eandem viam reducent exercitum suum redeuntes in suam hæreditatem.

Caietanus. VERVM excutiamus sententiam nostræ lectionis. Putat Caieta- 141
nus quæ hic dicuntur, referri ad Iephte, qui fuit primò dux latronum, tum electus Dux ab Hebræis expeditus pugnauit contra Ammonitas: deinde coactus est etiam pugnare contra tribum Ephraim: lege historiam eius in libro Iudicum, cap. 11. Probat autem Caietanus eum fuisse de tribu Gad, quod in capite quinto prioris libri Paralippomenon scriptum sit, Gaditas habitasse in Galaad & in Basan, Iephte verò fuisse ex Galaad, docet liber Iudicum capite vndecimo. At enim similius verò est fuisse eum de tribu Manassis: siquidem in libro Iosue cap. 17. scriptum est terram Galaad cecidisse in sortem Manassis. Hieronymus igitur & plerique alij hanc volunt esse sententiam huius prophetiæ, Gaditas expeditos & armatos ante alias tribus intraturos terram Chanaan, nec dimissuros fratres suos, donec debellatis hostibus possideant illi terram, suæ quisque sorti assignatam: quo facto reuersuros post quatuordecim annos in hæreditatem suam, & grauissima bella cum finitimis sibi gentibus, feliciter tamen gesturos. Quocirca illud, *retrorsum accingetur.* Sic exponitur, armati & acie instructa redibunt, vel onusti prædis opimis magnisq; opibus reuertentur. Reuersio Gaditarum narratur in libro Iosue capite vigesimo secundo. In priori libro Paralippomenon capite quinto illustre Gaditis bellicæ virtutis testimonium perhibetur: appellantur enim viri bellatores scuta portantes, & gladios, & tendentes arcum etuditique ad prælia: & posthæc memoratur celeberrima eorum victoria de Agarenis, parta captis camelorum quinquaginta millibus, ouium ducentis quinquaginta millibus: asinorum verò duobus millibus, hominum denique centum millibus.

An Iephte fuerit de tribu Gad.

Insignis victoria Gaditarum.

Expositio allegorica. SECVNDVM Allegoricum sensum hæc prophetia potest ad 142
Christum applicari. Etenim vocabuli Gad duplex est interpretatio: significat enim accinctum & expeditum, vt interpretatur Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, & quadrat in Christum cui dicitur: *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime*, & rursus *Dominus regnauit, decorem induit, indut Dominus fortitudinem & præcinxit se*: Est autem præcingere, vestes deorsum prolixè demissas attollere, & ad medium corpus apprimere & astringere. Multis porrò de causis sese accingunt vel præcingunt homi-

Psal. 44. Psal. 92.

nes,

nes, vel ad iter faciendum, vel ad saltandum, vel ad currendum, vel ad laborandum, vel ad ministrandum & seruiendum, vel ad luctandum aut pugnandum. Christus erat vestitus longissimis vestibus gloriæ & decoris, sicut dicitur Psalmo 103. *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Christus autem in mundum venit præcinctus vel potius exinanitus, præcisis omnibus huius mundi bonis & voluptatibus, pauper, humilis & passibilis: Sic nempe conueniens fuit nostrum Dauidem posthabitis Saulis armis, accinctum, cum baculo & funda procedere ad certamen contra Goliath. *Cur se præcingant homines.* *Philip.2.* *1.Reg.17.*

143 SECVNDVM alios, Gad significat, exercitum congregare aut ducere: & Dominus noster appellatur Dominus exercituum. Eo nimirum ingrediente in cœlos, interrogantibus Angelis: *Quis est iste Rex gloriæ?* Responsum est, *Dominus fortis, Dominus potens in prælio.* Significat præterea Gad, felicitatem: nam eo nato vixit Rachel feliciter. Et quisnam obsecro felicior Christo? nam qua Deus, felix est secundum essentiam, & auctor omnis felicitatis: qua est autem homo, etiam felicissimus fuit: is quippe ab exordio suæ creationis perfectam habuit felicitatem, quod alij contigit nulli, nec homini, nec Angelo, *Et ipse accingetur retrorsum.* Retro Christum est Ecclesia, quæ eum sequitur, credendo eius doctrinæ, sanctimoniam venerando, admirando prodigia & miracula eius, exempla vitæ morumque imitando, denique post ipsum crucem suam portando. *Psal.23.* *Genes.30.*

144 ECCLESIA verò accincta est & armata, & est terribilis tanquam castrorum acies ordinata, cuius figura fuit lectulus ille Salomonis Canticorum 3. quem ambibant sexaginta fortes ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladium & ad bella doctissimi, vnicuique ensis super femur suum propter timores nocturnos. Figura quoque Ecclesiæ fuit turris illa Dauid quæ describitur Cant. 4. cum in expugnabilibus ædificata propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium. Qualia porrò sint Ecclesiæ arma, præclarè ostendit Paulus 2. ad Corinth. 10. *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes: & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* *Matth.16.* *Cant.6.*

145 ACCIPE paucis sensum moralem. Militia est vita hominis super terram: felix igitur qui semper est armatus & paratus ad pugnam contra tres omnium hominum hostes, Carnem, Mundum, Diabolum. Oportet autem nos accinctos & armatos esse tam ante quàm retro: Antè, vt longe prospiciamus in posterum peccata in quæ labi possumus, & sedulo præcaueamus: Retro autem, propter præterita peccata quæ subinde repullulant & ob longam consuetudinem animum reflectunt & retorquent ad mala semel derelicta. Vel *Tropologia.* *Iob.7.*

accingi retrorsum, est à Deo instrui & armari aduersus insidias & tela inuisibilium hostium, quæ vitari non possunt sine Dei singulari quadam protectione, quam ipse pollicitus est Dauidi dicens: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.* Itaque accinctos nos esse oportet sicut dixit Dominus: *Sint lumbi vestri præcincti*, id est, exolutos atque expeditos ab omnibus omnium terrenarum rerum curis atque cupiditatibus, quæ sunt velut impedimenta & onera, atque vincula quibus si fuerimus implicati ac præpediti, bene præliari non poterimus, quin per ea Dæmō facilius nos capiet & vinctos tenebit.

Psal. 31. *Luc.* 12.

Locus Deut. 33.

RELIQVVM est vt hic quoque breuiter explanemus sententiā 146 eorum verborum quibus Moses benedixit Gad, Deuteronomij 33. ita dicens: *Benedictus in latitudine Gad*: quia latissimam regionem in diuisione terræ Chanaan sortitus possedit, vt patet ex capite 13. Iosue. *Quasi leo requieuit* adeo formidabilis & terribilis erit hostibus vt nullus eum irritare aut lacessere ausurus sit, non magis vtique quàm cubantem leonem. *Cepitq; brachium & vertioem.* Adeo robusti & strenui gladiatores futuri sunt Gaditæ, vt vno ictu caput simul & brachium abscissuri sint. Fortasse est hyperbolica locutio, sicut in libro Iudicum cap. 20. de Gabaonitis scriptum est fuisse eos tam peritos funditores vt numquam ictu aberrauerint ab eo quod sibi feriendum designasset, etiamsi tenuissimus esset capillus. Vel per verticem significantur principes ducesque belli, per brachia verò robusti bellatores & milites: & vtrosque Gaditæ vicerunt atque contriuerunt. *Vidit principatum suum*, cognouit se bellica virtute præstare cæteris, vel hunc habere laudis & gloriæ principatum, quod in sua sorte, Mosis esset sepulchrum, & ideo subditur. *quod in parte sua doctor est repositus.* Vocabulo doctoris per excellentiam significatur Moses, qui sepultus est in monte Nebo pertinente ad sortē Gaditarum, quamuis quo loco eius montis corpus Mosis fuerit conditum, nulli mortalium adhuc compertum fuit. *Qui fuit cum principibus populi*, Gaditæ reliquas tribus transeuntes Iordanem comitati sunt armati, nec eos deseruerunt, quoad illi debellatis hostibus promissam sibi terram possederunt. *Et fecit iustitias Domini & iudicium suum cum Israël.* Quod enim Gaditæ coram Domino, Mosi & reliquo populo promiserant, vt narratur Numerorum 32. id plenissimè eos præstitisse, liquet ex 22. cap. libri Iosue.

Deut. vlt.

***

OCTA

OTAVA PROPHETIA
DE ASER.

Genes. 49.
VERS. 20.

Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus.

147 HEBRAICE eſt, *ex Aſer vel de Aſer.* Vocabulo autem panis ſignificatur omnis cibus & alimentum. Pro pingui Hebraïcum vocabulum ſignificat pinguedinem ex oleo, quaſi propter olei abundantiam, omnis eorum cibatus futurus ſit oleo delibutus: ſimile eſt quod de Aſer dixit Moſes Deuteronomij 33. *Tingat in oleo pedem ſuum:* ſignificans tantum ei ſuperfuturum olei, vt poſſit etiam pedes oleo tingere, quemadmodum ſuprà dictum eſt de Iuda: *Lauabit in vino ſtolam ſuam*: & de ſe Iob dixit capite 29. *Lauabant butyro pedes meos, & petra fundebat mihi riuos olei.* Sequitur in prophetia Iacob: *Præbebit delitias regibus.* Id eſt, Terra eius procreabit res vſque eo delicatas & pretioſas, vt eas ſibi reges tanquam ſummas delitias expetituri, & comparaturi ſint. Alij legunt, *& ipſe fruetur delitijs regum.* ſic vertit Pagninus, & itidem habet paraphraſis Chaldaica. Et ſenſus eſt: Fruetur bonis terræ ſuæ optimis, talibúſque, vt vel ipſis regibus delitiarum loco futuræ ſint, aut eſſe poſſint. Oleaſter refert ad oleum, cuius feraciſſima erat regio Aſeriatum, *Præbebit*, inquit, *oleum ad conficienda pretioſa vnguenta, quibus reges pro ſummis delitijs vtuntur.* Vſus enim vnguentorum apud Principes frequentiſsimus erat in regionibus Orientis, vnde habes in Pſalm. *Oleum peccatoris non impinget caput meum*, & referente Luca Dominus dixit Phariſæo, *Oleo caput meum non vnxiſti.* Vox *Madan*, à vocabulo *Eden* ducta, ſignificat voluptatem & delitias, vel potius rem quæ parit voluptatem aut delitias: namque eſt ſolenne Hebræis vti actibus pro obiectis & contra.

Pſalm. 140.
Luc. 7.
Locus Deut. ca. 33.

148 MOSES porrò Deuteronomij 33. poſtquam de Aſer dixerat, Tingat in oleo pedem ſuum, ſubiungit: *Ferrum & æs calceamentum eius.* Significans terram eius tribus abundantem ac prædiuitem fore venis ferri & æris: cuius rei argumentum eſt Sarepta eius ſortis ciuitas metalis officinis, id eſt, purgandis conflandisque metallis appellata. Quantum porrò frumenti, olei, aliarúmque delitiarum inibi fuerit, proditum eſt ad iis qui ea loca peregrarunt: namque inter alia fertur vallem Aſer incredibilis eſſe amœnitatis omnisque generis fructuum frugúmque fertilitatis. Ioſephus quoque libro quarto de Bello Iudaico ſcribit ciues Giſcalæ, quæ vrbs ſortis fuit Aſeritarum, & ſecundum B. Hieronymum patria beati Pauli, ple-

Ioſephus.
Hieronymus.

róſque omnes fuiſſe agricolas, atque in terrenis fructibus fortunas ſuas omnes locatas habuiſſe, quòd ſanè vbertatis certiſſimum eſt teſtimonium. Subdit præterea Moſes: *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.* Significat Aſeritas fore decoros atque robuſtos non ſolum in iuuentute, ſed etiam in ſenectute. Tulit enim Aſer iuuenes formoſiſſimos virgineſque pulchertimas, & ideo ſuprà de eo dixit Moſes: *Benedictus in filijs Aſer.* Id eſt, omnes laudabunt Aſer propter pulchritudinem & decorem filiorum eius *Et ſit placens fratribus ſuis.* Scilicet propter filiarum pulchritudinem. Quidam tamen ſuperiora verba ſic putant ex Hebræo interpretanda: *Quot dies tui, tot animæ tuæ,* quaſi diceret: Futurum eſt tibi omni tempore cum veteribus poſſeſſionum tuarum colonis perpetuum certamen.

Allegoria. Coloſſ. 2.

ALLEGORIA huius prophetiæ tam commodè quàm quæ maximè, ad Chriſtum applicatur. Aſer ſignificat diuitias, Et quis ditior Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei? quique cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt nos per illum diuites efficeremur. Rectè Ambroſius: Paupertas, inquit, Chriſti nos locuplerat, humilitas glorificat, infirmitas roborat, mors viuificat, ſepultura reſſuſcitat. Et quis eſt panis eius, niſi caro ipſius? quam vocat ipſe panem qui de cœlo deſcendit, qui verè cor hominis confirmat, vt quicunque eum manducat, viuat in æternum. Et eſt ſanè panis pinguis, omnium ſcilicet diuinorum charismatum abundantia refertus: pinguis autem ex oleo, nam præcipua ratio condendi ſacramentum Euchariſtiæ fuit immenſa Dei erga hominem charitas & miſericordia. *Memoriam enim fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Ergo cum Dauide dicamus: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Hic panis delicias præbet regibus, continet enim in ſe omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem. Sed enim deliciæ ſunt non ſeruis peccatorum qui amplexantur ſtercora ſuarum voluptatum tanquam delicias, ſed regibus qui ſuas regunt cupiditates, ita eáſque rationi & legi diuinæ ſubiectas & obedientes tenent, quique canunt illud canticum Apoc. c. 5. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.*

149

1. Cor. 8. Ambroſ.

Ioan. 6. Pſa 103. Ioan. 6.

Pſal 110 Pſal 62. Sap. 16.

NONA PROPHETIA.

DE NEPHTALI.

Nephtali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.

VERS. 21.

Varietas lectionis.

VARIAT lectio huius loci. Septuaginta, referente Hieronymo, ita verterunt *Nephtali: virgultum reſolutum, dans in generatione pulchritudinem*: Vel, vt legit Ambroſius, *virus remiſſum porrigens in germine decorem* Hebraicæ

150

Ambroſ.

braicæ Scripturæ, auctore Hieronymo, hæc est sententia: *Nephtali ager irriguus dans eloquia pulchritudinis, signans quod aqua calidæ in ea nascuntur tribu*, siue quod super lacum Genesareth & fluenta Iordanis irrigua sit. Hebræi volunt propter Tiberiadem quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum & eloquia pulchritudinis prophetari. Quamquam verba Hebræa possunt verti, vt habet Latina lectio *cerua emissus*, quæ denotent temporaneas fruges & velocitatem terræ vberioris. Sed melius fuerit ad doctrinam Saluatoris cuncta referri, quod ibi vel maximè docuerit, vt ex cap. 4. Matthæi, & tertio Marci licet cognoscere. Sic Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim.

151 NOSTRÆ Lectionis Latinæ triplex interpretatio est: quarum prima est Hebræorum existimantium hæc verba spectare ad Barac, qui ex mundato Deboræ vatis simul & Iudicis Hebræi populi, collectis decem millibus ex Nephtalitis tribulibus suis, expedite magnoque impetu instar cerui ad bellum iuit contra regem Chanaan, & Sisaram eius belli ducem fugauit, atque ad interitum compulit. Comparatur igitur ceruo misso propter celeritatem eius in suscipiendo & conficiendo bello. Quod autem sequitur, *Dans eloquia pulchritudinis*: significat pulcherrimum Epinicium carmen ob victoriam partam ab ipso Barac & Debora decantatum. Verum obiicitur huic interpretationi, Barac non promptè & alacriter, sed cunctanter timidè atque ignauè id belli suscepisse: nimirum contestatum, nisi periculi sociam haberet Deboram, in id se belli nequaquam iturum. Cui Debora respondit ituram se quidem cum ipso, verùm non ipsi victoriam sed sibi assignatum iri, quo videtur tacitè timiditatem, ignauiam & tergiuersatiotem eius reprehendere voluisse. Quamquam verba Barac in aliam possent verti & accipi sententiam, vt ea scilicet dixerit Barac, non metu adductus sed religione quadam, quod speraret si Debora fœmina Deo perquam familiaris & cara bello adesset, de victoria nullo modo esse dubitandum. Namque Barac acerrimo animi impetu ad illud bellum contendisse, non obscurè indicant verba illa quæ sunt in Cantico Debore, Iudicum quinto. *Duces Issachar fuere cum Debora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps & Barathrum se discrimini dedit.*

Triplex interpretatio Barac.

152 ALTERA nostræ lectionis interpretatio est significari summam terræ eius tribus fertilitatem & abundantiam, in qua illud etiam singulare erat, quod in illa priusquam in cæteris fructus nascebantur & matureſcebant: & hoc significat similitudo cerui emissi, qui tanta est currendi velocitate & celeritate, vt cursu cæteras animantes facilè antecedat. Et quia ibi fructus ac fruges prius nascebantur, idcirco ex ipsis potissimum deferebantur in templum oblationes primitiarum, propter quas sacerdotes pulcherrimas Deo laudes concinebant. Fauere huic interpretationi videtur paraphrasis

phrasis Chaldaica quæ sic habet hoc loco Nephtali, in terra bona cadet sors eius, & possessio erit fructifera: laudabunt & benedicent super eos.

Andreas Masius.

TERTIA interpretatio est Andreæ Masij in commentariis super capite. 19. Iosue, arbitrantis significari his verbis Iacob, Nephtalitas in tuta atque vbere collocatos regione, exultaturos suaui libertate & delitiarum copia quarum sors eorum referta erat futura similiter nempe vt ceruos, qui in herbosis, amœnisque saltibus liberè versantes pascentésque exsultim ludunt. Quod verò subdit: *Dans eloquia pulchritudinis* denotat Nephtalitas in omni sermone fore comes, blandos, elegantes, affabiles, & humanitatis atque vrbanitatis gratia omnium sibi animos & studia facilè conciliaturos. 153

Locus Deuteron. 33.

CVM hac interpretatione satis congruere videtur quod dixit Moses Deuteron. 33. huic tribui benedicens. *Nephtali*, inquit, *abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & Meridiem possidebit.* Cuius orationis extrema illa verba: *mare & Meridiem possidebit*, eo difficilem habent explicatum, quod Nephtalitæ procul mare Mediteraneo, quod occidentale Iudæis erat, & Meridiæ remoti ad diuersam prorsus partem, Aquilonem dico & Orientem, habitabant Chaldaicus quidem interpres non de mari Mediterraneo, sed de mari Tiberiadis interpretatus est. Verùm illa expeditior & planior est interpretatio, propterea Nephtalitas mare & Meridiem possessuros, dictum esse à Mose, quod licet illi à locis maritimis & meridianis dissiti essent, tamen per societatem & commercium & quod apud omnes gratiosi essent ab aliis tribubus essent participaturi quicquid apud illas boni haberetur. De iis tribus expositionibus, cum omnes sint satis aptæ ac probabiles, eam quisque deligat quæ sibi magis arriserit.

Allegoria. Matt. 4. Esai. 9.

SECVNDVM Allegoricam interpretationem refertur vaticinium ad Christum, qui Euangelium in terra Nephtali prædicare orsus est: vnde doctrina eius quasi ceruus emissus, omnem terrarum orbem incredibili velocitate percurrit: & quia nihil Euangelio pulchrius & lætius, vnde etiam nomen accepit, ideo subditur, *dans eloquia pulchritudinis*, ideſt, pulchra: Christi enim doctrinæ pulchritudo, vbi se ostendit, tantos in hominum animis excitauit & incendit amores, vt quò eam adipiscerentur atque tuerentur, innumerabiles omnia quæ possidebant bona, quin etiam sanguinem ac vitam profundere ac perdere non dubitauerint. Christus porrò rectè assimilatus est veloci ceruo, scilicet de eo scriptum est Canticorum secundo: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis esto dilecte mi capreæ hinnuloq; ceruorum.* Quid autem pulchrius Christo, cuius & formæ & eloquij pulchritudinem prædicauit illis verbis Dauid Psalmo quadragesimo quarto. *Speciosus forma præ filijs hominum. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in* 154

æternum.

æternum. Mira verò & inenarrabilis suauitatis plena de Christi formæ, vocis & eloquiorum pulchritudine sub figura Sponsi, in Canticis celebrat Sponsa.

DECIMA PROPHETIA
DE IOSEPH.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu. VERS. 22.

155 VEMADMODVM suprà Iacob in filio suo Iuda, ita nunc in Ioseph copiosus est laudum eius prædicator. Namque & illum prophetico spiritu sciebat principem futurum populi Hebræi patrémque Messiæ: & hunc eodem spiritu nouerat caput fore duarum tribuum, multorúmque ducum ac principum Hebrææ gentis parentem, multis item rebus ipsius Messiæ figuram. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens*. Manifestè alluditur ad nomen Ioseph, significãs incrementum, cuius magnitudo denotatur geminatione eiusdem sententiæ. Vehementer sanè Ioseph auctus est: nam & in se ipso prouectus est ad principatum non modo fratrum suorum, sed etiam totius Ægypti: & auctus est in sua progenie ac posteritate, quippe quæ duas numerosissimas tribus Israël tribum dico Manassis Ephraim, amplexata est. Pagninus vertit: *Ioseph vt ramus crescens*. Montanus: *Ioseph filius fructescens*. Ratio huius varietatis est, quia vox Hebræa, *ben*, filium quidem significat: verùm cum non iungitur cum relatiuo reali, vt dicunt Hebræi, id est, cum voce patris vel matris, alias habet varias significationes, & dicitur de paruulo vel paruula in variis rerum generibus. Hic, secundum Kimki, significat ramum, & est fœminino genere. Est autem ramus quasi filius arboris.

156 PRO eo autem quod Latina lectio habet, *decorus aspectu*, Hebraicè est, *super vel iuxta fontem*, est enim integer sensus, Ioseph auctum iri ad similitudinem ramosæ arboris propter fluenta aquarum satæ: cuius arboris fertilitas describitur Psalmo 1. & Ieremiæ decimo septimo. Et hanc sententiam expressit paraphrastes Chaldæus his verbis: *Filius meus Ioseph multiplicabitur tanquam vitis quæ plantata est ad fontes aquarum: duæ tribus egredientur de filijs eius, & accipient partem atque hæreditatem*. De pulchritudine autem Ioseph scriptum est suprà capite 39. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectu*. Fit autem mentio eius pulchritudinis, quod ea fuit illi magna occasio tentationis & afflictionis, simulque materies ingentis gloriæ.

CÆTERVM tota hæc prophetia de Ioseph apertissimè & aptissimè secundum mysticum sensum ad Saluatorem nostrum accommodatur. Et quidem Ioseph multiplicem Christi domini prætulit figuram & imaginem: fuit ille Patri super omnes filios dilectus: fuit ab eo veste polymita indutus: venditus est à fratribus suis: ex seruitute atque carcere euectus ad summam dignitatem ac potentiam: orbem à fame liberauit, & Ægypti Saluator appellatus est. Rectè autem dicitur Christus, filius accrescens, quippe qui super omnes potentia, sapientia, gratia & gloria creuit, de quo dixit Baptista: *Illum oportet crescere, me autem minui*: cuius auctus figura fuit lapis ille Danielis ca. 2. à primo quidem paruulus, sed mox in tantam excedens amplitudinem, vt omnem terram impleuerit, fuitque Dominus similis grano sinapis quod minimum est olerum, verùm in tantum crescit, vt prope adæquet magnitudinem arborum. 157

Allegoria. Ioseph figura Christi. Genes. 37. Ibidem. Infra. 39. 40. 41. Ioan. 3. Matth. 13.

VERS. 23. *Filiæ discurrunt super murum, sed expectauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderúntque illi habentes iacula.*

PRO illo *Filiæ discurrerent*, Hebraicè est, *filiæ incedebat*, in numero singulari, quia more Hebraico fit distributio in singulis, vt si dicat, Quælibet puellarum deambulabat per murum, vel per alia loca vnde pulchritudinem Ioseph videre possent. Putat Rupertus hoc referri ad dominam Ioseph, posito numero plurali pro singulari, quæ amore eius capta, vbique eum videre gestiebat. Verbum discurrendi significat mulierem vagam atque petulantem, & per loca publica pererrantem, qualis describitur Prouerbiorum septimo. Pro illo: *Exasperauerunt*, Hebraicè est, *amaricauerunt eum*: & pro *Inuiderunt*, Hebraicè est, *odio habuerunt*: Pro *habentes autem iacula*, Hebraicè est, *domini sagittarum*, quæ locutio frequens est Hebræis etiam aliis in rebus, veluti: domini alarum, & domini pennarum dicuntur volatilia & pennata. Sententia horum verborum clara est: pertinet enim ad inuidiam & odium quo fratres Ioseph insectabantur ipsum, adeo vt, vt sicut legitur suprà capite trigesimo septimo, non possent illi quicquam pacificè loqui. & cum procul viderunt illum, dixerunt: *Ecce somniator: venite, occidamus eum, & videamus quid prosint ei somnia sua.* Iacula verò appellat verba dura & aspera atque mortifera, quibus illum confodere & perimere voluerunt. Alij interpretantur hoc de domino & domina Ioseph, qui eum innocentem asperrimè tractarunt detrudentes in carcerem. Moris autem est in sacris literis verba dura, pernicioſa & exitialia, Per similitudinem nominare 158

Rupertus. Genes. 29.

iacula

iacula aut sagittas, vt in Psalmis : *Sagitta acuta lingua eorum.*

159 QVOD si mysticam huius sententiæ scrutemur intelligentiam, per filias discurrentes super murum, non ineptè intelligemus animas sanctas veteris Testamenti, quæ cupientes animo videre pulchritudinem venturi Messiæ discurrebant super murum, id est, longè transcendebant humanam cognitionem quæ originem & fundamentum habet in sensibus corporis. Est enim corpus humanum quasi murus vndique circundans & concludens animum: isti igitur spiritu prophetico pulchritudinem Messiæ perspectam habentes, eum videre cupiebant, sicut Dominus dixit : *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis*, & de Abraham, *Exultauit*, inquit, *vt videret diem meum: & vidit & gauisus est.* Fuisse autem Dominum à Scribis & Pharisæis ex odio & inuidia vehementer exacerbatum, vel vt est Hebraicè, amaricatum, id est, fœdissimis iniuriis & blasphemiis onustum vexatúmque, quin etiam felle amarissimo potatum, docet historia Euangelica: Linguæ autem eorum fuerunt iacula, quibus Christum ipsi, si nō manibus suis, certè votis & clamoribus crucifixerunt, cùm tam instanter efflagitabant à Pilato, *Tolle, tolle, crucifige eum.* *Psal. 56.* *Psal. 54.* *Allegorica.* *Matt. 13.* *Luc. 10.* *Ioan. 8.* *Ioan. 19.*

Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob. VERS. 14.

160 LICET fratres Ioseph extremis eum malis opprimere voluerint, Deus tamen ea mala in maximum illius bonum gloriámque conuertit. Ergo sensus est, *Arcus eius*, id est omne robur & præsidium eius, *sedit*, id est, locatum fixúmque fuit, *in forti*, hoc est, in Deo, de quo scilicet scriptum est : *Quis similis tui in fortibus Domine?* nam esse fortem, est proprium Dei epithetum, de quo & solet ipse frequenter gloriari & à sanctis vehementer commendari. Quoniam igitur omnem fiduciam auxilij & præsidij sui Ioseph in Deo posuerat, idcirco omnia vincula quibus ipse vel à fratribus vel ab Ægyptiis constrictus fuerat, dissoluta sunt. Pro quo Hebraicè est, roborata sunt brachia eius: & significatur annulus aureus, & armilla & currus & alia principalia ornamenta quibus à Pharaone ornatus & decoratus est, vt narrat Scriptura Geneseos 41. Atque huc spectauit paraphrastes Chaldæus sic hunc locum interpretatus : *Quia seruauit legem in occulto, posuitque Fortem fiduciam suam, tunc positum est aurum super brachia eius, prosperatique regnum & confirmauit.* Hoc ipsum expressè dictum est in Psalmo centesimo quarto. *In seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus animam eius, ferrum pertransiit* *Exod. 15.*

animam eius donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum misit rex & soluit eum, princeps populorum & dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ: vt erudiret principes eius sicut semetipsum & senes eius prudentiam doceret. Similia horum traduntur in capite decimo libri Sapientiæ : *Sapientia*, inquit, *venditum Ioseph non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni & potentiam aduersus eos qui eum reprimebant, & mendaces ostendit qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Hæc ibi.

Inde pastor egressus est, lapis Israël.

ILLVD (*Inde*) tripliciter exponitur, Primò quidem, vt 161
referatur ad vincula & carcerem Ioseph, quibus ille solutus & ad principatum assumptus pastor fuit Ægypti, dira fame eum liberans sua prudentia. Et (*lapis Israël*) id est, firmamentum domus suæ, quippe qui patrem & fratres suos non tantùm famis tempore aluit, verùm etiam in optima Ægypti terra collocatos, quoad ipse vixit, & post mortem suam fama nominis sui longo tempore sustentauit. Alij illam vocem *Inde*, referunt ad Ioseph, interpretantes Iacob his verbis prædicere prodituros ex stirpe Ioseph, qui sint pastores & lapides Israël, id est, Duces, Iudices ac Reges. Ex Io-
3. Reg. 12. seph enim progenie fuerunt Iosue, Debora, Gedeon, Abimelech, Iephte, Iair, & duo reges decem tribuum, Ieroboam & Nadab: postquam verò diuisum est ac separatum regnum Israël, id est, decem tribuum à regno Iudæ caput regni Israël fuit Ephraim. Tertio modo illud (Inde) sic exponitur, vt referatur ad manum & auxilium Dei fortis, cuius mentio proximè antecesserat: & significetur, quia Ioseph omnem suam spem in vno Deo locauerat, idcirco non modo eum cunctis malis & calamitatibus esse liberatum, sed insuper in tantam esse gloriam & potentiam elatum, vt non tantùm populi sui, sed aliarum quoque gentium pastor ac lapis existeret. Huic interpretationi adhæsit paraphrastes Chaldæus, hanc sententiam ita exprimens: Hoc contigit ei à conspectu Dei fortis Iacob, cuius verbo cibauit parentes & filios, semen Israël.

OBSERVARVNT Hebræi vocabulum (*Euen*) pro quo Latinè 162
est, *lapis*, esse vocem mysticam, quia occultè & inuolutè continet duas dictiones: dicitur enim, Euen, quasi, au, & ben, id est, pater & filius, Et verò Ioseph fuit lapis, qui sustentauit & patrem suum, & omnes eius filios fratresque suos. Ad hunc locum spectat quod est de Ioseph in capite 49. libri Ecclesiastici: *Ioseph*, inquit, *princeps fuit fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Rectè autem

autem principes & rectores populorum, appellantur pastores: debent enim ita regere populos suos vt pastor proprias oues: id quod Aristoteles libro octauo Ethicorū firmat auctoritate Homeri, qui Agamennonem bonum scilicet iustúmque regem appellauit pastorem populorum. Iam verò quàm apte conueniat in Christum dominum vocabulum Pastoris & lapidis, notius est quàm vt Lectori opus sit admonitionem nostra, nedum explicatione. *Aristoteles.*

Deus patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ. VERS. 25.

163 ILLVD *Deus patris tui*, significat Deum fore adiutorem eius tum propter propria eius merita, tum maximè propter merita patris sui: Illud, *Omnipotens*, Hebraicè est (Shaddai) quod significat robustum & fortem, à verbo (Shadah) quod est prædari & rapere. Est autem nomen hoc vnum de decem nominibus quibus apud Hebræos Deus vocatur: quæ nomina strictim exposuit B. Hieronymus Epistola 136. quam scripsit ad Marcellam, vbi nomen *Shaddai* interpretatur robustum, & ad omnia perpetranda sufficientem, quanquam Oleaster putat eo nomine hoc loco potius significari beneficum seu munificum. Verba porrò quæ sequuntur, continent benedictionem Ioseph in abundantia omnium terra nascentium, & in fœcunditate animalium ac filiorum. Ad efficiendam verò copiam eorum quæ terra nascuntur duo maximè concurrunt & conferunt, supernè quidem cœlum, infernè autem abyssus deorsum iacens, cœlum dico tam astriferum, vnde lumen, calor, variíque siderum aspectus & defluxus, quàm cœlum aëreum, vnde imbres, venti, niues, rores. Per abyssum autem iacentem deorsum, intelligere oportet molem terræ & aquæ, quæ se se inuicem complexæ vnum globum efficiunt iacentem circa mundi centrum. Vocabulo autem abyssi iacentis deorsum nominantur, vel quia locatæ sunt circa centrum mundi, locum omnium quæ sunt in mundo profundissimum, vel propter profunditates terræ & aquæ multifariam impenetrabiles, bonitas verò & felicitas terræ in eo est, vt sit pinguis ac fertilis, acceptáque semina magno reddat cum fœnore: sit quoque copia terrestrium aquarum ex fontibus, fluminibus & lacubus, nec desint commoda quæ per mare deuehuntur, *Hieronym.* *Oleaster.*

SVNT qui existiment Iacob his verbis præsignasse bonitatem

cœli & terræ quam habitura olim erant duæ tribus ex vnius stirpe Ioseph proseminatæ Ephriam & Manasses: vt sit sensus, Progenies Ioseph habitabit in terra fertilissima, ob benignitatem cœli, frequentia imbrium & roris, agros arriguos numerosósque frugum prouentus, magnamque gregum & hominum fœcunditatem, id quod significatur illis verbis: *Benedictionibus vberum & vuluæ*: nam benedictio vuluæ significat numerosam generationem & sobolem, benedictio autem vberum, optimam nutrimentionem atque educationem. Nonnulli arbitrantur his verbis quatuor res designari, ex quibus solet vulgus homines aliquos laudare & quasi beatos prædicare: Solet enim dicere, Beatus dies, in quo ille natus est: beata terra quæ illum tulit: beatus venter qui illum genuit: beata vbera quæ illum lactauerunt.

Allegoria. CÆTERVM benedictio hæc Ioseph multò verius & cumulatius Christo Domino contigit. Etenim ipse super omnes habuit benedictionem cœli & terræ, quia super omnes tam in cœlo quàm in *Matth. 28.* terra magnificatus & glorificatus est, sicut ipse dixit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Illum in cœlo laudant Angeli, quod eorum ruinas reparauerit atque impleuerit: illum in terra laudant homines, quod eos reatu peccati, necessitate mortis & diaboli potestate liberauit: illum in abysso, id est, in inferno laudarunt sancti Patres quos *Zacha. 9.* eduxit de lacu, in quo non erat aqua, vel cælum significat in Christo animam eius & superiorem animæ partem: terra, corpus & carnem eius. Benedictus igitur fuit in cœlo desuper, quia secundum superiorem animæ suæ partem ab initio conceptionis suæ in cœlo fuit beatifica Dei visione fruens: benedictus quoque fuit in abysso deorsum iacente, *Philip. 2.* id est, in carne sua quæ appellatur abyssus deorsum iacens, quod secun- *Genes. 3.* dum eam Christus seipsum profundissimè humiliauerit, & vt Pauli verbo vtar, exinaniuerit. 165

DVPLEX porro fuit carnis Christi benedictio, altera, quòd sine peccato concepta est, nec vlla concupiscentiæ fœcunditate inquinata, nec subiecta maledictioni Adæ: altera, quod caro eius vnita est Dei verbo, & inde facta est cibus hominum viuificus & præstans immortalitatem. Benedictionem illam vberum & vuluæ *Luc. 11.* Christi declarauit sancta illa fœmina dicens: *Beatus venter qui te* *Matth. 1.* *portauit, & vbera quæ suxisti.* Triplicem porrò benedictionem Chri- *Luc. 1.* stus habuit in vtero matris: primam, quod generatus est sine semine viri: alteram, quod nouem mensibus gestatus in vtero est sine vlla matris molestia: tertiam quod clauso matris vtero & sine eius dolore editus est. Fuit item benedictus in vberibus, nam cum sit præter naturam virginem lacte impleri, sanctissima tamen eius mater, cum virgo esset, eum lactauit: quo circa Ecclesia canit: Virgo nesciens virum, sine dolore genuit filium, sola virgo lactabat, vbere de cœlo pleno.

Rupertus. RVPERTVS refert hoc ad Ecclesiam Christi sponsam: vt Chri- 166

stus

ſtus benedicendus ſit propter vbera & vuluam ſponſæ ſuæ, per vuluam intelligendo fœcunditatem Eccleſiæ quæ innumerabiles filios Chriſto genuit. Compara vuluam Eccleſiæ Chriſti cum vulua Synagogæ Moſis, hanc dices ſteriliſſimam, illam fœcundiſſimam: cuius incredibilem fœcunditatem prædixit Iſaias cap. 49. & 60. Duo ſunt autem Eccleſiæ vbera diuinæ benedictionis lacte pleniſſima, Verbum Dei & vſus ſacramentorum. De his vberibus dici poſſet quod eſt in Canticis: *Inter vbera mea cõmorabitur dilectus meus*, &, *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*: nam licet hæc dicta ſint de vberibus ſponſi, eadem tamen ſunt, diuerſa ratione, vtriuſque vbera. Non fuere talia Synagogæ vbera, de qua dicitur: *Soror noſtra parvula eſt & vbera non habet.* Habuit quidem Synagoga etiam Sacramenta, ſed quia erant virtute propria inefficacia ſpiritualis gratiæ, dici poterant vbera arentia & inania, habebat quoque diuinas Scripturas: ſed ante Chriſti aduentum erant illæ pleriſque clauſæ & veluti obſignatæ, nec ſuggere ſuauiſſimum lac ſpiritualis intelligentiæ cuique datum erat.

Cant. *Ibidem.* *Infra 8.*

Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius, donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Ioſeph & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. VERS. 26.

167 PERobſcvrvs eſt hic locus, & obſcuritas eius varias ex ingeniis explanatorum interpretationes excudit. Prima interpretatio: Chaldæus paraphraſtes ſic vertit hunc locum: Benedictiones patris tui addantur ſuper benedictiones quibus me benedixerunt patres mei, quas optauerunt principes qui à ſæculo fuerunt. Eſt autem hic ſenſus: contingant tibi non tantum eæ benedictiones quas in te nunc confero, verùm etiam omnes benedictiones maiorum meorum, quæ tales fuerunt, vt eas ſibi accidere antiquiſſimi principes optauerint. Illud igitur, *Vſque ad deſiderium collium* ſic videtur Chaldæus intellexiſſe, Tanti fuere pretij támque optabiles benedictiones maiorum meorum, vt eas colles mundi, id eſt, maximi quique principes deſiderauerint.

Prima interpretatio. *Paraphraſis Chaldaica.*

168 SECVNDA interpretatio: Rupertus hanc putat eſſe huius loci ſententiam: Noli Ioſeph dubitare de efficacitate & effectu mearum benedictionum quas impertior tibi, ſiquidem benedictiones meæ confortatæ ſunt benedictionibus patrum meorum, id eſt, ex illis habent robur & efficaciam: nam quia maiores mei benedixerunt

Secunda interpretatio. *Rupertus.*

runt mihi propterea ego quoque vim habeo efficacem benedicendi filiis meis, & sicut benedictiones patrum meorum completæ sunt in me, ita benedictiones meæ complebuntur in te, nec deficient, donec veniat desiderium collium æternorum, id est, Messias, destinatus ab initio mundi, siue ex quo sunt colles & montes super terram: vel desideratus ab antiquis patribus, qui propter pietatis & iustitiæ sublimitatem fuerunt instar collium & montium. Messias enim non à quibuslibet expressè cognitus ac desideratus est, sed ab insignioribus virtute & sapientia viris, vt fuere Patriarchæ & Prophetæ.

PLERIQVE tamen illud: *Confortatæ. sunt benedictionibus patrum* 169.
eius, accipiunt quasi dictum comparatè: quam habet expressam comparationem lectio Hebraica quæ ad verbum hanc reddit sententiam: *Benedictiones meæ prævaluerunt, seu fortes fatæ sunt super benedictiones patrum meorum.* Et ex hac lectione duplex interpretatio extitit, vt tertia interpretatio quam sequitur Paulus Burgensis, illa sit: Benedictiones quas ego tribuo tibi, maiores sunt benedictionibus quas ego accepi à patribus meis. Isaac enim, vt narrantur hoc libro cap. 27. benedixit Iacob tantum in rore cœli & pinguedine terræ, non autem in benedictione vberum & vuluæ, id est, multiplicatione prolis. Sed profecto vera non est Burgensis sententia: namque Isaac cum dimitteret Iacob in Mesopotamiam, benedicens ei, dixit: *Deus crescescere te faciat atque multiplicet, vt sis in turbas populorum, & det tibi benedictiones Abrahæ & semini tuo post te*: Sicut legitur hoc libro capite 28. Videtur præterea benedictio: quam Iacob accepit à patre suo Isaac, eo nomine fuisse maior benedictione quam ipse tribuit filio suo Ioseph, quod per illam Iacob constitutus est primogenitus & dominus fratrum suorum, quam prærogatiuam non continet benedictio Ioseph.

Tertia interpretatio.
Paulus Burgensis.

Quarta interpretatio.

QVARTA interpretatio: significari illis verbis benedictionem 170.
quam acceperat Iacob, fuisse maiorem benedictionibus quas acceperant maiores eius, vt Isaac & Abraham. Et hoc dupliciter exponitur: siquidem Hebræi, vt Lyranus & Tostatus referunt, & patet ex Commentario Rabbi Salomonis, aiunt Deum plura promisisse Iacob quam promiserat Abrahæ vel Isaac: his enim tantum promisisse Deum possessionem terræ Chanaan, vt videre licet ex capite 13. & 26. libri Geneseos, illi verò promisisse dilatatum iri eum ad Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem: quo significabatur dominatum vniuersi orbis delatum iri posteritati Iacob, maximè in aduentu Messiæ. Atque hoc iudicauit Deus per Isaiam capite 50. & 58. dicens: *Cibabo te hæreditate Iacob patris tui*, & non dixit, Abraham vel Isaac. Verùm interpretationem hanc vehementer oppugnat hoc loco Tostatus. Et verò qui legat 28. & 48. caput libri Geneseos, perspicuè intelliget eandem planè factam esse Iacob promissionem terræ atque prius facta fuerat Isaac & Abra-

Rab. Salom.

hæ

hæ. Nam illud, *Ad Orientem, & Occidentem, Meridiem, Septentrionem*, non debet accipi simpliciter & vniuersè respectu totius terræ, sed habito respectu ad terram Chanaan, quomodo frequenter vsurpatur in sacra scriptura.

171 QVINTA interpretatio, cui potissimum adhæret Lyranus & Tostatus: Aiunt isti, benedictionem quam acceperat Iacob ea ratione fuisse maiorem benedictione Isaac, & Abrahæ, quod Iacob plures à Deo percepit reuelationes cœlestium mysteriorum pertinentium ad Messiam, & ad æternam beatitudinem. Etenim scientia rerum diuinarum, & fides rerum cœlestium in dies per interualla temporum increuit, pluráque posterioribus reuelata sunt quàm fuerant prioribus. Sed hoc refellit Burgensis: neque enim ait credibile esse Abraham inferiorem fuisse quàm Iacob quantum ad excellentiam fidei & reuelationem mysteriorum pertinentium ad Messiam, scientiáque rerum diuinarum, cum is propter singularem fidei præstantiam maximè laudatus sit à Mose Geneseos 15. meruerítque pater omnium fidelium appellari: in cuius sinu dicuntur requiescere omnes qui decedentes ex hac vita, æternam salutem consequuntur: de quo etiam Dominus noster dixit, *Abraham exultauit vt videret diem meum: & vidit, & gauisus est.* *Quinta interpretatio.* *Lyranus.* *Tostatus.* *Burgensis.* *Rom. 4.* *Luc. 16.*

172 VERVM vtcumque res habeat (neque enim omnia quæ hîc obiter incidunt, ad viuum nobis resecanda sunt) certè negari non potest, plurima Iacob, & horum nō pauca, singularia beneficia diuinitus accepisse. Primùm enim cum is non esset primogenitus, reiecto primogenito Esau ius primogenituræ à Deo accepit: namque vt Paulus disputat ad Romanos nono, cum nihil dum boni vel mali egissent Iacob & Esau dixit Deus, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Deinde longè numerosiori prole quàm patres eius multiplicatus est, quippe qui duodecim filios procreauit: è quibus vniuersa gens Hebræa prosemināta est. Adhæc filium suum Ioseph (secundum regem) vidit supremum Ægypti principem ac dominum, habuit præterea cum plures, eásque valdè mirandas visiones, vt illius scalæ à terra vsque ad cœlum pertingentis, & in ea residentis Dei Angelorumque sursum deorsumque discurrentium, & illius Angeli cum quo luctatus est vsque ad auroram. Excelluit denique multiplici prophetiæ dono, nec tantùm per visiones imaginarias, sed (quod summum prophetiæ genus æstimatur) per sola mentis diuino suffusæ lumine illustrationem, vt in hîsce vaticiniis animaduertere licet. *Genes. 27.* *Genes. 27.* *Infra. 41.* *Genes. 28.* *Infra. 32.*

Donec veniret desiderium collium æternorum.

173 PRO voce illa, *desiderium*, vox Hebræa prout ex varia ducitur radice, significat & desiderium & terminum. Hebræi & Pagninus legunt terminum, ita hunc locum interpretantes: Benedictiones patris tui confortatæ sunt vsque ad

terminum collium sæculi : Quæ verba dupliciter exponuntur. Rab. Dauid Kimki. Nam Kimki ad hunc modum exponit : *Benedictiones meæ permanebunt, & firmæ erunt quoad durabunt colles mundi.* Rabbi Salomon hanc Rab. Salom. vult esse sententiam : *Benedictiones meæ non concludentur intra vnam regionem Chanaan, sed diffundentur vsque ad omnes terminos mõtium & terrarum.* Sin autem legatur (desiderium) ea quoque lectio duplicem habet explicationem: siquidem Chaldæus paraphrastes legens : *vsque ad desiderium collium sæculi*, intellexit significari tantas fuisse benedictiones Iacob, vt etiam Regibus & Principibus mundi maximè optabiles essent. Latini ferè interpretantur de Christo : cui cur appelletur desiderium collium æternorum, suprà dictum est, cum interpretationem Ruperti enarraremus.

Tostatus 174 Est quoque alia interpretatio huius loci apud Tostatum super caput trigesimum tertium Deuteronomij, vbi explanat ille benedictionem Ioseph traditam à Mose : refert enim verba hæc ad terram quæ sorte assignanda erat filiis Ioseph, Ephraim, & Manasses, quæ abundatura erat montibus & collibus amœnissimis maximéque frugiferis: quamobrem dicuntur desiderabiles : quæ sententia valdè congruit cum verbis ipsius Mosis, sic enim ait benedicens Ioseph : *De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli & rore atque abysso subiacente : de pomis fructuum Solis ac Lunæ : de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius*

Vers. 16. *Fiant in capite eius & in vertice Nazaræi inter fratres suos.*

Optat his verbis Iacob, vt bona quæ precatus est filio suo Ioseph, fiant super caput eius, ideſt, abundè atque cumulate ei contingant. Vocat autem Ioseph Nazaræum fratrum suorum (quomodo eum quoque appellat Moses Deuteronomij trigesimo tertio) significans eum segregatum & separatum fuisse à fratribus, nam id apud Gen. 37. Hebræos significat vocabulum Nazaræus. Fuit autem Ioseph iam Ibidem. inde à puero cùm esset in domo patris, separatus à fratribus suis, ideſt, ab improbis eorum studiis & moribus, cùm eos crimine pessimo apud patrem accusauit : & fratres vicissim ab eo separati erant, Ibidem. ideſt, alienati & auersi, ita vt non possent cum eo pacificè loqui. Cùm autem à fratribus venditus, in Ægyptum ductus est, longo tempore ab illis fuit separatus. Ergo vocabulum Nazaræus ad præsens commune est : specialiter autem apud Hebræos quidam appellabantur Nazaræi, qui ex voto certis quibusdam ceremoniis consecrati Deo, separabant & abstinebant se multis à rebus, quarum rerum vsus aliis hominibus non erat illicitus : huius generis erant, non tondere capillos, non bibere vinum, non accedere ad funera, nec

nec tangere mortuos, etiam parentes, aliáque nonnulla quæ in capite sexto libri Numerorum commemorantur.

176 SVNT qui putent hoc loco vocabulum Nazaræi significare præcipuum decorem atque honorem, sanctitatísque professionem atque existimationem: tales enim apud Hebræos erant Nazaræi, vt indicant verba illa Hieremiæ Threnorum quarto. *Candidiores Nazarai eius nive, nitidores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores.* Septuaginta Interpretes per vocabulum Nazaræi intellexerũt principem & ducem fratrum suorum, sic enim expressérunt hunc locum: erant super caput Ioseph & super caput fratrum quorum dux fuit. In capite autem trigesimo tertio Deuteronomij, vbi nos habemus: *super verticem Nazaræi fratrum suorum*, ipsi verterunt: super verticem glorificatus in fratribus: fuit enim tanquam Princeps & dominus fratrum, & ex eius stirpe prodierunt Principes & Reges populi Hebræi.

177 MOYSES porrò Deuteronomij trigesimo tertio præter illa quę similia dixit Iacob, addit hoc, quod non videtur intactum esse prætereundum. *Quasi*, inquit, *primogeniti tauri pulchritudo eius: cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit Gentes vsque ad terminos terræ.* Primogenitus thauri est pulcherrimus simulque robustissimus ac violentissimus, quippe cui robur patris, vt primum, ita maximum tributum est. De Rhinocerote autem pauca hæc à Plinio libro octauo cap. vigesimo, & Solino cap. trigesimo tertio prodita cognoscat lector, Animal esse buxei coloris, vnum in nare, idque repandum habens cornu, quod subinde cautibus attritum limatúmque in mucronem excitat prælaturus aduersus Elephantem, pari propemodum longitudine, breuior tamen cruribus: in qua dimicatione, naturali eo telo aluum Elephanti petit, vt molliorem eius partem, solámque ictibus suis peruiam. Ergo primogeniti tauri & Rhinocerotis similitudine exaggeratur decor & pulchritudo regalis, robúrque ac fortitudo bellica in posteritate Ioseph futura, maximè verò in tribu Ephraim, quæ magnos Principes ac Reges & gloria virtutis militaris inclytos tulit. Quo spectat illud quod est in Psalmo quinquagesimo nono: *Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim susceptio capitis mei.* Et huic quidem interpretationi affinis est valdè paraphrasis Chaldaica quæ eo loco sic habet: Maior natu filiorum eius (id est, Ephraim primogenitus Ioseph) decorem habet & magnalia & quæ facta sunt ei à facie Fortis & Excelsi, cuius fortitudine interficiet populos vsque ad fines terræ.

Locus Deuteronomij. 33.c.

Rhinoceros. Plinius. Solinus.

VNDECIMA PROPHETIA DE BENIAMIN.

Beniamin Lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.

Quinque interpretationes, Rab. Salomõ

SEPTVAGINTA, referente sancto Hieronymo, sic habent: *Beniamin lupus rapax, mane comedet adhuc, & ad vesperam dabit escam.* Nostræ lectionis quintuplex esse potest interpretatio: quas ponit Rabbi Salomon, nam ait vel esse prophetiam de Beniamitis, qui, vt narratur libro Iudicum capite vigesimo primo, prodeuntes ex vineis, rapuerunt sibi in vxores filias Silo, egressas more suo ad ducendos choros, quas posteà distribuerunt inter se. Vel pertinere putat ad Saulem & ad Mardocheum & Esther qui fuerunt ex tribu Beniamin. Saul enim mane comedit prædam, quia in exordio regni Israëlitici, cuius primus ipse rex creatus est, amplissimas egit prædas ex Amalechitis, aliisque Iudæorum hostibus. Vespere autem, id est multis post sæculis ex eadem tribu Beniamin progenerati Mardochæus & Esther, contrito penitúsque deleto Aman, & eius sectatoribus, omnes earum opes bonáque liberalitate regia ad se transmouerunt,

178

Esther 2.
1. Regum. 9.
Esther 8.

TERTIAM interpretationem Beatus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim assignat Hebræis, quorum sententia est, hoc vaticinio Iacob insinuari templum Iudaicum, in quo victimæ immolabantur, idque significari vocabulo lupi rapacis: quod illud templum innumerabiles animalium victimas quasi deuoraret & absumeret, ob idque dicitur de eo mane comedet prædam, quòd animalia plurimùm matutino tempore immolarentur. Quod autem sequitur: *Et vespere diuidet spolia:* bellè quadrat ad hanc ipsam interpretationem: siquidem reliquiæ oblationum quæ factæ erant in templo ad sacerdotes pertinebant, quas ipsi partiebantur inter se. Quoniam autem templum Iudaicum & vrbs Hierusalem in sortem Beniamin primo cecidit, vt videre licet apud Iosue capite decimo octauo, idcirco vaticinium hoc Iacob rectæ competit in tribum Beniamin.

179

ET verò ad magnam eius tribus laudem faciebat, quod cùm in omni gente Hebræorum vnum duntaxat templum esset, id fuerit intra sortem Beniamin. Fauet huic interpretationi Chaldæus paraphrastes, apud quem sic est hoc loco: *Beniamin in terra eius quiescet præsentia diuinitatis. & in possessione eius ædificabitur sanctuarium: mane & vesperi offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident*

180

diuident reſiduum portionum ſuarum de reliquis quæ ſanctificata ſunt. Sic ille. Præſentiam autem diuinitatis appellat Chaldæus Arcam fœderis, eique ſupperimpoſitum propiciatorium, vbi quaſi reſidens Deus edendis oraculis reddentiſque reſponſis præſentiam ſuam declarabat.

281 AD hanc quoque interpretationem ſpectare videtur quod Moſes Deuteronomij trigeſimo tertio de tribu Beniamin vaticinatus eſt: *Beniamin* inquit, *amantiſſimus Domini.* Fuit nimirum Beniamin, quòd eſſet nouiſsimus filiorum & in ſenectute patris genitus, ei dilectiſsimus. Deus quoque ſingularem aduerſus eam tribum amorem ſuum oſtendit, cum primum regem Iſraëliticæ gentis delegit Saulem, nec ab ea tribu, ſi Saul non peccaſſet, regnum ipſe amouiſſet. Ex eadem tribu multa poſt ſæcula excitauit Eſther & Mardochæum inſignes admodum charitate ſuæ gentis & animi magnitudine, & quòd admirabili prudentiam populum ſuum à ſuprema internecione liberarunt, ſæculorum omnium prædicatione digniſsimos. His accedit quod in ea tribu iuſsit Deus ædificari templum, in quo vno tantum ſibi à Iudæis cultum adhiberi voluit. Sequitur apud Moſen: *Habitabit confidenter in eo*, id eſt in Deo, cùm enim in terra ſua haberet templum, in quo Deus ſingulariter habitabat, ipſe quoque ſingulari protectione & præſentia Dei confiſus quaſi expers periculi lætus & ſecurus erat. Subdit Moſes: *Quaſi in thalamo tota die morabitur, inter humeros eius requieſcet.* Morabitur ſcilicet in templo quod vocabitur thalamus Dei. Alludit autem ad ſitum templi Dei quod erat in ſublimi parte montis Moria, non tamen in eius vertice, ſed vt placet Hebræi, quatuor & viginti cubitos infra eius apicem.

Locus Deuteronom. c. 33. Geneſ. 35.

1. Reg. 10.

Prophetiæ de Beniamin pertinere ad S. Paulum ſententia Patrũ

282 QVARTA huius prophetiæ interpretatio videtur quidem allegorica potius quàm hiſtorica & litteralis, ſed eam tamen plerique Patrum præ cæteris amplexati ſunt, Ambroſium dico, Hieronymum, Chryſoſtomum, Ruffinum, Theodoretum, Bedam & Rupertum hoc loco, nec non & Auguſtinum Sermone decimo quarto De ſanctis, qui eſt primus Sermonum eius de Conuerſione Beati Pauli. Horum ſententia eſt, hanc prophetiam ſpectare ad Beatum Paulum, cuius duplex ſtatus, prior ante conuerſionem eius ad Chriſtum, poſterior autem poſt conuerſionem hic adumbratus eſt ſub lupi rapacis ſimilitudine, mane capientis & diſcerpentis prædam, veſperè diuidentis ſpolia. Fuit ſanè Paulus ex tribu Beniamin, vt teſtatur ipſe in Epiſtola ad Romanos capite vndecimo, & ad Philippenſes capite tertio. Fuit Lupus rapax, id eſt, vir ingenio acer & ardens, animo ferox, ore pariter atque opere potens ac vehemens. *Mane*, Id eſt, priuſquam ad Chriſtum conuerteretur, rapiebat & comedebat prædam, fuit enim valdè contumelioſus vt ipſe fatetur & blaphemus in Chriſtum, & atrox Chriſtianorum inſectator, atque, vt verbis vtar Lucæ Actuum, nono,

Ambroſ. Hieron. Chryſoſtom. Ruffinus. Theodor. Beda. Rupertus. Auguſt.

spirans minarum & cædis in discipulos Domini. At vespere, id est, postquam ad Christi fidem conuersus est, diuisit spolia, id est, fortissimus fuit Christi bellator accertimusque Ecclesię propugnator, & plurimarum gentium quas ad Christum conuerterat victor, amplissima retulit spolia. Rupertus per spolia intelligit eloquia Dei, sicut est in Psalmo centesimo decimo octauo: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Diuidebat autem hæc spolia, quia diuinarum rerum doctrinam pro caput audientium ac discentium tradebat, quibusdam lac tantùm præbens, aliis solidum cibum. 185

Rupertus.

1. Cor. 3.

Nec in Paulum non aptè competit quod in hoc ipso libro Geneseos capite trigesimo quinto de Beniamin proditum est, Rachel matrem Beniamim, cum in eius enixu animam ageret, appellauisse eum Benoni, id est, filium doloris mei, at Iacob vocauisse eum Beniamin, id est, filium dexteræ. Enimuerò vtrumque nomen præclarè conuenit Paulo. Is enim perfidiosæ synagogæ quæ fuerat mater eius, magnorum dolorum causa fuit, quin etiam interitus: at Christus imposuit ei nomen Beniamin, quod significat filium dexteræ. Vocabulum *dextera* in sacris litteris denotat robur & potentiam, quanta verò potentia polleret Paulus indicauit ipse cùm dixit: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Et quia conuersio Beati Pauli fuit valde miranda, & in qua Christus dominus vim & potentiam suam clarissimè demonstrauit, & per quam Paulus repente in magnum Dei seruum, egregiúmque prædicatorem Euangelij, & inuictum Ecclesiæ propugnatorem ac defensorem euasit, rectè de se Paulus illud dicere potuit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me:* illud item: *Hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Denique hoc ipsum Dominus significauit, cum Ananiæ de Paulo dixit: *Valde quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Ego enim ostendam quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* 184

Philip. 4.

Psal. 117.

Psal. 76.

Act. 9.

Quinta interpretatio quæ cæteris placet auctoris.

Restat quinta & vltima interpretatio, quam libenter equidem cæteris omnibus, quod attinet ad sensum litteralem, prætulerim. Hanc sequitur Tostatus, sed multis ante eum sæculis in quæstione vltima in Genesim Theodoretus attigit. Reor igitur, Iacob figurata oratione significasse, fore Beniamitas fortes, robustos & bellicosos: id enim similitudo lupi rapacis indicat, qui cùm valde vrgetur fame, audax & violentus est ad rapiendam escam. Illud autem *Mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia*: significat eos fore in bellis felices, profligatis enim hostibus onustos prædis diuitesque spoliis redituros, quanquam illud, *mane & vespere*, designare potest celeritatem confecti belli partæque victoriæ. Græca lectio habet vesperi dabit escam, quod refert Theodoretus ad bellum, quod gessisse Beniamitas cum cæteris tribubus, narratur in libro Iudicum capite vigesimo, in quo bello primùm illi bis victores

Tostatus.

Theodoretus.

fuerunt

fuerunt, sed ad extremum tamen victi præda eorum fuerunt quos vicerant.

285 VERVM quam fuerint Beniamitæ feroces fortésque bellatores, vel vno eo exemplo quod in libro Iudicum capite vigesimo memoratur, manifestum esse potest. Cùm enim Beniamitæ immane quoddam scelus à Gabaonitis qui ex ea tribu erant admissum punire noluissent, aduersus eos vindicandi eius flagitij causa, cæteræ omnes tribus arma rapuerunt, & ad quadringinta armatorum millia coëgerunt: contra verò Beniamitæ aciem suam vigintiquinque mille & septingentorum virorum instruxerunt: cumque tam dispares numero vtrinque essent copiæ, vt vni cuilibet Beniamitarum sexdecim ex aliis tribubus opponerentur, tantum in Beniamitis tamen robur animi & virtus militaris fuit, vt duplici conflictu aduersarios profligarint: & priori quidem duo & viginti millia, posteriori autem decem & octo millia ceciderunt. Tandem victi cæsique sunt, sed non virtute, verùm ex insidiis & per dolos militares. Gabaonitas, porrò qui & ipsi erant (vt diximus) Beniamitæ, narrat Scriptura, viros fuisse strenuos & peritos, ita vt æquè sinistra manu ac dextera præliarentur: tales verò funditores, vt lapides fundis iacerent sine errore vllo vel ad tenuissimum capillum. Verùm quæ de benedictionibus Patriarcharum à nobis hoc loco explicanda & disputanda visa sunt, hîc finem habeant.

Appendix eius disputationis, quam super illis verbis, Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius &c. *suprà tractauimus à numero 92 vsque ad numerum 106.*

DIXIMVS, Tribum Iuda postquam nacta est sceptrum creato rege Dauide, semper deinceps vsq; ad Herodem, quo regnante venit Messias, tenuisse illud. Nam etiamsi post reditum ex captiuitate Babylonica, personæ quæ principatū summū gesserunt, non fuerunt ex tribu Iuda, sed ex tribu Leui, fuerunt enim Pōtifices: attamen ipsum regnū & imperium & vt vulgo dicitur Corona, erat tribus Iuda. Contra hanc interpretationē & sententiam illud opponi posset, Iacob duo coniunctè posuisse, & non ablatum iri sceptrum de Iuda, & non de futurum Ducem de fœmore eius: at post captiuitatem Duces & principes populi fuerunt ex Leui, non autem ex Iuda. Sed hoc facilè soluitur: Illud enim: *Donec veniat Messias* refertur ad illud prius, *Non auferetur sceptrum ex Iuda*, non autem ad illud posterius *& Dux de fœmore eius*. Solet enim Scriptura cùm plura coniunctè præmisit extremo loco ponere

nere aliquid, quod non ad omnia præcedentia, sed ad vnum aliquod illorum tantum referatur. Ponam vnum eius rei exemplum: Genesis capite 15. Dixit Deus Abrahæ, *Peregrinum erit semen tuum, in terra non sua, & subijcient illud seruituti, & affligent illud quadringentis annis.* Hoc extremum *quadringentis annis* tantum refertur ad illud primum, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua.* Nam seruitus & afflictio Hebræorum in Ægypto, longè breuior fuit ducentis annis: Si quidem à descensu Iacob in Ægyptum vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, non plures ducentis quindecim annis numerantur, è quibus tamen detrahendi sunt anni septuaginta, quibus, viuente Ioseph Hebræi quietè ac feliciter degerunt in Ægypto. Quanquam autem Herodes habuit illud idem regnum tribu Iuda quod ante ipsum Pontifices tenuerant: propterea tamen verè dicitur, ablatum esse sceptrum de Iuda regnante Herode, quia Herodes regnum illud non habuit legitimè, sed iniustè sibi traditum à Romanis. Etiam ipse per vim ac tyrannicè & contra leges instituta Hebræorum rapuit & administrauit. Præsertim verò cum diuina lege vetitum fuisset, ne quis alienigena (qualis erat Herodes) rex fieret Hebræorum. Sic enim scriptum est Deuteronomij, 17. *Constitues regem tibi de numero fratrum tuorum: Non poteris alterius gentis hominem, regem facere, qui non sit frater tuus.*

DE OBITV PATRIACHÆ IACOB.

Vers. 28. *Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis, &c.* vsque ad finem capitis.

HIN c apparet superiores non fuisse benedictiones, sed 186
prophetias rerum futurarum, vt suprà docuimus in Præfatione huius libri: nam & quæ dixerat Ruben & Simeoni ac Leui, obiurgationem potius & reprehensionem quàm benedictionem continebant, & hîc non obscurè significatur, postquam superiora locutus fuerat Iacob, benedixisse eum filijs suis: vt si quid fortè in superioribus animos aliquorum pupugerat, id subiunctis ad extremum singulorum benedictionibus valdè mitigaretur. Appellat autem proprias singulorum benedictiones, per quas conuenientia cuique aut etiam ventura bona precatus est, aut salutaribus quemque documentis erudiuit, ex quo magnam illis & vtilitatem & lætitiæ voluptatem accidisse non est dubitandum.

SEQVI

187 SEQVITVR, *Et præcepit eis dicens, Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici &c.* cur hoc de sepultura præcipit aliis filiis, cùm id ipsum antea rogando petierit à Ioseph, dicens ei, *Si inueni gratiam in conspectu tuo, facias mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis &c.* cur, inquam, hic quodammodo precibus vsus est, idem verò mandans cæteris filiis, paternæ auctoritatis præceptum adhibuerit? An quia mandatis Iacob magis astricti erant cæteri filij quam Ioseph, quippe qui semper cum ipso fuerant, & ab eo vxores & bona omnia acceperant? Ioseph autem in Ægypto fuerat & nihil muneris à patre acceperat. An quia Ioseph magno erat in honore ac dignitate, cum esset totius Aegypti gubernator? alij autem fratres priuatæ personæ erant, quare iustum erat illis præceptum imponere, huic preces adhibere. An quia funus Iacob valdè sumptuosum erat futurum, nec peragi sine magnis impensis poterat, quas Ioseph suppeditaturus erat, & effecturus apud Pharaonem, & Principes Aegypti, vt non solùm se ac fratres suos extra Aegyptum ire ad curandum funus sinerent, verùm etiam magna pompa & honorifico apparatu funus ipsi comitari & ornare vellent? *Genes. 47.*

188 VERVM quærat aliquis cur tantopere cupiuerit Iacob sepeliri in terra Chanaan, vt id primùm sibi interposito iureiurando à filio suo Ioseph promitti vellet, deinde idem quoque à cæteris filiis suis fieri præciperet: idemque sub finem huius libri legitur, Ioseph appropinquante morte voluisse sibi fratres suos promittere ac iureiurando firmare? Multas licet eius rei causas, si quis inuestiget solerter, inuenire. Principio cupiebant illi corpora sua esse in ea terra, quam posteros suos sciebant possessuros & longissimo tempore habitaturos, in qua sola omnium terrarum orbis, verus Deus quem ipsi coluerant, publica & sincera religione coleretur. *Cur Patriarchæ sepeliri in terra Chanaã tantopere cupierunt.*

189 DEINDE, vt eorum sepulchra omnibus posteris essent fidei & pietatis quam ipsi erga Deum habuerant & professi fuerant, carissima monumenta, & ad easdem virtutes maiorum suorum amplectendas & profitendas, acerrima incitamenta. Ad hæc, vt essent diuinarum promissionum quas Deus ipsis & posteritati eorum dederat testimonia: aspicientes enim horum Patriarcharum sepulchra in terra Chanaan quam possidebant Iudæi, liquidò cernebant quàm abundè & cumulatè promissa Dei Patriarchis data de possessione terræ Chanaan tradenda eorum posteris, in ipsis essent completa. Nec illud non flagrantissimam eius rei cupiditatem in animis eorum excitabat, quod prophetico spiritu diuinitus impleti nouerant, in ea terra Messiam nasciturum.

190 ACCEDEBAT & ille stimulus (si verum est quod refert Tostatus) illos celebres Patriarchas non latuisse, resurgente Christo domino post triduum suæ mortis ad vitam immortalem, vna quoque multos de sanctis viris inibi sepultis cum eo resurrecturos (quod *Tostatus.*

ita factum esse, narrat Matthæus capite vigesimo septimo) de quorum numero se futuros esse separabant. Quid plura? ad hanc terram
Gen. 12. Deus Abraham euocauerat, posthabito natali solo, omníque cognatione sua derelicta, hanc terram ex omnibus mundi terris delegerat quam daret possidendam populo suo, quem vt filium primogenitum diligebat: hanc denique postea magnis sæpe laudibus commenda-
Deut. 11. & 32. uerat, appellans terram egregiam, speciosam, excelsam, fluentem lac & mel, quam Dominus Deus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.

IAM verò de illa spelunca in qua se Iacob sepeliri mandauit scriptum est Genes. 23. ibíque dictum, in ea sepultam esse Saram, in ea- 191
dem autem sepultum esse Abraham traditur Genes. 25. Isaac verò ibi quoque sepultum esse, nusquam suprà expressè proditum est, sed quia capite 25. traditur in loco illius sepulturæ mortuum esse Isaac & à duobus filiis suis Iacob & Esau sepultum, ex eo ipso intelligitur, in ea ipsa sepultura esse conditum Rebeccam porrò & Liam eodem loco sepultas esse, alibi quàm hic nusquam in sacris litteris legitur.

Finitísque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectum, & obiit

Gen. 49 Vers. 32. QVÆ fuerunt illa mandata Iacob? illa opinor, quæ de se- 1917
pultura sui corporis dedisse eum filiis suis scripsit Moses, nisi etiam iuuat credere, multa sanctissimum illum senem mandasse filiis suis pertinentia ad pacem & concordiam inter eos custodiendam, verùmque Dei cultum perpetuo conseruandum, atque Ægyptiorum, quibuscum longo tempore victuri erant, fugiendam idololatriam. Cum autem dicitur Iacob collegisse pedes suos super lectum, significatur, eum superiora locutum sedentem super lectum, habentemque pedes extra lectum dependentes: indicatur quoque quãta animi quiete & tranquillitate, quantaque corporis compositione & decentia sese comparauerit ad mortem. Pro illo verbo (*obiit*) est verbum Hebræum significans, vt annotarunt Hebræi, molle ac facile dulcéque genus mortis per lentam quandam resolutionem & defectum paulatim labentis spiritus, plane contrarium ei quo intereunt multi, longo & molesto morbo tabescentes, aut etiam robusto corpore crudaque ætate violenta morte rapiuntur.

Appositúsque est ad populum suum.

Quid sit congregari vel apponi ad populum suum.

SVPRA dixerat Iacob: *ego congregor ad populum meum*: 9
nunc Moyses ait eum obiisse, & oppositum esse ad populum suum: idémque supradictum est de Abraham & de Ismaële capite vigesimo quinto, & de Isaac cap. trigesimo

gesimo quinto: de Aaron quoque in libro Numerorum capite vigesimo: eiusdem quoque libri capite trigesimo primo idem proditum est de Moyse. Quis autem fuerit populus ille, ad quem Patriarchæ illi dicuntur apposiri, videtur obscurum, Magister Historiæ Scholasticæ in capite 114. historiæ super librum Geneseos interpretatur frequenti am & societatem Angelorum, ita scribens: Appositus est ad populum suum, id est, ad Angelos, tunc certa spe, postea tandem in re. Notum quidem est, appositum esse Iacob ad Abraham & Isaac patres suos: sed tam pauci populus dici non possunt, vel populus dicitur congregatio omnium ab Adam vsque prædestinatorum, qui erant in sinu Abrahæ. Sic ille. *Historia Scholastica.*

194 EANDEM planè sententiam habet Glossa interlinearis super 25. & 49. caput libri Geneseos, quæ glossa sumpta est ex Augustino idem sentiente atque tradente in libro Quæstionum super Genesim, quæstione. 268. Augustini verba, si ea lector nosse auet, hæc sunt: *Ecce de Iacob iam quidem mortuo, sed nondum sepulto dictum est quod appositus est ad populum suum: sed ad quem populum appositus sit, non in promptu est videre. Ex Iacob enim populus natus est, qui dictus est populus Israël: qui autem eum præcesserunt, tam pauci iusti nominantur, vt eos populum appellare erubescamur. Nam si dictum esset, Appositus est ad patres suos, nulla quæstio fieret. An fortè populus est non solum hominum sanctorum, verùm & Angelorum? populus inquam, illius ciuitatis quæ de cœlo est, Hierusalem, sicus Paulus ad Hebræos scribens capite duodecimo: Accessistis, inquit, ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei Ierusalem, & ad millia Angelorum exultantium. Huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo fiunt: tunc enim dicuntur apponi, quando nulla iam remanet solicitudo tentationum & periculum peccatorum: quod intuens scriptura: Ante mortem, inquit, ne laudes hominem quemquam.* Sic eo loco Augustinus. *Luc. 16. Augusti.*

195 AT enim verò Lyranus (ignorans, vt opinor, esse hanc, & Glossæ & Augustinus sententiam (oppugnat Magistrum Historiæ Scholasticæ, quasi vnicum vel certè principem eius interpretationis auctorem: *Non* inquit, *verè dici potest, Sanctos illos Patriarchas appositos esse ad societatem Angelorum, quippe cùm omnes descenderent in limbum, nec ante Christi ascensum in cœlos, quisquam hominum in cœlestem ciuitatem, & angelicam societatem admissus fuerit. Neè valet, dicere illos esse appositos secundum certam spem, licet non secundum rem: similiter enim idem posset dici de iustis qui adhuc in terris versantur, saltem de prædestinatis & confirmatis in gratia: cùm tamen scriptura id non dicat nisi de morientibus vel etiam mortuis.* Quamobrem Lyranus rectius dictum putat populum illum ad quem apponebantur sancti, intelligi debere omnes iustos quicumque ab exordio mundi fuerunt vsque ab Iacob, qui vnà omnes erant in Limbo, vt Adam, Abel, Seth, Enos, Noë, Sem & Melchisedech. *Eccl. 11. Lyranus super cap. 29. Geneseos.*

PAVLVS Burgensis in Additione ad Postillas Lyrani huius loci ait, Apponi ad patres suos, scripturam ante Abraham de nullo hominum vsurpasse ob eam causã, quod, Apponi ad populum suum significet mori vacuum & purum ab omni culpa quæ purgatorio igne sit expianda, & statim post mortem recta & sine mora ire ad Limbum. Quanquam igitur iusti qui præcesserunt Abraham, ex hac vita decesserint cum gratia Dei, ferebant tamen maculas & sordes quorundam peccatorum per ignem purgatorium abstergendas: quapropter non est dictum illos esse oppositos ad populum suum. 196

Burgensis.

VERVM hoc satis inconsideratè videtur à Burgensi dictum: neque enim, apponi ad populum suum, significat sine omni prorsus culpa decedere, siquidem hoc ipsum Moses suprà capite vigesimo quinto dixit de Ismaële, quod appositus sit ad populum suum: Ismaelem verò neque constat esse saluum, nec si saluus fuerit: credibile tamen est eum omnis expertem culpæ obiisse. Quis autem affirmare audeat, Noë post mortem non rectà descendisse in Limbum, cuius sanctimonium & iustitiam non minus diuina scriptura commendat, quam Isaac & Iacob? de eo nempe scribens Moses capite sexto: *Noë* inquit *vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit, eique dixit Deus. Te vidi iustum coram me in generatione hac.* 197

MIHI non displicet quod quibusdam Hebraicè doctissimis viris placuisse video, congregari vel apponi ad populum suum, dormire cum patribus, ingredi viam vniuersæ carnis vel terræ, phrases esse peculiares Scripturæ veteris Testamenti, quibus significetur idem quod, obire vel desetere statum viuentium, & transire seu pertinere ad statum defunctorum: sicut in Nouo Testamento, dormire vel obdormire in Domino, seu transire ex hoc mundo, & apud Latinos excedere, decedere, vita defungi, fato defungi, demigrare, exuere mortalitatem, vitam cum morte commutare. Theodoretus tamen Quæstione quæ est vltima super Genesim, & Caietanus super. 25. caput Geneseos, aiunt ex eo quod scriptura dicit de morientibus, eos congregari ad populum suum, manifestè significari & necessaria ratione concludi immortalitatem animorum, quin etiam corporum certissimam spem resurrectionis aliquando futuram.

Theodoretus. Caietanus.

FINIS.

INDEX
ALPHABETICVS
RERVM AC VERBORVM
LIBRI DE BENEDICTIONIBVS
PATRIARCHARVM.

A

ACCINCTVS in scriptura quid significet. nu.104. & seq. pag.56.f

Adoratio & laudatio Messiæ, à quibus, pro qua re, & quemadmodum fiat. 55.& 56.pag.31.f.

Aduentus Christi duplex, & quemadmodum vterque à gentibus desideratus & expectatus sit. 49.& 94.pag.28.m.& 51.m

Agriculturam cur exercuerint præcipuè Issacharitæ.113. & seq.pagina 63.p. eidémque deditos fuisse ciues vrbis Giscalæ, quæ erat sortis Aseritarum.48. pag.28.p

Agricolarum vita quam quieta, & a periculis vacua.113. pag.63.p

Animum hominis morti proximum, naturaliter diuiniorem reddi, & diuinare futura quorundam, sed falsa opinio.6. pag.6.m

Angelos fuisse incarnatos, Origenis absurda opinio.3. pag.4.m

Angelorum societatem intelligi per populum illum ad quem dicebantur Patriarchæ ex hac vita decedentes apponi. 193.& 194.

Antigono occiso legitimum & proprium Iudæorum defecisse imperium. 62.pag.34.f

Antichristum præsignificatum esse per prophetiam prolatam à Iacob de Dan. 131. pag.70.m.explicatur prophetia de Dan,& applicatur ad Antichristum. 134. pag.71.m. Quatuor rebus Antichristus suæ doctrinæ sectatores seducere conabitur. ibid. 134.

Apostolos tribus de causis rectè appellari oculos Ecclesiæ.60. pag.33.f

Arca fœderis significatur vocabulo præsentiæ Dei.180. pag.92.f

Arius vestem Christi, id est, Ecclesiam dilacerauit.59. pag.33.m

Ascensionis Christi præclara prophetia. 55. pag.32.m

Aser tribus quàm fertilem & amœnam terrã sit sortita.148. mystice prophetia de Aser applicatur Christo. 149.pag.78.p

Asina in scriptura Iudaicum populum mystice designat.59.pag.33.m.Issachar cur dictus asinus fortis.116. pag.64.p.humilitatem denotat asinus cui insedit Christus. 119. pag.65.f

Astra significare futura, & in illis legi futuros euentus, Origen.opinio.3. sed refellitur ibidem. pag.4.m

Auctoris & probabilior sententia de prophetia illa celebri (Non auferetur,&c.) 92. pag.50.f

B

Basan regio. 139. pag. 73. p
Benedictiones Christi multiplices quomodo benedictus sit de cœlo, & in abysso deorsum iacente, quomodo in vulua & in vberibus. 165. eius canis benedictio duplex ibidem. pag. 86. p
Beniamin tribus prophetia explicatur. 178. pagin. 92. p. A Deo dilecta. 181. pagin. 93. p
Beniamitæ robustissimi omnium Iudæorum milites. 184. pag. 94. f
Boni labuntur in faciem, retrorsum improbi. 135. pag. 71. f. Bellum gerunt aduersus triplicem hostem. 145. pag. 75. f

C

Caietani de illa prophetia aduentus Messiæ (non auferetur sceptrum de Iuda) opinio 87. pagina 47. f. & seq.
Cardinalium collegium comparari ei quod Moses instituit. 70. virorum 83. pagina 45. f.
Cæsarea Philippi 138. pagina 72. f.
Cerastes quod genus serpentis. 124. pagin. 67. f.
(Ceruus emissus Nephtali) varia eius prophetiæ declaratio. 150. pagin. 78 f.
Ceruo comparatur Christus. 154 pagina f.
Chaldaica paraphrasis egregiè videtur explicare quædam scripturæ loca. 121. pagina 60. f. 138. pagin. 72. f. 140. pagina. 73. m. 152. pagina 74. f. 160. pagina 83. f.
Chanaan terra fertilitas. 51. pag. 29. f. à Deo dilecta. 190.
Christo mystice egregiè accommodatur illa prophetia de Iuda [Iuda te laudabunt.] 54. pagina 31. p. & illa de Gad. 142. pagina. 74. f. & Aser. 139. pag. 78. m. & Nephtali. 154. p. 80. f. Catulus Leonis Christus quomodo dicatur. 56. pag. 31. f. & quomodo omnes inimicos suos sibi subiugauit ibidem, eius requies fuit mors & sepulchra. 57. pagina. 32. m. eius resurrectio post triduum ibid. Cur nunquam ad conuincendos Iudæos Messiam iam venisse, adduxerit celeberrimam illam prophetiam [Non auferetur, &c.] 105. pag. 57. p. Eius figuram gessit Samson. 129. pag. 69. m. Item Ioseph. 157. pagina. 82. p. Diem eius videre quantopere cupierunt Reges ac Prophetæ. 159. pagina 83. p. Eius pulchritudo. 154. pag. 80. f. Eum odio prosequuntur Iudæi. 159. pagin. 80. p. Non fuisse sacerdotem secundum ordinem Aaron Pauli argumentatio. 78. pag. 43. p. 81. pag. 45. p. Eius Humanitas fuit quasi lectus Diuinitatis. 21. pagina 14. Iudæi ipsum occidentes maledicti à Iacob 37. pagina 21. f. Obedientia populorum ac subiectio erga Christum. 48. pag. 28. m. Quomodo dicatur fuisse expectatio gentium. 49. p. 28. f
Cison torrens. 116. pag. 64. p
Collium æternorum desiderium fuit Messias. 167. & seq. pag. 87. m. & 174. pag. 90. p
Coluber. 124. pag. 57. f
Confessio Iuda quænam fuerit, & quid sit illud quod dicatur confessus. 40. p. 23. f
Concionatorum munus. 61. pag. 34. p.
Corpus humanum veluti murus animæ. 159. pag. 83. p

D

Dan tribus describitur. 122. pagin. 60. f. Prophetiam eius significasse Antichristum. 131. pagina. 70. m. Cur eam tribum Ioann. Euangelista in Apoc. in enumeratione aliarum tribuum omiserit. 132. pag. 70. f.
Dauid ex tribu Iuda rex primus 72. pagina 40. m. demisit inimicos suos, & hoc prædictum à Iacob Patriarcha 41. 44. pagina 24. p. & 25. p. f. de eo recte dictum ab eodem [Catulus Leonis] 42. pagina 24. f Quomodo ei competere possit Prophetia illa de Messia [Et ipse erit expectatio gentium.] 48. pag. 28. m
Defendere in scriptura quid aliquando significet. 27. pag. 17. p
Dei solius est nosse futura contingentia. 8. pagin. 7. m Eius epithetum proprium quodnam

nam sit. 160. pagina 83.m.f. Varijs, omnibus ab Hebræis nominatur. 163. pag. 85.m. Eius habitatio Ecclesia. 111. pag. 61.f
Dexteræ filius recte vocari potest Paulus Apostolus. 183. pag. 94.p
Dextera in scriptura quid significet. ibid.
Dierum nouissimorum nomine quid significarit Iacob. 8. & 9. pag. 7.m.f. & seq.p.m
Dies nouissimi quid significent in Scriptura. ibid. pag. 8.p.m
Dies Messiæ cur dicantur Nouissimi. 10. pag. 8.f
Doctores Ecclesiæ cur comparentur dentibus. 61. pag. 34.m
Doctrina Christi comparatur ceruo. 154. pag. 80.f
Doloris principium cur dicatur primogenitus Ruben. 12. pag. 9.f
Duces populi Hebræi contra Philisteos. 130. pag. 70.p

E

Ecclesiam quæ est regnum Christi nunquam defecturam significatum à Iacob illis verbis [Non auferetur sceptrum de Iuda.] 58. pag. 33. p. significata per vineam. 59. pag. 33.m. per vestem. ibid. eius oculi Apostoli & Prophetæ. 60. pag. 33. f. mystice optime denotatur per prophetiam quam protulit Iacob de tribu Zabulon. 111. p. 61. f. Eius figura fuit lectulus Salomonis. 144. p. 75. m. Item turris Dauid ibidem. Est Christi sponsa. 166. pag. 87. p. Eam alloquebatur Iacob in spiritu. 7. pag. 7. p. Macula ab Hæreticis. 23. pag. 15. p
Eloquia pulchritudinis edidit Christus Dominus prædicans in Iudæa. 150. pag. 78. f
Eloquia Dei significata per spolia in scriptura. 182. pag. 93. f
Ephraim tribus ex Ioseph stirpe procreata. 155. 164. pagina 81. m. & pagina 86. p. Inde maximos Reges ac principes extuisse. 177. pag. 91. m. Non esse eam præteritam à Ioanne in Apoc. inenumeratione aliarum tribuum vt quidam existimant. 133. pag. 71. p
Equus animal superbè mundum designat. 135 pag. 71. f
Esdrelon campus in tribu Issachar fertilissimus & amœnissimus. 114. pag. 63. m
Esther ac Mardocheus ex tribu Beniamin significati in prophetia de tribu Beniamin. 178. & 181. pag. 92. p
Euangelicæ legis tempus denotari per nouissimos dies. 10. pag. 8. f
Eucharistiæ sacramento applicatur mystice prophetia quæ est de Aser (Pinguis est panis &c.) 149. pag. 78. p

F

Filius Dei dicitur Catulus Leonis, vt significetur consubstantialis Patri. 56. pag. 31. f
Filium esse contumacem in parentes magnum scelus. 24. pag. 15. f. Eos corrigere esse boni patris officium. ibid. Filij Iacob in duplici differentia, alij secundum carnem, secundum spiritum alij. 7. pag. 7. p
Fideles sunt indumentum Christi. 59. p. 33. m
Fiat, in scriptura apud Prophetas ponitur sæpe pro fiet. 123. pag. 57. m
Fornicationem cum nouerca qualiter detestatus est Paulus. 19. pag. 13. p
Fortitudo mea cur dictus Ruben à Iacob. 12. pag. 10. p

G

Gabaonitas ex tribu Beniamin fortissimos milites. 185. pag. 95. p
Gad prophetia variè exponitur. 140. pagina 73. m. eius mystica interpretatio. 142. pag. 74. f. Gaditarum virtus bellica. 141. pag. 7. p.
Gentium expectatio quomodo fuit Christus. 49. pag. 28. f. eas etiam nomine gentium vocat scriptura post earum conuersionem ad fidem. 50. pag. 29. p
Gentilis populus cum Iudaico per Christum vnitus. 79. pag. 33.

H

Hebræo populo vt primogenito accommodatur imprecatio Iacob facta filio suo Rubē. 21. pagina 14. p. Hebræi Christum crucifigentes maledicti sunt, tali maledictione quali Iacob maledixit filio suo Ruben. 21. pagin. 14. p. Nec non & filiis suis Simeoni & Leui. 37. pagin. 21. f. Quando hic populus primum Iudæorum nomen obtinuerit. 101. pagin. 55. m. Ipsi Antichristum colent pro messia rege suo. 134. pagin. 71. m. Eorum reges ac principes multi prodierunt ex stirpe Ioseph. 176. pag. 91. p. Quadruplex eorum regimen. 63. pag. 36. p. huius regiminis successus. 72. pagin. 40. m. Eorum lapsus in explicanda scriptura. 32. pagin. 18. f

Hercules qualis secundum fortitudinem describitur à Poëtis, talis reuera fuit Samson, & fuisse amhos coæuos. 121. pagin. 60. f

Hæreticos quos prædixerit futuros, Beatus Paulus illis verbis (homines seipsos amantes.) 9. Eis secundum tropologicum sensum accommodatur imprecatio illa Iacob qua mala imprecator filio suo Ruben. 23. pag. 15. p

Herodis tempore defecisse sceptrum in Iuda 62. pag. 34. f. 91. & seq. pag. 49. f. & 50. præcipue 96. pag. 51. f. Per vim, & per auctoritatem Pop. Rom. Iudæorum regnum iniquè adeptus est. 93. & 95. pagina. 52. p

I

Iacob nouissima verba quæ locutus est filiis suis cur potius dicantur benedictiones, quam Prophetiæ. 1. & 2. pag. 3. m. f. 4. p. Cur in his nouissimis verbis his repetierit verba hæc (congregamini & audite.) & Quale fuerit genus prophetiæ quo Iacob prædixit ventura filiis suis. 8. pag. 7. m. Quæ prædixit, quo tempore contigerint ibidem.

In edendis his prophetiis sæpe alludit ad nomen filij quem alloquitur. 107. pag. 59. f. & 122. pag. 57. p. Ipsum plurima à Deo accepisse beneficia & reuelationes. 172. pag. 89. m. Cur tantopere desiderarit sepeliri in terra Chanaan. 188. Ab eius morte vsque ad aduentum Messiæ quot anni intercesserint. 62. pag. 35. p.

Iacula vel sagittas ponit aliquando scriptura pro verbis duris & asperis. 158. pag. 82. m.

Iephte an fuerit ex tribu Gad. 141. pag. 74. p. m

Imperium Iudæorum quando defecerit. 63. pag. 36. p

Impiis cur imprecati sint aliquãdo sancti viri mala. 18. pag. 12. m

Inimici hominis tres. 145. pag. 75. f

Iordanis fluuius. 138. pag. 72. f

Ioseph prophetia cur tam copiosa & luculenta. 155. pag. 81. p. ex eius stirpe duæ tribus ortæ, 164. pag. 86. p. Cur dictus sit Nazaræus. 175. pag. 90. f. figuram gessit Christi domini, 157. pag. 28. p. eius pulchritudo cur narratur. 156. & 158. pagina 81. f. & 82. m. cur comparatur tauro. 32. pag. 9. p. An eius cædes præcipue à Simeone & Leui procurata sit 32. ibidem.

Issachar tribus. 113. pag. 63. p. Regio quæ ei contigit sorte in diuisione terræ Chanaan fertilissima describitur. 116. pag. 64. p

Iuda filij Iacob laus. 39. pag. 23. p. Eius fortitudo 42. Iuda terra fertilitas. 52. pag. 30. p. Vaticinij de Iuda mystica explanatio. 54. pa. 31. p. In eius tribu adhuc remanere sceptrum ait Kabbi Salomon: sed refellitur. 67. pag. 37. m. Non fuisse perpetuo sceptrum in Iuda, quomodo igitur intelligendum non defecisse ex ea sceptrum vsque ad Messiæ aduentum. 73. pag. 41. p. Cum Iudæis disputatio de hac prophetia. [Non auferetur, &c.] 64. pag. 36. f. Expositionem veriorem huius prophetiæ videntur attigisse Iustinus Martyr. 94. pag. 51. f. Eusebius Cæsariensis. 95. pag. 53. p. Athanasius ibi. m. Ambrosius. ibid. Chrysosto

Chrisostomus.96.pag.52.f. Aug.ibid.pag.53.p. Rupertus. 97. pag.53.m. Auctoris sententia quomodo intelligendum, non defecisse sceptrum in Iuda.92. pag.50.f. Iuda nomen quod significat confessionem optimè quadrat in Christum. 54. pag. 31.p. Quandiu in eius tribu manserit principatus Hebræi populi.72.pag.40.m. Eius tribum solam rediisse mixtam cum tribu Beniamin ex captiuitate Babylonica, & terram Iudæorum, maximè ad tribum Iuda pertinuisse.102. pag.55.f

Iudæos Christum interficientes maledictos olim à Iacob, Ambrosij opinio.20.pag. 13.m. Eorum imperium quando defecerit. 62.pag. 34.f. & 35. p. & quomodo 63. pag.36. p. A tempore prophetiæ Iacob vsque ad hanc defectionem quot anni interfluxerint. 62.pag. 35.p. Regimen eorum quale fuerit. 63. pag.36.p. Eorum imperij successus per Duces, Iudices, Reges, ac Pontifices. 72. pag. 40.m. & 95. & pagin. 52.p.m. Apud eos dicebantur esse aliqui ex aliqua tribu non propter genus maternum, sed propter genus paternum.78.pag. 43.m. Iudæorum nomen quando primum obtinuerint. 101. pag.55.m

Iudicum tempore apud Hebræos fuisse gubernationis formam Aristocratiam. 104. pag.56.f

Iudicij extremi prænuncius Antichristus.136. pag. 72.p. Illud expectat ecclesia militans & triumphans.58. pag.33.p

Iudith quomodo laudarit Simeonem ob cædem Sichimitarum, cum propterea à Iacob vituperatus sit. 27. & sequent. pag.17.p.m

Iusto accõmodatur egregiè prophetia de Issachar.119. pag.65.f

L

Laboris duplex genus.120. pag.60.p.

Lapis angularis Christus Dominus quomodo figuratus.59. pag.33.m

Laudant Christum & sancti & vniuersa ecclesia, & quomodo.54. pag.31.p

Laudari solent aliqui, & beati prædicari ex quatuor præcipue rebus.164. pag.86.p

Legem Mosis polluerunt Hebræi.21.pag.14.p

Vt Leo mortuus est Christus. 57. pag.32.m. De Catulo Leonis mira narrat Ruffinus.57. pag.32.f

Leui & Simeon maledicti à patre ob cædem Sichimitarum. 25. & sequent. pag. 16. eorum tribus non fuit separata & distincta ab alijs sed potius mixta cum illis. 33. pagin.9.f. in tribu Leui fuisse multos annos principatum populi Hebræi. 72. pag.40.m

Libidinis intemperantia quale, & quantum malum.16. pag.11.m

Liquorum aquæ, olei, vini, lactis, mellis, &c. differentia. ibid.

Lucifero accommodatur maledictio Iacob qua maledicit filio suo Ruben.21. pag.14.p

M

Machabæos fuisse ex tribu Iuda, & idcirco penes eos fuisse sceptrum Iuda, nec defecisse vsque ad Herodem quorundam sententia.78. pag.43.m

Magistros ac pædagogos puerorum apud Hebræos fuisse ex tribu Simeonis, 33. pag.9.f

Mala cur sancti imprecari sint aliquando impijs.18. pag.12.m

Mansueti ac humilis viri laus.119. pag.65.f

B. Mariæ benedictiones ac beatitudines. 165. pag.86.m

Mari vicinos populos esse opulentos. 108. pag. 60.f. ac cæteris etiam vitiosiores. 110. pag.61.m

Mechochec verbum Hebræum quod latinus vertit Dux quid significet 45. pag.26.p

Messiæ aduentus tempus significari aliquando per hæc verba (Nouissimos dies.) 10. pag. 80. Quo maximè prophetia eius ad-

uentus prænunciatus sit.39.pag.23.p. De eius aduẽtu promissiones tres.45.pag.26.p. Tria eius nomina.45. Nomine (missi) sæpe significatur in Scriptura. 46. pag. 27. p. Nomine item quietis ac pacifici ibidem. Eius aduentus omnibus fuit necessarius & desiderabilis.47. pag. 27. m. Quomodo fuerit expectatio gentium, cùm eum gentes non cognouerint. 49. pag. 28. m. f. Principatum eius in priori aduentu fuisse spiritualem, non autem temporalem vt Iudæi existimant. 88. pag.48.m. Fuit desiderium collium æternorum, & illud quomodo intelligendum.167. pag.87.m

Militiam esse vitam nostram super terram. 145. pag.75.f

Mors & sepultura fuit requies Christi. 57. pag.32.m

Moriens Christus maximam fortitudinem ostendit.57. ibidem.

Mori aliquem quibus phrasibus in scriptura explicetur.198.

Morti proximam animã reddi diuiniorẽ quorundam Philosophorum opinio. 6.pag.6.m

Moses cur tribũ Simeonis sine benedictione præterierit. 34. pag.20.m. benedicit tribui Gad.146. pag.76.p

Moses instituit Collegium Septuaginta virorum seniorum.83.pag.45.f. Sepultus est in monte Nebo ad sortem Gaditarum pertinente.146.pag.76.m. Eius benedictione qua benedixit tribui Ioseph,explicari egregiè prophetiam Iacob de Ioseph. 117. pag.64.f

Mulier vaga describitur.158. pag.82.m

Mundus per equum animal superbũ & ambitiosum significatus.135. pag.71.f

N

NAbuchodonosor regis tempore defecisse sceptrum in Iuda & tunc vaticinium Iacob esse completum falsò interpretati sunt Iudæi & Iulianus Apostata. 69. pag.38.f

Nazarei apud Hebræos qui fuerint. 175. pag.90.m

Nazareth vrbs in sorte Zabulon.109. 61.p

Nominis allusionem in prophetijs suis secutus Iacob filios alloquendo. 122. 155. pag.57.p. & pag.81.p

O

OBedientia & subiectio populorum erga Christum Dominum & Dauidem regem.48. pag.28.m

Oculi Ecclesiæ Apostoli & Prophetæ. 60. pag.33.f

Olei feracissima regio tribus Aser. 147. pag. 77.p. Eius vsus frequentissimus in Oriente apud Principes. ibidem.

Oleaster non rectè dixit fabulosum esse, Antichristum de tribu Dan futurum. 131. pag.70.m

Origines quo argumẽto confirmarit duos suos errores, Vnum, quosdam Angelos esse incarnatos:alterum, in astris legi à peritis astronomis futuras actiones & euentus hominum.3. pag.4.m

P

PAnis vocabulo apud Hebræos significari omne genus alimenti.147. pag.77.p

Pace perpetua fruitur iustus.120. pag.60.p

Parentum bonorum esse filios corrigere. 24. pag.15.f. in eos esse contumaces filios magnum,scelus. ibid.

Pastores ecclesiæ significantur nomine dentium.61.pag.34.p. Pastor Ioseph.161. pag. 84.p.Eorum munus cõpetit Regibus.162. pag.84.f

Patriarcharum ac vet.test. Patrum mos conuocandi filios cum essent morti proximi. 4. desiderarunt videre diem Christi.159. pag.83.p

B. Paulo competere & bellè accõmodari prophetiam Iacob, quæ est de Beniamin. 182.

pag.93.m
B. Petrus Alexandrinus miram vidit visionem.59. pag.33.m
Plato vrbem quæ futura esset metropolis suæ Reipublicæ, optabat nec esse mari adiacentem, nec longè distantem. 110.pag. 61.m
Pontifex Maximus Princeps Ecclesiæ, nec eius principatus deficiet vsque ad secundum Christi aduentum: & hoc figuratum à Iacob illis verbis. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est. 58. pag.38.p.
Pontifices fuisse ex tribu Iudæ quantum ad genus maternum, idcirco etiamsi dicatur sceptrum fuisse apud eos, non defecisse propterea tamen sceptrum in Iuda, Lyrani ac Tostati sententia, sed refellitur. 76.pag. 42.f
Prædator Christus quales prædas retulerit de inimicis suis.57. pag.32.m
Prædicatoris munus.61. pag.34.m
Prælati velut primogeniti in populo Dei. 23. pag.15.p
Primogenitus patris cur dicatur fortitudo. 11. pag. 9. m. Cur principium doloris. 12. pag. 10. p. Duplex eius prærogatiua. 13. pag. 10. m. Ante legem Mosis reperiuntur eorum prærogatiuæ fuisse octo.14. pag. 10.f
Prophetia qua Iacob futura prædixit filijs suis, cuiusmodi fuerit.8. pag.7.m

R

REges rectores populi appellantur pastores.162. pag.84.f
Rhinoceros quale animal, & cur ei comparatus Ioseph.177. pag.91.m
Religionum fundatores morti proximi suos conuocabant, eósque exemplo patriarcharum ad virtutem adhortabantur. 5. pag. 6. p.
Resurrectionis Christi post triduum sepulturæ, egregia similitudo ex Catulo leonis. 57. pag.32.m
Resurgente Christo multos è sanctis patribus cum eo resurrexisse.100.
Ruben cur dictus fortitudo patris. 11. pag. 9. m. cur principium doloris eius. 12. intemperantia ac libido. 16. pag. 11. m. tribus illius non fuit ampla, vt cæteræ. 17. pag. 12.p. ex eo primogenitura translata est in Iudam quantum ad principatum. 42. pag.24.f

S

SAcerdotes apud Hebræos ante legem erant primogeniti: post legem, assumpti sunt in loco primogenitorum. 14. pag. 10.f
Rab. Salomonis lapsus.30. pag.18.p.
(Salutare tuum expectabo Domine) locus obscurus, & varie exponitur. 125.pag. 68.p.
Samson fuit ex tribu Dan. 121. pag. 60. f. & ei accommodatur prophetia quæ est de Dan. 8. pag. 7. m.f. fortissimus Dux populi Hebræi. 123. pag. 57. m. quod demolitus sit theatrum Philistæis principibus repletum, prædictum à Iacob.124. pag. 57.f. fuisse magni roboris, sed non tantæ prudentiæ. 129. pag. 69. p. Decem rebus fuit figura Christi. 57. & 129. pag. 69. m. & pag.32.m
Sancti cur aliquando imprecentur mala hominibus.18. pag.12.m
Saule ad regnum assumpto defecisse sceptrum in Iuda, commenti sunt Iudæi.68.p. 38.p. fuit ex tribu Beniamin, & quomodo ei competat prophetia Iacob de Beniamin.178. pag.92.p
Scelus commissum nunquam remanet impunitum.24. pag.15.f
Sceptrum de quo in prophetia Iacob) Non auferetur) Iudæi interpretantur virgam tribulationis, & non dominationis, sed falso. 65. pagin. 36. f. De variæ significatione eius vocis. 74. pagin. 41.m.

Sceptrum non auferetur, &c. quomodo hæc prophetia completa sit in Messia, disputatur cum Iudæis. 64. & seq. pag. 36. m. f. cum Christianis doctoribus. 72. & seq. pag. 40. m. f

Scribarum ac Phariseorum nefarium contra Christum consilium, execratum in spiritu à Iacob. 37. pag. 21. m

Senatus. 70. virorum à Mose institutus. 83. pag. 45. f

Sepeliri cur tantopere concupierit Iacob in terra Chanaan. 188. pag. 97

Shaddai verbum Hebræum quod Latinus vertit, omnipotens, quid significet. 163. pag. 85. m

Sichimitarum cædes facta à Simeone & Leui, quot & quanta scelera secum complicata habuerit. 25. pag. 16. p

Sidon vrbs nobilissima num fuerit in sorte tribus Zabulon. 108. pag. 60. f

Simeon laudatus à Iudith ob cædem Sichimitarum, & maledictus à Iacob sine vlla veritatis iniuria. 27. pag. 17. p. ex eius tribu fuisse pædagogos & magistros puerorum in populo Hebræo. 33. pag. 20. p

Simeon senex quemadmodum expectauerit aduentum Messiæ. pag. 53. m

Socratem morti proximum facit Plato diuinare futura. 6. pag. 6. m

Spolia qualia retulit Christus ab hostibus suis. 57. pag. 31. m

Synagoga comparata cum Ecclesia Christi sterilissima, & quodammodo habuisse, & non habuisse vbera, dici potest. 166. pag. 87. p

T

TAuri primogenitus pulcherrimus & fortissimus, eique comparatus Ioseph. 177. pag. 91. m

Thabor mons in sorte Zabulon. 109. p. 61. p

Thargum Hierosolymitanum quomodo, has prophetias Iacob etiam de bonis cœlestibus exponat. 10. & 32. pag. 8. f. & pag. 9. p.

Templum Domini in Hierusalem fuisse primum in sorte tribus Beniamin, & ei competere prophetiam Iacob de Beniamin. 179. & seq. pag. 92. m. f

Terræ bonitas quibus rebus constet. 163. pag. 85. p

Testamentum Patriarcharum erat liber qui olim circumferebatur, sed apochryphus. 4. pag. 5. m

Tribum aliquando in scriptura significari vocabulo (Sheuet.) 82. pag. 45. m. Hebræos, cùm aliquot viros prudentes ad aliquod insigne munus eligebant, vt inde Senatum efficerent, ex omnibus tribubus seligere solitos. 85. pag. 46. f

V

VAs in scriptura quàm varia significet. 25. pag. 16. p

Vbera B. Virginis ac Ecclesiæ fœcundissima. 165. & 166. pag. 86. m. f. pag. 87. p

Vestis Christi Ecclesia est. 59. pag. 33. m

Verbum Dei quomodo prædicandum. 69. 38. pag. f

Vindictæ quale genus sit valde execrandum. 38. pag. 22. p

Vini quatuor laudes. 60. pag. 34. p

Virga quid aliquando in scriptura significet. 45. pag. 26. p

Z

ZAbulon tribus maritima & Sidoni proxima. 106. pag. 59. f. habuit tria tempore Christi ad laudem insignia. 109. pag. 61. p. Quæ loca fuerunt in ea nobilia. ibidem.

In Zorobabelis stirpe permansisse sceptrum in Iuda vsque ad Herodem B. Cyrilli sententia, sed refelliur. 75. p. 42. p

INDEX

LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI EXPLICANTVR IN LIBRO DE Benedictionibus Patriarcharum.

Numeri sub finem cuiusque sententiæ subiuncti, significant numeros in margine eius libri expressos, sequentes verò paginam.

Numerorum capite 11.

CONGREGA mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti quod seues populi sint ac magistri & duces eos ad ostiū Tabernaculi fœderis,& auferā de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. num. 83.& sequentibus. pag.45.f.& seq.p

Deuteronomij. 33.

Viuat Rubem & non moriatur & sit paruus in numero.17.pag.12.p

Deuteronomij. 33.

Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum : manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit. 41. pag.24.m

Deuteronomij. 33

Et Beniamin ait : amantissimus domini habitabit confidenter in eo, quasi in Thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.181. pag. 93.m

Deuteronomij 33.

Ioseph quoque ait de benedictione domini terra eius, de pomis cœli, & rore atque abysso subiacente, &c. *quæ ibi sequuntur.*174.175 pag. 90.m.f

Deuteronomij 33.

Lætare Zabulon in exitu tuo, inundationem maris quasi lac sugent & thesauros absconditos arenarum, 108. pag.61.p

Deuteronomij 33.

Lætare Issachar in tabernaculis tuis : populos vocabunt ad montem : ibi immolabunt victimas iustitiæ. 113. pag. 63.m

Deuteronomij 33.

Benedictus in latitudine Gad. quasi Leo requieuit, cœpítque brachium & verticem,&c.146.pag.76.p.m

Deuteronomij 33

Dan Catulus Leonis fluet largiter de Basan. 137.pag.72.m

Deuteronomij. 33.

Nephthalim abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem possidebit. 153. pag.80.m

Deuteronomij. 33.

Benedictus in filius Aser, sic placens fratribus suis. & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum eius sicut dies iuuentutis tuæ: ita & senectus tua.148.pag.77.f

Iudith capite.9.

Deus patris mei Simeonis, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem, & dedisti mulieres illorum in prædam seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum. 27.pag.17.p

1.Machabæorum capite. 5.

Et viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israël, & gentium omnium, vbi audiebatur nomen eorum 78.pag.43.f

Aggæi 2.

Adhuc vnum modicum est, & ego mouebo cœlum & terram, & mare & aridam, & omnes gentes: E desideratus cunctis gentibus

Ioannis 4.

Dicit ei mulier, Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia pag.57.m

Ad Hebræos 7.

Manifestum est enim, quod ex Iuda ortus sit Dominus noster, de qua tribu nullus altari præsto fuit.78.& 81. pag. 43.m.& pag.45.p.m

FINIS.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

LIBER OCTAVVS,

QVI EST CAVSA PROPTER quam missum à Deo est Diluuium,

HISTORIA MOSIS

Ex capite sexto libri Geneseos.

1 CVMQVE cœpissent homines multiplicari super terram & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum
2 quod essẽt pulchrę, acceperũt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. Dixit-
3 que Deus, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: erũtque dies illius centum viginti anni. Gigantes autẽ erant super terram in diebus illis. Postquã enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum illæq; genuerũt, isti sunt potentes à seculo,
5 viri famosi. Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intẽta es-
6 set ad malum omni tempore: Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et præcauẽs in futurum, & tactus
7 dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominem quem creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli, pœnitet enim me fecisse eos.

PRÆFATIO.

DVÆ res in sexto capite libri Geneseos præcipuè tractantur. Primùm enim causam exponit Moses cur Deus generali diluuio totius orbis terrarum, vniuersum genus hominum atque animalium (paucis exceptis) perdere ac delere voluerit. Deinde structuram describit Arcæ iussu Dei à Noë fabricatæ, qua ipse cum familia sua, & aliquot cuiusque speciei animalibus, Diluuij cladē euadens, tanquam seminarium futuræ posteà reparationis, & renouationis mundi, conseruaretur. Sed nos in priori parte huius Capitis, id est, in causa diluuij explicanda, hunc octauum librum consumemus. Causam verò illati Diluuij docet Moses fuisse hominum illius temporis improbitatem, nequitiam & malitiam: non qualemcúnque sed enormen, immanem, intolerandam, quæque modum omnē & mensuram excedens, Deum ceteroqui clementissimū, & humani generis amantissimum, ad internecionē omnium penè hominum compulerit. Fuit autem hominum eius temporis improbitas quatuor maximè rebus insignis. Primò, fuit generalis, id est, non paucorum hominum, sed omnium exceptis duntaxat octo, qui ab exitij diluuij seruati sunt: qui an omnes boni fuerint, an propter Noë sanctitatem alij septem seruati sint, non omnino certum est. Nec ea improbitas, posterorum Cain, hominum scilicet impiorum ac sceleratorum tantùm fuit, sed ex sanctissimis viris Seth & Enos progenitos etiam peruasit: ita vt, qui propter genus ex sanctissimis parentibus ductum, & quòd ipsi diuinæ sapientiæ, pietatis, iustitiæ ac sanctitatis professores essent, filij Dei appellabantur, eadem mali contagione infecti & corrupti fuerint. Fuit igitur generalis eo tempore hominum malitia: quod significans Moses: *Omnis* inquit,

Qualis fuerit improbitas hominum ante diluuiū.

inquit, *caro corruperat viam suam super terram.*

DEINDE non fuit mediocris aut tolerabilis improbitas, sed summa, & ad extremum perducta nequitia, & vt loqui solet scriptura, completa, vel consummata malitia. Quod indicauit Moses, cùm dixit, vidisse Deum quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Nec verò fuit breuis improbitas, sed lõgissimo tempore durauit, per annos scilicet prope septingentos: vt admirari liceat incomparabilem Dei patientiam, & longanimitatem, qui tandiu tantam morum peruersitatem, & vitiorum colluuiem sustinuerit, expectans dum homines illi resipiscerent, & pœnitentiam agerent. Sed illi *secundum duritiam suam & impœnitens cor*, thesaurizabãt sibi *iram Dei*. Illud denique magnitudinem malitiæ eorum hominum declarat, quod sæpe moniti, & diuinis comminationibus territi, & per cẽtum annos, arcam vidẽtes à Noë fabricari, certissimum futuri diluuij & generalis exitij hominum testimonium & argumentum, nullo tamen modo à sua impietate & prauitate reuocari potuerunt. Hoc licet apertis verbis non dicat Moses, ex eo tamen licet conijcere, quod scribit Deũ hominibus illis cẽtum viginti annos indulsisse: spatium scilicet resipiscendi, & pœnitentiæ agendæ impartiens. *Rom. 2. A*

2 NEC ad id persuadendũ non facit, quod B. Petrus posterioris Epistolæ suæ cap. 2. Noë appellat iustitiæ præconem: ex quo significatur, eum hominibus sui temporis prędicasse iustitiam Dei, id est, iustitiam illam scelerum vindicem, & vltricem, quæ eorum flagitia nisi ab illis discederẽt, atrocissimo esset supplicio punitura. Vel prędicabat iustitiam, docens quàm æquum & iustum esset colere Deum potius quàm creaturam, & diuinis iussis obsequi, & cælestia atque æterna bona cõcupiscere & sectari potius, quàm terrena & mortalia: vel prædicabat iustitiã, quæ seruanda & exercenda est erga proximum, abstinendo scilicet & manus, & animum ab omni maleficio. Talis igitur tantáque fuit improbitas illius temporis, quæ supplicĩ diluuij promerita est. Nec absimilis futura est malitia, quæ generale illud orbis incendium in consumma- *Locus Petri epist. 2. ca. 2. Quomodo Noë præco fuerit iustitiæ.*

tione seculi præcedet: quod non obscurè indicauit Dominus Luc. 18. & Matth. 24. cum dixit, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* & *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum:* & Infrà: *sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes. Ita erit & aduentus Filij hominis.*

AT enim Berosus Annianus qualis quantaue fuerit hominum eius temporis improbitas, subtiliter, & distinctè enarrauit, Non me fugit, hunc Berosum non esse verum illum à Iosepho, Eusebio, Hieronymo, aliisque scriptoribus antiquis frequenter & honorificè nominatum: idque nos libro vndecimo nostrorum commentariorum in Danielem quæstione prima manifestis rationibus addiximus: sed lubet nihilominus tamen in his commentariis nonnulla ex eo libro deprompta commemorare: tum quòd sint quædam narrationi Mosis satis affinia, & per se verisimilia: tum etiam vt gratificer quibusdam viris doctis, qui semel illius Berosi Anniani studio fideque occupati, quamuis posteà grauissimis cõuicti argumẽtis, eius tamen libri amorem ægrè possunt exuere. Sic igitur ille prodidit in exordio suæ historiæ, cuius ante diluuium originem repetit: *Antè aquarum cladem famosam, qua vniuersus periit orbis, multa præterierunt sæcula, quæ à nostris Chaldæis fideliter fuerunt seruata. Scribunt autem, illis temporibus circa Libanum fuisse Enos vrbem maximam gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur. Hi vastitate corporis ac robore confisi, inuentis armis omnes opprimebant, libidiniq; inseruientes inuenerunt instrumenta musica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabant aborsus, & in edulium præparabant. Commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, masculis & brutis, nihilq; sceleris erat quod non admitterent, contemptores religionis & deorum. Tunc multi prædicabant, & vaticinabantur, & lapidibus incidebant sua vaticinia de ea quæ ventura erat orbis perditione. Sed enim illi istis assueti deridebant omnia, cœlestium illos ira atque vltione peruagente, pro impietate atque sceleribus.* Sic Berosus Annianus.

Cur Auctor citet Berosũ Annianum quẽ ipse putat fictum.

Berosus Annianus de causa diluuij.

Iosephus. Iudæus.

VERVM qui credat, Iosephum, qui omnia de Diluuio & Arca ab Ethnicis scriptoribus tradita vndecunq; sedulo & curiosè collegit, hoc de causa Diluuij tam expressum

& luculentum, & cum narratione Mosis tam aptè congruens testimonium, si à vero Berosо, quẽ toties ille rerum Hebraicarum testem excitat, esset proditũ, fuisse prætermissurum? Præsertim verò cum breuem quandam Berosi sententiam de Diluuio & arca Noë non omiserit referre in primo libro Antiquitatum his verbis: *Berosus Chaldæus narrans de hoc diluuio Noë sic ferè scribit: Fertur & nauigij huius pars in Armenia apud montem Gordyæorum superesse, & quosdam bitumen inde abrasum secum reportare, quo vice amuleti homines æius loci vti solent.*

CAPVT SEXTVM.

Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent. VERS. 1.

HIS verbis denotauit Moses tempus quo cœpit in terris vigere intolerabilis hominũ malitia, quæ diluuij vindictam meruit. Quo tempore, inquit, humanum genus multiplicari cœptum est, eo tempore enormis hominum nequitia vigere cœpit in terris. Multiplicari cœpit humanum genus viuente Adamo, quin etiam intra ducentos vel trecentos annos ab exordio mundi vehementer esse multiplicatum credibile est: cùm ex sacris litteris constet, posteritatem Iacob per annos non amplius trecentos in tantum fuisse multiplicatam, vt in egressu Hebræorum ex Ægypto sexcenta millia bellatorum recenserentur exceptis mulieribus, paruulis & senibus. Nynus rex Assyriorum imperium iniit annis post diluuium circiter ducentis quinquaginta: quo tam paruo temporis spatio adeo propagatum est humanum genus, vt in solo Nini exercitu, peditum decies septies centena millia, equitum ducenta millia, curuum falcatorum paulò minus decem millia & sexcentos fuisse tradat libro 3. capite 2. ex Ctesia scriptore Diodorus Siculus. Cum igitur in exordio mundi maximam fuisse humanæ naturæ fœcunditatem credendum sit, magnam quoque id temporis hominem multiplicationem breui esse factam non est dubitandum.

Exod. 12. F.

Magnitudo exercitus regis Nini.

Diodorus Siculus.

6 QVAMOBREM eam multiplicationem hominum, de qua Moses hic loquitur, facta esse putat Caietanus ab eo tempore quo Cain interfecit Abel, id est, anno circiter trigesimo & centesimo ab orbe condito: tunc enim dixit Cain, *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Sed vero similius est, Mosen non de qualibet multiplicatione hominum esse locutum, sed de numerosissima & longè latéque diffusa. Verius

Quando cœpit secundum Caietanum multiplicatio, & malitia hominũ ante diluuium.

Ioſephus. igitur dictu eſt, quod Ioſephus tradit primo libro Antiquitatum, inſignem illorum hominum ante diluuium propagationem, & declinationem ad malum, ſeptima poſt Adamum generatione contigiſſe. Scribens enim de poſterorum Seth honeſtis ſtudiis, egregiiſque virtutibus ſubiecit: *Hoc modo*, inquit, *per ſeptem generationes perſeuerauerunt vnum Deum colentes omnium rerum Dominum, ſemperq; virtutis reſpectum habentes. Procedente deinde tempore à patris inſtitutis degenerauerũt, neque humana iura ſeruantes, neque Deo conſuetos honores perſoluẽtes: & qui priùs certatim virtutem exercuerant, poſtea duplo maiori ſtudio malitiana conſectabantur, atque ita Deum infenſum ſibi reddiderunt.* Hæc Io-

Theodoretus. ſephus: quibus affinia ſunt quæ tradit quæſtione in Geneſim 47. Theodoretus: *Poſteri Seth* (ait Theodoretus) *tanquam pij & boni, cognominati ſunt filij Dei, ſeparatum enim erat genus Seth, & nõ permiſcebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei à Deo maledictionem. Multo autem poſt tempore* (*nam poſt annos plus mille diluuium induxit Deus*) *videntes filias cognationis Cain ſpecioſas: & illecti* (*vt veriſimile eſt*) *inſtrumentis muſicis ab eis excogitatis* (*Thubal enim inter eos florens, pſalterium, & cytharam inuenerat*) *permiſti ſunt illis, & contaminauerunt nobilitatem ſuam.* Hæc Theodoretus. Horum ego ſententiæ libenter accedo. Etenim probabile admodum eſt, per illud tempus ſeptimæ ab Adamo generationis, illam notabilem humani generis deprauationem cœpiſſe: tunc enim polygamiam coli cœptam, exemplo Lamech coniicitur: tunc tranſlatus eſt Henoch, qui ſeptimus fuit ab Adam, videlicet: *ne malitia*, quæ vigere incœperat, *immutaret cor eius, & ne fictio deciperet animum illius*, vt in quarto capite libri Sapientiæ ſcriptum eſt. Tunc per filios Lamech inſtrumenta muſica, laſciuiæ & luxus irritamenta, & arma, belligerandi & crudelitatis exercendæ inſtrumenta fuêre adinuenta. 8

NON permitto mihi nec eas quidem opiniones præterire, quas falſas & abſurdas iudico, ſi vel à magnis viris proditæ, vel magnis viris attributæ ſunt: cùm ſatius ſit, omnium quæ memorabilia ſunt, lectori copiam fieri, & quæ improbamus damnare potius quàm præterire. Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ in Hiſtoria libri Geneſeos, capite 31. neſcio quam memorat Methodij ſententiam, quæ adhunc locum Moſis pertinet. Tradit enim Methodium tempus, quod fuit ab exordio mundi vſque ad diluuium, in tres fere chiliadas annorum digeſſiſſe. Et quingenteſimo anno primæ chiliadis poſt orbem conditum, filios Cain abuſos eſſe vxoribus fratrum ſuorum nimis fornicationibus: ſexcenteſimo anno mulieres verſas in veſaniam, ſupergredi viros, & ſic illis abuti cœpiſſe: mortuo Adam, Seth cognationem ſuam à cognatione Cain ſeparauiſſe. Adam namque viuens cõmixtionem eorum fieri prohibuerat; & habitaſſe Seth in Cordam quodam monte proximo Paradiſo, Cain autem in campo vbi occiderat Abel, quin-

Gen. 4. genteſimo anno ſecundæ chiliadis exarſiſſe homines in mutuos concubitos: ſeptingenteſimo autem anno eiuſdem chiliadis filios Seth concupiſſe

Memorabil. hiſtoria, ſed falſo adſcripta Method. ex magiſtro Hiſtoriæ ſcholaſtica. 9

concupiſſe filias Cain: & inde ortos eſſe gigantes: denique incœpta
10 iam tertia chiliade veniſſe diluuium. Hæc Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ ex Methodio refert. Sed hæc falſa ſunt, & afficta Methodio. Nituntur enim manifeſto errore Chronologiæ, computatis ab exordio mundi vſque ad diluuium plus duobus annorum millibus; cùm tempus illud non niſi mille ſexcentorum & quinquaginta ſex annorum fuiſſe exploratum certumque ſit. Qua de re diligenter à nobis diſputatum eſt in ſeptimo libro prioris tomi Commentariorum noſtrorum in Geneſim, in Diſputatione de chronologia eius temporis per tres eius quæſtiones.

11 CETERVM non eſt illud nouum, vel obiter hoc loco conſiderandum: Cum multiplicari cœperunt homines, tunc eos fieri cœpiſſe deteriores: vt, quod eſt apud Eſaiam capite nono, vere hic poſſit dici: *Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam.* Et ipſa quidem multiplicatio hominum, ingens ſanè benignitatis diuinæ beneficium erat, magnumque bonum humanæ naturæ, vt ad pietatem & religionem aduerſus Deum augendam potius, quàm ad Dei contemptum, ſui corruptionem, aliorumque violentam oppreſſionem proficere debuerit. Sed non decebat propterea Deum parciorem ad benefaciendum eſſe, quòd eius beneficiis ad eius contemptum, ſuique perniciem abuſuri eſſent homines. Paucis hoc, ſed elegantibus verbis expreſſit Ambroſius in libro quē ſcripſit de Noë, & Arca, cap. 3. Sed abſoluam quod paulò ſupra orſus ſum dicere, in ipſa multiplicatione hominum non multiplicari virtutem, ſed flagitia: Sic profecto vſu venit, vt paucitatis hominum atque paupertatis comes, ferè ſit induſtria & frugalitas: multitudinis verò & opulentiæ, ſocordia & nequitia. Licet hoc animaduertere in multis quondam florentiſſimis ciuitatibus, Rebuſpublicis atque imperij, quinetiã impiorũ hominum congregationibus prudenter ordinatis, & diu ſanctitatis laude inclytis. Cùm enim pauci erant homines, & haud magnis naturæ ac fortunæ præſidiis, & ornamentis inſtructi, complures eorum fuiſſe proditum eſt, egregios viros eam priuatis ſtudiis & moribus, tum publicis muneribus tractandis, rebuſque domi ac militiæ gerendis: contrà verò multiplicatis hominibus, prolato imperio, opibúſque priuatim & publicè auctis, paulatim labente diſciplina pleróſque degenerauiſſe, & indies factos eſſe deteriores, donec eo nequitiæ ventum ſit, vt quæ prius apud eos fuerant incitamenta virtutum, & clarorum facinorum præmia, eadem poſteà fuerint vitiorum irritamenta, & maleficiorum pretia. Exemplis Græca & Romana, ſed præter omnes Chriſtiana referta eſt hiſtoria.

Memorabilis obſeruatio: quod in paucitate hominũ magis vigor virtusquæ in multitudine

12 SED quam eius rei cauſam exiſtimare oportet; An etiam in rebus humanis, vt in naturalibus, virtus vnitas fortior eſt, quàm diuiſa; In paucitate autem hominum magis vnita eſt virtus meliuſque ab omni contagio mali ſeruari poteſt illibata quàm in multitudine. An multitudo magis patet extremorum vitiorum malorumque contagioni-

An potiùs;

An potius quia multitudo obnoxia magis est inteſtinis diſſidiis & diſcordiis? Concordia namque paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. An quod ipſa paucitas hominum, infirmitas virium, tenuitas opum, æmulatio meliorum, & metus potentiorum, homines cohibent ne defluant ad vitia? An denique flagrans cupido, ſibi & patriæ libertatem, dominationis amplitudinem, & nominis gloriam per bonas artes comparandi, aliarum rerum viliorum, non tantum vitiorum cupiditates omnes aut extinguit, aut comprimit, eaque induſtrios facit? laborum patientes, audaces ſubeundis periculis, magniſque rebus aggrediendis & patrandis promptos & alacres? Hac certè ratione amplificatum eſſe imperium Romanum diſputat B. Auguſtinus libro 5. de Ciuit. Dei c. 12. & ſequentibus.

VERVM quid ſibi vult Moſes hoc loco dicens: *Cum multiplicati eſſent homines ſuper terram, & filias procreaſſent?* quid ſignificat illud, *Et filias procreaſſent*? num antea non generabantur feminæ? vnde igitur vxores ducebant, aut vnde filios procreabant? Equidem reor ſignificari illis verbis in illa magna multiplicatione hominum, præcipuè multiplicatas eſſe feminas, vt longè plures tunc quàm antea generarentur. Hoc ſi ad phiſiologiam referatur, veriſimile eſt eo accidiſſe, quòd propter illorum hominum intemperantiam Veneris, & cibi, potuſque & propter luxum, aliáve corporis atque animi vitia vehementer debilitata facultate generatrice, quæ eſt in viro, vigoreque ſeminis virilis labefactato, crebrior ac numeroſior feminarum generatio extiterit: quamobrem multitudine ſimul ac pulchritudine mulierum illectos homines eius ætatis, multas duxiſſe vxores, & repudiatis prioribus, alias atque alias pro ſua libidine aſſumpſiſſe; quod longo tempore apud poſteros Seth inuſitatum fuerat. Habeo eius rei duplex argumentum. Moſes enim ſupra capite quarto de ſolo Lamech ſcribens eum duas habuiſſe vxores, non obſcurè indicauit tunc primũ incœptam eſſe polygamiam. Deinde legimus, Noë cum vna tantum vxore, & filiorum eius ſingulos cum ſingulis vxoribus ingreſſos eſſe in Arcam.

Gen. 7. A.

VERS. 2. *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent puchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus quas elegerant.*

VIDETVR his verbis Moſes exaggerare voluiſſe hominum illius temporis nequitiam, ſignificans eam fuiſſe tãtam, vt non ſolum ſcelerata Caini ſoboles impietatem velut hæreditariam ex parente ſuo trahens, in altiſſimo flagitiorum cœno volutaretur; ſed etiam, poſteri Seth, ſanctorum parentum nobilitate clari, ſtudio diuinæ ſapientiæ illuſtres, & pietatis, & religionis erga Deum profeſſione venerabiles, interdictam ſibi execratamque à maioribus ſuis ſocietatem cum

Caini

Caini posteris coëuntes, grauius quàm illi peccarunt, in profunda scelerum omnium demersi.

14 PRO illo vocabulo *Dei*, cum dicitur, *Filij Dei*, Hebraicè est *Elohim*, quæ vox in scriptura & singulariter pro vno veroque Deo accipitur, & pluraliter pro Dijs, id est, vel pro Angelis Dei, vel pro sanctis viris, vel pro his qui populorum iudices, præsides, hac principes sunt. Aquila, vertit hoc loco *filios Deorum*, significans vel Angelos, vel sanctos, Symmachus, *filios potentum*. Paraphrasis Chaldaica habet *filios magnatum*; Pagninus reddidit, *filios Principum*; Hieronymus Oleaster significari putat homines eximia corporis proceritate ac robore cæteris præstantes, scilicet ex quibus generati sint gigantes, vt paulò post narrat Moses. Ad eundem enim modum scriptura solet appellare montes Dei & cedros Dei, ad significandam magnitudinis eorum celsitatem & altitudinem. Codices LXX. interpretum hic variam lectionem habebant, vt ex commentarijs veterum super hoc loco, tam Græcorum, quàm Latinorum, intelligere licet: Alij enim codices habebāt *Angelos*: alij verò *filios Dei*. Nonnulli codices, inquit Augustinus quæst. 3. super Genesim, & Latini & Græci habent non *Angelos Dei* sed *filios Dei*, quos quidam iustos homines fuisse crediderūt, qui potuerunt etiam Angelorum nomine nuncupari. Nam de homine Ioanne scriptum est: *Ecce ego mitto Angelū meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam*. Idem Augustinus libro 15. De Ciuitate Dei, cap. 23. sic ait: *Septuaginta Interpretes & Angelos Dei dixerunt istos, & filios Dei, quodquidē non omnes codices habēt, nam quidā nisi, filios Dei non habent*. Sed Cyrillus libro nono aduersus Iulianum, emendatiorem censet lectionem quæ habet *filios Dei*, quàm quæ habet *Angelos Dei* ex is patet, hanc nostram lectionem veriorem esse, & planè retinendam.

Hieronymus Oleaster.

Psal. 35. Psal. 79.

Augustinus.

Marci 1.

Cirill. Alex.

15 CETERVM quid significetur per filios Dei, perplexa admodum quæstio est. Duæ sunt principales horum verborum interpretationes: sed vtraque rursus tripartito, vel quadripartito multiplicatur; velut vnius arboris duo brachia in multos diffusa ramos. Prior interpretatio est, per filios Dei significasse Mosem Angelos, sed hæc trifariam diuiditur: quidam interpretantur bonos Angelos, qui pulchritudine mulierum illecti degenerauerint cum illis commixti: Alij putant fuisse dæmones, qui in proprijs suis corporibus cum feminis congressi sint: putarunt enim eos (quæ plurimorum fuit sententia) verè, & naturaliter esse corporatos: multi denique arbitrati sunt fuisse quidem dæmones, sed eos non in proprijs corporibus, quippe qui opinione istorum sunt incorporei, verùm per corpora ab eis assumpta commistos esse cum feminis, & per semen non proprium, & naturale, sed ex viro acceptum, & muliebri vtero infusum genera sse filios: & huiusmodi dæmones appellant isti succubos, & incubos.

Quid significetur per filios Dei. variæ interpretationes.

16 HÆC triplex interpretatio dupliciter refelli potest, vel demonstrando, id quod ab ipsis traditur de bonis Angelis, & de dæmoni-

bus, esse falsum, quin etiam absurdum & impossibile. Verùm hac de re paulò infrà dicturi sumus in iis quæstionibus quæ post explanationem huius loci pertractandæ sunt. Vel refelli potest, ostendendo eiusmodi tres interpretationes nullo modo congruere cum sententia verborum Mosis, sed esse narrationi eius discrepantes, & planè contrarias. Chrysostomus putat eam interpretationem hoc validissimo telo confodi. Nunquam, inquit, in scriptura Angeli nominantur filij Dei, quæ tamen appellatio non rarò tribuitur hominibus. Quin Paulus ad Hebr. 1. *Cui* inquit, *Angelorum dictum est, filius meus es tu?* sed de illis dictum est: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* At enim videtur Chrysostomo Diuina Scriptura contradicere in primo & trigesimo octauo capite libri Iob, Angelos nominans filios Dei. Verum vtrobique translatio LXX. Interpretum, quam sequebatur Chrysostomus, non filios Dei habet, sed Angelos. Illud tamen ex Paulo petitum argumentum non est firmum; non enim omnem filiationem Dei denegat Angelis Paulus, sed naturalem & substantialem, qualis est Christi: nam adoptiua quæ fit per gratiæ participationem, nulla est ratio cur Angelis non æquè quàm hominibus possit attribui.

Chrys. Hom. 21. in Gene.

Psal. 103. A

Argumentatio qua probatur quos Mosesnominauit filios Dei, nõ fuisse Angelos siue bonos, siue malos.

17 VERVM enim vero Mosis verba, ne violenter quidem detorqueri, ne dum aptè & congruentes accõmodari posse ad Angelos, siue bonos, siue malos, vel hoc vno argumento concludi potest. Narrat Moses, Deum generali diluuio perdere voluisse omne genus hominum, paucis exceptis, propter intolleranda eorum flagitia præsertim autem propter eorum peccata qui cùm filij Dei appellarentur, nihilominus tamen maiorum suorum degeneres, professionis suæ obliti, humani denique, ac diuini iuris contemptores, ardentissima libidine cum impijs & impuris mulieribus copulati sunt. Vnde multorum magnorumque scelerum & malorum colluuies redundauit. Horum igitur peccata vt puniret Deus, Diluuium intulit. Non igitur propter Angelos, & eorum peccata, sed propter solos homines eorúmque flagitia, missum est diluuium. Neque enim Dæmones periêre diluuio sed homines, neque peccata dæmonum, sed hominum diluuio vindicata sunt.

18 HINC efficitur, quos Moses appellauit filios Dei, eos nullo modo vel bonos vel malos Angelos intelligi posse. De solis enim hominib. locutus est Deus, cum dixit: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: erunt que dies illius centum viginti anni.* Et rursus: *Videns Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, panituit eum quod hominem fecisset in terra. Et præcauẽs, &c. Delebo,* inquit, *hominẽ quẽ creaui,* & rursus: *Cum vidisset Deus terram esse corruptã (omnis quippe caro corruperat viam suam) dixit ad Noẽ, Finis vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Vides Deũ semper esse locutum de hominibus, de Angelis verò, vel Dæmonibus nullum

nullum feciſſe verbum? Hoc argumentum & vidit ante nos Theodoretus, eoque aduerſus eandem interpretationem quam nunc confutamus, in quadrageſima ſeptima quæſtione in Geneſim vſus eſt. Nam cum poſuiſſet hanc quæſtionem: Quoſnam Moſes vocauit filios Dei? ad eam reſpõdens, ſic ait: *Quidam nimis ſtupidi, & ſtolidi exiſtimarunt eos fuiſſe Angelos, putantes ſuæ forſan intemperantiæ patrocinium habituros, ſi Angelos eiuſdem criminis reos tenerent. Oportebat autem, eos audiſſe Deum ita dicentem, Non permanebit Spiritus meus in hominibus in æternum quia caro nes ſunt: erunt autem dies illorum centum viginti anni: & inde reſpicere, naturam incorpoream carnes non habere, neque Angelos vitam habere tempore definitam: immortales enim ſunt.* Deinde cum Theodoretus cõmemoraſſet alia verba Domini, quæ nos paulò ante expoſuimus, ſubiungit: *Hæc vtique omnia indicant, homines eſſe eos qui vitam iniquam amplexi ſunt. Quod ſi Angeli filiabus hominum permiſti eſſent, homines fuiſſent, ab Angelis iniuria affecti, quippe qui per vim eorum filias corrupiſſent: iniuriam quoque paſſi eſſent à Deo creatore, eo quod Angelos ſibi ſeruientes non puniret. Verum hæc ne pater quidem mẽdacij dicere auderet. Multis enim verbis docuit ſacra ſcriptura tum homines deliquiſſe, tum aduerſus eos diuina ſententiam eſſe latam.* Hactenus ex Theodoreto. *Theodoretus.*

20 ALTERA ſanè etiam principalis huius loci interpretatio eſt, per filios Dei ſignificatos eſſe non Angelos, ſed homines tantùm. Verùm hæc quadripartita eſt. Quidam per filios Dei intelligi debere putãt homines corporis proceritate ac robore cæteris longe inſignio-
res, vt ſenſit Oleaſter; Alij homines potentes, vti ſunt populorum iu-
dices, præſides ac principes, vt placet Hebræis: nonnulli exiſtimant filios Dei eſſe appellatos quaſi ex aduerſo & è regione filiorum hominum. Solet autem ſcriptura appellare homines, vel filios hominum:
21 eos, qui ſecundum carnem ſapiunt: quos Paulus nominat animales: *Animalis*, inquit, *homo non percipit ea, quę ſunt Spiritus Dei*, quales autem iſtiuſmodi ſint, belle depinxit Dauid Pſalmo quarto cum dixit: *Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem: & quaritis mendacium?* Paulus item: *Cum ſit inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Filij autem Dei nominãtur, quorum eſt planè contrarium & ſtudium & inſtitutum, contraria mens & ſenſus, conuerſatio mores & facta, qui terrenarum & humanarum rerum contemptores cœleſtia & diuina bona concupiſcunt atque ſectantur, pietatis erga Deum, iuſtitiæ erga proximum, mortificationis erga ſeipſos profeſſores atque cultores, Tales igitur longo tempore fuerant iſti, quos Moſes appellat filios Dei, vel certe eorum maiores, propter quos ipſi, licet ſtudiis moribuſque multum degeneres, eandem tamen appellationem retinebant. Hæc interpretatio nec Auguſtino in libro 15. De Ciuitate Dei cap. 23. nec Ambroſio in libro de Noë & Arca, cap. 4. diſplicuit.

1. Interpretatio quadripartita diuiſa qui fuerint filij Dei.

Oleaſter.

1. Corinth. 3

22 SED illa perquàm celebris, & magnorum ſcriptorum auctoritate valde nobilitata eſt interpretatio: quos vocat Moſes filios Dei, fuiſſe

Auguſt. Ambroſ.

Cur posteri Seth appellati sint filij Dei.

posteros Seth: filias autem, vel filios hominum, qui ex Caini stirpe progenerati fuerant. Cur autem posteri Seth appellarentur filij Dei, duplex ratio, & vtraque probabilis redditur. Vel enim sic appellati sunt, quòd in eos bene cõpeterent ea, quæ triplex prædicta interpretatio tradit: nimirum posteri Seth aut omnes, aut plerique erant corpore procero, robusto, & formoso, erantque ipsi potentes & magnates & principes, & propter iustitiæ, religionis & sanctimoniæ professionem & cultum admodum honorati & venerandi. Vel nominati sunt filij Dei, quod filij essent Seth & Enos: quorum vtrumque pietate & sanctitate præstantissimum fuisse accepimus, & ab hominibus sui temporis Dei appellatione nuncupatum. Suidas certè in vocabu- 23

Seth auctore Suidâ appellatus est Deus & cur

lo SETH confirmat, eum esse appellatum Deum: tum propter excellentem eius iustitiam, pietatem ac sanctimoniam, tum propter inuentionem literarum, & scientiæ rerum cœlestium. Enos autem primus mortalium singulari quadam ratione cœpit inuocare nomen Dei, vt extremis verbis capitis quarti dixit Moses. Et hunc fuisse cognomen-

Cyrillus Alexand.

to Dei ornatum, auctorem habeo Cyrillum libro nono aduersus Iulianum. Hos igitur duos viros cùm principes generis sui haberent, ac prædicarent posteri Seth; ob eam causam appellati sunt filij Dei. Et hi quidem longissimo tempore, vt eis à maioribus suis mandatum fuerat, posterorum Cain societatem, connubia etiam & commercia vehementer refugerunt. Postea verò refrigescente religionis studio cultuque virtutum, feminarũ Cainicæ stirpis pulchritudine allecti amoreque inflammati, eas duxerunt vxores: quarum flagitiosa consuetudine polluti & corrupti, in omnia sese præcipitauerũt flagitia, nequioresque etiam ipsis Caini posteris euaserunt. Mirum sanè, ex tam sãcta & numerosa posteritate Seth, vnum duntaxat fuisse inuentum Noë

Chrysost. Augustinus. Theodoretus Cassianus. Cyrillus. Rupertus S. Thomas.

iustum, innocentem Deoque carum, & dignũ quem Deus tanto miraculo ex diluuij exitio seruaret. Huius extremæ interpretationis auctores sunt quamplurimi: Chrysostomus homilia 22. in Genesim, Augustinus libro 15. De Ciuitate Dei, cap. 23. Theodoretus quæst. 47. in Genesim, Cassianus collatione 8. cap. 21. Cyrillus libro 9. cõtra Iulianum, Rupertus libro 4. in Genesim, cap. 12. B. Thomas in prima Parte quæst. 51. art. vltimo.

ILLVD autẽ: *Quod pulchræ essent*, habet alia lectio, *Quod bonæ essent.* 24 Sed eadem est sententia: nam vt Augustinus inquit, eo loco quem paulò ante memoraui, secundum consuetudinem scripturæ, vocabulum, BONVM, sæpe idem significat quod, speciosum & pulchrum corpore. Quamquam vocabulum Hebræũ quod hic est *tob*, non tantùm significare bonum & pulchrum, sed etiam magnum & procerum

Oleaster in Genesim.

confirmat Oleaster testimonio scripturæ, atq; eã significationẽ belle ad hũc locũ quadrare putat, vt hic sit sẽsus: filios Dei, id est, homines viribus præpotentes & statura proceros elegisse sibi vxores feminas valdè proceras, vt ex his filios generarẽt robustos ac proceros, eaque ratione cæteris hominibus præualẽtes, suo eos subiugarent imperio.

PRÆ

PRÆBET nobis hic locus Mosis salutare quoddam documẽtum. Hinc enim discimus quàm sit noxia & pestilens societas & consuetudo cum impiis, maximè verò per carnales voluptates cum mulieribus: quamobrem grauissimis verbis Deus Iudæis interdixit coniugia alienigenarum, vt videre licet Exod. 34. & Deut. 7. *Non sociabis*, inquit, *cum eis coniugia: Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: Quia seducet filiũ tuũ ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis irascaturque furor Domini, & delebit te cito.* Cõmixtio Hebræorũ cum Madianiticis mulieribus, quantam illorum cladem & stragem edidit. *Commisti sunt* (ait Dauid Psal. 105.) *inter Gẽtes, & didicerunt opera eorum.* Ob hanc causam sancti Patriarchæ, vt Abraham & Isaac noluerunt filiis suis vxores dare ex Chananæis, ne illi ad idololatriam delaberentur. Quia Salomon ardentissimo amore mulieribus alienigenis adhæsit, cùm iam senex esset tantaque sapientia præditus, ab illis tamen vsque eo seductus est, vt deos earum publicè coleret. Iudæos recens ex Babylonica captiuitate reuersos, mutuis cõnubiis mixtos esse cum alienigenis audiens Esdras adeo grauiter tulit, vt præ doloris magnitudine pallium & tunicam scidisse, euellisseque capillos capitis, & barbæ dicatur: dolens, quod semen sanctum commixtum fuisset cum populis terræ. Cuius admonitione & reprehẽsione commoti plerique principes Iudæorum omnes illas vxores abiecerunt, vt in capite 9. & 10. libri primi Esdræ proditum est.

Animaduersio moralis.

Num. 25. A. & seq. Gen. 24. A. Infra. 28. A. 3. Reg. 11. A.

26 ILLVD quoque licet hic obseruarè, eos qui valde boni & religiosi diu fuerunt, postea degenerantes, & consuetudine improborum corruptos, fœditate vitiorum ac scelerũ magnitudine insigniores cæteris non rarò euadere. Cuius rei hanc fortasse causam licet coniectare: Omnis mutatio (vt Philosophia docet, & ipsius Philosophiæ parens experientia cõfirmat) è contrario fit in contrarium: ergo qui optimi sunt, paulatim degenerantes, & ad vitia defluentes, mutantur in pessimos. Vel propter ingratitudinem ipsorum non agnoscentium, vt oportet, Dei beneficia sibi præter cæteros tributa, interdum etiam illis abutentium ad iniuriam Dei, suamque & aliorum perniciem, iustum est, istos longissimè proiectos à facie Dei, despectosque magis quàm cæteros mortalium, curæ & protectionis diuinæ auxiliis spoliari; quibus priuati, quasi remotis frenis, præcipites ad scelera, & ad virtutem irreuocabiles feruntur. Denique magna ingenia excelsique animi non ferunt mediocritatem: in vtramque partem insignes vel vitiis, vel virtutibus sunt.

Sæpe optimos viros peccãdo in sceleratissimos euadere.

27 NON sunt verba illa Mosis silentio prætereunda. *Videntes*, inquit, *filij Dei filias hominũ quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant.* Hæc enim verba perpendens Chrysostomus homilia 22. in Genesim verissimè annotauit, Mosen his verbis maximam illorum hominum intemperantiam indicare voluisse. Quasi diceret, eos homines non desiderio suscipiendæ prolis, & multiplicandi generis humani, qui est laudabilis matrimonij finis, carnalem coniunctio-

Chrysostomus.

nem honestans & commendans, sed ad explendam exsaturãdamque libidinem, non vnam vxorem, sed multas: nec eas parentũ consilio, aut rationis suasu, incorruptique iudicij ductu, sed captos pulchritudine, quæ est illecebra turpitudinis, & vesano amore potiundæ voluptatis, quæ esca omnium malorum est, duxisse.

Rupertus. NEC tacendum est quod super hoc loco Rupertus libro 2. De victoria verbi Dei cap. 23. animaduertere nos voluit: Diabolum ad tam effrenatam libidinem incitasse homines illius temporis, vt ea ratione consilium & propositum Dei, de homine in locum Angelorum euehendo impediret. Iam semel atque iterum hoc Dei propositum impedire conatus fuerat: Primò, cùm Adam ad peccatum impulit: propter quod felicissimo statu innocentiæ, in quo à Deo collocatus fuerat, deturbatus est. Deinde cùm Cain ad necem iusti Abel fratris sui incitauit. Nunc autem, cum videret iustorum semen admodum multiplicari, conatus est homines Deo infensos & exosos facere: in quo sanè præualuit etiam filios Dei ad grauissima scelera impellẽdo. Quinimo Dei consilium videbatur perturbasse, cum Deus dixerit: *Pœnitet me fecisse hominem.* Verùm fortior fuit Dei gratia & veritas, stetitque Dei propositum immutabile: si quidem impios diluuio perdidit, paucos tamen iustos: futurum nempe electorum suorum seminarium, ingenti miraculo conseruauit. 28

HIC igitur lector expendat, quantum malum, & quàm Deo inuisum, quantoque dignum supplicio sit profusæ libidinis intẽperantia, quippe cùm eius puniendæ causa totus orbis terrarum diluuio perierit. Hoc autem vitium licet in omnibus hominibus vituperãdum sit, Deoque displiceat, in filiis tamen Dei maximè damnandum & exe-
1. *Corint.* 3. crandum est, maximéque diuinam prouocat indignationem & vindi-
D. ctã. *Nescitis*, inquit Paulus Corinthiis, *quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autẽ templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Ergo Ecclesiasticos ac religiosos viros obscœnas carnis voluptates magis quàm venenũ & pestem atque ipsam mortem fugere oportet. Sed absoluta huius loci explanatione, quo lectori apertiora certioraque sint quæ suprà diximus, cùm argumentabamur, filios Dei, quos Moses narrat commistos esse cum filiabus hominum, nec bonos Angelos fuisse, nec Dæmones, tres hoc loco ea de re disputationes pertractandæ sunt. Prima disputatio, An credibile sit bonos Angelos carnali mulierum amore & congressu esse pollutos. Altera disputatio, An Dæmones tales natura sint, vt per se cum mulieribus miscери, & ex his filios generare queant? Tertia, disputatio, de Dæmonibus incubis & succubis, vtrum Dæmon non quidem per se, verum assumpto corpore in speciem hominis figurato, feminas inire, humanoque fœtu grauidare possit?

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Vtrum credibile sit, bonos Angelos fuisse cum mulieribus commixtos?

REVDET dicere, quę de optimis scriptoribus hoc loco dicturus sum, adeò sunt nō modo falsa, sed pudēda & absurda, indignáque cùm tantorū virorum ingenij & doctrinæ fama tum beatorū Angelorū puritatis ac sanctimoniæ præstantia: dicere tamen ea cogit veritas, ne fortasse cuipiam, propter eorum virorum auctoritatē, probabile videatur quod nullo modo probandū est. Simul & illud ex hac disputatione manifestum fiet lectori, quantos Ecclesia Christi ab eo tempore ad hanc diem in sacrarum literarum scientia, rerúmque diuinarum cognitione processus fecerit. Nam multa quondam vel doctissimis viris aut obscura & dubia, aut etiam incognita, nunc vel mediocriter eruditis perspicua, indubitata exploratéque percepta sunt.

29 FVIT igitur multorum antiquitatis, doctrinæ ac sanctitatis laude præstantium virorum sententia, filios Dei, quos Moses narrat mixtos esse cum filiabus hominum, fuisse bonos Angelos, qui feminarū pulchritudine capti, ad obscœnum earūm amorem & concubitum delapsi sunt: atque hoc fuisse primum eorum peccatum, quo cœlestem angelici status dignitatem, & puritatis atque innocentiæ gloriam perdiderunt. Gratum erit, opinor, lectori, si hoc tam insigne magnorū doctorum paradoxum, vel prauidoxum potius, proprijs aliquot eorum verbis his adscriptis exponamus. Philo in libro de Gigantib. scribit, quos hoc loco Moses nominauit Angelos, à Philosophis appellari Genios, qui sunt animalia aërea. Iosephus quoque primo libro Antiquitatum tradit istos fuisse Angelos. Iustinus martyr in priori Apologia pro Christianis: *Deus*, inquit, *eorum quæ sub cœlo sunt, curam cōmisit designatis ad hanc functionem Angelis: qui ab officio decedentes, victique feminarum amore susceperunt ex eis progeniem, quam vulgus vocat Genios: & prouecti ad maiorem audaciam: genus humanū sibi subdiderunt partim magicis literis, partim incusso metu pœnarum, partim commonstratis sacris quæ constant victimis, odoramentis, atque libaminibus, quorum tenebantur cupidine: deinctisque per hos affectus animis, passim miscuerunt omnia maleficijs. Quapropter Poëtæ ac fabulatores, nescientes Angelos, & ex his prognatos Genios rem habuisse cum masculis & feminis ciuitates, gentesque à se memoratas retulerunt ad ipsum Iouem, eiusque ac fratrum eius Neptuni Diisque filios & horum progeniem.* Hæc Iustinus.

Auctores qui putarunt filios Dei mixtos cum filiab. hominum fuisse Angelos.

Philo.

Iosephus.

Iustinus martyr.

30 CLEMENS Alexandrinus Stromatum libro tertio sic habet: *Iam verò Angeli quoque cum fuissent incontrientes victi cupiditate, huc è cælo descenderunt.* Tertullianus apertius hoc dicit in libro de Habitu muliebri,

Clemens Alexand.

Tertullianus.

muliebri, & de velandis virginibus, vbi ad eiusmodi Angelos refert
1.Cor.11.A. illud Pauli? *Mulierem in Ecclesia velari debere propter Angelos Dei*, id
1.Cor.6.A. est, ne earum pulchritudo illecebra sit Angelis ad eas libidinosè adamandas, eodem quoque illud Pauli: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus*. pertinere putat. *Debet ergo*, inquit Tertullianus, *adumbrari facies tam periculosa, quæ vsque ad cœlum scandala iaculata est*. Existimat autem Tertullianus, filias hominum, quibus cum congressi sunt Angeli fuis-
Eusebius. se virgines. Eusebius libro 5. De præparatione Euangelica, cap. 4. suspicitur, ex loco Mosis non bene intellecto, accepisse Poëtas ea quæ finxerunt de connubiis deorum, & mulierum, & de Gigantibus, qui aduersus deos bella gesserunt. Certè Iulianus Apostata, vt
Cyrillus. Alexand. refert de eo Cyrillus in exordio libri noni aduersus ipsum, affirmauit, quos Moses hic nominauit Angelos, dixitque mixtos esse cum mulieribus, eosdem à Poëtis appellari deos, eorumque cum feminis con-
Lactantius. iugia decantari. Lactantius libr. 2. diuinarum Institutionum cap. 15. filios Dei mixtos cum filiabus hominum censet fuisse Angelos quibus Deus regendi tuendique generis humani munus iniunxerat.

Ambrosius rectè sensit de puritatè Angelorum EIVSDEM sententiæ videtur fuisse Ambrosius in libro primo 31 de Virginib. hunc in modum scribens: *Castitas Angelos fecit. Qui eam seruabit, angelus est, qui perdidit diabolus*. Et paulo infrà. *Quam præclarum est*, inquit, *Angelos propter intemperãtiam suam in seculum cecidisse de cœlo, virgines propter castimoniam suam in cælum transijsse de seculo*. Sed profecto hanc opinionem nequaquam placuisse Ambrosio, non dissimulat ipse in libro, quem de Noë composuit, Nam in capite quarto eius libri explanans hunc locum Mosis: *Videntes Angeli Dei filias hominum*. Sic enim legit Ambrosius, lectionem quæ erat suo tempore in multis codicibus Septuaginta Interpretum secutus, Angelos Dei interpretatur non substantias cœlestes, sed viros sanctos quos diuina Scriptura etiam filios Dei appellare solet. Ambrosij verba sic eo loci habent: *Plerunque Angelos, filios, Dei vocat Scriptura, quia ex nullo homine generãtur animæ. Itaque viros fideles, filios suos dici, non est aspernatus Deus. Sicut ergo viri probabilis vitæ, filij Dei vocantur: ita, quorum carnalia sunt*
Ioan 1. *opera, hos filios dicimus carnis. Scripturarum auctoritate. Dicit enim Ioannes Euãgelista: quia, Quotquot dominum Iesum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*. Sic ibi Ambrosius. Qui super Psalmum 118. Sermone septimo, & in Epistola 84. Ad Demetriadem perspicuè & affirmatè ait, primum peccatum Diaboli, ante lapsum hominis fuisse Superbiam. Apparet igitur, Ambrosium in libro De Virginibus, non quod ita sentiret ipse, sed quò magnificentius castitatis gloriam extolleret, opinionem illam de la-
Seuerus Sulpitius. psu Angelorum propter intemperantiam libidinis attigisse. Illud mirum, eam sententiam adeo placuisse Seuero Sulpitio, vt eam non solum apertis disertisque verbis, sed magna etiam asseueratione prodiderit, non procul exordio ptioris libri De Sacra historia ita scribens:

Qua

Qua tẽpestate cum iam humanũ genus abundaret: Angeli, quibus cœlum sedes erat, speciosarum forma virginũ capti, illicitas cupiditates apperierunt: ac naturæ suæ originisque degeneres, relictis superioribus quorum incola erant, matrimonijs se mortalibus miscuerunt.

83 ATQVE hæc sunt ab istis scriptoribus de intemperantia Angelorum & credita & scriptis prodita: quam opinionem dubitandũ non est placuisse multis, tum quod eam tantorum virorum auctoritas probabilem faceret: tum quod libidinibus ac delicijs suis patrocinium aliquod quęrentes, haberi eam pro vera cuperent, quo scilicet excusabilior eorum intemperantia exemplo Angelorum videri posset, *Verisimile est*, ait Cyrillus libro nono aduersus Iulianum, *multos ea sententia turbari, & contemnentes meliora, delitiarum amorem eligere, dum considerant, quam difficile & arduum ipsis sit carnalibus voluptatibus omnino reluctari: & credunt etiam ipsos Angelos sanctos obscœnas affectiones sequi. Per quam noxium enim est audire & credere ipsos sanctos Angelos corporum formositatibus affici & oblectari tam profanis & absurdis voluptatibus.* Hæc Cyrillus. S. Augustinus capite 23. libri 15. De Ciuitate Dei, eam sententiam reiicit quidem, sed adeo modestè, vt seueritatem censuræ, quàm verebatur ea opinio, tot tantorùmque Doctorum qui eam secuti fuerant, reuerentiæ condonasse videatur. *Dei Angelos sanctos* (inquit Augustinus) *nullo modo illo tempore sic labi potuisse crediderim: nec de his dixisse Apostolum Petrum: Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit, in iudicio puniẽdos reseruari: sed potius de illis, qui primum apostatantes à Deo cũ diabolo principe suo occiderunt, qui primum hominem per inuidiam serpentinam fraude decepit.*

Cyrillus.

Augustinus.

1. Pet. 2.

84 CASSIANVS octaua collatione capite 21. putauit eam opinionem vel hoc vno argumento valide confutari. *Nullo modo* inquit, *credendum est spiritales naturas misceri cum feminis carnaliter posse. Quod si aliquãdo hoc secundum literam fieri potuisset, quomodo nunc quoque idipsum vel uen raro cõtingeret, vt absque semine vel coitu viri aliquos nasci similiter de mulieribus, conceptu Demonum cerneremus? cum præsertim cõstet eos libidinum sordibus admodum delectari, quas procul dubio per semetipsos exercere plusquam per homines mallent, si illud vllo modo potuisset impleri.* Hęc Cassianus, Verũ eneruis est argumẽtatio hęc Cassiani. Duplicitèr enim illius sententiæ probatores ac propugnatores eius rationi possent occurrere. Dicerent primò, Angelos potestatem habere ineundi mulieres: sed ea potestate semel tantum Dei permissu esse vsos, deinceps verò ea vti esse à Deo prohibitos: quemadmodum habet Dęmon potestatem ita nocendi hominibus, vt nocuit Iob: sed eam tamen potestatem aduersus alios homines exercere eũ non sinit Deus: multa enim potest Dęmon facere, quę frequenter, ac libenter faceret, sed vetante Deo vel rarò facit, vel semel tantum facit, vel etiam numquam facit. Illud præterea dicerent: quia boni Angeli, vel Dæmones non nisi sub specie & figura viri ineũt feminas, idcirco sint viri nec ne, haud posse

Expenditur Cassiani argumentatio contra prædictam opinionem

Ostenditur Angelos bonos non esse

discerni. Vt non sit incredibile, dicent illi, multos qui filij hominum putantur, satu Dæmonum esse generatos.

Lapsos de cœlo propter amores mulierum.

DVOBVS igitur his argumentis opinio illa euertenda est. Extra 35
controuersiã est, Angelos aut esse incorporeos, aut, si corporei sint, diuersum ab humano corpus habere: aëreum scilicet, vel igneum, vel humanis oculis inaspectabile. Nam figuram humani corporis, qua suam præsentiam nonnullis declararunt, ad tempus assumunt, vel extrinsecus, vel corpus suum, quia tenuissimum est, & omni modo figurabile, ad eam speciem conformantes. Hinc ergo concluditur, Angelos carnis nostræ delicijs ac voluptatibus nullo modo affici, & per se oblectari, neque corporaliter misceri cum mulieribus, aut ex his filios generare posse. Verum quia hæc ratio communiter & æqualiter conuenit in bonos Angelos atque in cacodæmones, in præsens omittatur, paulo infra, cùm agetur de Dæmonibus, fusius, & cõmodius tractanda. Est igitur alterum contra eam opinionem validissimum argumentum: si sancti Angeli propter intemperantiam libidinis de cœlo lapsi sunt, ergo primum Angelorum peccatum, fuit peccatum luxuriæ: at fuisse alia priora peccata Angelorum, manifestis scripturę testimonijs conuincitur. Peccatum enim luxurię, si commissum est ab Angelis, id profecto non ante mille annos ab orbe condito transactos est commissum: tantum enim ferè temporis effluxit ab exordio mundi ad id vsque temporis, quo tempore filios Dei mixtos esse cum filiabus hominum tradit Moses, sed fuisse alia longè antiquiora Angelorum peccata, scilicet ab ipsis in exordio mundi commissa, palam est ex verbis Domini nostri, quæ sunt apud Ioannem capite octauo, vbi dixit, Diabolum ab initio mundi fuisse mendacem, & homicidam. In libro item Sapientiæ scriptum est, *Inuidia diaboli mortem intrasse in orbem terrarum*: sed mors intrauit statim vt peccauit Adam, testante hoc Paulo ad Romanos capite quinto, cum inquit: *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit & per peccatum mors*: Multo igitur ante istud peccatum luxuriæ reperimus in sacris literis alia tria fuisse Angelorum peccata, Inuidiæ, Mendacij, & Homicidij. Quin illud in confesso est apud omnes ferè patres, & Theologos, primum Angeli peccatum fuisse superbiam: vt ob eam causam proditum sit 36
in libro Ecclesiastici capite decimo, *Initium omnis peccati* esse *superbiam*. Primum enim omnium peccatorum fuit peccatum Luciferi: hoc autem fuit superbia: quod argumentari solent doctores ex illis verbis Esaiæ quæ sunt in capite 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer qui mane oriebaris, &c.* Vbi sub figura regis Babylonis describitur Luciferi de cœlo lapsus ad infernum propter superbiam. Apparet igitur primum Angelorum peccatum non fuisse peccatum carnalis luxuriæ, Dixi carnalem luxuriam, propter opinionem Scoti, qui primum Angeli peccatum fuisse spiritualem quandam luxuriam arbitratus est. Si autem non fuit primum Angelorum peccatum carnalis luxuria, non igitur Angeli boni propter fœdam libidinem,

Primũ peccatum non fuisse luxuriæ.

Sap. 1.

Angeli primum peccatum.

Scotus in 2. Senten. dist. 4.

quam

quam cum mulieribus exercuerũt, de cœlo deiecti sunt, aut sui status dignitatem perdiderunt.

37 HANC rationem B. Chrysostomus, valentissimum ratus ad eam opinionem destruendam telum, his verbis tractauit in homelia 22. in Genesim: *Ceterum quid dicunt isti? Certe aiunt fuisse illos quidem Angelos, sed quia ad iniquum hoc opus descenderunt, sua eos dignitate excidisse. Enimuerum fabulosius aliud. Quid igitur? num exiderunt Angeli, & haec ruinae illorum causa fuit? Verũ scriptura nos aliter docet, ante quam formaretur Adam, à sua dignitate excidisse Diabolum. Ait enim quidã sapiens: Inuidia Diaboli mortem intrasse in mundum. Nam si non ante factũ hominẽ excidit, quando in tanta dignitate manens inuidit homini? Neque enim consentaneum est, Angelum incorporeum, & in tanta dignitate constitutum inuidisse homini corpus gestanti, sed inuidit, quod ex superna gloria in extremam ignominiam deiectus fuerat. Licet igitur incorporeus esset, videns tamen hominem tantum in corpore honorem beneuolentia cõditoris sortitum, inuidia exarsit? & deceptione, ad quam serpentis opera vsus est, hominem mortis supplicio fecit obnoxium. Talis enim malitia non potest non grauiter ferre aliorum felicitatem. Nam quantae dementiae fuerit dicere, Angelos esse deiectos, vt cũ mulieribus rem haberent, & incorporea natura copularentur corporibus? An non audis Dominum dicentem de Angelorũ substantia: In resurrectione neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, sed sunt sicut Angeli Dei: Non enim possibile est incorpoream naturam talem vllo tempore habere concupiscentiam.* Hactenus ex Chrysostomo. Verum de Angelis bonis ab intemperantia libidinis, & obscœnitatibus muliebrium amorum vindicandis dictum est satis. Deinceps de malis Angelis qui vulgo Dæmones, vel cacodæmones appellantur, consimilem tractantes quæstionem, disputemus.

Chrysostomus.

Sap. 2.

Mat. 22.

SECVNDA DISPVTATIO.

Vtrum probabile sit, Dæmones in suis corporibus mixtos esse cum mulieribus, & ex his filios procreasse.

SI apud omnes Philosophos, & Theologos, in aperto, & confesso fuisset, Dæmones (vti verè sunt) esse incorporeos, nullus planè huius quæstionis disceptationi locus esset relictus. Neque anim natura incorporea corporeis affici voluptatibus, aut per corporalem cum feminis congressum prolem corpoream generare potest. Verum quia plurimi ac nobilissimi Philosophorum & scriptorum ecclesiasticorum censuerunt eos esse corporeos, non est visum quibusdam impossibile, aut incredibile, eos esse potuisse amatores corruptoresque mulierum & filiorum generatores.

Dogma Platonicorum de natura Dæmonum.

PLATONICORVM certè celeberrimum fuit dogma, esse Dæmones corpore aéreo naturaliter præditos: & horum quosdam esse obscœniſſimorum flagitiorum & maleficiorum suasores & auctores, quique corporeis affectionibus similiter atque homines commoueantur. Ac ne longus sim, sententiam hac de re Platonicorum. Iamblici, Plotini, Porphirij, Maximi Tyrij, aliorumque multis verbis explanando, breuem Apuleij, Platonici ex libro eius de Socratis Dæmone orationem, vt eam refert Augustinus libro 8. De Ciuitate Dei, cap. 17. hic apponam *De moribus*, inquit Augustinus, *Dæmonum cum idem* (Platonicum Apuleiũ intelligit, quem paulò ante nominauerat) *loqueretur, dixit eos eisdem, quibus homines, animi perturbationibus agitari, irritari iniurijs, obsequijs donisque placari, gaudere honoribus, diuersis sacrorum ritibus oblectari, & in eis si quid neglectum fuerit, commoueri. Inter cætera autem dicit ad eos pertinere diuinationes augurum, aruspicum, vatum atque somniorum: ab his quoque esse miracula Magorum. Breuiter autem eos diffiniẽs, ait Dæmones esse genere animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna: Horum vero quinque, tria priora illis esse nobiscum communia: quartum proprium, quintum eos cum dijs habere commune.*

Apuleius apud Augusti.

Maximus Tyrius.

Sic ex Apuleio Augustinus.

MAXIMVS autem Tyrius, Platonicus philosophus, Sermone 26. non modo corporatos facit Dæmones, sed eorum quoque nonnullos medicinam profiteri, alios in rebus ambiguis præbere consiliũ, quosdam abscondita enunciare, multos exercendis artibus operam cum hominibus nauare, quosdã esse itineris comites, vrbanos alios, alios rusticos, hos maritimos, terrestres illos. Plutarchus in libro qui inscribitur: QVOD ORACVLA DEFECERVNT: *est*, inquit, *vt in hominibus, virtutis, & appetitiuæ, atque irrationalis partis diuersas, sic in ipsis quoq; Dæmonibus. Sed in alijs hæc irrationalis pars debilis est, atque imbecilla, in alijs vehemens atque impetuosa, ingentes calamitates & exitia hominibus priuatim, & publicè machinando.* Idem Plutarchus in libro quem de Iside, scripsit, *Plato* inquit, *Pythagoras, Xenocrates, & Chrysippus priscos secuti theologos, excellentiores hominibus Dæmones esse affirmant: sed naturam eorum animo & corpore coniunctam dixerunt, quare voluptate quoque, atque dolore alios magis, alios minus affici: vt enim in hominibus, ita etiam in Dæmonibus virtutis & vitij diuersas inueniri.* Empedocles autem, pœnas etiam dare Dæmones peccatorum suorum confirmat: Æther enim eos, & pontus expellit, terra nullo modo suscipit: sic ab alio in aliud elementum depulsi atrociter vexantur: quo vsque purgati, primum ad locum redeant. Verum si Dæmones secundum istos Platonicos iisdem quibus homines, perturbationibus agitarentur atque vexarentur, eos profectò terrenis corporibus, moribundisque membris concretos esse, aut vana esset coniectura, tales enim perturbationes ex mortalium: terrenorumque corporum societate & contagione animis contingere, elegantissimis illis versibus, cecinit Poëta.

Plutarchus.

Virgilius, 9 Æneidos.

Igneus

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus moribundáque membra.
Hinc metuunt, cupiúmque, dolent, gaudéntque: nec auras
Deſpiciunt clauſis tenebris & carcere cæco.

41 CÆTERVM quæ ex Platonicis adhuc dicta ſunt de Dæmonibus, quaſi ludum iocumque putet lector, prout ſunt ea quę ſubiiciam. Pſellus quidam & philoſophus & Chriſtianus, ſed Chriſtianę doctrinæ (quantum ex ſcriptis eius licet exiſtimare) rudis, librum ſcripſit de Dæmonibus, pleraque de his doctus à quodam Marco, qui propter diutinam Dæmonum familiaritatem cultumque omnium ſui temporis conſultiſſimus rerum dæmoniacarum habebatur. Quod ſi quæ tradidit ille, quàm ſunt noua & mira tam eſſent vera, aut certè veriſimilia, nec à placitis Theologorum omnino diſcreparēt: multa profecto Pſellus iſte de varia Dæmonum natura, de variis item eorum ſtudiis moribuſq; ac viribus nobis aperuiſſet, quæ ſunt abſtruſiſſima, nec humana ratione indagari, nedum comprehendi poſſunt. Quæ autem de Dęmonibus ab illo ſunt prodita (quatenus ad id quod nūc agimus, pertinet) quatuor ad capita reuocari poſſunt. Primo ait, non eſſe idem corpus bonis angelis atque Dæmonibus, Angelicum enim corpus radios effundere, nec humanis oculis ſuſtineri poſſe, per omnia penetrare, ac tranſire, minuſque etiam quàm ſolis radiū eſſe paſſionibus obnoxium, corpora verò Dæmonum quamuis ob tenuitatem inuiſibilia ſint, attamen materialia quodammodo ſunt, paſſioniq; ſubiecta: adeò vt quædā tacui ſubiiciantur, pulſataque doleant, & igni propinquantia comburantur, & quædam horum cinerem quoque relinquant.

Pſellus mira tradit de Dæmonibus.

Pſellus quatuor de Dæmonibus tradit.

42 DEINDE tradit Pſellus auctore illo Marco, nōnullos Dæmonum ſemen emittere, ex quo puſilla quędā animalia oriantur: nutriri etiam illos, alios quidem inſpiratione, velut in arteriis, & neruis viget ſpiritus: alios verò humore, ſed non eum ore haurientes ſicut nos, ſed ſicut ſpongiæ atque oſtreæ, exugentes quidem humorem extrinſecus adiacentem: quod autem in humore craſſius atque concretius eſt, excernentes. Id verò non patiuntur omnes Dæmones, ſed tantummodo genus Dæmonum materiæ proximum quodque odit lucem, & aquatile atque ſubterraneum eſt.

43 AD hoc enumerat ſex genera Dæmonum, ſecundum varietatem locorum in quibus ferè habitant, diſtincta. Vnum, vocatur igneum quod circa ſublimiorem aërem peruagatur: omne namque Dæmonum genus ex cœleſti regione, tanquam ex templo profanum quiddam, exterminatum eſt. Alterum genus Dæmonum nominatur aëreum, in hoc aëre propinquo nobis oberrans. Tertium appellatur terrenum quia plurimum circa terram verſatur, terreniſque rebus & machinis aduerſatur homini. Quartum, dicitur aquatile & marinum quod humoribus immergitur, libenter circa lacus & fluuios habitans, in mari fluctus & tempeſtates ſuſcitans, nauigiaque hominibus

Sex genera Dæmonum.

onusta sub mergens. Quintum est subterraneum, subter terram habitans, infestansque fossores puteorum, & metallorum, efficiens terræ hiatus, concutiens fundamenta, & flammiuomos ventos excitans. Sextum & vltimum genus Dæmonum, est lucifugum & inscrutabile, & penitus tenebrosum, passionibúsque frigidis violenter multas res perdens. Sex autem hæc Dęmonum genera sic esse affecta, vt & Deum oderint, & aduersentur hominibus, sed aliud alio peius. Subterraneum enim & aquatile, atque lucifugum vehementer esse malefica & pernicioſa.

POSTREMO loco illud etiam tradit, nullum Dæmonem suapte 44
natura aut marem esse aut feminam, sed prout libet, vtriusque sexus figuram ad tempus accipere: corpora enim Dæmonum simplicia esse, ductu flexuque facilia, & ad omnem configurationem naturaliter apta. Atque hæc sunt, quæ de Dæmonibus Psellus prodidit, partim ex suo sensu, partim ex doctrina illius Marci deprompta.

Franciscus Georgius.

NEC defuere hoc nostro seculo qui de Dæmonibus non minus 45
noua & mira, euulgatis libris in publicum, ediderunt. Franciscus Georgius, philosophus & Theologus, sed vt apparet ex scriptis eius, quarumlibet opinionum quæ nouitatem haberent, & mirabilitatem facerent studioſus magis, quàm veræ philoſophiæ ac Theologiæ, diuinæque scripturæ peritus, sex tomos edidit problematum ferè ad sacram scripturam pertinentium. Ex primi autem tomi problemate 54. 74. & 75. & ex tomi sexti problemate 330. & 331. patet eum sensisse, non solum Dæmones esse corporeos, sed habere etiam vim generandi, & semen emittere: accedentes autem ad mulieres, condensare corpora sua, eaque idoneè figurare ad id quod facere volunt: eorumque prolem propriam esse gigantes. Itaque hoscę Dęmones esse illos filios Dei, ex quorum congressu & mixtione cum filiabus hominum gene-

Genes. 3. cap

ratos esse gigantes, in hoc sexto capite narrat Moses. Et semẽ serpentis quod prædixit Dominus semper inimicum fore semini mulieris, censet esse hanc Dęmonum prolem, id est, gigantes, hominibus atrociter infestam. At enim vero quæ de Dæmonibus breuiter memorauimus ex Platonicorum, Pselli & Georgij sentẽtia, ea lector, quantum libuerit, rideat licet atque contemnat quasi meras nugas: nugas dico, futiliores vel nugaciſſimorum poëtarum nugis.

Probatur quatuor rationibus, Dæmones in propriis corporibus non esse mixtos libidinose cum mulieribus. Dæmones esse incorporeos

SED AGE, quo liquidius cognoscat lector, quàm lõge remotum 46
à vero sit, Dæmones in propriis suis corporib. libidinosè mixtos cum feminis generasse filios, quatuor rationibus falsum id esse demonstremus. Prima Ratio. Dæmones sunt incorporei, ergo secundum naturam suam nec potuerunt aliquando, nec possunt per corporalem concubitum miscęri cum feminis, & ex his filios procreare. Dæmones vero esse incorporeos, satis magno indicio & argumẽto est, quod legimus apud Lucam capite octauo, intra vnum hominem, quem à Dæmonibus Christus dominus liberauit, fuisse legionem Dęmonum, hoc est sex millia Dęmonum: est autem prorsus incredibile, si Dæmones

nes

nes corporei essent, intra vnius corpusculi humani angustias tantum numerum dæmonum coarctari & contineri potuisse. Quod si Dæmones corpus habent, quale erit eiusmodi corpus, vtrum cœlestis substantiæ, an potius elementaris ac sublunaris materiæ? Sed cùm Dæmones quoquo versus moueantur, sursum, deorsum, dextrorsum, siniſtrorsum, antrorsum, retrorsum, & in gyrũ, interrogatus enim Satan à Deo vnde veniret, respondit: *Circuiui terrã, & perambulaui eam*: cumque Dæmones corpus habeant, quod facillimè in quantamlibet magnitudinem extendere, aut in paruitatem contrahere possint, omnesque colorum, & figurarum species in suo corpore subinde variẽt: denique cũ Dæmones, vt isti dicunt, in suis corporibus torqueantur ab igne, & acerbissimis dolorũ sensibus crucientur: his profectò rebus cœleste corpus nequaquam habile, quin maximè alienum est. Si quidem solius circularis motus est capax, & cum sit solidissimum tanquam æs, vt Iob ait, nec secundum quantitatem, nec secundum figuram variari potest: denique cum sit incorruptibile, nulli alterationi corruptiuæ obnoxium est, quamobrem nec sedes esse potest sensus doloris.

Corpus Dæmonis nõ esse cælestis substantiæ.

Iob 1. & 2.

Iob 37.

47 SIN autem corpus Dæmonum faciant elemẽtare, vti sanè faciunt, hoc est aëreum, necesse est ipsum esse dissolubile, & Dæmones esse mortales. Nam quod scripsit B. August. lib. 3. De Genesi ad litteram cap. 10. propterea corpus aëreum Dæmonis non esse corruptibile, quod in aëre & in igne est vis agendi, sicut in terra & aqua vis patiendi; ideoque corpus Dęmonis esse magis actiuum, quam passiuum: hoc, inquam, neque cum vera philosophia, neque cum experientia consentit. Etenim aër magis est passiuus quàm actiuus: si quidem propria eius qualitas est humiditas qua scilicet ipse insignitur, & ab aliis elementis distinguitur. Arist. autem in 2. lib. de Generatione, Tex. 8. & in exordio libri quarti Meteororum, calorem, & frigus, qualitates actiuas facit, Humiditatem verò, & siccitatem, passiuas. Manifestis præterea & quotidianis experimentis compertum est, aërem non modo esse patibilem & corruptibilem, sed etiam facillimè mutari & corrumpi, promptissima enim, & velocissima est eius vel in ignem, vel in aquam commutatio.

Corpus Dæmonũ non esse aëreum.

Augustin.

Aristot.

48 QVOD si Dæmones faciunt corruptibiles, vt etiam generabiles faciant necesse est, nisi in singulos dies magis magisque numerus Dæmonum diminuatur, & ex quo sunt creati ad hanc vsque diem, ad maximam paucitatem redacti sint. Quod si generantur Dæmones, quis, obsecro, erit generationis eorum modus? nam nec fingendo quidem qualis sit Dæmonum generatio designari potest. Non sum nescius, à Plutarcho scriptum esse in libro De Oraculorum defectu, Dæmones esse mortales, & post longissima temporum spatia mori. imperante autem Tiberio Cæsare, celeberrimum Dæmonum, qui ab Ethnicis Magnus Pan appellabatur, esse mortuũ grauissimorum hominum testimonio idem confirmat. Ex sententia item Hesio-

Plutarchus. Deus Pan mortuus.

Hesiodus.

di vitam Dęmonum, quos Ethnici nominabant Genios, annis nouies
Cardanus. mille ſeptingentis viginti determinat. Cardanus verò lib. 16. De Va- 49
rietate rerum, cap. 92. affirmat, patrem ſuum, qui annis plus triginta
Dęmonibus familiariſſimè vſus fuerat, narrare ſibi ſolitum, accepiſſe
ſe ex ipſis Dæmonibus, eos oriri, & interire, & quantum ipſe conie-
ctare potuerat ex facie, & ætate Dæmonis qui ſecum conuerſabatur,
viſum ſibi eſſe, eorum vitam vel ad ducentos, vel ad trecentos etiam
annos produci. Verum hæc aliaque horum ſimilia hominum com-
mẽta, equidem non floccifacio, ſequorque libenter prudentiſſimum
Ariſtot. 1. li. Topicorum. 1. li. de Genera. & corrup. illud Ariſtotelis conſilium, ſtultum eſſe, quid dicat quilibet, attende-
re, præſertim ſi diu multumque probatis opinionibus contraria dicat.
Multi enim (vt idem ſcribit) ad pauca reſpicientes, facile quodlibet
inconſultè pronunciant.

Si Dæmõ haberet naturaliter aërũ, ſecundum naturam eum fo reimperfectiorem homine. HIS addo, ſi corpus Dæmonis eſſet aëreum, vel ex qualibet alia 50
ſublunari materia, ex eo efficeretur, Dæmonem ſecundum ſuam na-
turam eſſe imperfectiorem atque ignobiliorem homine, quod tamen
pernegant iſtius opinionis defenſores. Cenſent enim Dæmones eſſe
medios inter duos cœleſtes & homines: illis quidem inferiores, his
autem ſuperiores, & illis quidem deſeruire ſuis miniſteriis & fun-
ctionibus, his verò præſidere. Fore autem, ſecundum iſtos, hominem
Dæmone præſtantiorem, eo patet, quod in his quæ infra lunam ſunt
corporibus, quòd eſt corpus aliquod magis compoſitum & multi for-
me, eo nobilius ac perfectius eſſe conſtat. Elementis enim perfectiora
ſunt metalla, ſtirpes metallis, animalia ſtirpibus, omniumque præ-
ſtantiſſimus eſt homo, cuius corpus ſapientiſſima ratione deſcriptum,
& admirabili artificio elaboratum atque perfectum, quis non videat
ſimplici corpore aëreo multo nobilius eſſe? At verò inter formam &
materiam talis eſt ſecundum naturam proportio, vt ſemper nobiliori
formę nobiliorem natura materiam cõparauerit, & aſſignauerit: ergo
ſi corpus hominis nobilius ſecundum naturam eſt corpore aëreo Dæ-
monis, animum quoque hominis animo ac mente Dęmonis nobilio-
rem ac præſtantiorem eſſe neceſſe eſt: Sed concludamus, hanc pri-
mam rationem. Dæmones atque omnes Angelos eſſe incorporeos,
ſententia eſt iam pridem in Eccleſia Dei recepta, & tum omnium
Theologorum conſenſu, tum auctoritate Concilij Lateranenſis Ma-
gni ſub Innocentio 3. comprobata.

Anima aduerſio in Caietanum aiẽtẽ Dæmones habere naturaliter corpus aëreum. QVOCIRCA non poſſum non vehemẽter mirari Caietanum in 51
Commentariis ſuis ſuper caput 2. Epiſtolæ ad Epheſios explanan-
tem illa verba Pauli: *Secundum principem poteſtatis aëris huius ſpiritus: &c.* non eſſe veritum dicere, videri maximè conſonum veræ philo-
ſophiæ rationi, Dæmones eſſe ſpiritus aëreo corpore naturaliter cõ-
ſtitutos. *Quia*, inquit, *ſicut vegetatiũ inuenitur ſine ſenſitiuo & ſenſitiuum ſine motiuo ſecundũ locum, & intellectiuum ſine ſenſitiuo & motiuo ſecũdum locum, ita credibile eſt reperiri intellectiuum ſine ſenſitiuo, cum motiuo tantum ſecundum locum: & tales ſint Dæmones.* Sic ille argumentatur. Egregiam

verò

verò rationem, propter quam scilicet deserenda fuerit tot iam seculis apud omnes Theologos & optimos philosophos tantopere laudata & probata doctrina. Enim vero istiusmodi genus argumentationis exiguam habet vim ad probandum, vmbram tantum gerit quandam probabilitatis, & in scholis tales rationes appellari solent conuenientiæ, seu cõgruentiæ. Nimirum si ratio Caietani admitteretur, similiter confici posset, reperiri sensitiuum sine vegetatiuo, & intellectiuum cum sensitiuo, sine motiuo tamen secũdum locum: ne videlicet vlla istiusmodi combinationũ, rerum vniuersitati & perfectioni desit.

52 ARISTOTELES libro 2. De anima istos quatuor gradus viuentium, Vegetatiuum, Sensitiuum, Motiuum secundum locum, & Intellectiuum, sic inter se naturaliter affectos ordinatos esse dicit, vt prior potestate contineatur à posteriore: vt licet prior quidem sine posteriore esse possit, sine priori tamen posterior esse nequeat. Ac simile quidem huius cernimus in speciebus numerorum & rectilinearum figuratum. Non igitur motiuum secundum locum esse potest sine sensitiuo, vt Caietano existimanti Dæmones esse mobiles secundum locum, sicut sunt animalia, concedendum sit etiam ipsos esse sensitiuos. Aristoteles præterea libro tertio De anima negat fieri posse vt sit corpus aliquod (siue illud sit generabile, siue ingenerabile) quod animam habeat intellectiuã, & sensu tamen careat: Sapienter profectò. Quo enim intellectiui corpus sine sensu? & quem obsecro ad finem, vel vsum natura Dæmoni corpus assignasset? Materia enim est propter formam, & corpus propter animam. Videlicet materia est necessaria formæ materiali propter eius existentiam, operationem, & perfectionem; non enim talis forma sine materiæ adiumento aut existere aut operari, aut perfectionem suam adipisci potest. At vero mens Dæmonis cùm prestantior secundum naturam sit mente humana, intelligens, & immortalis sua vi existit, nec ad existendum eget corpore. Propria item Dæmonis actio in qua naturalis perfectio eius posita est, intellectio est, ad quam perficiendam, non est corpus Dæmoni necessarium: non enim, vt mens humana, per sensus corporeos, materiam intelligendi quærit & acquirit: Neque indiget corpore ad motum localem efficiendũ: Dæmõ enim sua vi seipsum ex quolibet loco in quemlibet locum trãsferre potest: & in corporib. ad aliquod tẽpus assumptis quemlibet motum animalium, vt deambulationem, cursum, saltum reptationẽ, circumlationem, volatum, alioque similes, repręsentare potest. Verum transeamus ad secũdã rationem.

Aristoteles.

Aristotelis nullum corpus est habẽs animã intellectiuã quod non etiam habeat sensitiuam.

55 ALTERA RATIO. Etiam si Dæmones corporei essent non propterea tamen vim haberent generandi, nec haberent semen prolificum. Est autem semen genitale, vltimi alimenti residuum, vtile generationi. Etenim facultas generandi & creandi semen, pertinet ad animam vegetatiuam, cuius propria sunt opera, generare, & alimento vti, sicut Aristoteles docet libro 2. De anima, tex. 34. In quibus-

Secũda ratio Etiamsi Dæmones essent corporei vim tamen generandi habere non possent. Aristoteles.

cunque autem corporibus est anima vegetatiua, necesse est ea corpora aliquando fuisse generata, & aliquando esse interitura: Nec anima tantùm vegetatiua esset in Dæmonibus, si in his esset facultas generandi, sed esset quoque anima sensitiua. Siquidem naturale est in viuentibus perfectis, ex ipso actu generationis voluptatẽ capere: quam sane voluptatem nec istius opinionis sectatores Dæmonibus denegant: quin aiunt, eas voluptates expetere ipsos, & libidinosis atque obscœnis congressibus gaudere & oblectari. Atqui sensus talis delectationis pertinet ad sensum tactus, qui ex primarum qualitatum temperie existit: nec in simplici corpore, sed in mixto & temperato ex elementis sedem habet. Ex his igitur concluderetur, corpus Dæmonis non esse simplex, sed mixtum ex omnibus elementis: nec vniforme, quod Græcè dicitur homogeneum, sed multiformes habens partes, scilicet organa varijs animæ actionibus perficiendis destinata & accommodata. Quapropter corpus Dæmonis solidum & crassum, & aspectabile atque omnibus conspicuum esset. Adiice, quod facultas generandi fert secum distinctionem sexus in marem & feminam: ad perfectam enim generationem vterque sexus conuenire debet; cum in altero sit vis actiua generationis, in altero autem passiua, nec sine vtriusque concursu generatio effici queat. Erunt igitur Dæmonum alij mares & alij feminæ, essetque inter eos ad generandum coniunctio. Non igitur mendacia erunt, Poëtarum figmenta: nec fabulosa erit, sed vera Hesiodi Theogonia, & pro veris credenda erunt quæ fabulati sunt Ethnici de Dijs & Deabus, & de eorum inter se coniugijs, adulterijs & incestibus. Denique cum Dæmones tot annorum millia ab eo tempore quo sunt creati, iam transegerint, si vim generandi haberent, planè innumerabilis esset atque intolleranda Dæmonum progenies. Hæc si falsa, si absurda, si impossibilia atque incredibilia sunt, illud quoque falsum, impossibile & absurdum esse necesse est, Dæmonem habere vim generandi. 56

Tertia ratio Dæmones nõ posse generare aliquid ex mulieribus.

Duo principia necessaria ad perficiendam generationem.

TERTIA RATIO. Licet Dæmones corporei essẽt, & vim haberent generandi, non idcirco tamen ex mulieribus generare aliquid possent. Duo enim principia ad perficiendam generationem necessario conuenire debent: alterum est principium actiuum generationis quod est in mare, alterum, est principium passiuum, quod est in femina. Quamobrem si Dæmon generaret ex muliere, vis actiua generationis esset in Dæmone, vis autẽ passiua esset in femina, Sed hoc fieri nequit. Nam inter potentiam actiuam generationis & passiuam, naturalis debet esse conuenientia & cognatio; vt sit vtraque in his quæ sunt eiusdem speciei, vt in viro & femina, equo & equa, leone & leæna: vel certe eiudem generis proximi, vt in equo & asina, vnde gignitur mulus: non enim quodlibet animal ex quolibet animali generari potest, multo minus animal ex non animali, cùm ista differant genere. Dæmon autem & mulier differunt non modo specie, sed etiam genere, & quantum ad animum siue mentem, & quantum ad corpus: 57

Nulla

Nulla igitur esset conueniẽtia inter potentiam generatiuam Dæmonis & mulieris, quapropter nulla ex his generatio existet. Confirmatur hoc auctoritate Aristotelis, qui libro 10. Metaphysicorum, Tex. 25. ad hunc modum scribit: *Masculus & femina propriæ quidem, animalis passiones sunt, sed nõ secundum substantiam, verum in materia & corpore.* Quare idem semen aliquam passionem passum, aut femina, aut mas fit. Et sequenti textu sub finem eius libri affirmat, corruptibile & incorruptibile diuersa esse genere. Dæmon autem est incorruptibilis secundum naturam, mulier verò corruptibilis; quo circa genere diuersa sunt inter se. Ergo non potest Dæmon habere vim actiuam generationis respectu mulieris, nec mulier passiuam respectu Dæmonis. *Aristot.*

58 QVARTA RATIO. Sed concedamus, Dæmones esse corporeos, & habere vim generandi, quin etiam generare posse aliquid ex muliere: non posset tamen, his rebus positis & concessis, concludi Dæmonem ex muliere generare posse hominem, sed contra potius conficietur, si prolem ex muliere crearet Dæmon eam non fore humanam. Cum enim duo diuersæ speciei inter se coëunt ad generationem, ex vtriusque commixtione quod generatur, id specie ab vtroque diuersum est. Ex equo enim & asina generatur mulus: idemque cernitur in aliis quæ sic generantur. Nam quæ generantur ex parentibus, vt ita loquar diuersæ speciei, aut essent eiusdem speciei cum vtroque parente, quod fieri non potest, cùm illi differant specie; vel essent cum altero parente eiusdem speciei: sed cur potius cum vno quàm cum altero? cogit igitur ratio philosophica sentire, illud diuersum esse debere ab vtroque: sed ita tamen, vt etiam cum vtroque aliquam habeat conuenientiam, sicut in mulo manifestum est. Cum autem Dæmon genere diuersus sit à muliere, quomodo quod ex Dæmonis, & mulieris congressu generatur, potest esse homo, id est, similis omnino mulieri, diuersus autem omnino à Dæmone? cùm deberet contra euenire, vt similior esset secundum substantiam Dæmoni, quàm mulieri: siquidem Dæmon haberet vim actiuam generationis, femina verò passiuam: & vt materia prolis ex femina est, sic forma, precipuè actiuo principio accepta fertur. *Etiam si Dæmon generaret aliquid ex muliere, non generaret tamen hominẽ.*

59 Facit ad confirmationem huius nostræ sententiæ quod scribit Plinius libro 6. cap. 2. auctorem laudans Durim, à quo proditum sit quosdam Indorum cum feris coire, mixtosque & semiferos esse partus: quam fortasse ob causam Gentilium poëtæ generatos ex parentibus, quorum alter Deus esset, alter homo, vt Herculem, Dionysium, Æsculapium, Æneam, Romulum, non deos simpliciter nec homines, sed Semi-deos, & semihomines nuncuparunt. Quamquam isti reuera homines fuerunt, tota enim eorum substantia erat hominis: sed quantum ad fabulosam originem generationis, & fictam parentum conditionem Semi-dei no-
60 minabantur. *Plinius.*

SED vereor ne cui iuspiam ex hæc legentis subeat animum suspi-

De siluanis, Faunis & Satyris.

cari, ne forte ex concubitu Dæmonis cum muliere, generata sint monstra illa, quæ stulta gentilitas Syluanos, Faunos & Satyros nominauit, & coluit, in quibus ferinum aliquid & aliquid humanum, nonnihil etiam diuinum esse dicebatur. *Sunt*, inquit Plinius lib. 7. ca. 2. *& Satyri Subsolanis Indorum montibus* (Cartulodorum dicitur regio) *perniciſſimũ animal: tum quadrupedes, tum rectè currentes, humana effigie, propter velocitatem niſi ſenes, aut ægri non capiuntur.* Huius generis putet fortasse quispiam fuisse monstra illa, quæ visa esse B. Antonio in solitudine, narrat S. Hieronymus in Vita Pauli Eremitæ ad hunc fermè modum: *Conſpicit Antonius hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauro vocabulũ indidit, quo viſo ſalutaris impreſſione ſigni armat frontem, & Heus tu*, inquit, *quanam in parte hic ſeruus Dei habitat? At ille barbarum neſcio quid infrendens & frangens potiùs verba quam proloquens, inter horrentia ora, ſenis blandum quæſiuit alloquium, & dextræ protenſione manus, cupitum indicat iter, & ſic patẽtes campos volucri tranſmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verùm hæc vtrum diabolus ad terrendum eum ſimulauerit, an vt ſolet eremus monſtroſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus. Stupens itaque Antonius, & de eo quod viderat, ſecum voluens, vlterius progreditur: nec mora, inter ſaxoſam conuallem, haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat, qui palmarum fructus eidem ad viaticum, quaſi pacis obſides, offerebat. Quo cognito gradum preſſit Antonius, & quiſnam eſſet interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit. Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis eremi, quos vario deluſa errore gentilitas, Faunos, Satyroſque & Incubos vocans colit: legatione fungor gregis mei, precamur vt pro nobis communem Deum deprecẽris, quem pro ſalute mũdi veniſſe cognouimus, & in vniuerſam terram exiit ſonus eius. Nec dum verba compleuerat, & quaſi penigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne quiquam ob incredulitatem ſcrupulum moueat, ſub rege Conſtantino, vniuerſo mundo teſte defenditur. Nam Alexandria iſtiuſmodi homo viuus perductus magnum populo ſpectaculum prebuit, & poſtea cadauer exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum eſt.* Hactenus ex B. Hieronymo.

Plinius.

Hieronymus.

63

Sed credo equidem hæc & alia quædam horum ſimilia, Dæmonum fuisse figmenta & ludibria, aut enim nuda tãtum fuerunt rerum quæ cernebantur, ſimulacra & inania ſpectra, aut monſtruoſa fuêre animalia viſuque inſolita, per quę Dæmon humanum ſermonem ſenſumque mentiebatur, & humanam, aut etiam pluſquam humanam vim atque ſapientiam oſtentabat. Sed finis eſto huius ſecundæ quæſtionis. Satis enim quatuor hiſce rationibus probatum reor non poſſe Dæmonem in proprio corpore mixtum cum muliere prolem humanam procreare, ex quo illud quoque apparet filios Dei, quos narrat hoc loco Moſes mixtos cum filiabus hominũ generaſſe gigantes, non fuiſſe Dæmones. 64

TERTIA

TERTIA DISPVTATIO.

Vtrum Dæmon in corpore extrinsecus & ad tempus assumpto congressus cum muliere, per semen non suum, sed virile infusum mulieri, possit hominem generare.

63 DÆMONES nec esse corporeos, nec vim habere naturalem gignendi humanam prolem, iampridem firmatum est à sapientibus, & à plerisque omnibus creditum. At enim Dæmones non solum posse, verum etiam non rarò solere, corpore extrinsecus assumpto, & ad speciem hominis figurato muliebrem inire concubitum & filios procreare, crebro iactatur sermone, tanquam grauissimorum hominum testimonio probatum, & multis ac manifestis experimentis exemplisque compertum. Sanctus Augustinus in libro 15. De Ciuitate Dei, capite 23. Licet hac de re suspendat iudicium & sententiam, ea tamen dicit, quę eam rem verisimilem admodum & probabilem faciunt. Sic enim scribit: *creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Syluanos & Faunos, quos vulgos incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus, & earũ appetisse ac peregisse concubitum. Et quosdam Dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hãc assiduè immunditiam & tentare & efficere, plures, talesque asseuerant, vt hoc negare, impudentiæ videatur. Equidem non audeo sic aliquid temere diffinire, vtrũ aliqui spiritus elemẽto aëreo corporati (nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, sensu corporis tactuque sentitur) possint etiã hanc pati libidinem, vt quo modo possunt, sentientibus feminis misceantur.* Hæc Augustinus. *August.*

64 DÆMON incubus appellatur, qui sub specie virili superueniens incubat feminæ: succubus autem dicitur, qui sub muliebri figura succubans viro, muliebria patitur. Extat Papæ Innocentij huius nominis octaui epistola decretalis aduersus maleficas mulieres cum Dæmonibus incubis flagitiosè atque impiè consuetudinem habentes: in qua hæc inter alia sunt, verba: *Non sine ingenti molestia, ad nostrum peruenit auditum, cõplures vtriusque sexus personas propriæ salutis immemores, & à fide Catholica deuiantes, Dæmonibus incubis & succubis abuti. Quapropterne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciem animarum sua venena diffundat, opportunis remediis, prout nostro incumbit officio prouidere volentes, statuimus, vt Inquisitores per nos deputati debitum inquisitionis officium in huiusmodi exequantur.* Sic Innocentius. Duplex exemplum alterum Dæmonis incubi, alterum succubi, vtrumque fœdum simulque horrendum auditu narrat Cardanus lib. 16. de Varietate rerum cap. 93. Et Philostratus de vita Apollonij quibus exemplis hic commemorandis partim breuitati, partim pudori seruiens abstineo, *Innocent. VIII.* *Lib. 4. cap. 8.*

Tostatus.

TOSTATVS autem super sextum caput libri Geneseos quæstione sexta de huiusmodi Dæmonibus incubis & succubis hunc fermè in modum scribit: *Hi Dæmones semen fundere nequeunt, cum corporei non sint, nec habeant, vnde semen decidat: sed ex viris acceptum, ipsi mulieribus infundunt. Duo autem sunt eorum genera. Aliquando enim Dæmõ succubus est, aliquando incubus: prius tamen succubus est quàm incubus. Nam cum viri nocturno semine polluuntur, ibi Dæmon succubus, corpore ex aëre in speciem muliebrem figurato, semen accepit, seruatq́, ne spiritus eius exhaletur quo sit aptum generationi: deinde sexu transformato induens speciem viri, virile semen quod acceperat, in muliebrem vterum inserit, & hoc modo dicunt nonnulli, Merlinũ vatem in Anglia celebrẽ, cuiusdam viri semine per Dæmonem succubũ accepto, & postea in aluum matris per eundem Dæmonẽ incubum infuso procreatum. Apparent autem istiusmodi Dæmones incubi in vigilijs feminas improbè vexantes: viris autem succubi Dæmones rarò nisi in somnis apparent. Ex talibus autem conceptibus robustissimi homines & proceriſſimi nasci possunt: quia Dæmones vires seminum cognoscunt, quid cuique consonet: nouerunt etiam opportuna tempora, quibus semina infundi mulieri debeant, quo mirabiles eueniunt generationes: denique nouerunt, & adhibere possint ea, quibus positis admirandos & inusitatos natura producat effectus.* Hactenus ex Tostato.

Generatio Merlini vatis Anglicani ex Dæmone incubo.

Hugo Sancti Victoris. Magister Historia Scolastica. Lyranus. Paulus Burgensis refellitur.

CETERVM Opinionem eorum qui filios Dei mixtos cum filiabus hominum, vt dicitur hoc loco, interpretantur, malos Angelos siue Dæmones, incubos, Hugo sancti Victoris in suis Annotationibus in Genesim, & Magister Historiæ scholasticæ in historia libri Geneseos, cap. 31. commemorant, nec tamen improbant. Quam opinionem à Lyrano rectissimè confutatam Paulus Burgensis in prima sua Additione ad Postillam Lyrani super hoc sextum caput libri Geneseos pugnacissimè defendens, verissimam esse contendit, quippe tum narrationi Mosis maximè congruentem, tum à Beato Augustino probatam. Etenim quos hoc loco Latina translatio nominat gigantes, eos Moses vocabulo Hebræo appellauit, *Nephilim*, quod Latinè sonat cadentes, haud dubiè denotans eo vocabulo Dæmones propter peccatum de cœlo lapsos: de quorum principe Lucifero dixit Isaia cap. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* & Dominus apud Lucam capite 10. *Videbam*, inquit, *Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Moses igitur non obscurè significauit, Dæmones incubos mixtos cum feminis prolem illam gigantum progenerasse. Deinde Beatus Augustinus 22. capite libri 15. de Ciuitate Dei (quem locum paulò suprà citauimus) opinionem de incubis Dæmonibus vsque eo famosam esse dicit, totque probatam experimentis & exemplis vt ei fidem abrogare hominis esse videatur nimis increduli, aut etiam impudentis: hoc autem dicit Augustinus pertractans hunc locum Mosis de commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum. Sic Burgensis. 66

VERVNTAMEN, nisi ego valdè fallor, tripliciter Burgẽsis falsus & lapsus est. Primùm enim etymologiam illius vocabuli, *Nephilim*, 67

parum

parum ſcitè ad Dæmones tantum refert cùm doctiſſimi Hæbreorum eius verbi notionem multo ſecus interpretantur: aiunt enim, id nominis aptiſſimè poſitum eſſe in gigantibus, eoſque propterea cadentes eſſe dictos, quod vaſtitate corporis & robore virium in alios homines violenter irruentes, coram ſe cadere facerent, ſuęque poteſtati ſubijcerent: vel quod alij eorum proceritatem corporis & ferociam animi videntes, metu oppreſſi & conſternati in terram caderent. Deinde non animaduertit Burgenſis, filios Dei qui mixti ſunt cum filiabus hominum, quos ipſe putat fuiſſe Dæmones incubos, non appellari à Moſe Nephilim ſed Benelohim, id eſt, filios Dei vel Deorum: nominari autem à Moſe Nephilim, eos qui ex commixtione filiorum
68 Dei cum filiabus hominum generati fuerant. Argumentatio igitur Burgenſis aduerſus Lyranum ducta ex vocabulis Nephilim etymologia, planè nulla eſt. Nec auctoritas B. Auguſtini opinionem eius adiuuat, ſeu potius deſtruit, Auguſtinus enim Dæmones eſſe incubos, & turpiter miſceri cum feminis, nec negare, nec affirmare audet: quod autem per filios Dei qui mixti ſunt cum filiabus hominum, intelligere oporterat Dæmones incubos, vt vult Burgenſis, nec eo loco, nec vſpiam alibi dixit Auguſtinus. Quinimo ſententiam eorum, qui filios Dei interpretati ſunt poſteros Seth, vt longè probabiliſſimam, eo loco ſecutus eſt Auguſtinus.

Auguſtinus non per filios Dei nõ intellexiſſe Dæmones incubos, vt ei affinxit Burgenſis.

Auguſt. l. 15. de Ciuita. Dei, cap. 23.

69 CETERVM tres hoc loco dubitationes exoluendæ ſunt. Prima dubitatio eſt Auguſtini, qui eo loco quē proximè memorauimus, Vtrum Dæmones quos ipſe putat elemento aëreo corporatos, libidinem voluptatis carnalis pati, & libidinoſo cum feminis concubitu delectari queant, in dubio reliquit. Verum ſine dubitatione vlla reſpondere oportet, Dæmones per ſe non capi eiuſmodi voluptatibus: ſunt enim incorporei, vt ſupra, tractando ſecundam quæſtionem oſtendimus. Ac licet corporei eſſent, attamen quia naturalem generandi vim non habent, nec ſenſum tactus ad quem pertinent delectationes Venereæ, non poſſent iſtiuſmodi voluptatum ſenſu titillari atque commoueri. Denique vt hæc Dæmonibus adeſſent, quia tamen diuerſam illi ab homine non ſolum ſpecie, ſed etiam genere naturam habent, eas voluptates ipſi nec expeterent, nec perciperent ex homine, cernimus enim, & hominem & animalia tales delectationes non niſi in his quæ ſecum ſpecie, aut proximo genere conueniunt, conſectari

Dæmones natura ſua non affici voluptate Venerea.

70 CVR igitur, dicet aliquis, Dæmones voluptatibus corporis gaudere ac delectari plurimum exiſtimantur; Gaudent ſanè plurimum: Verum non propter ſuam delectationem, ſed propter hominis perniciem, qua vehementer gaudent. Norunt enim naturam hominis proniſſimam eſſe ad voluptatem: eam verò illecebram eſſe cuiuſlibet turpitudinis & improbitatis, atque omnium malorum eſcam, experti præterea ſunt, viros quantauis prudentia, probitate & grauitate præditos, blāditijs voluptatum delinitos, ſæpenumero eſſe corruptos,

Cur dæmones gaudeant voluptatibus Venereis.

& ad

& ad magna tractos flagitia. Meminerunt etiam, fortissimũ omnium mortalium Sansonem, sapientissimumque Salomonem, etiam sanctissimũ Dauidem, voluptatis dulcedine inescatos, impurissimis flagitijs & grauissimis calamitatibus contaminatos & attritos esse.

Iud.14. 3.Reg 11. 2.Reg.11.

Vitium luxuriæ, quatuor reb esse detestabilius cæteris vitiis.

NEC illud ignorant, vitiũ luxuriæ quatuor rebus cætera vitia superare, amplitudine, diuturnitate, fœcunditate, & curationis difficultate. Hæc enim labes voluptatis latissimè diffusa est, atq; omne propemodum genus hominum complexa. Et quem semel ipsa corripuit, sic ei tenaciter adhæresci, vt vix vnquam auelli queat. Videas multos voluptatibus, quas à pueritia sectati sunt, insenescere atque immori: & cum eos sæpe deficiat facultas potiundæ voluptatis, ardens tamen & vsque ad rabiem vesana cupido, numquam deficit. Denique vitium hoc inolitum atque inueteratum in animis hominum, difficillimam habet curationem: præter naturalem hominis procliuitatem, etiam diuturna consuetudine corroboratum, quid plura? Voluptas corporis innumerabilium malorum tum priuatim, tum publicè seminarium est: propter hanc non vnius tantùm aut paucorum hominum, sed familiarium, ciuitatum, gentium, imperiorum, totius denique orbis terrarum clades & exitia contigerunt. Dæmones igitur libenter non sua causa muliebres voluptates expetunt & persequuntur, sed quò vehementius noceant homini, quem per eas voluptates multis & magnis sceleribus & calamitatibus inquinant, affligunt, ac perdunt. Concubitum autem corporalem cum feminis sub virili specie, aut cum viris sub muliebri, propterea cupidè expetunt & agunt Dæmones, quod ea ratione nouis & exquisitis blanditis atque lenocinijs incredibiliter homines inflammant ad libidinem: & voluptatibus obcœcatos, ad quæcumque volunt, flagitia pertrahunt. 71

Cur Dæmones libenter cum homine agant incubos, & succubos.

72

Vtrum Dæmon per semẽ virile possit hominem generare.

ALTERA dubitatio est, Vtrum Dæmon per semen, quod succubum agens ex viro accepit, & postea tamquam incubus muliebri vtero infudit hominem generare queat? Posse id facere Dæmonem, nonnunquam etiam facere, multorum sermonibus iactatum scriptísque proditum est. Nam si Dæmonem seminales causas affectuum naturalium aptè & opportunè adhibendo, effectus illos producere posse non dubitatur, & per Magos Pharaonis, serpentes, sanguinem, & ranas feciſſe creditur: cur is non similiter hominem per semen humanum generare queat; Nec verò qui ex concubitu Dæmonis generatur, is filius Dæmonis haberi, aut nominari debet, sed eius potius hominis, cuius fuit semen per quod generatus est, quemadmodũ agricolę, pharmacopolę & chmyistæ, si physicè ac propriè loquamur, non sunt effectores & auctores admirandorum effectuum qui eorum solertia, arte, & industria ex abditissima naturæ potentia quasi excuduntur: Hac de re multis in locis in libris de Trinitate, & de Genesi ad literam acutè doctéque disputat Augustinus. 73

Exo.7.& 8.

Augustin.

HANC opinionem tam vulgatam probatamque nõ est animus in presentia oppugnare. Ingenuè tamẽ fateor, me olim ea de re multum 74

dubitasse

dubitasse,& nunc vehementer ambigere. Ambigendi causa mihi non futilis,vt puto,nec inanis hæc fuit. Seminis virilis pars ea, quę continet vim illam generatricem & prolificam, planè velut aëra est. id est, tenuissima, subtilissima, spumosa, vigénsque tenuissimo calore dissimili caloris ignei,& calori syderum affini & cognato:quamobtē pars illa facillimè dissipabilis & expirabilis est. Vereor igitur vt semen virile extra vasa genitalia, aut viri generatur, aut mulieris vbi receptum operatur generationem,aliquandiu manens,vim illā prolificam conseruet,ac non statim exhalet & perdat. Idem enim cogitare ac sentire licet de semine virili,quod de spiritibus naturalibus, vitalibus, & animalibus, qui extra humanū corpus, nec generari à Dæmone possunt, nec integri & illibati conseruari, ita vt refusi humano corpori efficaces sint naturalium suarum functionum. Audiat lector quæ Aristoteles scribit, libro secundo De generatione animalium, Capite tertio, ad huius enim sententiæ probationem faciunt: *Inest in semine omnium*, inquit, *quod facit, vt fœcunda sint semina: videlicet quod calor vocatur. Itaque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine,spumoso corpore continetur,& natura,quę in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Corpus autem genituræ,in quo semen animalis principij contentum vna prouenit,partim separabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur, partim inseparabile:hoc, inquam, genituræ semen dissoluitur,versumq; in spiritum euanescit, cum naturam humidam aquosamq; habeat.* Sic Aristoteles. Possem alia ad huius opinationis, vel(vt dicam verius)dubitationis confirmationem afferre: sed quia longiorem pudendę rei tractatum castę aures atque animi respuunt,meo, & Lectoris pudori cedens,plura differre supersedeo.

Dubitatio auctoris virũ ex cõcubitu Dæmonis cũ muliere possit generari homo.

Notabilis sententia Arist.

75 TERTIA dubitatio.Cum corpus quod Dæmon vel habet,vel assumit, sit ex aëre vel alia quapiam tenui & aëris non absimili materia confectum, quod scilicet, cū opus est statim formari, & vbi opus esse desierit, subito dissolui queat:cùm inquam,tale sit corpus à Dæmone assumptum:qui fieri potest,vt non solum id aspectabile sit oculis, sed etiam manibus tractabile ac palpabile ad modum corporis humani efficiatur?B. Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap.59. difficile putans explicatu, quomodo Angeli (idem autem in Dæmonib. dici debet)cum corpore aëreo constent,nonnunquam sic se hominib.manifestent, vt non solum cernantur oculis, sed etiam manibus tractentur:Et rursus quo modo, si sunt corporei, intus in animo hominis loqui & operari possint

Quomodo Dæmon possit assumere corpus non solum aspectu, sed etiam tactu simile corporis humani Augusti.

EAM difficultatem à se propositam, Augustinus eo loco in medio reliquit,nec vspiam alibi (quod equidem meminerim) eam discussit. Sic autem eo loco scribit Augustinus: *Quis explicet cum qualibus corporibus Angeli apparuerint hominibus,vt non solum cernerentur verum etiam tangerentur? Et rursus non solida corpulentia sed spirituali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis,sed spiritualibus,vel mentib. ingerãt,vel dicant*

aliquid non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidē ipsi
Zacha. 1. *constituti: sicut scriptum est in Prophetarum libro: Et dixit mihi Angelus qui*
Matt. 1 & 2. *loquebatur in me: nō enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me: Vel appareant*
Genes. 32. *in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippe in Euangelio, Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens. His enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora nō habere, Faciúntque difficillimam quæstionem, quomodo patres eis pedes lauerint, quomodo Iacob cum Angelo tam solida contractione luctatus sit. Cum ista quæruntur, & ea sicut potest quisque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est vt hæc atque huiusmodi affirmentur vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?* Hæc Augustinus: cui ea dubitatio 76
propterea contigit, quòd is Angelos & Dæmones ex aëris elemento corporatos esse crederet: ex quo difficile erat intelligere, quo pacto corpus aëreum tangenti ipsumque, solitudinem, & duritiem humani corporis repręsentare posset. Et illud difficilius erat ad intelligendum: si corporei erant Angeli, qua ratione intra hominem, vel in eius mente, vel in phantasia manere, & operari possent. Nos autem hæc difficultas minimè premit: facimus enim Angelos, & Dæmones natura sua incorporeos, eosque arbitramur corpus assumere posse vel ex materia aërea, vel ex crassa & solida, prout illi ab hominibus se vel cerni tantum, vel etiam tangi posse volunt.

Auctoris sententia. Sed age, positam supra dubitationem paucis expediamus. Potest 77
Dæmon ex aëre, vel alia simili materia densata fingere corpus simillimum humano, quantum ad molem, figuram, colorem, motum & vocem: atque hoc perfecto nec difficilem habet intellectum, & pronam fidem atque assensum habet. At vero ex aëre vel alia materia tenui aëris consimili, non potest à Dæmone formari corpus referens soliditatem & alias qualitates tangibiles humani corporis. Quomodo enim corpus aëreum referre potest ipsum tangenti, soliditatem corporis humani, repręsentando sensui tactus, mollicië carnis humanæ, duritiem ossis, rigorē nerui, & arteriæ asperitatem? Necesse igitur erit, corpus quod ista referat, fingi ex crassiori & solidiori materia, quę secundum diuersas partes dissimilli modo temperata, in aliqua sui parte mollis, in alia dura, aspera & rigida sentiatur

Non potest Dæmon formare corpus adeo simile humano, vt nō facile sensu tactus deprehendi queat nō esse corpus humanum. Illvd præterea sine dubitatione dicere uon verebor, non posse 78
ab vllo Dæmonum formari corpus adeo simile humano, vt si quis cum cura & attentione animi id tangeret, non facile dignosceret ipsum non esse corpus humanum. Itaque potest Dæmon similitudine corporis humani oculis fallere, tactus autem sensum omnino fallere non potest. Hoc ego, quò apertius & certius lectori faciam, quatuor argumentis confirmabo, Atque id quidem primum eodem argumento probari potest; quo argumento dominus Iesus veritatem corporis sui post resurrectionem discipulis suis persuadere voluit. Nam cum repente stetisset in medio eorum conterritis illis, nec eum esse qui

erat

erat, sed spiritum cum corpore phantastico esse existimantibus; ad eam opinionem propulsandum, Dominus dixit, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* Quibus verbis clarè ostendit potuisse eos per sensum tactus sine errore explorare, & certo deprehendere, corpus ipsius non esse simulatum, sed verum corpus humanũ. Et in illo, *Palpate, & videte*: Illud, *videte*, non significat cognitionem oculorum, sed simpliciter euidentiam & certitudinem cognitionis secundum consuetudinem diuinæ scripturæ in qua frequenter vsurpatur verbum videndi prout significat certam & indubitatam cognitionem cuiuslibet sensus, atque adeo etiam ipsius intellectus. Vnde illud quod est in psalmo trigesimo tertio: *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*; sic interpretari & intelligere conuenit: Nulla re euidentius & certius cognoscetis suauitatem Dei, quàm eam gustando, id est, experiendo.

79 Ex his apparet, non posse Dæmonem corpus fingere adeo simile corpori humano, vt non possit per sensum tactus internosci à vero corpore hominis: alioqui verba illa Domini: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet*, veram certamque sententiam non haberent. Deinde mollicies carnis humanæ, durities ossis & huiusmodi aliæ qualitates tangibiles, ille præterea tepor, & vitalis ac suauis calor qui tactu sentitur in carne viua, denique temperies ipsa corporis & singularum partium eius, hæc inquam, propria sunt hominis viui, nec ab alio principio proficisci possunt, quàm vel à facultate generatrice, quæ ab initio humanum corpus finxit atque temperauit, vel ab ipsa anima quæ ea conseruat, & si quando labantur ac deficiant, reparare ac reficere potest. Quo licet intelligere, extra corpus humanum, hoc est, præter facultatẽ formatricem corporis humani, aut præter ipsam animam, à nulla alia causa naturali, qualiscunque sit, ea posse effici talia, qualia, sentiuntur esse in corpore hominis viui: non igitur Dæmon
80 in corpore assumpto ea poterit sensui tactus repręsentare.

Adhæc si quis attentè & curiosè tangeret cadauer hominis recens mortui, etiam si calidum, statim cognosceret tamen ex tactu corpus illud non esse hominis viuentis: non enim sentiret illam molliciem carnis, illum suauem ac vitalem teporem, & alia quæ in corpore viuo sentiuntur, cum tamen illud corpus mortuum secundum substantiam idem esset quod erat antea viuum, omniaque eius membra quantum ad molem, figuram, numerum, substantiam, multaque qualitates eadem prorsus essent, atque fuerant in corpore viuo. Quanto igitur facilius & certius corpus à Dæmone assumptum deprehendi potest, si quis cum attentione, & cura ipsum tangat, non esse verum corpus hominis viuentis, cùm illud diuersam ab hoc substantiam, diuersas item, quæ propriæ sunt corporis viuentis, qualitates habeat? Dices? Quomodo igitur Abraham, lauando pedes Angelorũ, non agnouit corpus, quod tangebat non esse humanum? Nimirum quia iam ea persuasione occupato eius animo quod viri essent quos viderat, non *Dubitatio. Gen. 18.*

attendit animum ad id explorandum: & quia lauando sensit mollitiem quandam & duritiē, qualis in pedibus humanis sentiri solet, in priori existimatione permansit.

Corpora Dæmonū à tangētibus easentiri vt frigida.

POSTREMO experimentis multorum qui Dæmones in corpo- 82
ribus humanis viderunt & contrectauerunt, compertum est corpora in quibus apparent Dæmones esse tactu frigida & aspera, ac longè diuersa ratione, quàm verum corpus hominis viuentis, sensum tactus afficere. Narrat Alexander ab Alexandro libro 2. Genialium dierum cap. 9. cuidam in hospitio quiescenti, sed vigilanti tamen, repentè visum esse spectrū (vt ipse putabat) cuiusdam amici sui nuper defuncti, sum no pallore & macie, ac eo ferè habitu oris quali eum cùm ægrotaret dimiserat. Ille quamuis timore perterritus, quisnam esset tamen interrogauit. At spectrum nihil respondens, exutis vt videbatur vestibus, in eodem lecto decubuit, ac propè accessit quasi eum amplexaturum. Ille verò propè iam metu exanimis ad lectuli spondam secedens, accendentem ad se abegit. Spectrum cùm se videret expelli, fertur eum toruo vultu aspexisse, resumptisq; vestibus è lectulo surrexisse, cinctumque & calceatum abiisse. Sed ille subita vi morbi correptus, ac propè ad internecionem grauissima valetudine oppressus est. Ferebat ille, dum in lectulo cum illo spectro luctaretur, nudum eius pedem adeò gelidum ac rigentem attrectasse, vt nulla glacies frigori eius pedis comparari possit.

Alexander ab Alexandro.

Cardanus.

CARDANVS libro 16. de Varietate rerum sub finem capitis 83
nonagesimi tertij commemorat quod sibiipsi contigit, cubanti sibi in lecto (erat autem in eodem cubiculo quidam adolescens eius amicus) astitisse Dæmonem prima nocte, & crebro ictu parietem percussisse. Admiranti quid illud esset, respondisse adolescentem, ne timeret, Dæmonem enim esse familiarem, de numero eorum quos vulgo Felletos appellant. Vbi siluit spatio mediæ horæ, sensisse se vertici suo imponi ab eo digitum pollicem, idque ex frigore, non enim manum comprimebat; deinde superposuisse indicem, tum medium, post reliquos, ita vt minimum ad frontem vsque porrigeret. Fuisse autem manum eius adeo frigidam, vt non exiguam sibi molestiam afferret. Interim gaudebat Cardanus oblatā sibi occasionem rei tam miræ cognoscendæ, sensim proripit se manus illa in faciem, & super nasum descendens (erat autem sinistra manus, vt ex positu eius coniicere potuit) tandem in os ingreditur, intrusis extremis duorum digitorum. Sed ille suspicatus ne forsan corpus suum ingredi vellet, dextra sua illum abegit. Siluit dimidio horæ, rursus affuit, sed leuius omnia peregit quàm prius: verum non adeo leniter, vt non immensum frigus suum detegeret. Illud porrò, mirum erat, quod cum facies & dentes frigiditatem digitorum sentirent, labia tamen exquisitè compressa conniuebant: vt ex hoc intelligeretur, corpus illud fuisse aëreum. Hactenus quæ ad rem præsentem pertinebant; ex Cardano retuli.

VERVM ad id confirmandum quod hic docere instituī, non esse 84
difficile

difficile cognitu per sensum tactus discrimen corporis à Dæmone assumpti,& veri corporis humani, facit plurimum quod à Caietano in Commentariis suis super Secundam secũdæ Beati Thomæ,quęstione 95.artic. tertio proditum est. Id profecto dignũ mihi visum est, quod nec à me silentio præteriretur, nec à lectore oscitanter, sed cum cura & animaduersione legeretur. Disputans ille de apparitionibus Dæmonum in assumptis corporibus, iisque ad similitudinem corporis humani formatis, ad hunc ferme modum scribit. *Frequenter accidit vt Dæmones in assumptis corporibus humanis appareãt vigilãtibus,conuersantes cum eis familiariter:nõ quidẽ habentes veras carnes, nec vera ossa,sed eorũ tãtum similitudinem,non modo visibilẽ,sed etiam palpabilem & solidam, vt à multis fide dignis ex propria experientia narrantibus audiui. In duobus tamen accepi deficere eos ab humanis corporibus:primo,in temperamento carnis:nam cõfessus est ipse mendacij pater,cum eius caro quasi glacialis molesta esset tactui humanæ carnis,se non posse melius facere. Non enim potest sic miscere naturalia absque vera generatione hominis,vt carnẽ humanam efficiat. Et simili ratione non potest semẽ humanum efficere,propter perfectionẽ horum & similium effectum requirentium propria naturalia actiua perfecta. Et hinc patet verissimum esse quod Christus post resurrectionem dixit discipulis: Palpate & videte,quia spiritu)seu Dæmonium)carnẽ & ossa non habet.* Luc. 2. *Secũdo deficit corpus Dæmonis à corpore humano in delectatione tactus & concubitus:est enim naturalis commixtio personarum humanarum tanto delectabilior quàm Dæmonis in corpore assumpto, quanto verum excedit verisimile.* Hæc Caietanus. Sed hic terminanda est tripartita hæc disputatio de Angelis & Dæmonibus, eam causam paulò subtilius & fusius à nobis tractata,vt veritas illius nobilissimæ sententiæ Mosis de filiorum Dei commixtione cum filiabus hominum, discussa omni falsarum & fœdarum opinionum caligine,quæ insciti multorum ei fuerat offusa,liquidò cerneretur.

Dixitque Deus,Non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est. VERS. 3.

HÆc verba grauem cõminationem Dei aduersus hominum illius temporis flagitia cõtinent.Solet autem Deus pœnas denunciare prius quàm irroget: id quod magnæ clementiæ signum est. Idcircò enim comminatur, vt à peccatis absterreat,ne punire cogatur. Talis est Dominus noster, inquit Chrysostomus: *minatur sæpe, non vt opere compleat minas, sed vt correctis nobis minas ad opus minimé perducat. Alioquin si punire vellet, cur prædiceret? Sed quia non vult, semper cessat, & moras nectit, & differt, & prædicit,occasionẽ reis præbens vt fugiendo malitiã,& apprehendendo virtutem,pœnas non experiãtur. Itaque postquam interminatus est se illos generali exitio traditurum: hoc enim est, Non permanebit spiritus* Chrysost. hom. 22. in Genesim.

meus in hominibus istis. Id est, Non sinam illos posthac viuere) differens indignationem, tempus centum & viginti annorum ad pœnitentiã agendam clemẽter indulget. Sic Chrysostomus. Dupliciter autem vniuersum genus hominum propter peccata, mortis pœna Deus puniuit. Primum, propter peccatum Adam, cuius omnes eius posteri vt culpæ participes,
Gen. 2. ita mortis rei fuere. Nam illud: *In quacunque die comederis, morte morie-*
Infra 3. *ris*, & Illud, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: non ad vnũ modo Adam, sed etiam ad omnes eius posteros pertinent. Deinde propter nefanda hominum scelera, diluuij supplicio omnes propemodum homines ad internecionem redegit. Sed cur Deus pœnam mortis tanquam omnium grauissimam aduersus peccatores constituit? Nimirum morte nihil homini, huius vitæ commodis & bonis affixo, terribilius esse potest: & mors vt viuendi sic male viuendi & aliis nocendi finem affert: Sed expendamus verba Mosis.

QVAM nostra translatio Latina sententiam habet, eandem planè 85
reddit Græca lectio: nec discrepat Chaldaica Latinè ad verbum redditа hoc sonans: *Tum dixit Dominus, Non durabit generatio mala hac coram me in æternũ, eo quod sunt caro, & opera eorum mala sunt.* Verum quia
Quintuplex significatio, Spiritus, quinquetulit expositiones huius loci. vocabulum *Spiritus* variè sumitur in sacris litteris, propterea varias hic locus interpretationes habet. Primo illud *spiritus meus* potest significare ipsum Dei spiritũ, id est ipsum Deum, qui Spiritus est, vt hic sit sensus: Non ero amplius cum istis hominibus, vel. non vlterius apponam cor meum erga illos, neque vt ante hac feci, pergam deinceps bene velle illis conseruando eos in terris: discedam ab illis, faciem meam
Psal 103. ab illis auertam, vt à me derelicti pereant, sicut Dauid dixit, *Auertente faciem, turbabantur* & qualis illa esset futura turbatio declarans subiungit *auferes spiritum eorum & deficiẽt, & in puluerem suum reuertentur.* Sumitur etiam vocabulum *spiritus* pro ira & indignatione, veluti 86
apud Isaiam capit. 2. *Quiescite*, inquit, *ab homine, cuius spiritus in naribus eius est: quia excelsus reputatus est ipse*: quid est illud, *Cuius spiritus in naribus eius est*? Id est, Cuius ira in promptu, & vehemens est: secundum hanc verò significationem erit hic sensus, Non permanebit, seu, non perdurabit in æternum indignatio mea aduersus istos homines: quasi dicat, puniam eos in hoc seculo, temporali supplicio, ne post hanc vitam æternis pœnis puniãtur. Vel, non differã exercere indignationem meam aduersus istos in æternum, aut in tempus admodum longum: nisi enim ante centum viginti annos dignam egerint pœnitentiam, effundam super eos spiritum indignationis meæ

ACCIPITVR etiam spiritus Dei pro cura & prouidentia quam 87
Deus gerit hominum, tuendo eorum vitam, & quæ ad eam commodè agendam vel necessaria, vel etiam vtilia & iucunda sunt, opportunè & largè tribuendo Sic videtur accipi nomen Spiritus Psalmo 103. illis verbis: *Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*
Chrysosto. hom 22. in Genesim. Atque ita hunc locum interpretatur Chrysostomus. Et sensus est: Non pergam amplius habere curam & prouidentiam istorum hominum

num sustentando & prorogando eorum vitam, auferam illis hunc spiritum meæ curæ, & prouidentiæ, quo subtracto, penitus ad interitum recident.

88 ADHÆC frequenter in sacris literis vocabulum, *Spiritus*, vsurpatur pro anima rationali, cui hoc nomen propterea inditum est, quod Moses exponens creationem animæ, dicit Deum inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ. Sicut autem præsentia animæ, est causa vitæ: sic digressus eius à corpore, causa est mortis. Dicitur porrò anima rationalis spiritus Dei, quod à solo Deo creetur & infundatur corpori, atque inibi conseruetur, & inde, cum libuerit Deo, seuocetur, quemadmodum Ecclesiastes cap. 12. scriptum est: *Donec puluis reuertatur in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Ergo illud: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*: non aliud significat, quàm genus humanum non perpetuo esse victurum in terris. Permansio enim spiritus Dei, id est, animæ in corpore, causa est vitæ hominum: remotio autem animæ à corpore, causa est mortis. *Auferes* inquit Dauid Psalmo 103. *spiritum eorum & deficient, & in puluerem*
89 *suum reuertentur.* Huic significationi, *spiritus*, per quam affinis est significatio eiusdem vocabuli, cum id ponitur pro vita, quoniam hæc per spirationem & flatum conseruatur. Sic eo vocabulo vsus est Iob capite 27. *Donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur verba mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Daniel autem (vt scriptum est in libro eius cap. 5.) dixit regi Balsasari: *Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti.* Id est, in cuius manu & potestate est vita tua, *In ipso enim*, vt dixit Paulus *viuimus, & mouemur, & sumus.* *Act. 17.*

Spiritus in scriptura pro anima rationali. *Gen. 2.*

POSTREMO sæpè vocabulum spiritus Dei, positũ est in scriptura ad significandum Spiritum sanctum, de quo locum hunc interpretatus est Ambrosius libro de Noë & Arca, capite 3. scilicet verba hæc *Ambrosius.*
Mosis à proprio eorum intellectu ad mysterium, & ad Christum accommodans, in quo Spiritum sanctum permansisse traditur in Sacris litteris. *Datur*, inquit Ambrosius, *Spiritus sanctus hominibus: sed in eis non permanet, quia caro sunt. Carnis enim natura disciplinæ repugnat, quia voluptati obtemperat. Denique de solo domino Iesu scriptum est: Super quem videris spiritũ descẽdentem de cœlo: & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto, In eo manebat, quem nulla corruptelæ carnalis impedimenta reuocabant, quo minus incorruptæ & intermixtæ ordinem disciplinæ teneret, cuius caro non vidit corruptionem.* Sic Ambrosius. Verùm quam-
90 quam spiritus sanctus eximio quodã & singulari modo in solo Christo manserit: mansisse tamen etiam Spiritum sanctum in aliis, legimus in sacris litteris. Saluator enim noster dixit Apostolus suis: *Ego rogabo* *Ioan. 14.*
Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. *Luc. 1.*
Nec dubitari potest Spiritum sanctum mansisse in Ioanne Baptista, quippe qui ex vtero matris suæ repletus est Spiritu sancto, vt nihil hoc loco dicam de beatissima Virgine. Harum quinque significationum

num & interpretationum vocabuli, *Spiritus*, eam qua vel anima, vel vita significatur, vt huic loco aptissimè congruentem maximè probamus.

ILLVD porrò *in æternum* dupliciter exponitur: vel vt vox illa, 91
æternum, non significet propriè æternitatem, sed longissimum aliquod tempus, cuius certus finis non exprimitur: qua significatione non raro in diuinis libris ea vox reperitur. Et sic erit sensus, ante hac longissimam dedi homini vitam, vt nonnulli propè millesimum annum vitam extenderint: sed posthac præcidam hanc longitudinem, eamque ad centum viginti annos contraham. Vel ea vox significat propriè æternitatem, vt sensus sit: Nõ patiar genus humanum deinceps æternum esse, id est, perpetuò viuere in terris: perdam enim ipsum diluuio, & de terris delebo. Et hæc quidem significatio atque interpretatio commodior est, & aptius hæret cum iis quæ sequuntur.

PRO illo autem *quia caro est*, Græca lectio habet plurali numero 92
quia carnes sunt, sicut etiã habet plurali numero, *Non permanebit spiri-*
Chryſoſt. *tus meus in hominibus istis.* Quid sit autem, *quia caro est, vel quia carnes sunt*, interpretatur Chrysostomus homilia 22. in Genesim ad hunc modum: *Eo quod*, inquit, *carnalibus operibus seipsos totos dedunt, & animæ substantia abutuntur, & quasi sola carne circũdati caterent anima, sic vitã suam absumunt. Perpetuus enim scripturæ mos est, carnẽ vocare homines carnales: sicut virtute præstantes, carnis expertes nominat, sic Paulus loquitur: Vos autẽ non estis in carne: non quod carne non essent circumdati: sed quia carnem ge-*
2. *Cor.* 13. *stantes. superiores erant carnalibus affectionibus & sensibus. Quemadmodum autem de his Paulus dixit: Vos non estis in carne, eo quod carnalia despiciebant: sic de illis dictum est: eo quod ipsi sunt carnes: Nam licet animam rationalem haberent potiorem sui partem: perinde tamen viuebant sine ratione, ac si sola carne constarent.* Hæc Chrysostomus.

Animaduersio in chryſoſtomũ de vſu huius vocabuli, caro in ſcriptura.

AT enim verò obseruationem hanc Chrysostomi non esse perpe- 93
tuò veram, manifestis diuinæ scripturæ testimoniis ostendit B. Gregorius libro 14. Moralium, cap. 29. tractans illa verba Iob: *Et rursum circundabor pelle mea.* Nam cùm prius commemorasset disputationem quam ipse Constantinopoli habuit cum Eutychio eius vrbis Episcopo, qui negabat hominem resurrecturum in vera substantia carnis, propterea quod Paulus id confirmare videbatur illis verbis quæ sunt in capite 15. prioris epistolæ ad Corinthios: *Caro & sanguis regnum Dei*
B. Gregorius, Iob. 19. *possidere non possunt*: Huic ipse Gregorius respondens obiectioni: *In sacro*, inquit, *eloquio aliter caro dicitur iuxta naturam, atque aliter iuxta culpam, vel corruptionem. Caro quippe iuxta naturam dicitur, vbi scriptum est:*
Genes. 2. *Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &, Verbum caro factum est,*
Ioan. 1. *& habitauit in nobis. Caro vero iuxta culpam dicitur, vbi scriptum est. Non*
Psal. 77. *Rom. 8.* *permanebit Spiritus meus in hominibus istis, eo quod sunt caro, & Dauid ait Memoratus est quia caro sunt: spiritus vadens & non rediẽs: Vnde discipulis Paulus dicebat, Vos non estis in carne, sed in spiritu. Neq; enim in carne non erant, quib. epistolas transmittebat: sed quia passiones carnaliũ desideriorum*

vicerant,

erant, iam liberi per virtutem spiritus in carne non erant, Cum ergo Apostolus dicit: Quia caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt: carnem vult secundum culpam intelligi, non secundum naturam. Vnde quia carnem secundum culpam diceret, mox ostendit, subdens: Neque corruptio incorruptelam possidebit. In illa ergo cœlestis regni gloria caro secundum naturam erit, sed secundum passionem desiderij non erit: quia deuicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Hæc Grægorius.

Quos appellet scriptura homines carnales.

94 VERVM ne hoc lector nesciat, monendus est, solere in sacris literis appellari homines carnales non eos tantum qui obscœnas carnis voluptates sectantur, sed alijs quoque vitiis infectos, etiam iis quę ex animo potius ac mente, quàm ex carne proficisci videntur. Nam Paulus Corinthios, inter quos erant æmulationes, dissensiones ac schismata, appellat carnales, *Cum enim*, inquit, *sint inter vos zelus & contentio, non ne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Idemque in capite quinto epistolæ quam scripsit ad Galatas, enumerãs opera carnis, recensẽt idolorum seruitutem, veneficia, inimicitias, contẽtiones, æmulationes, iras, rixas, dissentiones, sectas, & inuidias. Non est tamẽ negãdum, cum nominantur peccata carnis, vel hominum carnalium præcipuè ac plurimum significari peccata quæ in sordidis libidinibus & voluptatibus carnis versantur. Vnde quanquam hoc loco vocabulum carnis ad omnia carnis opera, quę Paulus, vt supra diximus, commemorat, extendi potest, præcipuè tamen ad vitia carnalium voluptatum pertinet. 1. Cor. 3.

Præclara Gregorij sentẽtia quemadmodũ homo qui est rationalis dicatur in sacris literi fieri caro.

95 NON faciam, vt præclaram quandam B. Gregorij sententiam huic loco non modo non alienam, sed perbellè congruentem referre prætermittam. Tractans B. Gregorius libro 6. Expositionis in primum librum Regum, verba illa quæ sunt in capite 15. eius libri: *Pepercit Saul & populus regi Agag, & optimis gregibus, &c.* ita scribit: *Quis est Agag rex Amalec, nisi sensus carnalis? Nam cum ex anima rationalitatẽ & sensualitatem habeamus, rationalitas mẽti, sensualitas carni adscribitur: & per illam cum Angelis, per hanc cum brutis animalibus conuenimus. In illa, quo altius extollimur, supernis ciuibus appropinquamus: per hanc verò cum ad carnis blandimenta dilabimur, carnaliores, vt ita dixerim, inuenimur. Vnde & visis, & concupitis iam filiabus hominum, iamque impletis in luxuria voluptatibus, his qui puritatis merito filij Dei vocabantur, in Genesi Dominus minatur, dicens, Non permanebit spiritus meus in homine in æternũ, eo quod caro sit. Caro quippe homo efficitur, quãdo sensui carnis ratio subiugatur. Rex ergo Amalec, vigor est sensus carnalis, qui motibus turpibus imperat, vt captiuam rationem ad illecebras obscœnitatis trahat. Bene autem carnali sensui nomẽ congruit Agag: quippe Agag, meditans, siue loquẽs interpretatur. Meditari quippe ei est, phãtasmata lasciua interna meditatione colligere: & loqui ei est, carnem motibus turpibus ad libidinem excitare. Quasi enim magnum clamorem locutionis habet, quia carnẽ pulsando ardentius cõmouet. Nam & meditãdo colligit: quod loquendo exponit: quia vnus quisque carnali sensui suddius, quo liberius lasciuia, simulacra intus conspicit, eo validiores motus turpitudinis so-*

ris sentit. Meditatur ergo per internam visionẽ turpitudinis, loquitur autem per exteriorem motum delectationis, Sic Gregorius.

Varia lectio & explicatio huius loci secundum Hebraicam scripturam.

HACTENVS explicata quidem à nobis est sententia verborum 96
Mosis secundum Latinam translationem, à qua nec lectio Græca discordat, nec Chaldaica. Deinceps vero lectionem Hebraicam quæ videtur longè diuersa, expẽdere oportet: & hanc ipsam, qui ex Hebræo fidelissimè studuerunt interpretari sacros libros, variè admodum expresserunt. Pro eo quod nos legimus: *Non permanebit spiritus meus in homine*, pro illo, inquã, verbo, *permanebit*, Hebraicè est, *iadon*, quæ vox potest deriuari à, *neden*, quę significat vaginã. Vnde Pagninus sic vertit: *Non erit vt in vagina spiritus meus in homine in seculũ*, id est: Non includetur anima in corpore in perpetuum, sicut gladius vagina conditur. Videtur enim corpus esse tanquam vagina animæ. Caietanus verò hanc lectionem sic interpretatur: *Non vaginabit spiritus meus, &c.* Hoc dictum est inquit ad similitudinem gladij reconditi in vagina, quo, quandiu in vagina est, non vtitur quis ad incidendum, vel percutiendum. Et sensus est: Non erit iustitia mea ad puniendum hominem, vt gladius in vagina, in æternum: sed euaginabo eum post centum viginti annos, & puniam homines. Alij putant eius verbi radicem esse, *dun*, quod est contendere, disceptare, iudicare, litigare. Rabbi Salomon sic exponit: *Non disceptabit spiritus meus cum homine, vel, pro homine*, quasi dicat, quidnam facturus sim de homine, non diu disceptabo, debeam ne hunc punire, nec ne: tandem decernam quidnam facturus sim. Nam quia totus voluptatibus est deditus, iam iam puniam eum, neque longius tempus dabo ei ad resipiscendum, quàm centum viginti annos. Oleaster sumens verbum Hebræum pro litigare, sic exponit: *Non litigabo cum homine.* Id est, Non contendam amplius cum homine, monendo & arguẽdo ipsum vt non sequatur concupiscentias suas: cum enim totus sit carnalis, nihil mouet eum admonitio, vel reprehensio, opus igitur est extremo remedio, id est, vltimo supplicio. Potest etiam verbum, *iadon*, deduci à *nadah*, quod est elongare: & si ab hac radice esset (ponitur enim sæpius nun pro he,) nulla esset huius loci difficultas, sensus enim esset: Non prolongabit Spiritus meus spatium viuendi in homine, sed erunt dies eius centum viginti anni, quasi dicat; Non prolongabo homini spatium viuendi vltra centum viginti annos; vltra quod spatium, nisi pœnitentiã egerit, delebo ipsum. Et hæc lectio atque interpretatio concordat cum nostra lectione Latina quæ habet: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum.*

Caietanus in Genesim.

Rabbi Salomon.

Hieronymus.

Oleaster.

Hieronymus.

B. HIERONYMVS in Traditionibus Hebraicis super Genesim: In Hebræo, inquit, *scriptum est, Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quia caro sunt. Hoc est. Quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus. sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur, sed clemẽtiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Vnde & iratus Deus loquitur, ad* 97

quos

quosdam: Non visitabo filias eorum, cum fuerint fornicatæ, & sponsas eorum, cum adulterauerint. Et in alio loco, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum, veruntamen misericordiam meam nõ auferam ab eo. Oſea. 2. Pſal. 88.

Hæc Hierony. Neſcio quid venerit in mentẽ Ruperto, prodere ſcripto, olim in Hebræo fuiſſe hãc lectionem; *Non iudicabit Spiritus meus in homine*: nunc autem ſecundum Hebraicam veritatem eſſe hanc lectionem, *Non permanebit Spiritus meus in homine*, quaſi variata fuerit ſcriptura Hebraica, & aliter ſe habuerit olim tempore B. Hieronymi; quàm nunc ſe habeat, cum tamen & tunc, & nunc eadem fuerit lectio Hebraica huius loci, idemque verbum Hebræum, quod, prout varia origo eius reperitur, variè quoque ad interpretibus Latinè fuit expreſſum, vt ſupra oſtendimus. Caietanus porrò lectionem illam Hebrai- *Rupertus.*

98 cam: *Non iudicabit Spiritus meus homines iſtos* multo ſecus interpretatur quàm B. Hieronymus. Putat enim ſignificaſſe Deum his verbis, ſe ante id tempus iudicaſſe homines ſpiritualiter: tale enim iudicium, & decens erat Deo qui Spiritus eſt, & congruens homini, cuius nobilior pars etiam ſpiritus eſt. Ordinarium enim Dei iudicium tam erga probos quàm improbos, illos iuuando, hos deſerendo & puniendo, eſt in hac vita internum, ſpirituale, occultum, adeo vt multi illud denegent Deo, dicẽtes, *Supra cœli cardines ambulat, nec noſtra cõſiderat.* Iudicium enim ſpirituale, quo Deus iudicat in hoc mundo improbos, eſt priuare eos gratia ſua, & quibuſdam ſingularibus beneficijs & auxilijs, quibus iuuat & protegit viros iuſtos ſibique caros. Rarò autem Deus in hoc mundo, etiam corporalibus ſupplicijs ſceleratos homines plectit; ita vt propter eorum flagitia ſic eos fuiſſe punitos, conſpicuum ſit omnibus. Verùm quia homines illius temporis, aduerſus, quos ſententia hæc Dei pronunciata eſt, vſque eo carnales euaſerant, vt nihil ſpirituale ac rationale habere viderentur: idcirco Deus dixit: Non pergam vlterius iſtos homines iudicare ac punire tantùm ſpiritualiter, ſed, cum omnino carnales facti ſint, puniam eos (niſi ante centum viginti annos reſipiſcant) carnalibus pœnis & corporali exitio diluuij. *Caietanus.* *Iob. 22.*

Eruntque dies illius centum viginti annorum. VERS. 4.

99 QVÆSTIO eſt hoc loco, ſpatiũ hoc centũ viginti annorum quonam referri debeat; vtrũ ad vitã hominum deinceps futuram, quaſi ea annos cẽtũ viginti trãſgreſſura nõ eſſet, an verò ad ſpatiũ temporis conceſſũ hominibus ante diluuiũ, videlicet ad agẽdã pœnitẽtiã, & auertendam Dei vindictã vniuerſo generi humano impendẽtem. Philo in libro De Gigantibus, Ioſephus primo libro Antiquitatum, Lactantius libro ſecundo, capite 15. Rupertus, libro 4. Commentariorum in Geneſim, cap. 13. Toſtatus ſuper hoc ſextum caput Geneſeos quæſt. 11. referunt hoc ad vitam hominum deinceps futuram: vt ea *Philo. Ioſephus. Lactantius. Rupertus. Toſtatus.*

annis duntaxat centum viginti à Deo circũscripta fuerit: vt sensus sit. Antehac vita hominis vltra nogentesimum annum extendebatur: verùm quia tanta vitę longitudine ad grauiora pluraque in dies scelera patranda abusus homo est, non sic erit post hac, sed insigni admodum facta diminutione, ad centum viginti annos vita hominis contrahetur. Audi Rupertũ ita supradicto loco verba hæc explanantem;

Rupertus

Eruntque dies illius centum viginti annorum: Alij quidem paulo plures, alij paulo pauciores post diluuium vixerunt annos, vt Iacob, qui centum quadraginta septem, vt Ioseph qui centum, & decẽ vixit annos: sed eius qui hæc scripsit, videlicet Mosis, dies fuere cẽtũ viginti annorũ. Sic enim de eo scriptum est: Moyses centum viginti annorum erat, quãdo mortuus est. Miroque modo vir mitissimus super omnes qui morabantur in terra, seipsum in illam congeriem morientium, & propter corruptionem vitæ suæ pauciore tempore viuentium, opportunè importunéque ingerit, quodammodo deflens quod illic secundum præscientiã Dei percussus ipse fuerit, vt moriturus non saltem tempora Mathusalem implere posset, quatenus ingrediatur terram promissionis. sed sint dies sui paiuci, id est, anni centum viginti.

Gen. vlt.

Deut. 34.

Num. 12.

Toſtatus.

Sic Rupertus 103

TOSTATVS verò arbitratur fuisse conueniẽs, vt Deus prænunciaret hominibus mensuram futuræ vitæ. Nam cum inducturus esset diluuium, ex eo sequebatur necessariò diminutio vitæ humanæ: siquidem superficies terræ in qua erat magna vis germinãdi optimas plantas, diluuij aquis detecta & abrasa est: inferior autem pars terrę quæ non æquè efficax erat germinandi, detecta est, & labori & culturę hominum exposita. Quodque maioris fuit momenti, aquę salsę Oceani per omnem terram permeantes, virtutem eius corruperunt, etenim sal terram sterilem reddit; quamobrem mos erat olim terras quæ maledicebantur vt steriles essent, spargi sale, vt patet ex capite decimo libri Iudicum, & Psalmo 106. scriptum est: *Posuit terram fructiferam in salsuginem, propter malitiam habitantium in ea.* Terra igitur salsis aquis operta & obruta, præstantem illam vim germinandi, magna ex parte perdidit, quo factum est vt fructus terræ pauciores essent, minusque salubres. Quoniam autem nos alimentis è terra natis viuimus; illis corruptis, vitam quoque humanam imminui ac debilitari necesse est. Cum igitur Deus illato diluuio vitam hominum minuere vellet, vt breuitas vitæ licentiam ac libidinem peccandi minueret; ne, qui post diluuium futuri erant, breuiorem quam ante fuerat, vitam hominis factam esse cernentes, id non casu, nec tantùm ex causis naturalibus accidisse existimarent, sed Dei consilio, voluntate atque imperio id factum esse agnoscerent, consentaneum fuit, futuram humanæ vitæ breuitatem multo ante denunciari & prædici à Deo, eiusque spatium ab eo determinari. Sic igitur isti hunc locum exponunt.

VERVM enim vero hanc opinionem & interpretationem ver- 104
borum Dei, manifestè redarguunt exempla plurimorum qui post diluuium per multa secula prædictum vitæ humanæ annorum terminum longè supergressi sunt. Etenim Sem post diluuium vixit annos

quingen

quingentos: Arphaxad, Salem, & Heber, plures quadringentis, reliqui autem vsque ad Abraham, plures ducentis exinde Patriarchæ vsque ad Moſen, per annos à diluuio circiter octingentos, vixere annos plures centum triginta, præter vnum Ioſeph, qui non vltra decem & centum annos vitam produxit. Quid plura? Ioiadas pontifex annos poſt diluuium prope mille quingentos natus, vſque ad centeſimum & trigeſimum annum vixit, vt traditur libro 2. Paralipomenon capite 24. *Gen. 50. Ioiadas mille quingẽtis annis diluuio posterior, vixit annos 130.*

102 Est igitur altera eorum verborum interpretatio & ſententia vero proprior atque probabilior, tempus illud centum viginti annorum non ad futuram hominum ætatem, ſed ad tempus conceſſum hominibus ante diluuium ad reſipiſcendum & agendam pœnitentiam referri debere. Et hanc ipſam probat B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim: *Porrò*, inquit, *ne videretur in eo eſſe crudelis, quòd peccantibus locum pœnitentiæ non dediſſet; adiecit illud: Sed erunt dies eorũ centum viginti anni, hoc eſt, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, vt multi errant, in centum viginti annos contracta eſt: ſed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati ſunt. Si quidem inuenimus, quod poſt diluuium, Abraham vixerit annos cẽtum ſeptuaginta quinque, & ceteri amplius ducentis & trecẽtis annis.* Sic Hieronymus. Chryſoſtomi quoque commentarius huius loci eandem planè ſententiam habet. Non contentus, ait Chryſoſtomus, quingentorum annorum longanimitate, quæ per omnem vitam Noë, audito illius nomine docebatur, nunc iterum producens & differens indignationem, aliud illis tempus præſcribit, & dicit; Interminatus ſum, & manifeſtaui meam indignationem, quam, propter multitudinem peccatorum quæ operati eſtis, vobis inferri iuſtum eſt: ſed quia etiam eos qui incurabiliter peccauerunt, ſaluari volo, nullumque perire; idcirco vobis indulgeo cẽtum viginti annos, vt ſi volueritis, & peccata abluere-ritis, reſipiſcendoque & ad meliora vos conuertendo virtuti ſtuderitis, & pœnas & pericula effugiatis. Iſtorũ ſententiæ Auguſtinus etiam ſubſcripſit in capite 24. libri 15. De Ciuitate Dei, cuius verba paulò infra opportunis commemoranda ſunt. Miſſos hic facio complures recentiorum quibus eadem probata eſt opinio. Sed haud ſcio, an rectè ſupradicto loco Rupertus appellauerit hanc poſteriorem ſententiam antiquiorem ea quam paulo ſupra expoſui, cum eius auctores Philonem & Ioſephum, vetuſtiſſimos videlicet omnium ſcriptores, ſupra nominauerimus. *Hieronymus. Geneſ. 25. Chriſoſto. hom. 22. in Geneſim. Auguſt.*

103 Ceterum illud affert difficultatem, ab eo tempore quo Deus hæc verba locutus eſt, vſque ad diluuium, non niſi centum annos reperiri: hæc enim verba Deus dixit, cum iam Noë quingentos natus annos tres filios genuiſſet, vt ex verbis extremis quinti capitis manifeſtum eſt. Diluuium autem euenit anno ſexcenteſimo Noë, vt in capite ſeptimo huius libri ſcriptum eſt: vbi ſunt igitur alij viginti anni? Hieronymus exiſtimat, quia homines illi pœnitentiam agere nolue- *Dubitatio grauis & ardua.*

runt, Deum tempus destinatum amputatis viginti annis breuiasse, & maturasse diluuium. *Quia verò*, inquit Hieronymus, *pœnitentiam illi agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum: sed viginti annorum spatijs amputatis, induxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.* Similia Hieronymo dixit Chrysostomus homil. 25. in Gen. Hieronymum secutus Hugo: *Sicut*, inquit, *Ezechiæ mortem instantem minatus est Deus: sed quia pœnituit, mortem instantem in quindecim annos distulit: Sic contra, illis hominibus ad pœnitendum centum viginti annorum spatium concesserat, sed quia facti sunt deteriores patientia Dei, spatium indultum breuiatum est. Nec in aliquo istorum mutatum est Dei consilium, sed tantùm sententia.*

Hieronym. in Traditionibus in Genesim.

Chrysostomus homil. 25. in Gen.

Hugo in Annotationib. in Genesim.

Esa. 38.

Augustin.

VERVM hæc interpretatio duriuscula est. Quocirca cum eam legisset Augustinus, minimè tamen ea contentus, aliam quæsiuit commodiorem. Respondet igitur Augustinus loco proximè ante citato, cùm hæc verba locutus est Deus, Noë reuera non fuisse quingentorum annorum, sed tantum quadrigentorum & octoginta: quod tempus tamen scriptura vocat quingentorum annorum, quippe quæ nomine totius alicuius summæ annorum, maximam eius partem denotare consueuit. Quoniam igitur Noë quingentesimi anni maximam partem expleuerat, quatuor scilicet confectis eius partibus si centenarius ille in quinque partes diuidatur, ob eam causam quingentorum annorum fuisse dicitur. Sed præstat ipsum Augustinum suis hæc verbis enarrantem audire: *Quod autem dixit Deus*, inquit Augustinus, *Erunt dies eorum centum viginti anni, non sic accipiẽdum est, quasi prænunciatum sit, post hæc homines centum viginti annos non transgressuros, cum & post diluuium nonnullos etiam quingentos excessisse annos inueniamus: sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cùm circa finem quingentorum annorum esset Noë, id est, quadrigentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingẽtos vocat, nomine totius maximam partem plerunque significans, sexcentesimo quippe anno vitæ Noë, secundo mense factum est diluuium. Et ita centum viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominum perituorum, quibus transactis diluuio delerẽtur. Nec frustra creditur sic factum esse diluuium, iam non inuentis in terra, qui non erant digni tali morte defungi, qua in impios vindicatum est. Nullus enim eorum diluuio mortuus est, quos de semine Seth propagatos sancta scriptura commemorat.* Hactenus ex Augustino. 104

SED vt rectè huic obiectioni Augustinus occurrerit; ita non videtur occlusisse aliam rimam quæ patet calumniæ. Nam verba hæc locutus est Deus, cùm iam Noë genuisset Sem, Cham & Iaphet, horum enim generationem prænarrauerat Moses extremis verbis quinti capitis: si igitur Deus ea verba dixit, cùm Noë quadringentesimum octogesimum annum ageret (tunc autem iam etat natus Sem) ergo cùm euenit diluuium, Sem annorum fuisset minimùm centum viginti: at enim fuisse eum finito diluuio centum annorum, legitur in vndecimo capite libri Geneseos. Sed putandum est Deum hæc verba de centum viginti annis vitæ hominis, locutum esse, viginti annis 105

prius

prius quàm Noë genuit Sem. Cur igitur, inquies, Moſes generationem Sem narrauit ante commemorationem horum verborum Dei? Fecit id Moſes per anticipationem frequentem in Sacris litteris: voluit enim generationes omnes quæ ab Adamo fuerunt vſque ad diluuium, cõtinenti ſerie pertextas deſcribere, Et vt in qualibet priorum nouem generationũ dixerat quot annos natus pater genuiſſet filium; ſic in decima quæ fuit Noë, dicendum Moſi fuit, quot annos natus Noë genuiſſet filios, licet ordine temporũ alia priora fuiſſent, priuſque dicenda generatione filiorum Noë.

106 NON igitur neceſſe eſt nos cum B. Auguſtino dicere, cum Noë dicitur quingentorum annorum, non eſſe id de quingenteſimo anno completo intelligendum, ſed de quingenteſimo currente, ſcilicet exactis annis octoginta illius quingenteſimi anni: planius enim & facilius intelligi poteſt de ipſo anno quingenteſimo aut præcisè completo, aut paulò minus plùſve completo. Quod dico propter Sem, quem videtur genuiſſe Noë cùm eſſet duorum & quingentorum annorum: ſiquidem ille biennio poſt diluuium dicitur fuiſſe centum annorum. Quod autem dicit Auguſtinus nullum poſterorum Seth periiſſe di- *Gen. 11.*
107 luuio, intelligi debet de poſteris Seth probis ac piis viris, vel quos nominatim ſcriptura commemorat. Nam Mathuſalem auus Noë, anno ipſo diluuij exceſſit, & paucis annis ante pater eius Lamech: Plurimos autem poſterorum Seth quos Moſes appellauit filios Dei, quòd *Gen. 5.* à paterna probitate ac pietate degenerãtes, grauiſſimis ſceleribus immerſi fuerant, periiſſe diluuio, ex hac ipſa narratione Moſis licet agnoſcere.

Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi. VERS. 4.

HEBRAICE ſic ad verbum eſt: *Gigantes fuerũt in terra in diebus ipſis. Et etiam poſtquam ingreſſi ſunt filij principum ad filias hominum, genuerunt eis, iſti ſunt potentes qui à ſæculo fuerunt, viri nominis.* Chaldaicè ſic eſt: *Gigantes fuerunt in terra in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij magnatum ad filias hominum, & liberos ſuſceperũt ex eis, ipſi quoque robuſti euaſerũt viri illi famoſi qui à ſæculo celebres fuerunt.* Lectio item LXX. Interpretum (vt eam citat Auguſtinus capite 23. libri 15. De Ciuitate Dei, ſic *Auguſt.* habuit hoc loco: *Gigantes autem erãt ſuper terram in diebus illis. Et poſt illud cum intrarẽt filij Dei ad filias hominum, & generarent ſibi, illi erant gigantes, à ſæculo homines nominati.*

108 SIGNIFICAT Moſes his verbis, ex illa ſcelerata commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum, quàlis proles & progenies ſit *Qualis proles ex filiorum Dei.*

edita

edita, scilicet impietate, credulitate: obscœnitate & immanitate morum famosissima, & quę gigantea corporis proceritate ac robore præsidens, superbissima fuerit, ferociſſima, violenta, nulli parcens, omnes opprimens, & quodcunque sibi fuisset libitum, etiam licitum putans. Simul & illud Moses indicat, propter istiusmodi genus hominũ, præcipuè diluuium euenisse, vt enormis & intoleranda eorũ superbia & impietas atque crudelitas, insigni & per omne æuum memorabili puniretur supplicio. Lectio autem Latina significat originem istorum gigantum fuisse ex commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum, quasi antea talia humani generis monstra non fuissent, vel si fuissent, certè non tam crebra, & immania, hoc enim indicat illud: *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum.* At verò secundum lectionem Hebraicam, & LXX. Interpretum quam paulò supra posuimus: significatur & ante, & post commixtionem filiorum Dei cum filiabus hominum fuisse gigantes. Et hoc contendit Augustinus apertè indicari verbis diuinæ Scripturæ, cum dicitur: *Gigantes erant super terram in diebus illis, & post illud cùm intrarent filij Dei ad filias hominum, & generarent sibi, illi erant gigantes, & viri nominati. Igitur,* inquit Augustinus, *multos gigantes ante diluuium fuisse dubium non est, & hos fuisse ciues terrigenæ societatis hominum, Dei autem filios qui secundum carnem de Seth propagati sunt, in hanc societatem deserta iustitia declinasse. Nec mirandum est, quod etiam de ipsis gigantes nasci potuerunt: neque enim omnes gigantes fuerunt, sed plures vtique tunc fuerunt quàm post diluuium. Quos propterea creare placuit creatori: vt etiam hinc ostenderetur, non solum pulchritudines, verum etiam magnitudines & fortitudines corporum non magnipendendas esse sapienti, qui spiritualibus atque immortalibus & bonorum propriis non autem bonorum malorumque cõmunibus beatificatur bonis: Quam rem alius Propheta commemorans, ait: Ibi fuerunt gigantes viri nominati, qui ab initio fuerunt staturosi, sciẽtes prœlium. Non hos elegit Dominus, nec viam scientiæ dedit illis, sed interierunt: & quia nõ habuerunt sapientiam, perierũ propter inconsiderantiam.* Sic Augustinus.

Virum ante Diluuiũ fuerint Gigãtes. 109

Baruch.3.

DICVNTVR autem isti gigantes fuisse à seculo, siue ab initio potentes & famosi, quo significatur, istos circa primam ętatem mũdi, id est, ab exordio mundi vsque ad diluuium potissimum floruisse: hoc enim tempus dicitur, ab initio, siue, à seculo. Nam pro illa voce *sæculo* Hebraicè est *holam*, quod significat tempus absconditum & occultum, id est, cuius propter vetustatem primordia lateant mortales. Illud autem *Viri nominis*, vt est Hebraicè, id est, viri nominati, celebres scilicet & famosi, denotat illorum gigantum vastitatem & robur corporis, ferociam animi, morum immanitatẽ, bellica facta fuisse non solum eorum temporibus, sed etiam consequentibus seculis vsque ad ætatem Mosis, crebro hominum sermone iactata, celebrique fama fuisse apud omnes. 110

Quos appellet Moses.

VERVM diligenter explicandum est, quid vocabulo Gigantum hoc loco significare voluerit Moses. Multis namque placet, Gigantum 113

vocabulo

vocabulo non significari eos qui vulgo nominantur gigantes, homines, dico inusitata corporis mole ac proceritate, sed superbos, homines, impios, crudeles, denique morum immanitate similes eorum gigantum, quos fabulati sunt Poëtæ etiam contra deos belligerare ausos. In hac sententia fuisse videtur Philo lib. De Gigantibus: nam hæc ipsa Mosis verba tractans: *Gigantes autem erant in terra diebus illis: Aliquis*, inquit, *fortè putet, quæ poëtæ de gigantibus fabulantur, hic legis latorem subindicare: cum hæc immensum distent à fabulis, & ipsius veritatis inhæreãt vestigijs. Ideo laudatas elegantesque artes, picturam & statuariã, è sua republica reiecit Moses, quòd veritatem mẽdacijs vitient, credulis animis per oculos illudentes. Nullam igitur de Gigantibus Moses affert fabulam sed illud te docere vult, alios esse terræ, alios cœli, alios Dei homines. Terræ quidem, eos qui venantur voluptates corporis, quærendo vndecunque singularum materiam (Gigantes autem, vt nomẽ indicat: dicuntur quasi γηγενὰς, id est, terra geniti.) Cœli autẽ homines appellantur, qui tenent artes & scientias, quæ mẽtis nostræ cælitus datæ decus sunt & ornamentũ. Quod enim nostri cœleste est, mens est, quæ & motus cœli contemplatur, & in reliquis exercens se in artibus, acumen intelligendis huiusmodi rebus sibi cõparat. Homines autẽ Dei, ritè nominantur Sacerdotes & Prophetæ, quorum maior est dignitas quàm vt se misceant humanæ reipublicæ, & mundi ciues fiant: sed sublimiores cunctis rebus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, adscripti reipublicæ idearum incorporearum & incorruptilium.* Sic Phil.

hoc loco gigantes.

Philo.

112 IOSEPHVS etiam vocabulum *Gigantum* referre visus est non ad molem corporis, sed ad improbitatẽ morum, ita scribens primo libro Antiquitatum: *Multi Angeli Dei cum mulieribꝰ congressi, progeniẽ procreauerunt insolentem, & fiducia roboris omne ius & fas contemnentem, quorum facinora non absimilia ijs quæ de gigantibus Græci memorant, posteritati sunt tradita.* In eandem quoque sententiã Chrysostomi & Damasceni verba citantur in Catena: Chrysostomi quidem hæc: *Gigantes hic ab scriptura dici opinor, non inusitatum hominum genus, aut insolitam formam, sed heroës & viros fortes ac bellicosos:* Damasceni autem hæc: *Gigantes hic appellari existimo, qui robustissimo essent corpore.* Vnde illud: *Non saluabitur gigas in multitudine virtutis suæ.* Ad horum sententiam aggregari debet Cyrillus, qui sub initium libri noni aduersus Iulianũ de hoc ipso Mosis loco disputans, ad hunc modum scribit: *Mos est diuinæ scripturæ gigantes vocare, agrestes & feroces, & robustos. Nam de Persis & Medis Iudæam deuastaturis dixit Deus per Isaiam: Gigantes venient vt impleant furorem meum, &c. Non enim secundum Græcorum poëtas, gigãtes fuisse nos dicimus tam excelsis corporibus, vt & insulas ex medio mari raperent, & in cœlum proijcerent, sed fœdos aspectu, & monstrosos, & temerarios: nec adhuc tamen tantum transcendentes humanitatis mensuram, quantum Græcorum sapientibus qui mentiebantur, dicere visum fuit.* Hæc Cyrillus.

Ioſophus.

chryſoſto.

Damaſcenus.

Pſal 32.

cyrillus.

Eſai. 33.

113 CONTRA verò alij (quorum verior est sententia) Gigantes à Mose appellari censent, homines insigni corporis proceritate ac vastitate, cum qua tamen simul & coniuncta esset incredibilis seuitia & cru-

delitas, ſuperbia item atque impietas: tales nimirum, quales deſcribit hoc loco Gloſſa interlinearis, immanes ſcilicet corpore, ſuperbos animo, viribus præualidos, & inconditos moribus. Vnde gigantes, id eſt, filij terræ dicuntur. Caſſianus verò Collatione 8. ca. 21. dicit eos fuiſſe *robuſtiſſimos venatores, violentiſſimos ac truculentiſſimos viros, qui præ enormitate corporum, vel crudelitatis & malitiæ, Gigãtes nuncupati ſint. Hi namque finitimos populari, ac rapinas exercere inter homines primi cœperunt, præda, potius agere vitam ſuam, quàm ſudore operis ſui ac labore cõtenti, & quorum vſque eo ſcelera ſupercreuerant, vt expiari mundus niſi diluuij inundatione non poſſet.* Sic Caſſianus.

Caſſianus.

Ambroſ. AMBROSIVS quoque de Noë & Arca, cap. 4. eandem ſequitur interpretationem. *Non*, inquit, *poëtarum more, gigantes terræ filios vult videri diuinæ ſcripturæ cõditor: ſed ex Angelis & mulieribus generatos aſſerit quos hoc appellat vocabulo, volens eorũ exprimere corporis magnitudinem.* Quamquam eodem loco ad myſticam intelligentiam quod hic ſcribitur de gigantibus traducens Ambroſius, Gigantum ſimiles eſſe dicit, quæ carnis ſunt tantùm ſectantes, animi autem nullam curam habentes: Vnde terræ filij nominari poſſunt. Et quia diuinæ voluntati ac præceptis aduerſantur, more gigãtum cum ſuperis belligerare videntur. Beatus etiam Auguſtinus in libro Quæſtionum in Geneſim, quæſt. 3. & in libro 15. de Ciuitate Dei, cap. 23. quod Moſes hoc loco ſcribit de Gigantibus, ipſe de veris & vulgò appellatis gigantibus interpretatur. 114

Auguſt.

Theodore. THEODORETVS præterea interpretationem hanc luculentis diuinæ ſcripturæ teſtimoniis illuſtrat ſimul & confirmat. Sic enim ait in 48. quæſtione ſuper Geneſim: *Aiunt quidam, quos vocat diuina ſcriptura gigantes, eſſe eos qui multos annos vixerunt: nonnulli verò dicunt, eſſe Dei oſores & aduerſarios homines. Qui ſic exiſtimãt, non putant illos grandiora ceteris hominibus habuiſſe corpora. Ego verò cum audio ſcripturam dicentem, Enac fuiſſe à gigãtibus oriundum, & regis Og cubile ferreum fuiſſe lõgitudine nouem cubitorum, latitudine quatuor: itemque cum audio exploratores Ieſu narrantes, Hebræos in comparatione gigantũ qui erant in terra Hebron, fuiſſe tanquam locuſtas: Deumque dicentem, Tradidi Amorrhæum, cuius altitudo erat tanquam cedri, & robur vt quercus, arbitror fuiſſe quoſdã prægrandes homines: Deo hoc ſapienter diſpẽſante, vt cognoſcant, Deum tanquam omnipotentem creatorem, tãtã hominibus diſtribuiſſe menſuram. Perfacile enim Deo erat maiores homines quàm ſunt, creare: ſed vt ſuperbiam amputaret, & cohiberet arrogantiam, non dedit hominibus maxima corpora. Nam ſi exiguis corporibus præditi, non modo contra ſe inuicem, ſed cõtra Deum etiam creatorem omnium attollũtur: quid non commiſiſſent, ſi maxima corpora fortiti eſſent?* Ita Theodoretus. Ac ſi lubet, his liceat adiicere quæ de huiuſmodi gigantibus prodidit Beroſus Annianus in exordio Hiſtoriæ ſuæ: *Scribunt*, inquit, *primis illis temporibus ante generalem terrarum inundationem, circa Libanum fuiſſe Henos vrbem maximam Gigantũ, qui vniuerſo orbi dominabantur ab occaſu ſolis ad ortum, hi vaſtitate corporis ac robore confiſi, inuentiſque* 115

Deut. 2. Num. 13 Amos 2.

Beroſus Annianus,

uentisque armis, omnes opprimebant, manducabãt homines, procurabãt aborsus, & in eduliũ præparabant, commiscebantur matribus, filiabus, sororibus & masculis, brutisque & nihil erat sceleris quod non admitterent, contemptores religionis & deorum. Sic ille.

Quales fuerint, quos diuina scriptura appellat Gigantes, Auctoris Sententia.

116 EGO in sacris litteris comperi, vocabulo Gigantum appellari homines quinque rebus maximè insignes, hoc est, vastitate corporis, robore, scientia ac potentia bellica, superbia supra humanũ modum denique qui propter inhumanitatem & crudelitatem maximè formidabiles, & terribiles essent, & propter quos præcipuè missum fuerit diluuium. Et vt omittam loca scripturæ à Theodoreto citata, potest quod dixi, ex quibusdam alijs scripturæ locis planè cognosci. Dauid Psalmo 18. *Exultauit* inquit, *vt gigas ad currendam viam:* Ecce tibi agilitatem & velocitatem Giganteam, & Psal 32. *Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ*: Ecce robur & fortitudinem. Salomon Prou. 9. *Et ignorauit quod ibi sint gigãtes, & in profundis inferni conuiuæ eius*: Isaias cap 14. loquens de rege Babylonis: *Infernus* ait *subter te conturbatus est in occursum aduentus tui, suscitauit tibi gigantes*: Hinc apparet, Gigantes fuisse genus hominum terrificum maximéque metuendum. Baruc 3. *Ibi fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum.* Ex hoc liquet, Gigantes fuisse corporis proceritate, & bellicæ artis scientia excellẽtes. Isa. cap. 26. *Gigantes non resurgant: propterea visitasti & contriuisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.* Iob. 16. cap. *Irruit in me quasi Gigas:* Sapientiæ 14. *Ab initio cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad nauem confugiens, remisit seculo semen natiuitatis, quæ manu tua erat gubernata.* Ecclesiastici 16. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt cõfidentes suæ virtuti.* Ex his duobus vltimis scripturæ locis palam est, Gigantum perdendorum causa precipuè missum esse diluuium. Apparet igitur, vocabulo Gigantum quæ vis & notio in sacris litteris subiecta sit: significat enim ea vox homines omnium mortalium proceriſſimos, robustissimos, bellicosissimos, & propter sæuitiam maximè horribiles.

QVARTA DISPVTATIO.

An Gigãtes de quibus Moses loquitur, fuerint Dæmones sub humana specie: an verò Dæmonum filij, hoc est, ex Dæmonum cum mulieribus concubitu procreati.

Paulus Burgensis.

PAVLVS Burgẽsis in sua prima Additione ad Postillam Lyrani super hoc sextũ caput libri Geneseos ex etymologia vocabuli Hebræi, Nephilim, quo vtitur hoc loco Moses, quos interpres noster Latinè vertit *Gigãtes* argumẽtatur fuisse Dæmones sub humana specie: si quidem

significat cadentes, à verbo, *naphal*, quod sonat cadere, quo denotan-
Luc. 10. tur Dæmones qui è cœlo ceciderunt, sicut Dominus noster dixit: *Vi-*
Esa. 14. *debam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentẽ*: Et Isaias: *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Sed falsam esse opinionem Burgensis, manifestis argumentis peruincitur. Ex Mosis enim narratione licet intelligere, qui ab eo nominantur hoc loco Nephilim, eos fuisse generatos ex commixtione filiorum Dei cum filiabus hominum, & propter eos præcipuè missum esse diluuium, scilicet vt eorum peccata punirentur, ipsis diluuio extinctis; Dæmones autem nec generati sunt ex hominibus, nec diluuio perierunt. Nec iuuat Burgẽsem etymologia vocabuli Nephi-
Rab. Abra. lim. Doctissimi enim Hebræorum, Rabbi Abraham, & Auen Esra
Auen. Esra. Gigantes eo dictos esse Nephilim, id est cadẽtes, interpretantur, quod ceteri homines inusitatam corporis eorum vastitatem cernentes, stupore simul & timore oppressi cadebant ante illos: vel quòd illi violentè irruerent in homines, eósque in terram prosternerent; ad quod
Iob, 16. videtur alluisse Iob illis verbis: *Irruit in me quasi gigas*: vel quod illi gigantes ceciderunt in diluuio: quo forte referri posset illud Iob capit. 118
Hieronymus. 26. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*. Hieronymus certè in Traditionibus Hebraicis super Genesim ait, pro cadentibus, siue Gigantibus, Symmachum interpretatum esse violentos, nomen autem Cadentium quod Hebraicè est Nephilim, tam Angelis, quàm sanctorum liberis conuenire: quasi posteri Seth degenerantes à sanctitate & pietate maiorum appellati sint cadentes, quod in via maiorum suorum non steterint, sed ad studia, instituta, morésque & flagitia posterorum Cain delapsi sint.

VERVM nõ significari hoc loco voce Nephilim Dæmones, illud 119
magno est argumento, quod in libro Numerorum eodem vocabulo appellantur gigantes qui erant ex stirpe Enac. Nam pro eo quod nos extremis verbis capitis 13. legimus: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere gigantео*, Hebræa verba si latinè ad verbum reddantur, hoc sonãt: *Vidimus quoque illic Nephilim, filios Hanach de Nephilim*, Sæpius tamen in sacris libris gigantes appellantur Rephaim: nam multis locis scripturæ, in quibus legimus vocabulum Gigantis, Hebraicè est vox Rephaim, vt Prou. 9. & 21. Isa. 14. & 26. & Deuteron. 2. vbi nos legimus: *Terra gigantum reputata est*: *In ipsa olim habitauerunt gigantes, &c.* pro illo, *gigãtes*, Hebraicè est *Rephaim*

De origine vocis Rephaim, qua voce significantur in sacris litteris Gigantes.

DE origine autem huius vocis variè traditur. Nam Rapha à quo 120
Rephaim significat sanare, cum aleph in fine, gigantes autem dicuntur Rephaim, quia sunt robusti & fortes, sicut homines sani. Vnde Thargum pro Rephaim, fortes interpretatur. Si autem Rephaim ducatur à raphah, quod sonat remissum & debilẽ, interpretabimur, Gigantes nominatos esse Rephaim, quod ceteri homines cùm eos viderẽt metu debilitarentur, & viribus destituerẽtur. Aut fortasse dicti sunt Rephaim, à quodam gigante Rapha sic appellato, cuius posteri etiam gigantes, dicti sunt Rephaim: & posteà id nominis ad quoslibet gi-

gantes

gantes significandos est accomodatum, Nam in priori libro Paralipomenon, capite 21. nominantur quidam gigantes de stirpe Rapha: sicut etiam Enacim gigantes qui habitabant terram Hebron, ab eorum parente Enac appellati sunt. Non igitur fuere Dæmones, quos Moses hoc loco vocauit Nephilim, id est, gigantes.

121 FVIT præterea quorundam sententia, gigãtes hic à Mose nominatos fuisse quidem veros homines, sed ex Dæmonum tamen coitu cum mulieribus generatos. Iosephus certè primo libro Antiquitatum, & Ambrosius in libro de Noë & arca, capite 4. gigantes illos fuisse Angelorum, & mulierum filios significant: in quam sententiam videtur propensior etiam Magister Historiæ Scholasticæ, in Historia libri Geneseos, cap. 31. eãdémque apertis verbis profitetur sub initium sacræ historiæ Seuerus Sulpitius. Nam cùm dixisset Angelos speciosarum forma Virginum captos, illicitas cupiditates appetiuisse, ac dignitatis suæ originisque degeneres relictis cœlestibus domicilijs matrimonijs se mortalibus miscuisse. subdit, ex eorum coitu gigantes editos esse: cùm diuersæ inter se naturæ permixtio monstra gigneret.

Opinio dicentium gigãtes illos fuisse filios Dæmonũ refellitur.
Iosephus
Ambrosius.
Magister historiæ scholast.
Seuerus.
Sulpitius.

Animaduersio in Franciscum Georgium.

122 VERVM vlterius multo prouectum est Franciscí Georgij audax nimis, & ad deuia & abruta opinionum præceps ingenium. Is enim in primo tomo suorum Problematum, problemate 54. 74. & 75. & in sexto tomo problem. 330. & 331. quatuor hæc tradit, magna profecto animaduersione digna: Primum est Dæmones esse corporeos, & condensando corpora sua posse cum mulieribus miscerí: alterum est, eos habere proprium semen, & ex mulieribus, quas ineunt, generare filios: Tertium est, propriam Dæmonum prolem esse gigantes, neque enim talia monstra ex solis hominibus, aut vsitato generationis humanæ modo & ordine gigni posse: talesque fuisse gigãtes hoc loco memoratos à Mose, scilicet natos ex cõmixtione filiorum Dei, id est, Dæmonum cum filiabus hominum: & hoc esse semen illud serpentis, id est Diaboli, inter quod, & inter semen mulieris, id est, ceteros homines, Deus posuit inimicitias: Quartum est, post aduentum Christi propterea non fuisse gigantes quia Christus fregit potentiam Diaboli, & imperium quod ille diu in mundo habuerat euertit, sicut ipse dixit

Gen. 3.

123 de eo: *Princeps huius mũdi eijcietur foras.* Itaque Dominus noster prohibet, ne potentia coëundi cum mulieribus & gignendi gigantes, quam Dæmon olim exercuit, vtatur. Sed hæc istius auctoris opinio, grauissima fœdissimaque in Philosophiam & Theologiam peccata & flagitia continet. Ac Dæmones quidem non esse corporeos, nec posse eos ex mulieribus generare filios qui sint veri homines, multis argumentis supra ostendimus in secunda & tertia Disputatione earum trium Disputationum, quas tractauimus super illis verbis: *Videntes filij filius hominum, &c.* Nunc discutere oportet alia duo eius auctoris dicta: Vnum est gigantes, non posse aliter generari quàm ex coitu Dæmonum cum mulieribus: alterum est, post aduen-

Ioan. 12.

tum Christi nec Dæmones posse cum mulieribus coire, nec vllos fuisse gigantes.

Gigantes modo ceterorum hominum ex solis nominibus circa Dæmonum operã generari.

GIGANTES igitur non posse generari ex solis hominibus, sed 124
eorum generationem effici à Dæmone, nec verum est, nec verisimile. Gigantes enim cùm sint veri homines, eiusdem substantiæ sunt atque cæteri homines. differentia enim secundum magnitudinem & paruitatem humani corporis accidentalis est, nec variat speciẽ: eorum autem quæ sunt eiusdem speciei, sicut eadem secundum speciem est materia eademque forma, ita eadem quoque est causa efficiens & generans, idemque modus generationis: qua propter gigantes similiter vt cæteri homines, ex solis hominibus citra Dæmonum operam gigni possunt. Deinde commixtio eorum quæ inter se sunt diuersæ speciei, si quid generat, id ab vtroque vnde generatur, specie diuersum est, vt videre licet in mulo, qui ex equo & asina gignitur, aliisque similibus. Cum igitur inter Dæmonem & hominem sit differentia non solum specifica, sed plusquam generica, si ex commixione Dæmonis cum muliere aliquid gigneretur, id profecto diuersũ esset ab vtroque: id est nec Dæmõ esset, nec homo: sed gigantes veri sunt homines, non igitur ex Dæmonum coitu cum mulieribus generantur.

ADHÆC extensio corporis humani secundum magnitudinem & 125
paruitatem, prouenit ex materia, ex materiæ scilicet vel copia, vel penuria: at materiam humani corporis totã femina ministrat secundum Aristotelem (quæ rectior sententia est) quocirca extensio corporis humani in maius, vel contractio in minus, non generãti, sed mulieri assignari debet: cùm igitur Dæmon, si ad generationem concurrit, vicem generantis præstet, gigantea corporis proceritas non ad ipsum, sed ad mulierem referri debet. Adijce quod, si mensura humani corporis naturaliter potest esse duplo aut etiam triplo minor quàm est iusta & vsitata humani corporis magnitudo, id est quod exẽplo pygmæorum & nanorum manifestum est: cur non etiam naturaliter statura hominis duplo aut triplo maior esse possit, quam plurimum solet esse? Quod si pygmæi & nani ex solis hominibus sine Dæmonum cõcursu naturaliter generantur, cur non idem de generatione gigantum sentire ac dicere liceat? Sane, cum iusta hominis statura sit sex pedum, Augusti principatu, quidam nomine Conopas in delitijs Iulię nepti Augusti habitus, duorum tantum pedum & vnius palmi fuit, vt Plinius tradit lib. 7. cap. 15. idémque cap. 2. eiusdem libri mira scribit de pigmęorum insigni corporis paruitate.

Aristot.

Plinius

AD extremum, non solum ante diluuium fuerunt illi gigantes 126
quos hic memorat Moses, & quos iste auctor putat fuisse Dæmonum filios, sed etiam post diluuium fuere gigantes, qui appellãtur in sacris literis Enacim & Rephaim, ex Repha & Enac orti. Nec defuere alijs sæculis gigantes, quorum parentes noti fuerunt. Sicut igitur huiusmodi gigantes ex solis hominibus nati sunt, sic etiam qui fuere ante diluuium nasci potuerunt. Concludam hanc disputationem pulcherrima,

rima,& ad noſtræ opinionis confirmationem validiſſima B. Auguſtini ſententia.Refellens Auguſtinus opinionem eorum qui putabant filios Dei qui mixti ſunt cum filiabus hominum,intelligi debere Angelos, eo quod ex illis geniti dicantur fuiſſe gigantes, qui videntur ex ſolis hominibus propter inuſitatã corporis molem generati non poſſe,ita ſcribit: *Verum hoc mouet quoſdam,quod ex illis qui dicti ſunt Angeli Dei,& ex mulieribus quas illi amauerunt,non quaſi homines generis noſtri, ſed gigantes legimus eſſe natos:quaſi verò corpora hominum modum noſtrum longè excedentia,non etiam noſtris temporib.nata ſint:nonne ante paucos annos cum Romanæ vrbis(quod à Gothis factum eſt) appropinquaret excidium, Romæ fuit femina cum ſuo patre & ſua matre, quæ corpore giganteo longe cæteris præeminebat? Ad quam viſcendam mirabilis fiebat vndequáque concurſus:& hoc erat maximè admirationi,quod parentes eius nec ſaltem tam longi homines erant,quam longiſſimos viaere conſueuimus.* Idemque Auguſtinus ſub finem eiuſdem capitis,opinionem eorum qui dicebant, gigantes non habuiſſe homines patres,ſed fuiſſe natos ex Dæmonibus,fabuloſam appellat, & depromptã ex apocrypho quodam & fabulatum referto libro,qui olim ferebatur ſub nomine Henoch.

Aug.lib.15. De Ciuitate Dei cap.23.

127 ILLVD autem quod ab eodem iſto auctore proditum eſt, poſt aduentum Chriſti domini noſtri, ademptam eſſe Dæmonibus poteſtatem congrediendi cum mulieribus, atque ob eam cauſam nullos fuiſſe poſt id temporis in terris gigantes, & falſa nititur ratione, nec minus falſam continet ſententiam. Fundamentum enim ac firmamentum eius opinionis eſt, gigantes non niſi à Dæmonibus gigni poſſe, quod procul à vero eſſe, paulò ante oſtenſum eſt. Falſa item ſententia eſt, Dæmones poſt aduentum Saluatoris noſtri, coitu cum mulieribus prohiberi. Beatus enim Auguſtinus in libr.15. De Ciuitat. Dei, cap.23.confirmat auctoritate grauium virorum quibus non credere impudenti ſit, etiam ſuo tempore Dæmones ſæpè improbos fuiſſe mulieribus, earumque expetiuiſſe & peregiſſe concubitum. Peruulgata quoque eſt, & multis probata experimentis Theologorum de ſuccubis atque incubis Dæmonibus doctrina. Repetat memoria lector quæ nos ea de re ſupra diſputauimus,cum explicaremus diſputationem tertiam ſuper illis verbis: *Videntes filij Dei filias hominum, &c.* Nullos porrò fuiſſe giganres poſt Domini noſtri aduen-
128 tum, manifeſtis ſibi, ſuíque temporis exemplis refellit Auguſtinus, cuius exemplum de gigantea quadam femina ſupradicto loco memorata non attinet iterare. Plinius de quodam gigante, principe Claudio, Romæ viſo, libro 7. capite 16. hunc in modum ſcribit: *Proceriſſimum hominem ætas noſtra Claudio principe, Gabbaram nomine,ex Arabia aduectum nouem pedum & totidem vnciarum vidit.Fuere ſub Auguſto ſemipede addito,quorum corpora eius miraculi gratia,in conditorio Salluſtianorum aſſeruabantur hortorum,Puſioni & Secundillæ erant nomina.* Sic Plinius. Iulius Scaliger in opere quod ſcripſit aduerſus Cardanum,exercitatione 263. affirmat vidiſſe ſe Mediolani in publico noſocomio

Gigãtes non fuiſſe poſt aduentũ Chriſti vt falſum refellitur.

Auguſt.

Plinius.

Iulius Scaliger.

iuue

iuuenem vnum tantæ proceritatis, vt stare non posset; neque enim potuerat à natura satis alimenti ad crassitudinem, roborisque proportionem suppeditari: itaque iacebat, explebatque lectos duos simul in longitudinem iunctos. Addit præterea illud accurata obseruatione dignum, *Samogithios populos qui inter Prussiam & Liuoniam sunt, cùm proceræ staturæ maxima ex parte sint, tamen quasi per vices tum proceros tum pene nanos generare: haud absimili ingenio quarundam arborum tertio quoque anno fructum ferentium: quasi materia semel exhausta, tanquam succidaneas reponat reliquias natura, dum quod in nano abiurauerat, dependit in magnitudine insigniori.* Ita Scaliger.

Ioseph. 1. lib. Antiquit. Iu. & Euse. l. 5. de Præparatione Euãgelica cap. 4.

NON extra fidem est quorundam coniectura existimantium, ex 129
hac historia Mosis de Gigantibus, cœpisse occasionem priscos poëtas
ea de Gigantibus fabulandi quæ ab ipsis prodita sunt litteris: scilicet
veritatem sacræ historiæ, fabularum & mendaciorũ admixtione adul-
terantes & fœdantes. Finxerunt Poëtæ, gigantes ex Terra, Cœlique
sanguine fuisse natos, quo tempore Iupiter pudenda patris abscidit:
vt canit Hesiodus in Theogonia. Quanquam Appollodorus libro pri-
mo: solius Terræ filios facit Gigantes, eosdemque ab irata Opi seu
Terra editos in Deorum vltionem, à quibus occisi fuerant Titanes.
Homerus tamen in Odyssea Neptuni & Iphimedeæ fatu natos Gi-
gantes tradit, qui ossam & Olympum imponere Pelio conari sint, vt
in cœlum ad expugnandum Iouem conscenderent. Istos dicunt Poë-
tæ non solum corporis magnitudine præcelluisse, viribusque inuictos
fuisse, sed etiam terribili planè aspectu, capillis è capite promissis, bar-
ba prolixa, pedibúsque anguineis, vt scribit Ouidius libro quinto
Fastorum illis versibus.

Quales gigãtes fabulati sint poëtæ.
Hesiodus.
Apollodorus.
Homerus lib. 4. Odyssææ.
Ouidius.

Terra feros partus immania monstra gigantes
Edidit, ausuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro crinibus angues:
Atque ait, In magnos arma mouete deos.
Extruere hi montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Iouem.
Fulmina de cœli iaculatus Iuppiter arce.
Vertit in auctores pondera vasta suos.

HABITASSE tradunt eos in campis Phlegræis, atque inibi bel- 130
lum cum Diis commisisse: Licet Pausanias in Arcadicis, Bathon val-
lem locum eius prœlij fuisse affirmet. Cùm autem super altissimos
montes conscendissent, dicuntur ingentia saxa in Deos iaculari: quo-
rum ea quæ in mare deciderunt, insulas, quæ autem in terram, mon-
tes esse factos: Tradunt præterea, tantum Diis metum primo aspectu
suæ temeritate & audacia iniecisse, vt cùm primum Typhoëus eis vi-
sus est, omnes in Ægyptum aufugerint: vbi longo itinere defessi ac
spe fugæ destituti, se in varias animalium forma transformati oc-
cultauerint, vt canit Ouidius libro 5. Metamorpheseos: atque ob
eam causam Ægyptios ea ipsa animalia, in quorum se Dij speciem

Pausanias.
Ouidius.

indue-

induerant, pro diis coluisse. Typhoëum autem tanta corporis magnitudine perhibent, vt tota Sicilia supra eius corpus sit imposita: supra dextram eius Pelorus promontorium Italiam prospectans, supra læuam Pachynus, super crura Lilibæus, capútque Ethna grauetur. Occisi autem sunt Gigantes alij quidem ab aliis diis, præcipuè Palladis consilio, & per vim Herculis, detrusique sunt ad inferos. Fabulosa hęc
131 Poëtarum de Gigantibus commenta Macrobius lib. 1. Saturnaliorum *Macrobi.* cap. 20. secundum mythologiam sic interpretatur: *Gigantes autem quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quandam impiam gentem Deos negantem: & ideo existimatam Deos è cœlo pellere voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant: quod significat, nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna vergente.* Hęc Macrobius.

Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra. VERS. 5.

132 VOLT Moses declarare magnitudinẽ iniquitatis & malitiæ hominum illius tẽporis, vt hinc appareat quam iustum fuerit suppliciũ diluuij, quo Deus tanta hominum scelera punitur. Supra Moses dixit, filios Dei fuisse mixtos cum filiabus hominũ; indicãs effrenatam libidinem hominũ eius tempestatis, non solum impiorũ, vt erãt posteri Cain, sed etiam posterorum Seth, qui pietatis iustitiæ, ac sanctitatis studiũ cultumq́; profitebantur. Tum Moses dixit, fuisse per id tempus gigantes; haud dubiè significare volens giganteam eorum hominũ superbiam, impietatem: violentiam atque crudelitatem. Nunc Moses magis exaggerans improbitatem eorum hominum, generatim eam appellat malitiam: & quidem multam: addensque cunctam cogitationem cordis eorum hominum intentam fuisse ad malum omni tempore. Quo significatur eos homines fuisse intrinsecus & extrinsecus corde, ore & opere atque vsquequaque vitiatos & corruptos. Subiungit præterea Moses, vsque eo fuisse Deum eorum hominum sceleribus commotum & offensum, vt tactus dolore cordis intrinsecus fuerit, & pœnituerit eum fecisse hominem. Nec paucorum fuit ea malitia, aut quibusdam in locis tantum, sed *omnis caro corruperat viam suam, terraque omnis corrupta erat coram Deo, & repleta iniquitate.* Denique magnitudo supplicij quo Deus omnem terram perdidit, vniuersumque (paucis exceptis) genus hominum atque animalium, perspicue declarat magnitudinem diuinæ indignationis & offensæ: Magnitudo autem indignationis & offensæ Dei arguit inenarrabilem flagitiorum quibus tunc omnis terra repleta est, immanitatem. Verùm sigillatim verba Mosis expendenda sunt.

133 VIDENS *Deus quod multa malitia hominum esset in terra.* B. Cypria- *Cyprian.*

nus ad Nouationum scribens hunc locum ita citat: *Et vidit dominus Deus redundare nequitias hominum super terram, & quod omnes in malum recordarẽtur à principio dierum suorum.* Significat autem Moses illis verbis, homines illos non ex ignorantia, nec ex perturbatione, vel infirmitate aliqua animi peccasse, sed ex malitia, id est, ex prauo habitu & consuetudine, & scientes ac volentes sine vllo pudore aut timore,
Ambros. nulloque Dei aut hominũ respectu, cum gaudio & voluptate in quælibet scelera ruisse. Hoc rectè ponderans Ambrosius in libro De Arca & Noë, capite quarto: *Sciebat Deus*, inquit, *quod homo positus in terra regione & carnem portans, sine peccato esse non poterat. Terra enim velut quidam tentationum locus est, caroque corruptelæ illecebra. Ideo tamen illi nulla digni venia erant, quod cum haberent mẽtem rationis capacem virtutemque animæ infusam corpori, sine consideratione aliqua in lapsum ruerunt, ex quo reuocare se nollent.*

PRO illo vocabulo *malitia* Hebraicè est *rahah*, significans tam ma- 134
lum culpæ, vt Hieremiæ 4. *Laua à malitia cor tuum*: quàm malum pœ-
Matth. 1. næ, vt Hieremiæ 1. *Ab Aquilone pãdetur omne malum*, & illud Domini: *sufficit diei malitia sua*: Hic potest vtrũque significari, id est, vel iniquitas & improbitas illorum hominum, vel eorum violentia & vexatio qua alios affligebant, vexabant & opprimebant. Dicitur autem fuisse malitia multa: vel quia non paucorum erat, sed multorum hominum: vel quia non erat intra vnam vel alteram regionem inclusa, sed erat longè latéque patens: vel quia non erat simplex & vnius generis, sed varia & multiplex, omniaque genera flagitiorum complexa: vel denique quia non erat mediocris vel tollerabilis, sed summa & ad extremum perducta atque intoleranda, seu, vt scriptura loqui solet, erat malitia completa & consummata.

VERS. 6. *Et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.*

GRÆCE, si Latinè ad verbũ reddatur sic est: *Et vnusquisque cogitat in corde suo diligenter super maligna, omnibus die-* 135
bus. Hebraica verò lectio hanc reddit sententiam: *Et omne figmentum* (seu vt vertit Pagninus *imaginatio*) *cogitationum cordis eorum, duntaxat malum.* Sed harum trium lectionum eadem est sentẽtia. Hebraicè est vocabulum *Ieser* significans figmentum, à verbo *Iasar*, quod est fingere. *Ieser* autem significat id quod fingitur, seu interius animo & cogitatione, seu exterius opere
Gen. 2. vt figulus fingit vasa. Vnde homo ipse dicitur figmentum, quia fictus & formatus à Deo est, tam secundum corpus formatum ex puluere, sicut dixit Dauid Psalmo 102. *Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum: recordatus est quoniam puluis sumus*: quàm secundum animam rationalem ex nihilo creatam à Deo, sicut est apud eundem Dauidem

Dauidem Psalmo 32. *Qui finxit sigillatim corda eorum*, & apud Zachariam cap. 12. *Dominus extendēs cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Bellè autem quadrat hoc verbum figmenti in vanitatem humani animi pleraque inaniter & vanissimè fingentis, secundum illud Dauidis: *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.* Psal. 93.

136 MAXIMA porrò significatur his verbis Mosis, deprauatio & corruptela humani animi, non solum quantum ad animam sentientem, sed etiam quantum ad rationalem: hęc enim significatur vocabulo cordis, id est, tam intellectus, quàm voluntas, scilicet vbi tanquam in officina primùm fingitur omne siue bonum, siue malum hominis, ex corde enim maximè pendet bonitas ac prauitas humanarum actionum. Et vt Dominus dixit: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta,* denique: *quod exit de corde, coinquinat hominem.* Matt. 15. Ergo illi homines non extrinsecus tantum ducebātur ad malum, id est, vel ex occasione aliqua, vel aliorum suasu & impulsu, sed intrinsecus, proprio consilio, electione, & malitia. Magnam habent emphasim verba Mosis, Non aliquæ, inquit, cogitationes, sed, *omnis*, inquit, *cogitatio*: nec dicit eam fuisse pronam ad malum, sed intentam, id est, omni vi sua applicatam, incumbentem & defixam in malum, quod significat vehementem conatum & impetum ad malum, nec id fuit ad certum aliquod tempus, sed omni tempore-

Dubitatio an omnis cogitatio & actio illorum hominū simpliciter fuerit mala

137 DICET ALIQVIS, videri incredibile, homines illos nullam vnquam suscepisse cogitationem bonam, nullum fecisse bonū opus mortale. Qui opinantur, ne bonum quidem morale opus fieri posse ab homine solis naturæ viribus & liberi arbitrij potestate, sed ad bonum quodcunque morale faciendum, opus esse speciali Dei auxilio, facile occurrerent dubitationi dicentes: illos homines propter grauissima scelera ab ipsis commissa, indignos fuisse vt specialibus Dei auxilijs iuuarentur: his autem carentes, mirandum non esse, si nihil boni facerent: sed illa videtur facilior & probabilior respōsio, hanc Mosis orationem esse hyperbolicam, qualis in diuina scriptura frequens est: Ex qua oratione non debet intelligi quod simpliciter & præcisè sonant verba, sed maximum aliquid, Vult enim Moses significare, homines illos plurimùm & maxima ex parte, quæ mala & flagitiosa sunt, cogitasse & fecisse, adeo vt si quid illi fecerint boni, id leue admodum exiguum est rarum fuerit, & quasi pro nihilo habendum. Sic etiam paulò infrà vtitur Moses hyperbolica oratione, cū ait, omnem carnem, id est, hominem, corrupisse viam suam super terram, & finem vniuersæ carnis venisse coram Deo. Ex his enim generalibus sententijs proculdubio excipere oportet Noë, qui hoc ipso loco appellatur iustus & perfectus, & gratiosus apud Deum. Similia autem horum quæ Moses scribit de hominibus illius temporis, cecinit Dauid Psalmo 13. de hominibus impijs, vel de cunctis hominibus Dei gratia carentibus, quo sensu videntur citari à Paulo ad Rom. 3. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus, corrupti sunt & abominabiles facti sunt in*

ſtudijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

QVINTA DISPVTATIO.

Aduerſus hæreticos noſtri temporis ex hoc loco Moſis argumentantes, omne opus, omnemque actionem cuiuſlibet hominis. etiam iuſtificati & ſancti, eſſe peccatum.

SOLENT Hæretici libenter ex ſacris literis, vndecunque poſſunt, argumenta per vim exprimere, quibus fidem placitis ſuis aſtruāt, & ſpeciem aliquam veritatis ac pietatis erroribus ſuis prętēdāt. Itaque ex hoc etiam loco, vbi Moſes ait cunctam cogitationem cordis humani intentam eſſe ad malum omni tempore, argumentantur, omnia quæcumque faciunt homines, etiam iuſtificati & ſancti, eſſe mala & peccata, quanquam ea credentibus in Chriſtum non imputentur ad damnationem & pœnam æternam. Hoc nempe princeps eorum Lutherus tradidit in articulis ſuis à Leone X. damnatis artic. 31. Si enim (inquiunt) omne cor humanum intentum eſt omni tempore ad malum: ex corde autem prodeunt omnes actiones hominis, neceſſe profecto eſt, vitiato corde quaſi fonte, omnes actiones tamquam riuulos ex eo profluentes, vitiatas & corruptas eſſe. *Neque enim poteſt arbor mala bonos fructus facere.* Hoc ipſum illi confirmant alijs diuinæ ſcripturæ ſententijs, ſed duabus præcipuè. Proferunt enim verba illa Iſaię ex capite 64. quibus apertiſſimè confitetur Iſaias omnes actiones hominum, etiam quæ videntur iuſtæ, eſſe immundas, *Facti ſumus*, inquit, *vt immundi, omnes nos, & quaſi pannus menſtruatę vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.* Adiungunt & illam ſententiam Dauidis ex Pſalmo 142. *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Si nullus (inquiunt) mortalium iuſtificari poteſt apud Deum, nullius igitur mortalium opera poſſunt eſſe iuſta: nam ſi iuſta eſſent, ex his & propter hæc iuſtificaretur homo, *Factores enim legis* inquit Paulus, *iuſtificabuntur apud Deum.* Hæc illi

138

Matth. 7.

139

Rom. 2.

Hæreticos eſſe ſimiles Siſyphi.

VERVM ſcitè quiſpiam dixit, hęreticos eſſe ſimiles illius Siſyphi, quem Poëte fabulantur eo genere ſupplicij apud inferos plecti, vt ſaxum ingens in cuiuſdam montis verticem cogatur prouoluere: quod cum ad ſummum bene extulerit, repente deorſum relabatur. Vnde illud apud Ciceronem.

140

Cic. 1. Tuſcul.

Quod Siſyphi verſat
Saxum ſudans, nitendo, neque proficit hilum

Simili

Similiter obnixè conantur hęretici, veram & ſacram Eccleſiæ Catholicæ doctrinam obſcurare & peruertere: ſed fruſtrà, ſcilicet vano niſu, irrito conatu, nulloque effectu. Quemadmodum enim ex ſacris litteris praue intellectis & explicatis hæreſum tenebræ exoriũtur: ſic contrà, earundem ſacrarum litterarum recta & germana interpretatione atque intelligentia, quaſi ſolis ſplendore, omnis hæreſum caligo diſcutitur. Oſtendamus igitur tres ſupradictas ſcripturæ ſententias nihil planè opinioni hæreticorum ſuffragari ac fauere.

141 Ac primò quidem ad illam Moſis ſententiam tripliciter reſpondere licet. Etenim Moſes vtitur ibi locutione hyberbolica, quæ non omnino generaliter, ſed plurimum & maxima ex parte interpretanda & intelligenda eſt, ſicut paulò ſupra diximus. Nam quia plerique omnes illius ætatis ſceleratiſſimi erant, & pleraque eorũ opera erant flagitioſiſſima, ita vt vix vnus aut alter eſſet vir bonus, verúſque ac pius: Dei cultor: propterea Moſes dixit cunctam cogitationem humani cordis intentam fuiſſe ad malum omni tempore. Deinde Moſes illud dixit non de omnibus hominibus omnium ſeculorum, ſed de hominibus tantummodo eius temporis quod præceſſit diluuium: ac ne de illis quidem hominibus, mox enim ipſemet Moſes excepit Noë, appellans eum iuſtum, perfectum & Deo gratum. His adde, quod illud dictum Moſis accipiendum eſt de hominibus impiis & ſecundum carnem viuentibus, & Dei Spiritu atque gratia carentibus. Quamobrem inſcienter faciunt, ne dicam impudenter, hæretici, qui ſententiam illam Moſis ad vniuerſum genus hominum, etiam ad iuſtos & ſanctos viros detorquent.

142 Nec operoſum eſt alteram illam ſententiam, quæ ex 64. cap. Iſaię deprompta eſt, ſic interpretari, vt palam ſit, eam huic opinioni hæreticorum nullam planè fidem facere. Loquitur Iſaias eo loco de ſceleratis & impiis Iudæis, quorum id temporis tanta erat multitudo, vt prę illis boni ac pij viri (quia pauciſſimi erant) velut nulli haberentur. Appellat autem iuſtitias, legales eorum obſeruantias, aliaque eorum opera in ſpecie atque exiſtimatione hominum iuſta: verùm quia Spiritus ſancti gratia erant vacua, prauoque animo & cõſilio facta, atque innumerabilibus permiſta & contaminata ſceleribus, merito iuſtitiæ
143 illæ appellantur pannus menſtruatæ. Nec ab hac interpretatione propterea quempiam deduci conuenit, quòd ſe Iſaias illis hominibus annumeret. Mos enim eſt prophetarum, ſicut etiam noſtrorum concionatorum, cum deplorãt vel obiurgant hominum peccata, vel pro illis diuinam implorant clementiam, ſeipſos aggregare, & annumerare peccatoribus, quamuis ipſi ſint iuſti, nec talium ſcelerum participes. Nimirum id faciebant illi vel humilitatis cauſa, vel vt ſic magis Dei flecterent miſericordiam, vel ex affectu caritatis quę omnia facit communia etiam peccata, non quidem ad aſſentiendum illis, ſed ad lugenda quaſi ſua eſſent, vel ad orandum & ſatisfaciendum pro illis. Ieremias quidem non modo ſanctus erat, ſed etiam in vtero matris ſan-

Locus Iſaiæ cap. 64.

Ierem. 1.

ctificatus, vt nullum per totam vitam mortale peccatum feciſſe credatur: is tamē capite tertio ſic loquitur: *Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos ignominia noſtra: quoniam domino Deo noſtro peccauimus nos & patres noſtri ab adoloſcentia noſtra vſque ad diem hanc: & non audiuimus vocem domini Dei noſtri.* Ad eūdem modum Eſaias prædicto loco enumerat grauiſſima peccato tanquam ſibi cum reliquis Iudæis communia, quæ tamen ab ipſo fuiſſe remotiſſima certū eſt: *Non eſt*, inquit, *qui inuocet nomen tuum: qui conſurgat, & teneat te*: quis nō videt hoc in Iſaiā nequaquam conuenire? Ergo in Prophetarū concionibus quibus populus reprehenditur, nōnunquam generales ſententiæ, non ſunt generaliter interpretādæ, ſed plurimum & maxima in parte accipiendæ: qualis eſt illa Michęæ capit. 7. *Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt*: Et illa Ieremiæ capite 8. *A minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur.*

Locus Pſalmi 142.

RESTAT explicāda tertia illa ſentētia: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*, quæ nihilo plus ſanè quam ſuperiores ſententię, cauſam hæreticorum adiuuat. Eam verò rectiſſimè interpretati ſunt Auguſtinus in explanatione eius Pſalmi, & in lib. de Perfectione iuſtitiæ, & in ſermone 49. De tempore, & Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem, & in primo libro aduerſus Pelagianos, Gregorius item, Theodoretus & Arnobius in expoſitione eius Pſalmi 142. Ex quorum patrum Commentariis, quadruplicem illorum verborum Dauidis explicationem collectam, hic breuiſſimè ponemus. Prima interpretatio. Nemo apud Deum iuſtificari poteſt ſicut apud homines, apud quos noſtris viribus & operibus ita poſſumus mereri aliquam mercedem, vt eam noſtro iure & ex rigore iuſtitiæ exigere poſſimus: quia ex his quæ noſtra ſunt, & indebita illis, obſequium, ſeruitium, aut quodlibet aliud officium ipſis exhibere poſſumus. Nō ſic res habet apud Deum. Nullus enim prior dedit ei, vt retribuatur ipſi: cuique enim mortalium dictum eſt illud à Paulo. *Quid habes quod non accepiſti?* Nam bona merita hominum nullius pretij ſunt apud Deum, niſi ea ratione vt proficiſcuntur ex gratia & Spiritu ſancto in nobis habitante: Gratia autem non propter noſtra opera, ſed gratis data nobis eſt, alioqui non eſſet gratia, vt diſputat Paulus ad Rom. 11.

144

Auguſt. Hieronymus. Gregorius. Theodor. Arnobius.

Iſa. 40. & Rom. 11.

1. Cor. 4.

ALTERA interpretatio. Nullum hominem iuſtificari in conſpectu Dei, non aliud ſignificat quàm, Neminem cenſeri iuſtum compatatum cum Deo. Vt illud: *In conſpectu Dei*: idem ſit quod, *Comparatione Dei*. Quemadmodum enim nemo bonus, ſapiens, immortalis, & mundus dicitur niſi ſolus Deus, ſic & iuſtus: quantalibet enim iuſtitia hominum, ſi cum iuſtitia Dei comparetur, planè nulla eſt. *Noli me*, inquit, Auguſtinus, iudicare ſecundum te, qui es ſine peccato: quia, *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*. Noli intrare mecum in iudicium: quantumlibet enim rectus mihi videar, producis tu tamen de theſauro tuo iuſtitiæ regulam, coaptas me ad eam & prauus inuenior. Illuſtrant maximè hanc interpretationem duæ ſententiæ Iob:

145

Auguſtin.

altera

altera est in capite quarto, *Nunquid homo*, inquit, *Dei comparatione iustificabitur aut factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, confumentur veluti à tinea?* Huius altera illa perquam similis est sententia in capite 25. *Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in cõspectu eius.*
146 *Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis.*

TERTIA, Interpretatio, Dauid non dixit, nullum opus hominis esse iustum apud Deum: sed dixit, nullum hominem iustificari in conspectu Dei: hoc est, neminem esse vsquequaque & omnino iustum. Nam qui nominantur, & verè sunt iusti, licet multa faciẽt opera bona, attamen & prius multa commiserunt peccata, & dum etiam iusti sunt, frequenter in leuiora delicta labuntur. *Non enim est homo iustus in terra qui faciat bonum & non peccet*: vt scriptum est Ecclesiastes 7. & 3. Regum, 8. Et illa iustorum oratio, est non minus vera quàm humilis, quamque Apostoli etiam vsurpabant: *Dimitte nobis debita nostra.* Propter hanc igitur admixtionem bonorum operum cum malis, Dauid *Matth. 6.*
147 omnisque iustus Dei iudicium formidat, nec quisquã coram Deo perfectè iustus pronunciatur. Ad hanc interpretationem spectat quod scribit B. Gregorius in explanatione septimi Psalmi pœnitentialis, *Gregorius.* declarans hæc verba Dauidis: *Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Scio* inquit, *multos in conspectu hominum iustos videri, & ad spem cœlestium promissorũ erectos, innocenter in mundo viuere: qui etiam si non delinquant in opere, labuntur tamen aliquando vana aut peruersa cogitatione. Cuius enim mentem cogitationes vanæ non laniant? Cuius cor tentationes non vexant? cuius animum desideria carnis non turbant? Non ergo in conspectu*
148 *Dei iustificatur, qui corde delinquit quod intuetur Deus.*

QVARTA interpretatio illud, *Neminem iustificari in conspectu Dei.* intelligi oportere non simpliciter, sed cum ea adiunctione quam proximè Dauid præmiserat dicens: *Non intres in iudicium cum seruo tuo.* Potest igitur iustificari homo apud Deum, si cum eo misericorditer agat Deus, nec summo iure & rigore iustitiæ contendat cum illo. Nam quemadmodum Dauid dixit, neminem iustificari coram Deo, ita Paulus dixit Rom. 2. Factores legis iustificari apud Deum, & de Zacharia & Elisabetha Lucas scripsit, eos fuisse iustos ante Deum. Ergo si *Luc. 2.* hominem Deus vocet in iudicium, deque vita & moribus eius quæstionem exerceat, nulla misericordia seueritatem iudicij mitigante, haud dubiè quilibet iniustus & reus inuenietur. Quis enim tam piè sanctéque viuit in terris, vt rationem reddere iussus ad tribunal Dei, causam suam defendere possit, si velit Deus omnia exigere quæ meritissimo atque optimo iure ei debentur? *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Quemadmodum enim is dicitur non iustificari in iudicio apud aliquem, à quo potest ille multis de rebus iustè accusari, & veris obiectis criminibus, quæque negari non possint, *Psal. 110.*

conuin-

conuinci: ita & Deo nobiscum expostulante, vel nobis ipsis iudicibus conuincemur iniusti. Nam præter debita gratitudinis, quæ nemo satis exoluere Deo potest; ea quoque debita quæ diuino præcepto persoluere tenemur, nemo perfectè persoluit. Quid quod omnes inueniunrur feciſſe multa, quæ facta non oportuit: & contra, non feciſſe
Auguſt. multa, quæ facta eſſe oportebat? Audi B. Auguſtinum in Sermone 49. 149
De Tempore: *Quid eſt*, inquit, *non intres in iudicium cum ſeruo tuo? Non ſtes mecum in iudicio, exigendo à me omnia quæ præcepiſti: nam me inuenies reum, ſi in iudicium intrauero tecum. Opus eſt ergo miſericordia tua potius, quàm liquidiſſimo iudicio tuo.* Ad hanc interpretationem facit quod dixit Iob capite nono: *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille. Quantus ſum ego vt reſpõdeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiam ſi habuero quippiam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor. Si iuſtificare me voluero, os meũ condemnabit me: Si innocentem oſtendero, prauum me comprobabit. Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquẽti. Si lotus fuero quaſi aquis niuis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: Tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea. Neque enim viro qui ſimilis mei eſt, reſpondebo: nec qui mecum in iudicio ex æquo poſſit audiri.* Hæc ibi.

VERVM de diluendis Hæreticorum obiectionibus hactenus di- 150
ctum ſit ſatis, nam argumentari, iuſtorum hominum multa eſſe bona opera, nec huius loci eſt, & quia euidens eſt in ſacris litteris, videtur ſuperuacaneum. Certè qui hoc negant Hæretici, magnam iniuriam faciunt Chriſti gratiæ; quaſi ea non fuerit efficax purgandi hominem à peccatis, & bona opera faciendi: cùm tamen Paulus dicat ad Titum 2. *Chriſtum dediſſe ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum:* & ſexcentis locis clamat ſcriptura Deum redditurum vnicuique ſecundum opera ſua. *Nam procedent qui bona fecerunt*, ait Dominus apud Ioannem, *in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerint, in reſurrectionem iu-*
Ioan. 5. *dicij.* Quamobrem meritò hîc error hæreticorum damnatus fuit in
Conc. Trid. Concilio Tridentino in ſeſſione 6. quæ eſt de Iuſtificatione, cap. 11. illis verbis: *Conſtat Orthodoxæ doctrinæ aduerſari, qui dicunt iuſtum in omni bono opere, ſaltem venialiter peccare, aut quod intolerabilius eſt, etiam æternas pœnas mereri.*

VERS. 6. *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus, &c.*

DECLARANT hæc verba inenarrabilem Dei erga ho- 151
minem amorem & pietatem: ſimulque aduerſus eius ſcelera iram & indignationem. Tanta enim fuit eius temporis enormitas ſcelerum humani generis, vt ad eam exprimendam, Moſes dixerit pœnituiſſe Deum quod

quod hominem feciſſet, eumque induxerit triſtitia, dolore, ac velut furore incitatum ad perdendum hominem. Non cogitat Deus ſicut homines, inquit Ambroſius, vt aliqua ei noua ſuccedat ſententia, neque iraſcitur quaſi mutabilis: ſed ideo hæc leguntur, vt exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ diuinam meruerit offen ſam: tanquã eo vſque increuerit culpa, vt etiam Deus qui natura liter non mouetur aut ira, aut odio, aut paſſione vlla prouocatus videatur ad iracundiam. Chryſoſtomus quoque ponderans illud verbum, *Pœnituit*, ſiue vt ipſe legit, *recogitauit, vel animo retractauit. Vide*, inquit, *verbum craſſum & noſtræ paruitati accommodatum. Pœnituit*, inquit, *Deum. Non quod pœnitentia cadat in Deum, abſit, ſed iuxta humanam conſuetudinem loquitur nobis Deus: quod enormia illorũ hominũ peccata miſericordem Deum indignari fecerunt. Quaſi diceret: Non ad hoc produxeram hominem, vt tãta ruina lapſus, ſibi ipſi perditionis fieret auctor, ſed propterea eum tanto honore inſigniui, & tantam eius curam me habere declaraui, vt virtuti vacans alienus à perditione fieret. Quoniam autem miſericordia mea abuſus eſt, ſatius poſthac fuerit malos eius conatus impedire.*

Ambroſius De arca & Noë, cap. 4.

Chryſ. hom. 22. in Geneſim.

152 VERVM dicet aliquis: Pœnitentia repugnat præſcientiæ omnium futurorum, quę eſt in Deo: triſtitia verò & dolor atque ira infinitæ ſimplicitati atque immutabilitati naturæ diuinæ aduerſantur. Vnde legimus primi Regum 15. *Triumphator in Iſraël non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt, vt agat pœnitentiam*, & Numer. 23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, neque vt filius hominis vt mutetur. Apud Deum enim*, vt Iacobus dixit, *non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio.* Sed hoc facilè ſoluitur. Pœnitentia enim, dolor, ira, furor, triſtitia, & huiuſmodi alia, dicuntur de Deo non ſecundum proprietatem, ſed ſecundum ſimilitudinem, nec ſecundum affectum animi, ſed effectum operis, quia Deus talia facit, qualia facere ſolent homines pœnitentia, vel ira, vel furore correpti. *Pœnitudo Dei*, (inquit Eucherius, id mutuatus ex Auguſtino lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 25.) *eſt mutandarum rerum immutabilis ratio.* Et interlinearis Gloſſa: *Videtur*, inquit, *Deum pœnitere dum opus mutat, voluntate tamen & diſpoſitione immobili permanente.* Et Rupertus: *Huiuſmodi*, ait, *dictũ de pœnitentia Dei, non impaſſibilis Dei mutabilem, ſed fixam eius indicat ſententiam, ad prioris facti deſtructionem, vel valdè neceſſariam eiuſdem meliorationem.* Et Hugo: *Pœnituit eum ſcilicet mutando quod videbatur incœpiſſe in Paradiſo, vbi dixerat hominibus: Creſcite & multiplicabimini, & replete terram.*

Dubitatio. Quomodo pœnitentia verè tribuatur Deo.

Iacob. 1. Solutio.

Eucherius. in Geneſim.

Rupertus in Geneſim l. 4. cap. 14. Hugo S. Victoris in Annotationibus in Geneſim.

153 NEC horum diſſimilia ſunt quæ in eam ipſam ſententiam præclarè ſcripſit Iuſtinus martyr reſpondens ad trigeſimam ſextam quęſtionem Orthodoxorum quæ erat de pœnitentia Dei ſuper vnctione Saulis in regem, & ſuper euerſione ciuitatis Niniuæ: *Deus* inquit, *& quia ſemper idem eſt, & quia ſemper facit quod ipſum decet, omnino immutabilis eſt. Sed cum ij, quos curat, mutãtur, mutat ipſe res prout eis expedit quos curat: ideoque & ad ignoſcendum, & ad non ignoſcendum immutabilis eſt. Ignoſcit enim immutabiliter his qui delicta ſua corrigunt: his verò qui à malo reuoca-*

Iuſtinus martyr. Geneſ. 32.

non possunt, immutabiliter non ignoscit. Quod ergo dixit de vnctione Saulis:
1. Reg. 15. *Pœnitet me: ostendit eius immutabilitate in non ignoscendo: quod verò de Ni-*
Ionæ. 3. *niuæ excidio eum pœnituit, ostẽdit eius immutabilitatẽ in ignoscẽdo. Est enim immutabilis Deus, sẽperque perseuerat in his quæ ipsum facere decet, nec vnquam admittit mutationem ad ea facienda quæ ipsum dedecẽt.* Sic Iustinus.

CETERVM particulatim expendenda est hæc sententia Mosis: *Pœnituit.* Hebraicè est verbum *nacham*, propriè significans consolari; consequenter autem significat etiam pœnitere seu culpæ, seu pœnæ, quod pœnitens videatur consolatus super malo facto. Septuaginta verterunt, ἐνεθυμήθη, id est cogitauit, seu recogitauit, quem admodum legit Augustinus 15. de Ciuitate Dei, cap 24. Aquila tamen expressit vim Hebræi verbi, trãsferens μετεμελήθη, id est, pœnituit: quod verbum hoc loco vult Procopius Gasæus idem valere quod, παρεκλύθη, id est, reuocauit se. Equidem miror cur septuaginta tam dissimiliter 154
Hebraicæ lectioni hoc loco verterint, *Cogitauit*: nec minus miror cur S. Hieronymus tam diuersam Septuaginta versionem ab Hebraica non annotauerit in suis Traditionibus Hebraicis in Genesim, vbi diuersitatem lectionis Hebraicæ, & translationis LXX. Interpretum in hoc libro Geneseos subtiliter, curiosè ac diligenter solet persequi.

Translatio 70. Interpretũ. Augustꝰ.

Procopius Gazæus

ILLVD *præcauens in futurum*, nec Hebraicè est, nec Chaldaicè, ne- 155
que Græcè: cur autem id Latinus interpres adiicere voluerit, equidem nescio: Rectam tamen & commodam habet sententiam: *Præcauens in futurum*, ne scilicet mala illa, impunita hominum libidine, plura in dies & grauiora existerent: & volens Deus impedire ne mala multiplicarentur, volens etiam malitiæ hominum obicem opponere, volens denique flagitia hominum, quando sanari alio remedio non poterant, mortis supplicio finire. Dicitur autem Deus præcauisse in futurum vt interpretatur Hugo: non quod per imprudentiam modò ad hoc venerit quod non ante putauerat, quem nihil latet: sed quia tam præcauet qui prohibet ne fiat, quàm qui prohibetur, & solicitè id vitat, vel illud: *præcauens in futurum*, significat voluisse Deum vt hoc diluuij supplicium, quo vniuersum penè genus hominum, & animalium interemptum est, documento esset posteris, vt ex eo discerent quantum Deo peccatum displiceat. Vel quia Deus totum mundum quasi vnum hominem susceperat erudiendum: homo autem dum puer est, metu pœnæ cohibendus à malo, & in bono continendus est, ne sibi permissus, præceps, & effrenis ruat in scelera.

Hugo in annotat. in Genesim.

Prou. 23. *Percute*, inquit Salomon, *filium tuum virga, & liberabis animam eius.* Idcircò Deus prouidè atque vtiliter recentem mundum proteruè petulantem atque lasciuientem, tanquam stultum puerulum corripuit tali percutiens verbere, quod per totam suam ætatem non posset obliuisci.

QVOD verò sequitur: *Et tactus dolore cordis intrinsecus.* Græcè est 156
διενοήθη, quod significat recogitauit potiùs quàm pœnituit, & ita etiam legisse in nonnullis codicibus Latinis testificatur Augustinus in

Augustꝰ.

Quæstioni

Quæstionibus in Genesim, quæst. 5. & ita citat ipse hunc locũ in lib. 15. De Ciuitate Dei, c. 24. Hebraicè autem sic est: *Doluit Deus ad cor suum.* vel *in corde suo*, seu *contristauit se Deus*, vel, *angustia affectus est ad cor suũ.* Nam verbum Hebræum *hasab*, significat comprimere, angustiari, seu angi, & inde etiam dolere seu contristari. Hoc autem dictum est de Deo non propriè, sed ad similitudinem hominis qui grauissima iniuria offensus ab his quos maximè diligebat maximisque beneficiis affecerat, valdè tristatur & dolet, quod eos metitis pœnis plectere debeat. *Non est dolor*, inquit Hugo, *nisi de amissione eius quod amatur.* Vnde cùm amittimus rem de qua non curamus, dicere solemus: Istud non tangit cor nostrum: Quanto igitur profundior erat amor, tanto altius tangebat dolor. Hic autem agitur de rei dilectæ destructione; & ideo merito dolor dicitur adesse magnus. Hoc igitur modo loquendi insinuauit Moses, hominum illius temporis multitudinem magnitudinemque scelerum non posse verbis satis exprimi. Palam etiam hinc esse voluit, Deum quodammodo inuitum punire; cùm voluntatis eius sit potius benefacere: quocirca dicitur tactus dolore cordis intrinsecus venisse ad puniendum hominem. Totum porrò hunc locum Mosis paraphrasis Chaldaica Latinè ad verbum reddita sic expressit: *Et pœnituit Dominum in verbo suo quod fecisset hominem in terra: dixitque per verbum suum vt frangeret fortitudinem eorum iuxta voluntatem suam.*

Hugo in An notat. in Genesim.

Chaldaica paraphrasis.

157 NON possum ipse mihi hoc loco imperare, vt in prœteritis relinquam tres nobilium scriptorum super his verbis sententias: vnam B. Augustini, Theodoreti alteram, tertiam Ruperti: adeo enim sunt ad id quod à Mose dictum est de pœnitentia & dolore Dei, explanandum atque illustrandum accommodatæ, vt fas non sit eas silentio supprimi. Sanctus igitur Augustinus libro 15. De Ciuitate Dei, cap. 25. tractans hunc locum Mosis, ita scribit: *Ira Dei, non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo irrogatur pœna peccato: cogitatio verò eius & recogitatio* (sic vocat Augustinus secutus LXX. Interpretes, quod Latinus Interpres vertit, pœnitere Dei) *mutandarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Sed si non vtatur scriptura talibus verbis, nõ se quodammodo familiarius insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consulti̇ũ, vt & perterreat superbientes, & excitet negligentes: & exerceat quærentes, & alat intelligentes: quod non faceret, si non se prius inclinaret, & quodammodo descenderet ad iacentes.* Sic Aug.

Augustini Theodoreti & Ruperti tres egregiæ sententiæ.

158 THEODORETVS verò in Quæstionibus in Genesim ponit hanc quæstionem, (quę est numero quinquagesima) Cur diluuio multitudinem hominum deleuerit Deus? ad quam respondet his verbis: *Delere sobolem Cain voluit Deus, & quia piorũ tribus illis permista erat, ob id supplicij particeps fuit. Non autem Deus (vt ferũt quidam) ira & pœnitentia ductus hoc fecit: sunt enim huiusmodi passiones humanæ, à quibus natura diuina prorsus est libera præsertim cũ pœnitẽtia cõueniat eis, qui periculo facto, rerum conditionem didicerunt, ignorantes enim quod futurum est, antea, consul-*

tam, tum periculo facto, discentes quod non rectè deliberauerint pœnitentiæ ducũtur. Deus autẽ perinde videt ea quæ multa post secula futura sunt, ac si iam euenissent: hinc fit vt tanquã præuidẽs & præsciens, omnia dispenset. Quo modo ergo pœnitentia cadet in eum, qui sua præscientia regit vniuersa? Quare

1. Reg. 15. *pœnitentia Dei nihil aliud est quam mutatio dispositionis eius.* Pœnitet me *inquit*, quod, constituerim Saul regem: *pro eo quod est: statui illum deponere, & alterum creare regem. Sic & hoc loco: Pœnitet me fecisse hominem, hoc est, Decreui perdere humanum genus.* Hæc Theodoretus.

Rupertus. NEC minus pia, grauis & erudita est ad eandem pertinens sententiam Ruperti oratio in libro quarto Commentariorum in Genesim, capite 15. quæ sic habet: *Laborat hic sermo diuinus, & quasi in versanda nimiæ magnitudinis mole penè confringitur, dum illud intellectui nostro planum facere intendit, quod satis explicare nullus homo sufficit: Videlicet quomodo Deus sine motu sæuiat, sine crudelitate occidat, quomodo salua pietate vltionem agat, & cum tranquillitate habeat furorem. Pœnituit*, inquit, *eum quod hominem fecisset in terra. Et præcauens in futurum, & tactus dolore cor-*

Isa. 42. *dis intrinsecus: Delebo*, inquit, *hominẽ, pœnitet enim me fecisse hominẽ. Qui per prophetam suum dicturus erat: Sicut parturiens loquar, vtique iam parturiens locutus est. Nam quemadmodum parturiens illud quod concepit, non sine sensu doloris emittit, & tamen dolere mauult, quàm non emittere quod concepit: Sic Deus non sine sensu pietatis profert sententiam iudicij, & tamen victa pietate, miserias malorum mauult videre, quàm non proferre quod iustitia dictante concepit. Quare? quia videlicet vtilius est morbo ferramentum altius imprimere quam palpando putredinem fouere. Itaque quod pœnituisse dicitur, & tactus esse cordis dolore intrinsecus, pietatis est: quod autem non victus eo dolore dixit: Delebo hominem quem creaui à facie terræ, seueri iudicij, vel seueritatis iudiciariæ est illud edictũ. Tale quid & alibi dicit: Pœnitet me quod cõstituerim Saul regem super Israël. Sanè huiusmodi dictum non impassibilis Dei mutabilitatem, sed fixam eius indicat sententiam ad prioris facti destructionem, vel necessariam eiusdem facti meliorationem.*

Delebo, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli, pœnitet enim me fecisse eos.*

DESCRIBENDO his verbis grauitatem supplicij quo Deus peccata hominũ puniuit, simul etiam indicauit Moses magnitudinem offensæ & indignationis Dei, simulq; ostendit acerbitatẽ atque immanitatẽ scelerũ, quæ Deũ ad tantam suplicij atrocitatẽ impulerũt. Hũc locũ Hebraica lectio Latinè ad verbũ expressa sic habet: *Et dixit Domin*, *Delebo, homines quos creaui, à superficie*

ficie terræ, ab hominibus vsq; ad iumentum, vsq; ad reptile, & vsq; ad volatile cœli, quia pœnitet me quod fecerim eos. Illud: *Dixit Deus*, significat, Deũ hæc verba dixisse vel angelis, vel ipsi Noë, nisi forte illud, *dixit*, phrasi Hebraica idem significat atque cogitauit, deliberauit, decreuit apud se, vt significetur efficax Dei voluntas, immutabile cõsiliũ atque propositũ perdendi homines. *Delebo.* Hebraicũ verbũ (*machach*) propriè significat eradere & abstergere, ita vt in re quæ abstergitur, nullũ maneat vestigium. Decreuit igitur Deus ita superficiem terræ abluere diluuio, vt nullum in ea hominum aut animalium remaneret vestigium. Illud: *Quem creaui*, magnam habet emphasim, vt rectè ponderauit Chrysostomus, quasi diceret Deus: *Quæ mei erant officij, omnia exhibui: Ex nihilo, vt esset, hominem produxi, naturæ eius scientiam eorum quæ facienda, aut non facienda sunt indidi, liberum arbitriũ donaui, ineffabili longanimitate vsus sum: & post longum illud tempus, & post indignationem & minas quas dixi, & adhuc præfiniui tempus centum viginti annorum, volens vt sua peccata homine sentiente, indignatio mea reuocaretur. Verum quia nihil lucrifacio neque proficio, cogit necessitas vt minas opere compleam, & omnibus modis hominẽ deleam, & sicut malum quoddam fermentum, aboleam totum humanum genus, ne posterioribus seculis peccandi auctores & doctores fiant.* Sic Chrysostomus. *chrys. hom. 22. in Genesim.*

161 ILLVD: *Ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli*, dixit Latinus interpres secutus Septuaginta interpretes (nam Hæbraicè sic est: *Vsque ad reptile, & vsque ad volatile cœli.* Quod autẽ etiam interitum omnium animalium denuntiat, inquit Augustinus libro 15. De Ciuitate Dei. cap. 25. magnitudinem futuræ cladis effatur: non autem animantibus rationis expertibus, tãquam & ipsa peccauerint, minatur exitium. Loquitur autẽ hoc loco Dominus (ait Caietanus) ad similitudinem hominis irati, qui cõsueuit commiñari vindictam non solum in hominem à quo læsus est, sed in omnes etiã habitantes cum eo. Vnde Dauid vehementer iratus Nabal, minatus est occisurum se vsque ad mingentem ad parietem. Tali siquidẽ more minatur Deus se deleturum hominem cum omnibus animantibus habitantibus cum homine. Et propterea nulla fit mentio piscium, quia non communicãt in habitatione cum homine: nam pisces habitant sub aquis, homo autem & reliqua animalia habitant super terram in aëre. *Augustin. Caietanus in Genesim. 1. Reg. 25.*

162 SEQVITVR: *Pœnitet enim me fecisse eos.* Non dixit, *fecisse ea*: quia pœnitentiæ Dei causa fuerè peccata, quæ in animalibus nulla fuerũt, sed propter peccata hominum, simul cum hominibus & ipsa peremptа sunt animalia. Pro illo, *Pœnitet*: Septuaginta habent, *quia cogitaui*: nam Græcè est, ἐνεθυμήθην: quod interpretatur Theodoretus, constitui disperdere hominum genus: in nonnullis tamen codicibus Græcis est, μετεμελήθην. Beatus tamen Augustinus libro 15. De Ciuitate Dei, cap. 24 pro hoc habet: *quia iratus sum eis*, eandémque lectionem videtur secutus Ambrosius libro de Noë & Arca, cap. 4. Chrysostomus perpendens hæc Domini verba, & *animo*, inquit, *retractaui quod feci il-* *Theodoretus quæst. 50. in Genesim. Augustin. Ambros. chrys. hom. 22. in Genesim.*

los sic ait: *Verbo hoc quãtum se nostræ humilitati attemperat? Num volebam,* inquit, *tanta illos pœna plecti? ipsi me peccatorum immanitate in tantam innexerunt indignationem.*

Cur animalia quæ nihil peccauerant diluuio sint deleta quatuor causa.

163 VERVM dubitatio exiſtit: Cũ ſolus homo peccauiſſet, nec vllum fuiſſet ſcelus animalium, cur ſimul cũ homine perdũtur animalia, quæ vt nihil peccauerant, ita nihil ſupplicij commeruerant? Quatuor eius rei cauſas afferre licet. Primùm quidem animalia ſeruitij & vſus hominum cauſa Deus fecerat: ſublato igitur homine, ſuperuacanea videbatur eorum conſeruatio. Deinde in pœnam & afflictionem hominis, in cuius poteſtate & poſſeſſione erant animalia: ſicut etiam occiduntur filij boni propter patres peccatores, vt filiorũ interitu acerbiori dolore crucientur patres. Adhæc, in deteſtationem impietatis & malitiæ hominis: quamobrem iumentum cum quo quiſpiam coiuerat, iuſſerat Deus occidi ad eius flagitij deteſtationẽ, vt patet Leuit. 20. Sic etiam pugnaturi Iudæi contra regem Arath Chananæum, & contra ciuitatem Hierico, & contra regem Amalec, denique contra Gabaonitas, iuſſi ſunt omnia illorum deſtruere & delere, non ſolum homines, ſed etiam ciuitates, omniaq; eorum iumẽta: vt patet Numero 21. Ioſu. 6. 1. Regum, 15. Iudic. 20. Ad extremum, id factum eſt, vt quidam prodiderunt, quia homines illius temporis etiam animalibus libidinosè, vel ad alia flagitia patranda nefariè abuti ſoliti erant: quin etiam condocefecerant animalia diuerſarum ſpecierum inuicem præter naturam coire.

Chryſoſt. in Geneſim homil. 22.

164 VERVM hæc luculentiſſimis Chryſoſtomi & Ambroſij verbis atque ſententiis condienda & exornanda ſunt. Et Chryſoſtomus quidem explanans ſupradicta illa verba Moſis: *Delebo hominem quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia*: adhunc modum ſcribit: *Dicet forte aliquis: Quare cum homo in malum declinauit, etiã bruta eãdem pœnam ſuſtinent: num propter ſuum ipſorum vſum producta ſunt bruta? Propter hominẽ vtique facta ſunt: hic igitur cùm è medio tollitur, quis illorũ vſus*

Gen. 3. *eſſet? Idcirco iſtam pœnam communem ferunt, vt hinc etiam pœnæ grauitatem addiſcatis. Et ſicut ab initio cum peccaſſet Adam, terra maledictionem accepit: ſic & nunc cùm abolẽdus eſſet homo, bruta quoque participant. Quemadmodum cùm homo gratus ſit Deo, creatura quoque humanæ felicitatis parti-*

Rom. 2. *ceps eſt: ſicut Paulus*, inquit. *Et creatura hæc liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Similiter nuno cum homine ob multitudinem peccatorum puniendo, vniuerſali perditioni ſimul & creatura traditur. Et ſicut in domo quando is qui præeſt, in indignationem domini incidit, veriſimile eſt cooperarios ei condolere: ita & hic quaſi in domo pereuntibus hominibus, omnia quæ in domo & quæ ſub illorum ſunt dominio, neceſſe eſt eandem pœnam incurrere.* Hæc Chryſoſtomus.

Ambroſ.

165 AMBROSIVS verò in libro De Arca & Noë c. 10. hunc eundem locum Moſis plenius explicans & verbis & ſententiis: *Quid*, inquit, *muta deliquerant animantia? qua cauſa ſubiecta ſunt pœnæ, quæ peccandi ſenſum non habẽt? Sed quemadmodum in bello cùm imperator ab hoſte occiditur,*

ciditur, commoritur eius exercitus, atque omnis comminuitur virtus militaris: sic non discrepare à iustitia visum est, cùm interiret homo cui regalem quandam dominus Deus in omne animantium genus potestatem dedit, vt omnibus volatilibus, feris, bestijs imperiali praesset auctoritate, quod etiam pecudes, & quaecunque erant irrationabilia commorerentur animalia. Denique si quando est pestilentia corrupto cœli tractu, prius ea quae sunt irrationabilia, lues dira contaminat, & maximè canes, equos, boues, atque ea inficit, quę cum hominibus conuersari videntur: Sic morbi vis genus humanum implicat. Hac itaque prima causa, vt arbitror, iustę assertionis. Secunda illa: Quia nemo accusat naturam cur reliqua corporis nostri membra moriantur, solo capite sublato: cùm multos videamus amputatis manibus & pedibus superuiuere: Sed non eadem ceterorum membrorum est prærogatiua quæ capitis. Ideóque abscisso eo, vnde sensus nostri in reliquum corpus prodeunt, moriuntur etiam omnia membra: nec in eo aut operatoris prouidentia deseritur, aut substantia humana redarguitur. Similiter ergo nemo nunc arguat, quia caput & principale quoddam ceterorum animalium homo est: quo moriente, non debet mirum videri si cetera moriantur animalia. Tertium illud est: Quia rationis expertia non propter se, sed propter hominem generata sunt animalia: hominis enim causa esse praecepta sunt, vt eorum subiectione, humana praestaret conditio. Denique gratiæ hominis attribuit Propheta dicens, Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas: insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris, quia propter ipsum illa omnia: alia propter vtilitatem: alia delectationis gratia, alia voluptatis. Consequens ergo erat, vt cum deleretur homo à facie terræ, propter quem facta sunt, etiam ipsa pari delerentur occasu. Sic Ambrosius. Psal. 8.

***

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM LIBER NONVS,

QVI EST DE LAVDIBVS Noë, & de generali orbis excidio.

HISTORIA MOSIS

Ex capite sexto libri Geneseos.

NOË verò inuenit gratiam coram Domino. Hæ sunt generationes Noë. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationib. suis: cum Deo ambulauit. Et genuit tres filios Sem, Cham, & Iaphet. Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) dixit ad Noë. Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.

8 9 10 11 12 13

PRÆ

PRÆFATIO.

1 VERA est illa Aristotelis, quotidiano penè omnium sermone trita sententia: *Oppositа iuxta se posita magis eluescunt.* Namque descripta primum à Mose incredibili eorum hominum qui fuere ante diluuium, improbitate & malitia: tum exposita singulari & eximia probitate ac sanctimonia Noë, factum est, vt ex cõparatione, notabilior vtraque atque illustrior existeret. Clarissimũ profecto excellentis iustitiæ & innocẽtiæ Noë fuit argumentũ, in tanta hominũ sui temporis & corruptela animorum, & studiorum morumque peruersitate, tantaque omnium scelerũ colluuione atque immanitate fuisse eum ab omni flagitio purissimũ sanctissimum ac Deo carissimum. Aptissimè ad laudem Noë quadrat, quod de Iob in exordio suorum Moralium scripsit

2 B. Gregorius: *Dicatur, inquit, vbi habitauerit Iob, vt hoc ad eius laudes proficiat, quod bonus inter malos fuit. (Neque enim valde laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis.) Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonũ etiam inter malos extitisse. Hinc est quod beatus Iob sibimet attestatur dicens: Frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc Petrus magnis Loth laudib. extulit, quia bonum inter reprobos inuenit. Hinc Paulus discipulis dixit: In medio nationis prauæ ac peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Hinc Pergami Ecclesiæ dicitur: Scio vbi habitas, vbi sedes est Satanæ, & tenes nomem meũ ibi & non negasti fidẽ meam. Hinc sancta Ecclesia Sponsi voce laudatur, cùm ei in amoris Cantico dicitur: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Sic Gregorius. rectè igitur Moses exposuit virtutem Noë, memorata prius hominũ illius tẽporis malitia vt eum inter iniquos bonorum vixisse ostenderet: & vt iuxta Sponsi præconium, inter spinas lilium creuisse monstretur.

B. Gregor. Iob. 30. 2. Pet. 2. Ephes. 2. Apoc. 2. Cant. 2.

Noë inuenit gratiam coram Domino.

Chrysostom. hom. 22. in Genesim.

HOC DIXIT Moses, ne quis putaret (vt monet Chrysostomus) propter ea quæ proximè ante dicta fuerant de exitio totius terræ omniumque animalium atque hominum, omnimodam fore humani generis abolitionē, & stirpitùs eradicandam esse naturam nostram: sed potius intelligeretur quantum malum sit peccatum, & quantum bonum sit virtus, & quod melior sit vnus faciens voluntatem Domini, quàm decem millia præuaricatorum. Vnde subiungit Moses, *Noë autem inuenit gratiam corā Deo*, quasi dicat: Tametsi multitudo omnis in tantam malitiam proiecta fuerit: iustus tamē hic scintillam virtutis conseruauit; & sicut illi malis operibus misericordem Deum ad indignationē prouocauerunt, sic iste pollens virtute, gratiam inuenit coram domino Deo. Non est personarum acceptor Deus, verum si in tanta multitudine inueniat hominem quæ sibi placita sunt facientem, non despicit, sed sua illum dignatur cura, & tanto maiorem illius rationem habet, quanto cum tot sint qui ad malum eum trahere conantur, constantius ipse resistit, & virtutis viam sectatur. Hinc igitur apparet quātam vim & efficacitatē excellens virtus & pietas habeat apud Deum: hac nempe vnus Noë adeo placuit Deo, vt non sibi ac suæ familiæ solum diluuij effugium, sed etiam vt ipso auctore, mundi reparatio ac renouatio fieret, promeritus sit. 3

ILLVD item animaduertere oportet, Deum etiam in medio impiorum suos habere seruos suisque nominis cultores: nec in tantum malos multitudine aut potentia valescere, vt non inter eos sint boni aliqui quos Deus cognoscit, protegit, & ne cum malis pereant, mirabiliter conseruat. Cuius rei exemplum extat in Elia, cui conquerenti apud Deum, se solum Dei cultorem in populo Israël esse relictum, respondit Deus se in populo Israël reliquisse sibi & conseruasse septem millia virorum, qui non curuauerant genua sua ante Baal. Sed verba huius sententiæ Mosis excutiamus. Et primum aperiamus significationem huius vocabuli Noë. 4

1. Reg. 19. & 3. 11.

PRIMA DISPVTATIO

De Inetrpretatione nominis Noë.

NOE nomen imposuit simul & exposuit pater eius Lamech, vt narrauit supra Moses sub finem quinti capitis ita scribens: *Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium: vocauitque nomen eius Noë, dicēs, Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum* 5

inter

in terra cui maledixit Dominus. Nomen autem Noë siue Noach (sic enim ad rationem scripturæ & pronunciationis Hebraicæ dici deberet) significat requiem, à verbo *Noach*, quod est quiescere: vnde quod sequitur: *Ipse cõsolabitur nos, &c.* magis iuxta etymologiam nominis Noë verterunt LXX. Interpretes dicentes, *Ipse quiescere nos faciet, &c.* Eugubinus in annotationibus suis in Pẽtateuchum super hunc locum tradit duo esse verba Hebræa valdè similia vnum, (*nacha*) significans sedare, mitigare, & quiescere facere; alterum, (*nacham*) cum *m*, significans consolari, & hoc nunc esse in Hebræis codicibus: Interpretes autem LXX. similitudine verborum ductos vnum pro altero sum pssse, vel priori modo legisse. Illud præterea dici posset, vltimum, *m*, non esse de verbi essentia, sed additum esse in pronomine, nos, id quod sæpe fit apud Hebræos. Similiter legisse videtur Hieronymus, quippe qui in Traditionibus Hebraicis in Genesim etymologiam nominis Noë ducit ex eo quod est quiescere facere: & lectionem Septuaginta secuti sunt omnes ferè Patres, non solum Græci, sed multi etiam Latinorum. Quamquam, videntur eandem habere sententiam *consolabitur nos à laboribus*, atque *quiescere nos faciet*: magna enim consolatio est laborantium, requiescere à laboribus.

Augustin. *Eugubin.* *Hieronymus.*

6 CHRYSOSTOMVS certè supradicta verba Lamech explanans: *Apud nos*, inquit, *nomen Noë si quis interpretetur, quietẽ dicit: quietem autem vocat generalem illum interitum post multos annos futurum, sicut & Iob dixit. Mors viro quies: etenim valdè magnus labor est malitia, huius igitur abolitionem futuram per diluuium, vocauit quietem. Vnde subiunxit: Hic nobis quietem præstabit ab operibus nostris, id est, A malitia desistere faciet, & ab operibus manuum nostrarũ: id est, ab operibus nostris malis. Non quod manus malè habuerint, sed quia per illarum opera & malas actiones molestiæ & tristitiæ auctæ sint. Et à terra, inquit, quã maledixit dominus Deus, Vocat terram maledictam, quæ cum labore exercetur & colitur, propter Adami transgressionem. Hinc animaduertite dilecti, quomodo puerulus ille paulatim crescens, omnib. ipsum videntibus occasio discendi fuerit: nam mox vt quis nomen pueri sciscitabatur, ex interpretatione vocabuli discebat euẽturum generalem interitum. Si quis diuino Spiritu afflatus simpliciter hoc futurum dixisset: statim fuisset obliuioni traditum, & granitas pœnæ non fuisset tota cognita. At verò quia ille puer ante omnium versabatur oculos, tempestiuè, & intẽpestiuè diuinam representabit indignationem.* Hæc Chrysostomus: verba illa Lamech, iuxta translationem Septuaginta, diligenter interpretatus.

chrys. hõ. 22. in Genes.

7 ILLVD: *ab operibus*, interpretati sunt Chrysostomus & Hugo annuente etiam Hieronymo de malis operibus & de peccatis. Sed conueniẽtior est interpretatio quæ id refert ad opera laboriosa & molesta hominum in colẽda terra. Nam quasi explicans, quę essent illa opera, subiecit *à laboribus manuũ nostrarũ in terra*: pro quo Septuaginta verterunt *tristitijs manuũ nostrarum*, alij, *molestijs*, alij, *doloribus*. Latinus interpres, *laboribus*. Hebraicè, *Hisebon*, à verbo, *Hasab*, ortum habens, propriè significat premere, comprimere, angustiari: vnde idolum vocatur

Hugo S. Victoris in Annotationibus in Genesim. *Hieronym. in Traditionib. Hebraicis in Genesim.* *Huge.*

heseb, quia comprimitur manibus materia, ex qua fingitur ab artifice idolum. Hic igitur significat laborem, anguſtiam, oppreſſionem qua homines ante ætatem Noë conflictabantur circa terræ culturam. Illud porro: *In terra cui maledixit Dominus*: ſpectat ad id quod Moſes capite tertio narrauerat dixiſſe Deum Adamo. *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Maledicta igitur dicitur terra, quia multo & aſſiduo labore ab homine culta, nec multum, nec perpetuum, nec optimum fructum ei reddebat.

Quo modo Noë quietem & conſolationem attulerit hominibus.

SED quæret aliquis quomodo, aut quibus rebus Noë conſolatus 8
fuerit homines ſiue quieſcere eos fecerit, ſicut pater eius Lamech prophetico afflatu prædixerat. Sanctus Hieron. *Quia*, inquit, *ſub Noë omnia retro opera quierunt per diluuiũ: ob id appellatus eſt Noë*, i. *Requies:* Neſcio de quibus retro actis operibus loquatur Hieronymus: niſi fortè de malis operibus & de peccatis hominũ iuxta interpretationem Chryſoſtomi & Hugonis ſupra poſitã. Hugo ait, eo fuiſſe Noë cõſolatum homines, quod per ipſum, & ab ipſo conſeruatũ fuerit ſeminatiũ humani generis & animalium in arca, ne in totum omnia perirent diluuio. Rabbi Salomonis & Hebræorum probabilis admodum illa 9
eſt interpretatio, eo Noë quietis & conſolationis hominum auctorem eſſe dictum, quod primus inuenerit præcipua inſtrumẽta ruſtica tractandæ & exercendæ agriculturæ: Vnde infra capite nono, Noë dicitur agricola. In primis autem excogitaſſe dicitur vomerẽ & aratrum, & vt ſub iugum ſubiuncti boues & aratrum trahentes terram proſcinderent: cùm id antea proprijs manibus homines facerent. Magna ergo fuit conſolatio & requies hominum tranſlatis magna ex parte laboribus agriculturæ ab hominibus ad iumenta. Placet aliis eo maximè conſolatum fuiſſe Noë ſui temporis homines, quod vini vſum inuenerit: vinum autem lætificat cor hominum, & aſperitatem laborum mitigat, reficiendo, corroborandoque vires & animum exhilarando.

Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſ.

Hugo.

Rabi Salomonis & Hebræorum interpretatio.

NEC deſunt qui credant, Lamech prophetico ſpiritu præuidiſſe 10
Deum propter eximiam pietatem & iuſtitiam Noë, benedicturum terræ, id eſt, futurum, vt terra minore labore lætiorique prouentu deinceps coleretur ab homine. Non tacebo, fuiſſe nonnullos qui exiſtimarunt præuidiſſe Lamech, filio ſuo Noë poſt diluuium iri conceſſum à Deo vſum carnium, magno mortalibus ad firmitudinem valetudinis ac virium, & humanæ vitæ conſeruationem & propagationem adiumento & ſolatio futurum. Ergo Noë cùm recens natus eſſet, neque dum vllam de ſe ſingularis indolis ſpem præbere præ tenella ætate poſſet, auguſtiſſimo illo nomine *Noach*, hoc eſt, Quiete ſiue conſolatione, vocatus à parente ſuo eſt: quod nomen nouam & lætiorem mundi faciem pollicebatur, mitigata nonnihil terræ malignitate qua per diuinam execrationem affecta, maiorem in modum labores mortalium fuerat fruſtrata. Et verò præſagium pulchrè cõm-

probauit euentus, cùm post diluuium Deus mundum instaurans, se non amplius execraturum terram, hominis causa, promisit, sed fore vt perpetua atque inuiolata quatuor anni tempestatum vicissitudo & ordo in posterum custoditetur. Quin etiam ipsi Noë & filijs benedicens, ipsos procreata sobole augescere iussit, & animalium feritati rursus nouum frenum sui verbi imposuit. Denique post Adæ peccatum nouo fœdere veluti iam placatior, se humano generi primum obligauit. Gen. 9.

11 QVAMQVAM longiùs etiam spectasse hoc tam lætum Noë nomen equidem existimo: atque eius potissimum siue consolationis siue requiei spem animis piorum iam tum proposuisse qua futurum erat vt in Christo, qui irato Patri genus humanũ reconciliaturus erat planè aliquando homo conquiesceret, nec amissæ in Paradiso felicitatis desperatione fatisceret. Disertis verbis id ipsum Rupertus explicuit in libro quarto Commentariorum in Genesim cap. 16. & 17. hunc in modum scribens: *Noë mediatorem Dei & hominum tam nomine, quàm opere signauit. Nomine videlicet, quia nomen ipsum quod est Noë, interpretatur requies: requies autem nostra verè est ipse qui dicit: Tollite iugum meum super vos & discite à me quia mitis sũ & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Opere autẽ quomodo Christum significauerit, deinceps plenius dicendum erit.* Igitur non absque diuino præsagio vocauit illum pater Noë, dicens: *Iste consolabitur, vel requiescere nos faciet ab operibus nostris in terra qui maledixit Dominus.* Quæ autem est requies vel consolatio qua consolatur nos iste verus Noë scilicet filius Dei, nisi peccatorum remissio, quam in baptismo suo nobis tribuit, secundum similitudinem illius qui per fidem suam in illo diluuio paucas animas secum reseruauit? Illud namque diluuium, baptismatis figuram fuisse Petrus quoque Apostolus testatur, cùm dicit: *Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabatur Dei patientia in diebus Noë, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo anima saluæ factæ sunt per aquã. Quod & nos nũc similis formę saluos facit baptisma,* & reliqua. Itaque Diluuium, Baptisma hi: qui in diluuio perierunt, peccata nostra quæ in Baptismo delentur, præsignauerunt. Et hoc modo mysticè prophetia completur dicentis: *Iste consolabitur nos, vel, requiescere nos faciet ab operibus nostris.* Vnus erat Noë, & in illo vno saluatum est semen ad recuperationem orbis terrarum: quia videlicet vnus est Christus, in quo est nostra salus, & *Non est in alio salus: nec enim nomen aliud sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Legi etiam possunt quæ de mystica eiusdem nominis interpretatione in libro De Arca & Noë scripsit Ambrosius. Hæc igitur de vocabulo Noë breuiter hoc loco, nec ineptè dici posse iudicaui, ea fore ratus non in iucunda lectori. 1. Pet. 3. Act. 4. Ambros.

12 SEQVITVR: *Inuenit gratiam coram Domino.* Ad condemnationem ceterorum (Ambrosius inquit) & ad expressionem pietatis diuinæ, dicitur Noë apud Deum gratiam inuenisse. Simul ostenditur, quod hominem iustum non obumbret aliorum offensio, quando ipse

ad totius generis reseruatur seminarium. Inuenire gratiam coram Deo vel apud Deum, vel in oculis, vel in conspectu Dei, Hebraismus est, significãs, placere, & gratum esse Deo. Pro vocabulo *gratiam*, Hebraicè est vox, *Chen*, significans non solum gratiam, sed etiam misericordiam: quemadmodum verbum Chanan significat misereri. Et sic erit sensus: Omnibus alijs diluuio pereuntibus, solum Noë inuenisse apud Deum misericordiam vt diluuij exitium effugeret, nec suæ tantum vitæ ac salutis, sed vniuersi hominum atque animalium generis conseruator esset. Rectè autem dicitur (vt annotauit Caietanus) Noë inuenisse gratiam apud Deum, non autem iustitiam, nec in oculis, *Elohim*, id est Dei iudicis, sed in oculis, *Iehouath*, hoc est Dei fontis essendi: gratia siquidẽ fuit Dei saluari per Noë esse hominis & ceterorũ animalium. Pensa progressum diuinæ benignitatis: & prima quidem vice dedit spatium pœnitendi; secunda autem vice asciuit ad gratiam suam Noë, vt in illo seruaretur genus humanum. Et dicendo, *inuenit*, commendatur studium Noë in quærendo diuinam gratiam. Verùm ad quid Noë inuenit gratiam Dei? Ad euasionem diluuij, ad conseruationem generis hominum atque animalium, & vt præferret insignem atque illustrem imaginem Christi & Ecclesiæ.

Caietanus in Genes.

13

Sed quibus rebus inuenit gratiam apud Deum! Id Moses indicauit, subiungens Noë iustum & perfectum fuisse in generationibus suis & cum Deo ambulasse. Signatè autem dicitur inuenisse gratiam coram Deo & non coram hominibus (vt bene hoc perpendit Chrysostomus) videlicet vnum hunc ille scopum habuit, quem spectabat semper, & ad quem se suaque omnia dirigebat, vt ab illo Dei oculo laudaretur qui nunquam dormitat, qui nihil non videt, cui planè, summa gratia & felicitas est: hominũ autem gratiam vel contẽptum, vel odium vel beneuolentiam iuxtà parui pendebat. Verisimile enim est, cùm vnus contra omnium mortem virtutem coleret, quin etiam eorum flagitia magna libertate & constantia reprehenderet, fuisse ab illis subsannatum, irrisum, eorumque offensionem, odium atque indignationem incurrisse. Est igitur sensus: Etsi Noë hominibus sui temporis iniucundus, grauis & odiosus esset, quod nollet eam viam ingredi, quam illi insistebant, Deo tamen qui scrutatur corda, gratissimus & carissimus fuit. Et quid illi nocere potuit hominũ alienatio ab ipso, cùm ipse in Dei gratia esset, Deumque non modo propitium sibi, sed amicum etiam & familiarem haberet?

14

chrysost. homil. 23. in Genesim.

Istæ sunt generationes Noë. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulauit.

VERS. 9. & 10.

15

Noe abvlvm *generationũ* significare videtur hoc loco genealogiam Noë, non passiuè, id est respectu maiorum è quibus genus ducebat Noë, sed actiuè, id est, respectu posterorum.

rum,& filiorum Noë:nam sequitur: *Et genuit tres filios,Sem, Cham, & Iapheth.*Est igitur sensus: Hæc est progenies & proles Noë, quæ cum ipso seruata fuit ex diluuij exitio. Ter memorantur à Mose generationes Noë,primò extremis verbis quinti capitis,quia in eas termina batur & desinebat processus primæ ætatis mundi: nam vltra generationem filiorum Noë non fuit alia generatio secundum lineam rectam, nisi post diluium. Secundo loco nominantur generationes Noë hic; vt significaretur qui homines essent à diluuio conseruandi. Tertio loco nominantur post diluuium, prout dilatandæ, & in omne genus hominum multiplicandæ erant,& hac ratione nominantur infra cap.9.&10. Sunt quid illud: *Istæ sunt generationes Noë.* sic interpretantur: Ista sunt quæ acciderunt temporibus Noë: vel,ista est historia eorum quæ contigerunt Noë.

Ter à Mose narrantur generationes Noë.

16 VERVM quia Moses postquam dixerat. *Istæ sunt generationes Noë:* non proximè subtexuit progeniem eius carnalem,sed virtutes,dicens fuisse eum iustum & perfectum, & ambulasse cum Deo, propterea Chrysostomus tradit,præcipuam hominis nobilitatem & genealogiæ claritatem, non ex maiorum aut posterorum gloria, sed ex virtutum præstantia spectari & æstimari debere. Audi Chrysostomum: *Rarus,* inquit,*& alienus genealogiæ modus hic est,nam vt Scriptura dixit.Istæ sunt generationes Noë:& aures nostras spe quadam impleuit, quasi genealogiam illius narratura,& quis eius pater fuerit,& vnde genus duxerit, & quomodo in hanc vitam editus fuerit, & alta quæ mos est genealogias narrantibus recensere:relictis tamẽ illis omnibus,etiam superiori consuetudine,*inquit,*Noë homo iustus,& perfectus in generatione sua placuit Deo. Vidisti admirabilem generationem? sequamur igitur & nos diuinæ scripturæ regulas,& quorum genealogiam enarramus,eorum non patres & auos atque abauos in medium afferamus,sed virtutes & benefacta exponamus:Hic optimæ genealogiæ mos est. Quæ enim vtilitas,ex claris & probis parentibus originem ducere,si tu bonæ vitæ atque virtutum sis expers? aut quod damnum fuerit, si parentes & maiores tui fuerint ignobiles & obscuri,ipse autẽ virtutibus floreas? Talis enim fuit Noë:neque enim parentes eius,vt virtute nobiles,commemorat scriptura.Ipse tamen conciliauit sibi gratiam Dei, & cum multa haberet bene agendi obstacula & impedimenta: ad summum tamen virtutis & perfectionis peruenit fastigium.*Sic Chrysostomus.

Chrysost. hom.23 in Genesim.

17 CHRYSOSTOMO, similia concinit Ambrosius. *Noë*(ait)*non generationis nobilitate,sed iustitiæ & perfectionis merito laudatur. Probati enim viri genus,virtutis prosapia est:quia sicut hominum genus homines,ita animarum genus virtutes sunt. Etenim familiæ hominum splendore generis nobilitantur:animarum autem clarificatur gratia splendore virtutum.* Hæc Ambrosius. Veruntamen non est negandum,cùm Moses dixit: *Istæ sunt generationes Noë.*designare voluisse carnalem progeniem Noë: nã paulò infra generationem trium filiorum eius subiecit. Quod autem interposuerit virtutes Noë: eo factum est, vt indicaret qualis & quanti viris generationem ipse describeret, scilicet cuius merito non solum ipse,

Ambros. lib. De Arca & Noë,cap. 4.

ipse, sed tota eius progenies, hoc est seminarium generis humani, cladem diluuij euaserit.

SED videamus quale sit hoc encomium Noë, quo eum Moses ex 18
virum iustum & perfectum atque ambulantem cum Deo prædicauit. Certè nulli priorum patriarcharum, non Seth, non Henos, non ipsi Henoch tam eximium & illustre præconium tributũ est à Mose. Chry-
Chrysost. homil. 23. in Genesim. sostomus hoc encomium Noë luculenta interpretatione pertractans: *Ecce*, inquit, *& aliam maximam præconij speciem, iustus appellatur Noë, quæ appellatio omnem virtutem complectitur. Hoc enim nomen, iustus, consueuimus dicere de his qui omnigenam exercent virtutem. Postea, vt discas quomodo ad summum fastigium peruenerit, id quod & tunc exigebatur à natura nostra*, inquit, *Iustus, perfectus existens in generatione sua. Omnia*, inquit, *impleuit quæcunque facere conuenit ei qui virtutem amplexatur. Hic enim est perfectus, nihil enim intermisit, in nullo claudicauit: nõ in hoc benefaciebat, in illo verò peccabat: sed in omni virtute perfectus erat, qua tunc pollere illum cõgruebat. Præterea, vt ex tẽpore quoque & ex collatione cum alijs illustriorem nobis iustum exhiberet*, inquit, *Perfectus in generatione sua, in tẽpore illo, in generatione illa peruersa quæ adeo in malum declinauit, quæ neque vestigium virtutis præ se ferre voluit. In illa igitur generatione, in illis temporibus iustus ille non solum virtutem præ se tulit sed & in tantum peruenit virtutis culmen vt esset perfectus, & in omnibus absolutus. Et id quod ante dixi, bene agere inter virtutis hostes, & inter eos qui virtutem prohibent, maius semper virtutis pondus testatur, vnde hac ratione iustus ille maiores laudes nactus est. Neque hic finem laudandi illum facit diuina scriptura, sed adhuc virtutis illius excellentiã demonstrat, & quod diuino calculo probatus fuerit: quia postquam dixit: Perfectus in generatione sua, addit, Deo placuisse Noë. Tanta erat virtutis illius gloria, vt & à Deo laudari promeruerit. Deo enim* inquit, *placuit Noë, vt scias quod approbatus fuerit à Deo: placuit illi oculo qui falli non potest, & illius sibi fauorem tantum cõciliauit per bonæ vitæ opera, vt eum non solum ab indignatione in omnes effundenda liberarit, sed & alijs præesse fecerit.* Hæc Chrysostomus.

Quid sit Noë fuisse iustum. IDEM ergo est secundum Chrysostomum, iustum nominari, atque 19
omnibus instructum & ornatum virtutibus appellari. Et perfectus est quia omnia virtutum officia cumulatè explet, nec in aliquo deficit aliquando. Ambulare autem cum Deo vel coram Deo, est placere
Caietanus in Genes. Deo eiusq; testimonio probari & laudari. Caietanus ait, duabus virtutibus generalibus describi hoc loco Noë fuisse præditum, altera relatiuè ad bonum, cùm dicitur iustus: altera relatiuè ad malum, cùm appellatur perfectus. Iustitia siquidem suum cuique tribuit: perfectio autem nihil eorum quę requiruntur, abesse significat, defectumque omnem excludit. Toſtatus autem putat propterea dictum Noë
Toſtatus quæst. 14. super 6. c. Genes. iustum, quia non recedebat à præceptis iuris naturalis, & ab institutionibus sanctis antiquorum Patriarcharum, qui instituerant aliquos ritus & cæremonias ad exteriorem Dei cultum pertinentes. Nos breuiter dicimus, iustitiam esse virtutem quæ suum cuique reddit. Iustus

igitur:

igitur est, qui quod debet, & vt debet, & quando debet, Deo, proximo, & sibi præstat: Deo fidem, spem, charitatem, obedientiã cultumque & reuerentiam tam interiorem, quam exteriorem: sibi continentiam & passionum suarum sub rationis arbitrium & imperium subiectionem: proximo amorem, æquitatem, misericordiam. Quoniam igitur Noë in hoc triplici officiorum genere suo tempore excelluit, merito nominatur iustus.

20 PRO vocabulo, *perfectus*, Hebraicè est dictio, *tamim*, quæ significat integrum & perfectum, à verbo *tamam*, quod significat perficere, complere, & finire. Dicitur autem homo perfectus, qui vulgo nominatur *huomo compito*, in quo scilicet nihil quod ad officia virtutũ pertinet desiderare possis: qui non solum quæ debita sunt, expleat, sed etiam persequatur quæ supererogationis sunt, quique virtutes non vulgari aut mediocri modo, sed secundum gradum supremum, & vt dicitur heroicum consectecur & colat.

21 ILLVD autem: *In generationibus suis*, variè exponitur. Primò sic dicitur secundum Hieronymum, vt ostendatur Noë appellari iustum, non secundum iustitiam consummatam, quæ simpliciter dicitur iustitia, sed iuxta generationis suæ iustitiam, cuius nempe humanæ naturæ conditio capax est, vel quæ ab hominibus illius temporis exigebatur Augustinus lib. 15. De Ciuitate Dei cap. 26. Illud: *In generatione sua*, refert ad præsentem vitam. *Noë* inquit, *appellatur iustus in sua generatione: non vtique sicut perficiendi sunt cives ciuitatis Dei in illa immortalitate, qua æquabuntur Angelis Dei, sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti.* Chrysostomus illud: *In generatione sua*, interpretatur: Inter homines sui sæculi, vt hoc multum proficiat ad laudem Noë, quod cùm inter homines impios & sceleratos viueret, ipse tamen maximè religiosus fuerit, inculpatéque vixerit. Caietanus per illud: *In generatione sua*, intelligit & exponit progeniem & filios Noë, vt significetur non modo bonum & iustum fuisse Noë, sed etiam familiam eius ac progeniem totam tam probè institutam ab eo fuisse, vt etiam ipsa pietatem & iustitiam sectaretur: licet post diluuium vnus filiorum eius Cham impudens erga patrem & nequam ac reprobus fuerit. Lyranus & Tostatus aiunt illud: *In generatione sua*, posse dupliciter accipi: vno modo, vt faciat ad quandam diminutionem laudis Noë, vt sit sensus: Licet Noë iustus & perfectus fuerit comparatione hominum sui sæculi, attamen comparatione posteriorum patriarcharum, vt Abraham, Isaac, & Iacob si illis temporibus vixisset, obscurior & minor fuisset fama iustitiæ & sanctitatis eius. Altero modo exponi potest, vt pertineat ad amplificationem laudis Noë: vt significetur, Noë in generatione sua, id est, comparatione omnium maiorum suorum qui à Seth vsque ipsum fuerant, iustitia & perfectione virtutis, omnium fuisse præstantissimum, vt non modo Seth, & Henos, sed etiam ipsum Henoch virtutum fastigio supergressus sit.

Quid sit Noë fuisse iustum in generatione sua

Hieronym. in Tradi. Heb. in Genesim.

Augu. chrysosto. hom. 23. in Genesim.

Caietanus in Genesim.

Gen. 9.

Lyranus.

Tostatus.

SEQVITVR: *Ambulauit cum Deo.* Idem supra capite quinto dixit 22
Quid sit ambulare cum Deo & coram Deo. Moses de Henoch, scribens ipsum ambulasse cum Deo. Idem quoque infra capite 17. scriptum est de Abraham, cui dixit Dominus, *Ambula coram me & esto perfectus.* Est autem Hebraismus, Ambulare cum Deo, & coram Deo, quem variè interpretantur Doctores: sed in eandem fermè sententiam, LXX. Interpretes & hic & capite quinto verterunt, *Placuit Deo*, quod exponit Chrysostomus: Diuino calculo, suffragio & testimonio commendari, & placere oculo diuino, qui omnia videt & falli non potest: adeoque sibi fauorem Dei conciliasse, vt non solũ se ab indignatione Dei in omnes effundenda liberauit, sed etiam semen generis humani penes se conseruauerit. Paraphrasis Chaldaica hunc Hebraismum sic expressit: *In timore Domini ambulauit Noë.* Hieronymus exponit: *Vestigia Dei secutus est.* Caietanus: *Iuxta formam diuinæ iustitiæ iurisque diuini ambulauit*, hoc est, profecit: vt hinc manifestũ fuerit qualis esset iustitia & perfectio Noë, videlicet secundum ius diuinum. Alij sic: *Diuinam vitã egit, timuit Deum, nec ab eo defecit vnquam*: vel, *in omnibus considerauit quid vellet Deus, quidve ab eo exigeret, & sese ad omnem Dei voluntatem planè conformauit.* Vel, *Deum semper intuebatur quasi præsentem sibi, quamobrem cautissimus, modestissimus & deuotissimus semper incedebat*: Vel: semper erat paratus, expeditus & intẽtus ad omnia Dei mandata & iussa promptè & alacriter exequenda: vti solent esse ministri & serui in conspectu dominorum suorum.

chrysost. homil. 23. in Genesim.

Paraphrasis Chaldaica.

Hieron. in Trad. Heb. in Genesim.

SECVNDA DISPVTATIO.

Vtrum Noë aut quiuis alius mortalium in terris viuens verè appellari potuerit perfectus

Quomodo Noë fuerit vere appellatus perfectus definiatur, cui nihil deest. VERVM illud nõ caret difficultate, quemadmodum verè 23
appellatus sit Noë perfectus, cum id verbi nulli mortalium, dum in terris viuitur, videatur posse competere? Siquidem perfectum est, cui nihil abest eorum quæ ad eius integritatem & absolutionem pertinent: gratia verò & virtus cuiuslibet hominis in hac vita semper est imperfecta, in dies nempe augescens & proficiens, nec nisi post mortem, in cœlis vltimum complementum & perfectionem accipiens: nimirum ibi tantum est gratia consummata, cui nulla fieri potest accessio. Quidquod vltima perfectio non potest contingere nisi adeptis vltimum suum finem: finis autem hominis beatitudo est: sicut igitur nemo in terris beatus est, ita nec perfectus.

Gen. 17. QVIN auget illud etiam difficultatem, quod non solum in sacris litteris aliqui appellantur perfecti, sed etiam Deus iubet hominem esse perfectum: dixit enim Abrahæ: *Ambula coram me, & esto perfectus,*

& Dominus

& Dominus noſter, *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Cum autem Deus nihil homini præcipiat impoſſibile, eſſe autem perfectum impoſſibile ſit in hac vita: mirum videri poteſt quomodo id Deus præcipiat homini. Adiice, quòd Beatus Paulus nec gratia Dei nec vllius virtutis præſtantia inferior Noë, negauit ſe eſſe perfectum, ita ſcribens ad Philippenſes capite tertio: *Non*, inquit, *quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, ſequor autem ſi quo modo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad deſtinatũ perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Matt. 5.

24 B. Auguſtinus in libro de Perfectione iuſtitiæ contra Cæleſtium hanc difficultatem exoluit: nec tantum hanc, ſed illam quoque, Quomodo in ſacris litteris nonnulli appellentur immaculati, innocentes, irreprehenſibiles & ſine peccato? cùm alibi ſcriptura doceat neminem viuere ſine peccato, ſcriptum enim eſt in libro Eccleſiaſtæ cap. 7. *Non eſt homo iuſtus in terra qui faciat bonum, & non peccet:* & Ioannes dixit, *Si dixerimus quoniam peccatũ non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* & Dominus Apoſtolos ſuos docuit orare, dicendo? *Dimitte nobis peccata noſtra.* Hæc igitur quomodo intelligenda ſint, docens Auguſtinus, ita ſcribit: *Horum teſtimoniorum ſcripturæ, aliqua currentes exhortantur vt perfectè currant, aliqua ipſum finem commemorant quo currendo perueniant. Ingredi autẽ ſine macula non abſurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus eſt, ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carẽs criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundari eleemoſynis. Hæc enim iter noſtrum quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio: munda eſt autem oratio qua veraciter dicitur: Dimitte nobis debita noſtra? vt dum reprehẽditur quod non imputatur, ſine reprehenſione, hoc eſt, ſine macula, noſter ad perfectionem curſus habeatur: in qua perfectione, cum ad eam peruenerimus, iam non ſit omnino quod ignoſcendo mundetur.* Hæc B. Auguſtinus. Auguſt. 1. Ioan. 1. Luc. 11. Matth. 6.

25 ERGO perfecti dicuntur, auctore Auguſtino, non qui iam habent perfectionem, ſed qui ad eam conſequendam perfectè currunt. Ideo autem perfectio præcipitur homini, non quod eam in hac vita poſſit habere, ſed vt eam ſpectando & deſiderando perfectè currat ad eius conſecutionem. Nam ipſemet Auguſtinus paulò ante ea verba quæ poſui, ſic ait: *Cur non præciperetur homini perfectio quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, ſi quo currendum eſt, neſciatur: quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? Sic ergo curramus, vt comprehendamus. Omnes enim qui perfectè currunt, comprehendunt. Non ſicut in agone theatrico, vbi omnes quidem currunt, ſed vnus accipit palmam. Curramus credendo, ſperando, deſiderando: curramus corpus caſtigando & eleemoſynas in dandis bonis, maliſque ignoſcendis hilariter ex corde faciẽdo, & currentium vires vt adiuuentur orando: & ſic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.* Hactenus ex Auguſtino.

Quinque modis dici aliquos perfectos etiã in hac vita.

SED nos breuiter ac distinctè (scilicet more scholastico) propositam quæstionem enodemus. Quinque modis aliqui possunt appellari perfecti, etiã in hac vita, licet non sint vsquequaque & omnino perfecti. Primo modo dicuntur aliqui perfecti comparatione aliorum qui sunt imperfecti: nam in militia Christi quidam sunt quasi tyrones & nouitij milites, alij verò tanquam veterani: illi nominãtur imperfecti in via Domini, hi autem perfecti. Vnde sectatorum Christianæ disciplinæ tres distinguuntur gradus, vnus Incipientium, alter Proficientium, tertius Perfectorum. Sanè B. Paulus inter Christi sectatores, alios quidem perfectos, alios verò imperfectos agnoscebat: & his quidẽm opus esse lacte tanquam infantibus, illos verò solido cibo ali, quippe qui exercitatos habẽt sensus ad discretionem boni & mali. Et inter hos Paulus loquebatur sapientiã. *Cum deberetis magistri esse propter tempus* (ait Paulus scribens ad Hebræos cap. quinto) *rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo, Omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonis iustitiæ: parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine, exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.* 26

Tres gradus sectatorum Christianæ disciplinæ.

1. *Cor.* 2.

ALTERO modo dicuntur aliqui perfecti, non simpliciter, sed ea tantum perfectione quæ exigitur in hac vita, & cuius hæc vita capax est, non ea quæ post hanc vitam in cœlis erit, omnibus numeris absoluta. Perfectio autem huius vitæ in eo maximè posita est, vt perfectè curratur ad consequendam illam cœlestem perfectionem. Perfectè autem currere in via domini, est, non solum non retrogregi, aut insistere, sed nec lentè & remissè ingredi, verum quanta maxima fieri potest contentione illuc properare. Quocirca Paulus scribens ad Philippenses capite tertio, cùm dixisset se non esse perfectum, subiungit: *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Prius dixerat se non esse perfectum, & mox non modo se, sed alios quoque nominauit perfectos. Verum illud: *Quotquot perfecti sumus*, idem significat (vti B. Augustinus in libro de perfectione iustitiæ contra Cœlestium interpretatur) atque *Quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus*, scilicet, quod nondũ perfecti sumus; vt illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus. Perfectio igitur huius vitæ in eo est, vt semper magis ac magis in studio virtutum proficiamus, & *qui iustus est, iustificetur adhuc*: Nam vt scriptum est Prouerb. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque, ad perfectam diem.* 27

August.

Apoc. vl.

TERTIO modo dicũtur perfecti aliqui non tam per seipsos, quam ratione status in quo sunt: quemadmodum Christiani dicuntur perfecti comparatione Iudæorũ, quia status Christianissimi perfectus est, Iudaismi autem erat imperfectus: atque hoc modo etiam Religiosi nominantur perfecti comparatione Secularium. Quarto modo dicuntur aliqui perfecti, quòd studeant virtuti: non quolibet modo, sed perfectè; nec mediocriter & vulgariter, sed eximiè, singulari 28

gulariter, omni studio, & quanta maxima fieri potest cura & diligentia, supremumque virtutis gradum concupiscunt & sectantur, & heroicam quandam cuiusque virtutis excellentiam amplectũtur. Quinto modo dicuntur perfecti, quibus non sat est præcepta Dei seruare, sed præterea, colunt Euãgelica Christi consilia. Hi sunt qui se castrauerunt propter regnum cœlorum: Qui vendiderunt omnia quę habebant, & dederunt pauperibus, quò expeditius & alacrius Christum sequerentur: Qui se totos aliorum hominum arbitrio & iudicio propter Christum permiserunt & dicarunt, vt illi omnes ipsorum vitæ rationes ordinent, regant ac moderentur: denique, Qui abnegarunt semetipsos, & sublata cruce sua Christum secuti sunt. Verum his de perfectione hominis in hac vita breuiter disputatis reuertamur ad Noë. *Matth. 19* *Ibidem.* *Matth. 16.*

29 PRÆTER hoc encomium Noë paucis verbis hic à Mose comprehensum, extant alijs in locis sacrarum litterarum locupletissima eius viri præstantiæ testimonia & præconia. Apud Ezechielem capite 14. hæc dixit Dominus: *Si fuerint tres viri isti in medio populi istius, Noë, Daniel & Iob: ipsi iustitia sua liberabunt animas suas: filios autem suos & filias suas non liberabunt, sed terra desolabitur.* Quibus verbis simul exaggerat Deus inexpiabilem Iudęorum impietatem, & singularem sanctitatem atque gratiam qua Noë plurimum valebat apud Deum. Namque illorum verborum hæc est sententia: Tanta est Iudęorum impietatis & scelerum grauitas & acerbitas, & vsque eo illis sum infensus & iratus, vt si Noë cetero qui vir apud me gratiosissimus, filium haberet in isto populo, mihique pro eo supplicaret, non essem tamen eum exauditurus. Cur autem tres illi viri præcipuè nominati sint, declarat Hieronymus super illum locum Ezechielis; & Augustinus super Psalmum 132. & libro 2. Quæstionum Euangelicarum, quæst. 44. *Laudes Noë ex aliis scripturæ locis.* *locus Ezechielis capit. 14.* *Hieron.* *August.*

30 EIDEM Noë hoc encomium perhibetur in libro Ecclesiastici capite 44. *Noë inuentus est perfectus, iustus & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Idèo demissum est reliquum terræ, cùm factum est diluuium. Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluuio omnis caro.* Hęc verba cursim exponenda sunt. Cùm dicitur: *Noë perfectus, iustus*, alluditur ad id quod de eo scripsit Moses Geneseos 6. *Noë inuenit gratiam coram Domino, fuitque iustus atque perfectus in generationibus suis, cum Deo ambulauit.* Nec emphasi caret illud: *Inuentus est perfectus*: significat enim, vnum ipsum & solum inter omnes sui temporis homines fuisse iustum, quasi Deus quęrens in vniuerso illo genere hominum aliquem qui iustus esset, nullum alium nisi vnum Noë inuenerit, sicut ipse dixit illi: *Te vidi iustum coram me in generatione hac.* *Locus Ecclesiastic. c. 44.*

QVOD autem sequitur *In tẽpore iracundiæ* (vel vt & Græcè ἐργῆς, id est, *iræ factus est reconciliatio*, hoc significat: Cũ Deus adeo esset iratus hominibus illius temporis vt omne genus hominũ delere vellet, Noë sua iustitia & innocentia obtinuit à Deo, vt ipse cum paucis diluuij *Gen. cap. 7.*

cladem euadens, conseruaret seminarium generis humani. Pro vocabulo illo *reconciliatio* Græcè est, ἀντάλλαγμα, significans pretiũ quo quid emitur, aut redimitur: vt Noë sua sanctitate & innocentia, quasi quodam pretio apud Deum genus hominum ab interitu redemerit: Vnde subditur: *Ideo dimissum est reliquum terræ.* hoc est, propter Noë qui inuenit gratiam apud Deum, relictæ sunt in orbe terrarum reliquiæ aliquæ humani generis, per quas rursus post diluuium repararetur genus hominum. Nam illud, *reliquium*, substantiuè positum est pro eo quod est, *reliquiæ.* & illud: *terræ*, datiui casus est, vt sit sensus: *Ideo*, id est, propter Noë, qui factus est reconciliatio, *dimissum est reliquum terræ*: id est, Derelictæ sunt in terra aliquæ hominum reliquiæ. In verbis autem quæ sequuntur: *Testamẽta sæculi posita sunt apud illum.* vocabulum, *testamenta*, significat fœdus & pactum; & positum est plurale pro singulari. Et illud, *sæculi*, positum est pro adiectiuo seculare, id est, æternum, & omni seculo duraturum. Et his verbis alluditur ad id quod narratur libro Geneseos capite octauo, Noë transacto diluuio egressum arca ædificasse altare Domino, & obtulisse super eo holocausta: quæ Deus dicitur odoratus in odorem suauitatis, id est: adeo fuisse ei accepta, vt promitteret se nequaquam vltra maledicturum terræ propter hominem. Eámque promissionem pacto confirmauit, addito eius pacti signo, arcu scilicet cœlesti, qui apparens in nubibus, vnde periculum diluuij videri posset imminere, certiores promissionis ac fœderis diuini homines faceret.

Gen 9.

Locus Pauli ad Hebreos cap. 11.

MAGNIFICA quoque laus est Noë, quam ei tribuit B. Paulus in capite 11. Epistolæ ad Hebræos, ita de eo scribens: *Fide, Noë responso accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, metuens, aptauit arcam in salutẽ domus suæ, per quam dãnauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Quorum verborum velut in transcursu attingẽda est interpretatio. Noë igitur, ait Paulus, cùm nullum venturi diluuij indicium esset, nec vlla coniectura aut suspicione id futurum esse præsagiri posset, cúmque omnes eius temporis homines voluptatibus atque deliciis indulgerent: ipse Deo vẽturum diluuium denuncianti, sine dubitatione vlla credidit, arcamque Dei iussu construxit, qua se suámque familiam ex illo diluuij exitio seruauit. *Per quam* (inquit Paulus) *damnauit mundum.* Et quidem illud *per quam*, si referatur ad fidẽ Noë, significat incredulitatem eorum hominum damnatam esse ex comparatione fidei Noë, dum, ceteris permanentibus incredulis, & pereuntibus: solus ipse credidit, & euasit. Sin autem illud, *per quam*, referatur ad arcam, hæc erit illorum verborum sententia, per arcam à se constructam damnauit Noë mundum, quia illi videntes virũ probum Deique cultorem, arcam aduersus imminens diluuium fabricare, nec sic quidem crediderunt, quocirca per arcam damnati sunt, quia nisi Noë arcam fabricasset, non vtique illi auditi, & non crediti diluuij fuissent rei.

QVOD autem subditur: *Et iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.*

tus: sic exponit Theophylactus: lucratus est, seu nactus est Noë vt iustus videretur apud Deum, quod iustitiæ nomen & laudem fides ei largita est: quasi dicat, Noë credendo Dei oraculo, hoc lucratus est, vt testimonio Dei iustus appellaretur. Verum mihi congruentior videtur eorum verborum explanatio quæ est in commentario eius loci apud Caietanum. Nam quia ceteris omnibus diluuio pereuntibus, solus Noë, quia iustus erat, cum suis seruatus est, scitè dicitur à Paulo fuisse hæres iustitiæ, scilicet maiorum suorum & priscorum, patrum, quorum iustitia quasi hæreditaria ad vnũ Noë deuenit, & penes eum seruata est.

Theophylactus in c. 11. epistolæ ad Hebræos.

Caietanus in Paulum.

Locus Petri c. 2. epist. 2.

33 NON est tacendum eiusdem Noë præconium à B. Petro posteriori Epistolæ capite secundo traditum verbis quidem exiguum, verum sententia amplissimum. Sic enim ait: *Et originali mundo Deus non pepercit, sed octauum Noë iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mũdo impiorum inducens*, Appellat Petrus mũdum originalem, homines qui fuere ante diluuium, quod ea fuerit quasi prima ætas & pueritia mundi, origini & primordiis mundi vicina. Dicitur autem Noë octauus, non ab Adamo, fuit enim ab eo decimus, sed inter eos qui per arcam seruati sunt à diluuio: alij enim fuerunt septem, & ipse octauus. Cur autem Petrus nominauerit Noë iustitiæ præconem, supra exposuimus in Præfatione huius libri.

Mundus originalis.

34 SED concludamus laudationẽ Noë, his addendo quæ de eo prodit Iosephus, primo libro Antiquitatum, nam cùm de improbitate hominum eius temporis commemorasset, de Noë subtexuit hæc: *Noë autem facta eorum moleste & indignè ferens suadebat vt in melius voluntates & opera sua commutarent. Verum cum videret illos sibi non parere, totosque vitiorum dulcedini succumbere, veritus ne se suamque familiam interimerent, secedens cum suis in aliam regionem migrauit. Tum Deus viri iustitia delectatus, non eius solũ sæculi homines extremæ malitiæ damnauit: sed cum decreuisset vniuersum genus humanum extinguere, aliudque nouum & à vitijs purum instaurare, diluuio illud hominũ aboleuit vniuersum. Noë autem solus est seruatus, diuino oraculo viam euadendi & rationem edoctus.*

Iosephus.

Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth. VERS. 19.

35 CIRCA hæc verba illud tantum videtur hoc loco annotandum, quia Moses suprà postremis verbis quinti capitis dixit fuisse quingentorum annorum Noë, cùm genuit hos tres filios, & quia post eorum generationem per annos centũ reliquos vsque ad diluuiũ, nullũ genera-sse aliũ filium legitur, ex eo colligit B. Chrysostomus, Noë vsque ad quingentesimum ætatis suæ annum coniugio abstinuisse, vitamque egisse cœlibem. Nam si antè duxisset vxorem, etiam antè filios procreasset:

Admirabilis continentia Noë.

Chrys. hom. 24. in Genesim.

creasset: Sicut autem tardè cœpit vacare generationi filiorum, sic statim vt eos genuit, per illos centum annos qui superfuerunt vsque ad diluuium, operam dare liberis intermisit. Quamobrem vehementer miratur Chrysostomus, summisque laudibus effert tantam eius viri continentiam, præsertim autem in prima illa mundi ætate, qua ætate, vti coniugio & inseruire generationi filiorum, non modo honestum & laudabile, sed propè necessarium ducebatur: at idque incitari etiam is poterat exemplo eorum qui inter maiores suos sanctissimi fuerant Deoque carissimi, Seth dico & Henoch? siquidem illi ante centesimum annum vel paulò amplius vxores habuerunt, filiósque generarunt: Admirabilior insuper Noë continentia ostenditur ex comparatione ceterorum eiusdem seculi hominum, qui laxatis cupiditatum frenis, ad omne genus libidinum & obscœnitatum præcipites ruebant.

SED audiat lector Chrysostomum: is enim supradicta verba; *Genuit Noë tres filios, Sem, Cham & Iaphet* explanans: *Non sine causa* inquit, *diuina scriptura & tempus & numerũ filiorum iusti huius nobis designauit: nimirum latenter insinuare voluit excellentem multiplicémque eius virtutem. Superius enim dicens Noë fuisse quingentorum annorum cum hos tres filios genuit, satis non docuit summam continentiæ illius magnitudinem tunc fuisse, cum tantæ intemperantiæ dedui essent omnes homines eius temporis, tantaque salacitate omnes ætates ad malum ruerent. Audistis enim scripturam dicentem: Vt vidit Dominus quod impletæ sunt malitiæ super terram, & nullus non cogitaret diligenter in corde suo à iuuentute: Vbi manifestè declarat quod & iuuenes vincebant grandiores natu: & senes nihilominus quam iuuenes insanirebant: & ad malum multa procliuitate propensa erat ætas etiam malorum inexperta. Vt igitur discamus, quemadmodum ceteris omnibus tantam insaniam & rabiem libidinis præ se ferentibus, iustus ille manserit solus continentiæ virtutem strenuè seruans donec ad quingentesimum annum peruenit, idcirco dixit Scriptura, Noë cum esset quingentorum annorum, genuisse tres filios, Sem, Cham & Iaphet. Considera quantæ fuerit virtutis in tantã temporis longitudinem concupiscentiæ rabiem refrenare, viamque longè diuersam ab alijs ingredi: ne solum ab illicito cœtu se cohibere, sed etiam à legitimo & inculpato.* Hæc Chrysostomus. 36

INSIGNE igitus fuit exemplum castitatis Noë (propter quam fortasse is tantopere Deo placuit) primo, quòd tam tardè incœperit generare, scilicet cum quingentorum esset annorum. Deindè, quod tam cito ab vsu coniugij & filiorum generatione vacauit: non enim plures his tribus filios genuisse legitur. Eat nunc hæreticus & impudenter clamitet impossibile esse homini vitam agere cœlibem: quasi pauca eiusmodi continentiæ habeamus exempla non solum tempore legis euangelicæ, sed etiam tempore legis Mosaicæ, quin etiam ante legem Mosis. Certè vnum hoc exemplum Noë ad coarguendam istorum impudentiam satis esse deberet. Si non potuit Noë per quingentos annos castè viuere, cur etiam nunc per centum annos 37

Non esse homini impossibile agere vitam cœlibem.

quanta:

(quanta est summum, vita hominis) non possit, quispiam caste viuere?

38 QVAMQVAM illud quoque hoc loco satis probabiliter dici posset, Noë ante quingentesimum vitæ annum, & vxorem habuisse & genuisse filios, sed eos tamen propterea tacitos præteriri in sacris litteris quia fuerint omnes ante diluuium aut naturali, aut violenta morte sublati, hos autem tres solos superstites fuisse diluuio, ac per eos vniuersum genus hominum propagatum & multiplicatum esse. Sed cur, dicet aliquis, illis centum annis qui post generationem istorum trium filiorum superfuerunt vsque ad diluuium, nec ipse Noë, nec vllus filiorum eius aliquem filium genuisse traditur? Equidē reor incompertam esse mortalibus eius rei causam, nisi forte quasi diuinando iuuet dicere, diuino consilio id esse factum, quod sciret Deus, si plures filios Noë genuisset, eos futuros exemplo ceterorum hominum impios atque improbos, ob idque diluuio fuisse perituros, quod sanè summo Noë mœrori ac dolori fuisset. Aut quod multum augescente ac multiplicata progenie Noë, maior quàm oportebat futura esset turba hominū qui ex diluuio per arcā seruandi fuissent. De ordine autem tēporis quo generati sunt isti tres filij Noë, hoc est, quis primus natu fuerit, quisve secūdus aut postremus, alio loco disputabitur.

Corrupta est autem terra coram Deo & repleta est iniquitate. VERS. 11.

39 HÆC verba explanans Hugo, ad hunc modum scribit: *Totum hoc de corruptione hominum illius temporis sæpius repetit & inculcat Moses ad augmentum sceleris ostendendum & iustam iram vindicis. Quod dicit: corā Domino, notat personam iudicis, scilicet Deum scire vt iudicem, qui nescire dicitur rem, nisi cum probata coram eo fuerit: etsi enim per se sciat, nescit tamen ad vindictam. Hoc autem facimus ita erat manifestum, vt nulla egeret probatione. Vel coram Domino, qui peccatum eorum attendebat. Ipsi enim ita negligenter peccabant, vt nec peccatum esse reputarent.* Sic Hugo. *Hugo. in Annotat. in Genesim.*

CAIETANVS autem eadem verba pertractās: *Perpende*, inquit, *progressum peccati. Primo enim fuit & declinatio & depranatio filiorum Dei ex concupiscētia: deinde multa malitia hominis: & demum corrupta est terra.* Vsque ad corruptionem animorum progressa describitur malitia hominum, vt omnino irreparabiles fuisse mali eorum hominum mores intelligātur: Et hoc coram supremo iudice, qui testis est veritatis intimæ. Insinuatur autem maxima corruptio animorum ex corruptione terræ: significatur enim tanta fuisse animorum corruptio, vt ea in terram etiam sit effusa: quasi non solum corrupti fuerint homines interius secundum sensus & affectus, sed exterius etiam secundum externas actiones & opera, quę adeo vitiosa & corrupta fuerint, vt etiam terram, id est, loca in quibus fiebant infecerint, polluerint atque corruperint. *Caietanus in Genesim.*

ILLVD igitur: *Corrupta est terra*, intelligi potest de ipsa terra, quam homines corruptè viuendo etiam corrumpebant. Sicut enim propter 40
sanctitatem hominum loca aliqua habitantium, vel rerum quæ inibi tractantur, etiam loca ipsa nominantur & habentur sancta, sic è contrario propter hominum flagitia, eorum loca polluta & execrata censentur. Fidem ei rei facit quod in Leuitico capit. 18. scriptum est: *Cum masculo*, inquit, Dominus, *non commiscearis coitu femineo, quia abhominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succübet iumento, nec miscebitur, ei quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his quibus contaminatæ sunt vniuersæ gentes, quas ego eyciam ante conspectum vestrum, & quibus polluta est terra: cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.* Vel vocabulum terræ potest hic intelligi & accipi pro homine, vel per Synecdochen, vt positum sit continens pro contento, id est, terra pro hominibus inhabitantibus terram: vel vt ipse homo sit dictus terra, nam sicut paulò supra appellatus homo est caro, quia totus planè carnalis factus erat: sic nunc (vt interpretatur
Chrysost. homil. 24. in Genesim. Chrysostomus) appellatur terra, quia totus erat terrenus, id est, terrenorum. bonorum & voluptatum cupiditatibus affixus.

Lyranus, Toſtatus in Geneſim. c. 6. PRO illo *corrupta*, Hebraicè est verbum *Sachath*, significans dissol- 41
uere, destruere, corrumpere. Et Lyranus quidē atque Toſtatus istiusmodi corruptionem terræ interpretantur, fuisse propter vitia carnalia cuislibet generis, etiam quæ nefanda sunt & contra naturam, quæ id temporis latissimè ac validissimè regnabant. corruptela vero animi maximè cernitur in vitio nefando, in quo maximè corrumpitur ordo & institutio naturæ referentis coitum ad generationem prolis: quem ordinem omnino peruertit & corrumpit qui eiusmodi vtitur coitu qui ad generationem prolis referri non potest, sed is suspicitur solius voluptatis, & eius, quidem impurissimæ ac vitiosissimæ fruendæ causa.

IN eo quod subditur: *Et repleta est iniquitate*, pro vocabulo *Iniqui-* 42
tate Hebraicè est *Chamas*, quæ vox significat fraudem, rapinam, violentiam, subuersionem & oppressionem. Illud autem *coram Domino*
Toſtatus. interpretatur Toſtatus, id est publicè, quasi in conspectu Dei & Cœli & terræ, publicè enim peccabant sine vllo pudore. Id quod exprobrauit Deus Iudæis per Isaiam capite tertio: *Peccatum suum*, inquit, *quasi Sodoma prædicauerunt nec absconderunt.* Sic in secundo libro Regum, capite 12. comminatus est Deus per Nathan Dauid: *Tollā*, inquit, *vxores tuas in oculis tuis, & dabo eas proximo tuo, & dormiet cū eis in oculis Solis huius*, id est, palam, & vidente cuncto Israële. Vel illud, *coram Domino*, significat summam irreuerentiam & ingratitudinem eorum hominum erga Deum, qui cum crederent Deum præsentem ipsis esse, eorúmque non solùm facta, sed etiam abditas animi cogitationes intimosque recessus cernere, nihilominùs tamen impudenter ac irreuerenter peccabant. Peccare enim seu corrumpi in oculis Dei, videtur

signi

significare,eum, qui memor sit Dei, quique sibi eum præsentem putet,ipsum tamen offendat. Sunt enim alij qui peccant prorsus immemores Dei, quique (vt ait Dauid) *non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Psalm.53.

Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro, corruperat viam suam, &c. VERS.12.

43 DICET Deus videat omnia etiam priusquam fiant:in sacris tamen litteris dicitur tunc Deus videre peccata hominum cum ea vult & statuit punire.Tunc enim peccata dicuntur venire ante oculos & in conspectum & in memoriam Dei, cum ea Deus meritis ac debitis pœnis vindicare decernit. Prius enim quàm puniat Deus, videtur similis aut dormienti,aut ignorāti:vnde dicitur excitari, & exurgere, & animaduertere, quia cum punit quod antea non puniebat, similis videtur expergiscenti & aduertendi. Quemadmodum infra capite 18.dixit Deus:*Clamor Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus est,& peccatum eorum aggrauatum est nimis.Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me,opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Quamobrem cùm aliquid vellemus à Deo puniri, quotidiano & vulgari sermone dicere solemus:videat Deus & iudicet:non quod ignoremus id videri à Deo, sed quod optemus id à Deo videri ad puniendum. Sic igitur hoc loco dicitur Deus vidisse quod omnis terra corrupta erat, & quod omnis caro corruperat viam suam : quia decreuerat non amlius differre tantorum scelerum vindictam, sed quamprimum ea supplicio diluuij punire. *Deus quando dicitur videre peccata hominū.*

44 QVOD sequitur: *Omnis caro corruperat viam suam,* explanans Ambrosius ita scribit:*Carnem hic posuit Moses pro homine terreno, in quo carnis illecebra viam eius corruperat. Qui si intellexisset,quod munus accepisset à Deo, non vtique passus esset vt caro obstaret animæ virtutibus. Itaque corrumpendæ etiam animæ caro fuit causa, quæ velut origo & locus quidam est voluptatis : ex qua velut à fonte prorumpunt concupiscentiarum malorumque passionum flumina, lateque exundant:quibus demergitur anima velut excusso gubernatore remigium, cum ipsam et mens velut quibusdam tempestatibus & procellis victa,loco suo cedit. Pulchrè autē ait: Quia homo naturæ suæ viam corrupit:nam via sua in Paradiso erat, in illo beatitudinum tramite, in illo virtutum flore,in illa incorruptibili gratia : quam viam terrenis inquinauit vestigijs. Alij habent:Viam ipsius,hoc est,Dei.Hoc solet verbo Domini declarari.* SicAmbrosius. *Amb. 5. lib. de Noë & arca, cap.5.*

45 SED illius vocabuli,*via*,vt frequentissimus, sic amplissimus & per quam varius est in sacris litteris vsus. Significat enim vita hominis, studia,mores,instituta, opera,consuetudines, sæpissimè autem id nominis pro lege Dei vsurpatur, quomodo putant quidam hic accipi, *Quid significet vocabulum via.*

vt sit sensus, *omnis caro*, id est omnis homo *corruperat viam suam*, id est, violauerat legem sibi à Deo datam, non quidem legem Mosis aut aliam positiuam, quæ nulla eo tempore fuit, sed naturalem, præsertim verò quantum ad concupiscentiam carnis, & vexationem atque oppressionem proximi. Alij interpretantur illos corrupisse viam suam, quantum ad naturalem rationem coitus, scilicet, cum fœminis generandæ prolis causa. Illi enim abutebantur coitu contra naturam, facientes id quod Paul. scribit ad. Rom. 1. *Feminæ eorum immutauerũt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu feminæ exarserunt in desideriis suis inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Quinetiam putant quidam tantam fuisse turpitudinem libidinis animorumque corruptelam, vt masculi non solum cum masculis, sed etiam cum brutis miscerentur.

Lyranus. ADDIT præterea Lyranus, (id nẽpe mutuatus ex Hebræis) etiam animalia corrupisse viam suam: quippe vnius speciei animalia cum animalibus diuersarũ specierum miscebantur, quod mihi tamen non fit verisimile. Animalia enim habent naturalem propensionem ad vnum aliquid præfinitum ipsis & determinatum à natura: quo fit vt nisi ab homine vel instigata vel condocefacta, non appetant coitum eorum quæ diuersæ sunt speciei. At homo qui prædictus est intellectu & voluntate, quæ sunt vniuersalia & indeterminata principia agendi, potest variare naturalem suam propensionem, & prout sibi visum & libitum fuerit, agere. 46

VERS. 13. *Dixit Dominus ad Noë: Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.*

HÆc est postrema comminatio Dei, multò etiam grauior & vehementior prioribus. Nam primo dixerat: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum*: nihil explicans de pœna qua volebat hominem plectere. Deinde indicauit pœnam, addens: *Delebo hominem*, sed non expressit: quomodo & quando id futurum esset. Hic verò vtrumque aperit: tempus: quidem, dicens: *Finis vniuersæ carnis venit coram*, modum autem adijciens: *Disperdam eos cum terra*: scilicet immenso pœnè aquarum diluuio vniuersam terram altissimè obruens cunctaque quæ in ea erant disperdens. Nam paulò infra hoc ipsum enucleatius dicens *Ecce*, inquit, *ego inducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cœlum, vt vniuersa quæ in terra sunt consumentur.*

HORRENDVM sanè est incidere in manus Dei viuẽtis, & Deum qui diu clementissimè supplicium distulit, perseuerantia & acerbitate 47

sce-

scelerum tandem ad supremã vindictam quasi compellere. Verè horribilis est huiusmodi comminatio Dei deliberatè & asseuerenter dicentis se non amplius parciturum, sed debitis pœnis flagitia puniturum: tunc enim nullus est deprecationi, nullus miserationi locus, cùm enim mensuram quandam impleuerint peccatores, ita vt sint completæ iniquitates eorum, quemadmodum de Amorrhęis dixit Dominus: tunc nullum est diuinæ animaduersionis effugium, nec aliud supereſt nisi damnatio. Vnde & Iudæis per Ezechielem dicebat Deus, *Finis venit: &c.* & subdit: *Non parcam, nec miserebor.* & Ieremiæ dixit, *Tu noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.* Et rursus, *Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Illud: *Dixit Deus ad Noë*, apertè significat Deum locutum esse cum Noë sed quo genere locutionis sit vsus, obscurum & incertum est. Potuit enim fieri vt ea locutus sit Deus per interiorem & spiritualem locutionem, id est, per reuelationem intellectualem, quemadmodum fere loquebatur cum Prophetis, vel per apparitionem in somno, vel per
48 Angelum aliquẽ sub aspectabili forma humani corporis loquentem.

Genes. 15. *Ezech. 7.* *Ierem. 7.* *Infra. 15.*

ILLVD: *Finis vniuersæ carnis venit coram me.* Hebraismus est, hoc significans: statutum est apud me delere vniuersam carnem, vel imponere finem malitiæ hominum delendo eos, cum omnibus quæ possident, quæq; sunt super terram. Pro eo quod habet Latinus interpres *finis*, LXX. Interpretes verterũt *tẽpus*. Sed Aquila & Symmachus similiter vt noster interpres transtulerũt: ille, τέλος, id est, Finis, hic πέρας, id est, Terminus. Sed omniũ harum translationum eadem est sententia. Nam illud: *Tempus venit vniuersæ carnis*, hoc sonat: Aduenisse supremum tempus puniendi hominum scelera, nec vlterius prorogatum iri eorum vindictam.

49 ILLVD igitur: *Finis vniuersæ carnis venit coram me:* significat vel generalem omnium hominum cladem & totius terrę excidium, vt hoc loco, vel maximum hominum maximæq; partis terræ exitium. Siquidem hunc eundem sermonẽ Domini vsurpasse beatũ martyrem Euthicium, prænunciãtem ingentem cladem & innumerabiles calamitates tunc imminentes propter aduentum & sæuitiam Longobardorum, narrat B. Gregorius vltimo capite libri tertij Dialogorum. Placuit autem eius verba hic adscribere. Cum enim commemorasset de quadam visione Redempti Ferentinæ ciuitatis episcopi sibique familiarissimi, cumq; eumdem rogasset vt sibi eam visionem apertius explanaret, subdit hæc: *Aiebat ille, se quadam die, dum parochias suas ex more circuiret, peruenisse ad Ecclesiã beati Euthicij martyris, Adueſperascẽte autem die, stratum fieri sibi iuxta sepulchrum martyris voluit, atque ibi post laborem quieuit: cum nocte media, vt asserebat, nec perfectè vigilare poterat, nec dormire, sed depressus (vt solet) somno, grauabatur quoque pondere vigilans animus: atque ante eum beatus martyr Euthicius astitit, dicens, Redempte, vigilas? Cui respondit, Vigilo. Qui ait, Finis venit vniuersæ carnis, finis venit vniuersæ carnis, finis venit vniuersæ carnis. Post quam trinam*

S. Gregor. *Euthicius Martyr.*

vocem visio martyris, quæ mentis eius oculis apparebat, euanuit. Tunc vir Dei surrexit, seque in orationis lamentum dedit.

Prodigia & portenta in cælo visa ingruente Longobardorũ persecutione.

MOX *autem illa terribilia in cœlo signa secuta sunt vt hastæ, atque acies igneæ ab Aquilonis parte viderentur. Mox efferata Longobardorum gens de* 50
vagina suæ habitationis educta, in nostram cervicem grassata est, atque humanum genus quod in hac terra præ nimia multitudine quasi spicæ segetis more surrexerat, succisum aruit. Nam depopulatæ vrbes, eversa castra, concremata Ecclesia, destructa sunt monasteria virorum ac feminarũ, desolata ab hominibus prædia atque ab omni cultore destituta, in solitudine vacat terra, nullus hanc possessor inhabitat: occupauerunt bestiæ loca quæ prius multitudo hominum tenebat. Et quid in alijs mundi partibus agatur ignoro. Nã in hac terra in qua nos vivimus, finem suum mundus iam non nunciat, sed ostendit. Tanto ergo nos necesse est instantius æterna quærere, quanto à nobis cognoscimus temporalia fugisse. Despiciendus à nobis hic mũdus fuerat, etiam si blandiretur, si rebus prosperis demulceret animum: At postquam tot flagellis premitur, tanta aduersitate fatigatur, quot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud quàm me diligatur, clamat? Hæc Gregorius.

SEQVITVR *Repleta est terra iniquitate à facie eorum.* Hoc de extrema hominum eius temporis improbitate ac malitia sæpius hic repetitur atque inculcatur, quo vehementius exaggeraretur immanitas scelerum & æquitas diuinæ vindictæ tanto supplicio ea flagitia vindicantis. Illud, *Repleta est terra*, emphasim habet, hoc est, ad summum vitiorum perducta, & impleta est peccatorum mensura, vt sit quasi hic sensus: Quoniam isti homines nihil aliud sibi quàm flagitia proposuerunt, ego quoque nihil aliud mihi proposui quàm eorum cladem, vastitatem, exitium. Illud. *à facie eorum*, Hebraismus est, & idem significat atque, *ab ipsis*, sicut Septuaginta Interpretes reddiderunt, vel vt expressit paraphrasis Chaldaica, *propter mala sua opera*. Ambrosius legit: *Repleta est terra iniquitatibus suis.* 51

SED circa illa verba: *Disperdam eos cum terra*: vel vt habẽt Septuaginta: *Disperdam eos & terrã*, vel vt alij vertunt. *Disperdam eos de terra.* 52

Quomodo Deus per diluuium perdiderit terram.

quæritur quomodo Deus per diluuium terram perdidit? Sed facilè respondetur, terram non fuisse destructam quantum ad substantiam, sed quantum ad ornatum eius qui est in superficie ipsius, proueniens ex decore plantarum, & ex pulchritudine ædificiorum: vel quantum ad diminutionem suæ fertilitatis, salsis enim Oceani aquis diu tota perfusa & obruta, sterilior exinde fuit, id est, nec tam vberes, nec tam salubres fructus proferens: vel quia (vt tradunt Hebræi) superficies terræ ad trium palmorum altitudinem diluuio tabefacta consumpta, & in aquam cõuersa est. In illa verò exteriori parte terræ potissimum, vigebat germinandi vis & facultas terræ. Sed cur supplicium hoc Dei ad tertam duntaxat pertinuit, nec attigit aquam? An quia terra tantum vsque ad illud tempus infecta & contaminata fuerat hominum flagitiis? nec dum enim homines mare intrauerant, nondum inuenta fuerãt ars nauigandi: ex qua sicut multa bona extiterunt, ita propter

homi

hominum vel insatiabilem auaritiam, vel insanam dominandi cupidinem, ferinamve crudelitatẽ innumerabilia mala redundarũt. In altero autem generali iudicio & exitio mundi in consummatione seculi futuro, quod non per aquam vt hoc, sed per ignem fiet, non tantùm terra sed & aqua purificabitur propter innumera hominũ scelera vsque ad eam diem in aquis patrata.

TERTIA DISPVTATIO.

Vtrum omnes diluuio perierunt, æternis quoque inferni supplicijs damnati fuerint.

53 SED est postremo loco (quæ claudat hunc librum) grauis illa nec iniucunda cognitu, certè hunc ad locum maximè pertinens tractanda quæstio: Vtrum omnes illi qui diluuij aquis demersi corporalem vitam perdiderunt, etiam spiritalem & æternam perdiderint. Namque aliquos eorum qui diluuio perierunt, damnationem inferni euasisse, grauis auctor significat Hieronymus in Traditionib. Hebraicis in Genesim, tractans illa verba Domini quæ sunt apud Mosem cap. 6. Geneseos secundum lectionem Hebraicam. *In Hebræo*, inquit, *scriptum est: Non iudicabit Spiritus meus homines istos in sempiternũ quoniam carnes sunt. Hoc est. Quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur.* Hæc Hieronymus. Sed idem pluribus & apertioribus verbis id ipsum confirmat in primum caput prophetæ Nahum super illa verba: *Quid cogitatis contra Dominum.* Hoc modo scribens: *Si vobis videtur crudelis, vi-* *Hieronymus.* *Genes. 19. Exod. 14. Num. 26.* *gidus & cruentus, quod in diluuio genus deleuit humanum, super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphur pluit, Ægyptios demersit fluctibus, Israelitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Certe aut vera sunt quæ prophetæ loquuntur aut falsa: si vera sunt quæ de seueritate eius videntur dicere: ipsi dixerunt: Non iudicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione: si autem falsa sunt, & falsum est hoc quod dicitur: Non consurget duplex tribulatio: falsa est ergo & crudelitas quæ in lege descripta est. Quod si verum est, vt negare non poterũt, dicẽte Propheta: Non iudicabit Dominus, &c. ergo qui puniti sunt, postea non punientur: si autem illi postea punientur, scriptura mentitur, quod dicere nefas est: Receperunt ergo & qui in diluuio perierunt, & Sodomitæ, & Ægyptij, & Israelitæ in solitudine mala sua in vita sua.* Sic ex B. Hieronymo Si igitur Deus propterea illos homines temporali supplicio Diluuij punire voluit, ne sempiternis post hanc vitam eos puniret suppliciis, hinc fit credibile multos eorum hominum æterna supplicia euasisse.

VERVM

Rupertus. VERVM apertissimè hoc ipsum sentit & tradit Rupertus libro 54
quarto Commentariorum in Genesim, capite 16. his verbis scribens:
Sciendum est triforme vnius Trinitatis esse iudicium: primum videlicet quo diabolus de cœlo deiectus est: & vltimum quo idem diabolus cum suis angelis & malis hominibus in ignem æternum est mittendus: præterea medium hoc quo diluuium mundo inducitur: & hoc quidem vt tempore vel ordine, sic & qualitate medium est. Etenim primo & vltimo iudicio soli reprobi feriũtur, & soli electi seruantur: sto autem medio nec soli electi conseruãtur, nec soli reprobi suffocantur. Credendum quippe est aliquos hoc diluuio periisse: quorum eodem periculo mortis, peccatum deletum sit, iuxta quod scriptum est: Non vindicabit Deus bis in idipsum plerosque tamen ex eis, vtpote impios, ab illo temporalia aquarum diluuio ad æternũ transisse incendium, iuxta quod scriptum
Deut 32. *est: Ignis succẽsus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. De his autem qui superfuerunt tam magna Dei gratia reseruati, cùm tres tantum filij Noë fuerint, vnus reprobus extitit: & ex omnibus illis tribus maxima reproborum sylua succreuit.* Sic Rupertus.

LICET etiam hoc argumentari ex tribus propositionibus quibus 55
probatis, videtur concludi quod intenditur ab istis PRIMA PROPOSITIO, Christus post mortem suam secundum animam descendens ad inferos, iis qui inibi erant prædicauit Euangelium. Non videtur hæc propositio magna indigere probatione; cùm eam perspicuè tradat sanctus Petrus prioris Epistolæ cap. tertio illis verbis: *In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Et capite 4. eiusdem Epistolæ: *Propter hoc*, inquit, *& mortuis euangelizatum est.* Atque ea verba Petri, plurimi & grauissimi Patres de vero descensu animæ Christi ad inferos eiusque prædicatione in
Athanasius. eo loco, interpretati sunt: sicut Athanasius in libro De incarnatione Verbi, & in Tractatu aduersus Apollinarium, & in Sermone aduersus
Epiphan. omnes hæreses, & in Epistola ad Epictetum, cuius ex ea Epistola com-
Hilarius. memorat verba Epiphanius in Hæresi 77. Eadem fuit sententia Hila-
Gregorius. rij in Psal. 118. super illis verbis: *Quando consolaberis me?* & in Psal. 141.
Nazian. in Commentario eius loci: *Educ de custodia animam meam.* & Nazian-
Epiphan. zeni in Oratione de Pascha, Epiphanij in Hæresi 45. Hieronymi su-
Hieronymus. per illis verbis Zachariæ capit. 9. *Tu quoq; in sanguine testamenti tui, &c.*
Cyrillus. & super illud Oseæ cap. 13, *Morsus tuus ero inferne.* Cyrilli in libro De
Damasceni. Recta fide ad Theodosium, & in libro 12. in Ioan. cap. 36. Damasceni libro tertio De Fide Orthodoxa, cap. 29. & in Sermone: Quod vita defuncti & sacris operationibus & viuorum beneficiis iuuentur, vt alios quàmplurimos his recentiores in præsentia omittam.

Prædicatio Christi apud inferos vtilis. ALTERA PROPOSITIO. Prædicatio Christi apud inferos 56
Beda ex Hilario. fructuosa fuit, & profuit iis qui eam audierunt, si non omnibus, mul-
Epiphan. tis tamen: profuit, inquam, ad liberationem eorum ex inferno. Sententiam huius propositionis Beda in commentario illius loci Petri attribuit Hilario: nam etsi nomen eius tacet, verba tamen quæ inibi,

memo-

memorat, Hilarij sunt super Psalmum 118. Epiphanius certè non videtur id abnuere in hæresi 46. ita scribens: *Venit Christus in mundum, & descendit in infernum, vt iis quidē qui olim ipsum cognouerūt, & ab ipsius Deitate non aberrauerunt, verum propter errores in inferno detēti sunt, indulgentiam largiretur: his quidem qui in mūdo sunt per pœnitentiā, his verò qui in inferno, per misericordiam.* Nec ab ea sententia videtur abhorruisse auctor Commentariorum in Epistolas Pauli, qui vulgo nominatur & putatur Ambrosius. Nam in 10. Caput Epistolæ ad Romanos super illa verba: *Quis descendet in abyssum? Omnis* inquit, *quicumque viso Saluatore apud inferos sperauit de illo salutem, liberatus est, Petro id testante, cum dixit: Propter quod & mortuis euangelizatum est.* Similia idem auctor scribit explanans illa Pauli verba quæ sunt in Epistola eius ad Ephesios capite quarto: *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit &c. Triumphato,* inquit, *Diabolo descendit Christus in cor terræ, vt ostensio eius prædicatio esset mortuorum, & quotquot eius cupidi essent, liberarentur.* *Ambros.* *1. Pe. 4.*

57 B. AVGVSTINVS ex eo quod Petrus dixit Actorum secundo Christum solutis doloribus inferni suscitatum esse à Deo, argumentatur, Christum, cùm eius anima descendit ad inferos, nonnullos eorum qui cruciatibus inferni torquebantur, liberasse. Verba Augustini in libro 12. De Genesi ad litteram capite 33. hæc sunt: *Christi animam venisse vsque ad ea loca in quibus peccatores cruciātur, vt eos solueret à tormētis, quos esse soluēdos occulta sua iustitia iudicabat, non immerito creditur. Quomodo enim aliter accipiendū sit quod dictum est: Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferorum, non video, nisi vt quorūdam dolores apud inferos eū soluisse accipiamus ea potestate qua Dominus est, & cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & inferorum: per quam potestatē etiam illis doloribus quos soluit, teneri non potuit,* sic Augustinus. Peccatores autem qui cruciantur in inferno, non alios intelligere licet quam pœnis inferni damnatos: & horum tamen nonnullos putat Augustinus à Christo esse liberatos. *Augustin.* *Philip. 2.*

58 TERTIA PROPOSITIO Prædicatio Christi apud inferos cum alijs profuit, tum præcipuè multis eorum qui Noëtico diluuio interierunt. Hæc propositio fidem capit ex confirmatione superiorum. Nam si prædicatio Christi apud inferos profuit his qui eam audierunt; ea verò prædicatio præcipuè facta est ad eos qui perierunt diluuio (si quidem hos tantum nominatim memorat Petrus quibus apud inferos Christus prædicauit) hinc efficitur, prædicationem Christi multis eorum qui diluuij aquis demersi sunt profuisse. Lyrano certè sit admodum probabile, nonnullos eorum hominum qui prius non crediderunt Noë venturum diluuium prænuncianti, posteà ingruente atque incipiente diluuio credidisse & pœnitentiam egisse, eoque dignos fuisse vt Christo ad inferos descendente inde liberarentur: non quidem ex inferno damnatorum (quippe qui instante morte pœnitentiam egerant) sed ex limbo patrum. Si quis obijciat, *Christi prædicatio apud inferos an præcipuè profuit illis qui Noëtico diluuio interierunt.* *Lyranus.*

diluuium repente & ex improuiso aduenisse : nam vt dixit Dominus Luc. 17. *Quando edebant & bibebant, venit diluuium, & perdidit omnes:* Respondet ad hoc Lyranus, principium diluuij fuisse repentinum & improuisum, & subito occupasse valles & plana terræ, non tamen montes : quocirca qui in excelsis locis habitabant, non eos statim obruit diluuium : quippe incrementum eius, vt narrat scriptura, quadraginta dies & quadraginta noctes durauit.

Genes. c. 7.

Caietanus.

CAIETANVS denique magna asseueratione idem prodidit verba illa Petri in suis commentarijs exponens: *Ex eo*, inquit, Caietanus, *quod tantum meminit Petrus eorum qui increduli fuerunt tempore Noë, significatur ipsum non esse locutum de prædicatione Christi, qua his manifestauit apud inferos seipsum esse Messiam & conuicit tã Dæmones, quàm incredulos homines: huiusmodi enim prædicatio communis fuit omnibus apud inferos, hæc autem de qua loquitur Petrus, peculiaris describitur his qui fuerunt tempore Noë, vnde insinuatur eam prædicationem fuisse fructuosam. Et ad hoc faciunt verba illa: Quando expectabatur Dei longanimitas: vt hinc intelligamus, illos nõ fuisse incredulos simpliciter, id est, sine vera Dei fide, sed fuisse incredulos Noë dicẽti diluuium imminere: cum hac autem incredulitate expectasse Dei longanimitatẽ, hoc est, confisos Dei longanimitate putasse non venturum vniuersale diluuium.* Hæc Caietanus. Atque hæc ferè sunt quibus fides astrui possit eorum opinioni, qui putant non omnes qui periere diluuio, inferni pœnis damnatos esse: sed nonnullos eorum incipiente diluuio conuersos esse ad Deum, & suorum scelerum pœnitentes, ea per illud diluuij supplicium patienter ab ipsis susceptum expiasse: aut si omnes illi decesserunt impœnitentes, postea tamẽ Christo in infernum descendenti & prædicanti credentes, inde per infinitam Christi potentiam & misericordiam esse liberatos.

60

1. Pet. 3.

Omnes qui perierunt diluuio æternæ damnationis fuisse reos.

AT ENIM VERO perparum hæc sententia meo iudicio probabilitatis habet. Etenim tribus modis fingi potest, multos eorum qui diluuio interierunt, non esse supplicijs inferni damnatos: aut quia, licet plerique eorum ac fermè omnes improbi essent, nonnulli tamen viri erant probi ac iusti: sed quia hi erant pauciſſimi, sceleratorum autem hominum innumerabilis erat turba, idcirco diuina scriptura more suo generaliter locuta est, dicens omnes illius temporis homines nequissimos ac sceleratissimos fuisse. Aut dici posset, licet prius omnes fuerint improbi, ad extremum tamen ingruente diluuio, horribili eius aspectu commotos esse ad pœnitentiam & tum propter pœnitentiam ab illis ritè actam, tum propter potentiam qua illam calamitatem vt flagitijs suis meritam debitamque susceperunt ac pertulerunt, æternæ mortis damnationem euasisse. Aut denique illud quoque fingere licet, etsi omnes illi in diluuio infecti peccatis, & obnoxij æternæ damnationi sint mortui, posteà tamen Christo ad inferos descendente ac prædicante, prædicationem ac fidem eius amplexatos, æternæ salutis fuisse participes. His igitur tribus modis fingi potest, aliquos eorum qui diluuio perierunt, secundum animam

61

saluos

saluos fuisse. Sed nihil horum trium aut verum est, aut etiam verisimile: ergo opinio illa vt planè improbabilis abiicienda est.

62 Ac primò quidem cum venit diluuium, non fuisse in terris præter Noë & familiam eius alios viros iustos, tripliciter cõfirmatur. Sed præmonendus est lector, remoueri ab hac disputatione infantes, nec ad præsens nisi de adultis qui ratione iam & libero arbitrio fungebantur, disputari. Nam si quid fuit etiam ante diluuium simile quodammodo Christiani baptismi, aut Iudaicæ circumcisionis, per cuius ad infantes applicationem, siue per fidem ea re adumbratam atque testatam mundarentur infantes à peccato originali (quod iam pridem in Theologorum scholis receptum & probatum video) simillimum vero est multos de infantibus qui periere diluuio (vt qui liberati essent à peccato originali) fuisse saluos. Plurimi enim erant filij posterorum Seth, qui etsi à maiorum suorum probitate ac pietate multum degenerauerant, eoque diluuij exitio comprehensi sunt, antiqua tamen ratione, rituque purgandi infantes à peccato originali, à maioribus suis religiosè custodita: eos in suis purificandis infantibus esse vsos minimè dubitandum est. De solis igitur adultis hæc suscepta est disputatio.

63 Quod autem præter Noë & qui in Arca seruati sunt non fuerint alij eo tempore innocentes ac iusti, satis apertè ostendit scriptura capite sexto libri Geneseos, narrans fuisse communem omnium eius seculi hominum malitiam, solumque Noë inuentum fuisse iustum: generaliter enim ait, tunc cunctam cogitationem humani cordis intentam fuisse ad malum omni tempore, & quod *omnis caro corruperat viam suam*, & hanc vnã causam reddit cur vniuersum genus hominũ Deus voluerit delere diluuio, quod omnes nequissimi & sceleratissimi essẽt, Generales verò huiusmodi sententias scripturæ, adhibitis exceptionibus restringere & coarctare non licet, nisi cùm eiusmodi exceptiones ex aliis scripturæ locis elici possunt: aut cùm ratio docet opus esse talibus exceptionibus, quod sine illis generales scripturæ sententias, si omnino generaliter acciperentur, aliquid manifestè falsum vel absurdum consequeretur. *Non fuisse tẽpore Diluuij aliquos iustos præter eos qui seruati sunt in Arca*

Regula 33.

64 Deinde si alij fuissent homines iusti, illi quoque similiter vt Noë seruati essent à diluuio: hanc enim scriptura reddit causam cur Deus alios omnes homines perdiderit, Noë autem seruauerit, quod illi essent improbi, hic verò iustus. Et verò, consentaneum rationi est, quod Abraham dixit Deo, *Non est hoc tuum, Domine, qui iudicas omnem terrã, vt occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius.* Gen. 17. Denique hoc etiam firmatur auctoritate B. Augustini, qui in lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 24. scribit, singulari consilio & prouidentia Dei factum esse, vt quo tempore diluuium euenit, eo tempore nullus superesset præter Noë vir iustus, quique non esset dignus diluuij supplicio puniri., *Nec frustra*, inquit Augustinus, *creditur sic factum esse diluuium, iam non inuentis in terra qui non erant digni tali morte defungi, qua in impios vindicatum est.* August.

Sine causa dici multos eorum qui perierant diluuio extrema vita sua esse cõuersos ad Deum.

ALTER verò modus supradictam opinionem defendendi, mihi 65 quidem certè perquam infirmus videtur. Dicunt isti, omnes illius seculi homines prius quidem fuisse improbos: sed ad extremum, scilicet incipiente iam diluuio, se ad Deum conuertisse, & pœnitentiam egisse, eaque ratione saluos esse factos. At enim si hoc isti vel aliquo scripturæ testimonio, vel nobilium Doctorum auctoritate, vel firmis rationibus aut coniectutis probarent, haberent sanè fidem, nec reclamantibus nobis diceretur: Cum autem nihil horum afferant isti, ad id probandum, quis non videt gratis & temerè id ab ipsis dici, & planè figmentum esse? Omnino cum quæstio incidit, (vt aiunt), de facto, id est cùm quæritur vtrum aliquid factum sit necne, non satis est demonstrare id fieri potuisse: multa enim fieri possunt quæ nunquam facta sunt, & multa certo aliquo tẽpore & loco & à certis personis facta sunt, quæ non alio quolibet tempore & loco nec à quibuslibet aliis personis facta esse ostendi potest. Oportet igitur vt quod aliquo tempore vel loco factum esse dicitur, id eo tempore & loco factum esse, grauibus testimoniis aut probabilibus argumentis confirmetur. Nam si lubet isto modo fingere, simili ratione fingere licebit multos de Sodomitis cœlesti igne consumptis esse saluos, quod illi dum igni pluere cernerent, iamque incendio corriperentur ipsi, resipuerint, & pœnitentiam egerint. Idem quoque finget aliquis de Ægyptis mari Rubro demersis, necnon & de iis quos vna cum Dathan & Abiron dehiscens terra viuos absorbuit. Scitè dixit Aristoteles: Indecorum esse Philosopho quicquam in Philosophia sine ratione opinari, nedum affirmare: Et ego indignum esse Theologo & graui sacrarum litterarum tractatori dixerim, opiniones quæ nihil per se habent probabilitatis adamare, & suo patrocinio defendẽdas suscipere. Quamquam ergo pium animi sensum eorum qui aliquos de iis qui perierunt diluuio saluos fuisse putant, minimè damno: sed quod magis rationi & doctrinæ sacrarum literarum sit consentaneum, id nunc inquiro, & perpendo.

Exõdi 14. Nume. 16. Aristo. lib 8. Phys. tex. 15.

RESTAT tertius modus eandem sententiam exponendi, atque 66 propugnandi: qui quoniã perplexior est quàm superiores, longiorem in eo tractando & refutando, ponere orationem necesse est. Aiunt igitur quidam omnes qui diluuio interierunt, fuisse improbos & in flagitiis suis ad extremum vsque spiritum permansisse, eóque inferni supplicijs fuisse addictos: sed posteà tamen Christo apud inferos prædicanti credidisse, & per eius misericordiam atque indulgentiam participes æternæ salutis esse factos. Hanc ego sententiam quo fortius oppugnem ac demoliar, & planè falsam esse peruincam, faciendum mihi esse duxi vt generatim doceam, & grauissimis testimoniis validisque rationibus probẽ, per Christi ad inferos descensum, ex iis qui tartareis pœnis damnati erant, nullum fuisse liberatum.

HOC nempe B. Gregorius & Venerabilis Beda tanquam certum 67 Ecclesiæ & disciplinæ Catholicæ dogma tradiderunt, Scribens enim B. Gregorius

Gregorius ad Georgium presbyterum & Theodorum diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ (est autem Epistola hæc Gregorij in libro sexto Epistolarum num. 179.) Sic ait: *Post discessum vestrum, dilectissimis filijs meis diaconius narrantibus agnoui, quod dilectio vestra dixisset omnipotentem dominum Saluatorem nostrum Iesum Christum ad inferos descendentem, omnes qui illic confiterentur eum Deum, soluisse atque à pœnis debitis liberasse. De qua re volo vt fraternitas vestra longè aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos solos per suam gratiam liberauit, qui eum & venturum esse crediderant, & præcepta eius viuendo tenuerant. Constat autẽ quia post incarnationem Domini nullus ex his etiam saluari potest qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent: quia scriptum est: Confitentur se nosse Deum, factis autem negãt: & Ioannes ait, Qui dicit qua nouit eum, & mãdata eius non custodit, mendax est: Iacobus quoque frater Domini scribit, dicens: Fides sine operibus mortua est. Si ergo fideles nunc sine operibus bonis non saluãtur, & infideles ac reprobi sine bona actione Domino ad inferos descẽdente saluati sunt: melior illorũ sors fuit qui incarnationem Domini minimè viderũt, quàm horum qui post incarnationis eius mysteriũ nati sunt. Quod quantæ fatuitatis sit dicere, ipse Dominus testatur discipulis dicẽs: Multi reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Sed ne dilectionem vestram in mea disputatione immorer: quid de hac hæresi Philaster in libro quem de Hæresibus scripsit, dixerit, cognoscat. Cuius hæc verba sunt: Sunt hæretici qui dicunt Dominum in infernum descendisse, & omnibus post mortem etiam ibidem se nunciasse, vt confitentes ibidem saluarentur: cum hoc sit contrarium dicenti propheta Dauid: In inferno autem quis confitebitur tibi? & Apostolus. Quotquot sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: Cuius verbis beatus quoque Augustinus in eo libro concordat quẽ de Hæresibus scripsit: Hæc itaque omnia pertractantes nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per catholicam Ecclesiam docet: quia descẽdens ad inferos Dominus illo solũmodo ab inferni claustris eripuit, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruauit. Quod enim per Euangelium dicit: Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum, omnia, videlicet electa: nam trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se à Deo male viuendo separauit.* Hæc Gregorius.

Neminem eorum qui supplicio inferni dãnatierant, fuisse per Christi descẽsum ad inferos liberatũ.

Tit. 2.

1. Ioan. 2.

Iaco. 2.

Matth. 13.

Philaster.

Psal. 6.

Rom. 2.

Augusti. lib. de Hæresib. nu. 79.

Ioan. 11.

68 BEDA verò in Commentariis suis super illum Petri locum, cùm commemorasset sentẽtiam cuiusdam auctoris (significat autem Hilarium, vt supra diximus) dicentis Christum apud inferos etiam incredulis prædicasse exhortationem & consolationem, subiungit hæc: *Et hæc ille dixerit: Sed Catholica fides habet, quia descendens ad inferna Dominus, non incredulos inde, sed fideles tantummodo suos educens, ad cœlestia secum regna perduxerit: neque exutis corpore animabus, & inferorum carcere inclusis, sed in hac vita vel per se ipsum, vel per per suorum exempla, siue verba fidelium quotidie viam vitæ demonstrat.* Sic Beda.

Beda.

Damascen.

69 DAMASCENVS libro tertio De Fide Orthodoxa, cap. 29. *Descendit*, inquit, *in inferna Christi anima deificata, vt quemadmodum ijs qui erãt in terra, iustitiæ sol ortus est. sic & eis qui sub terra in tenebris & in vmbra*

mortis sedebant, lux fulgeret & vt quemadmodum in terra euangelizauerat pacem, captiuis remissionem, cœcis visum, & his qui crediderũ factus est cau-
Heb. 5. *sa salutis aternæ, incredulis auctè infidelitatis improperium & redargutio: sic*
& his qui in inferno: vt ipsi omne genu flectatur, cœlestium terrestrium &
Philip. 2. *infernorum.* Quibus verbis significat Damascenus, prædicationem Christi non omnibus qui inferno erant profuisse, sed fidelibus tantum: infidelibus autem potius fuisse exprobrationem & confusionem.

Oecumen. OECVMENIVS autem in Commentariis suis explanans illum Petri locum (ex quo loco & huius disputationis tractandæ capta est occasio, & eius explicandæ magna ex parte difficultas existit) ait Christum apud inferos prædicasse, sed eos tantum inde eduxisse, qui ante aduentum eius ita iustè piéque vixerant, vt sine dubio crediturí fuissẽt Christo, si eorum tempore Christus ad ipsos venisset. Nec sanè putandum est Oecumenium ita loqui de istis vt de impiis Tyriis & Sodomitis loquitur Dominus Matth. 11. dicens eos, si talia vidissent miracula qualia viderant Iudæi, crediturosque & pœnitentiam acturos fuisse: neque enim hi fide futuræ Christi incarnationis, nec bonis moribus ita se præparauerant, vt idonei ac digni essent venientem Christum recipere: sed de iis qui crediderunt Christum venturum, & ita vixerant, vt si eorum tempore venisset Christus, eum Messiam crediturí fuerint. 70

Gregor. Nazianzenus. ET huius sententiæ facit Oecumenius etiam Gregorium Nazianzenum: cuius verba in Oratione secunda de sancto Paschate secundum translationem Billij sic habent: *Sin in infernum Christus descendat, simul descẽde. Ea quoque mysteria cognosce, quę Christus illis designauit: quod duplicis descensus cõsilium, quæ ratio fuerit, vtrum omnes sine vlla exceptione aduentu suos saluos fecerit, an illic quoque eos dũtaxat qui crediderunt?* Hæc Nazianzenus, cuius illud extremum (*qui crediderunt*) pro eo accepit Oecumenius, quod est (qui credidissent) id est, qui sic in tertis vixerant, vt si Christus eorum tempore venisset & eis prædicasset, haud dubiè crediturí fuissent. 71

Nicetas. Nicetas autem in suo scolio super illa verba Nazianzeni, ad contrariam magis sententiam Nazianzeni verba deflectis, ita scribens: *Chrysostomus ipse affirmat nemine in inferno à Christo salutẽ accepisse, nisi qui salute dignus esset cum ex hac vita decessisset. Sed fortasse,* inquit, *qui tunc in inferno crediderunt, salute digni habiti sunt. Cuiusmodi quiddam de Ethnico Platone in Patrum historijs circumfertur eum prædicanti Christo apud inferos ex fidelibus, primum omnium credidisse: sed hoc verum sic nec ne, lectoris iudicio est relinquendum.* Sic Nicetas. Ipse etiam Billius in hanc propensus opinionem, eodem inclinat Nazianzenum. Nam in quidam nota, quam post Nicetæ præditum scolium subiicit: *Videtur,* inquit, *Nazianzenus illis verbis alludere ad id quod ait Petrus prioris Epistolæ suæ capite tertio, Christum his qui in carcere erant prædicasse. Ex quo loco suspicatur Nazianzenus, Christum ita cum ipsis egisse, vt eos qui ad ipsius aduentum fidem eius amplexi sunt, in cœlum duxerit: eos vere qui fidem ipsi habere noluerunt, in pœnis reliquerit.* Hæc Billius:

Chrysost.

Billius interpres Nazianzeni.

SED

SED ne hoc lector ignoret, monendus est in supradictis Nazianzeni verbis pro eo quod Billius vertit qui (*crediderunt*) Græcè apud Nazianzenum non esse πιστεύσαντας, quod sonat, qui crediderunt, sed esse participium præsentis temporis πιστεύοντας, significans credentes, aut quia vim habet interdum præteriti imperfecti, eos qui credebant, nisi forte illud (*credentes*) vicem gerat nominis, idem significans atque, fideles, seu fide imbutos & præditos: & secundum hanc interpretationem plana esset verborum Nazianzeni sententia. Cum enim apud inferos duo essent genera hominum, alterum fidelium, qui cum recta & viua fide ex hac vita migrauerant: alterum infidelium: Christus in infernum descendens fideles inde liberauit, infideles autem ibi dereliquit.

72 BEATVS porrò Augustinus in Epistola 99. quam scripsit ad Euodium, hanc ipsam versans quæstionem, peruariè disputat: & licet multa in dubio relinquat, attamen illud denique sine dubitatione videtur affirmare Christum descendisse ad inferos, & doloribus inferni solutos aliquos inde liberasse, nec eos fuisse sanctissimos illos Patriarchas, Abraham, Isaac, Iacob, Mosem, Dauidem, hos enim in doloribus inferni fuisse, respuit animus credere. Si enim pauper ille Lazarus post mortem ab Angelis in sinum Abrahæ, id est, in locum quietis & iucunditatis plenissimum deductus & receptus est: quanto verius creditu est, præstantissimos illos Patriarchas ab omni dolore vacuos, & in summa pace & tranquillitate fuisse constitutos? Adscribam hic verba Augustini: *Sed quia*, inquit, *euidentia testimonia scripturæ & Christum ad inferos descendisse, & dolores inferni soluisse cõmemorant, nulla causa occurrit cur illo credatur veniſſe Saluator, nisi vt ab eius doloribus saluos faceret: sed vtrum omnes quos in eis inuenit, an quosdam quos illo beneficio diguos iudicauit, adhuc requiro. Fuisse tamen eum apud inferos, & in eorum doloribus constitutis hoc beneficium præstitisse non dubito. Vnde illis iustis qui in sinu Abrahæ erant cùm ille in inferna descenderet, nondum qui contulisset inueni, à quibus eum secundum beatificã præsentiam suæ diuinitatis nunquam video recessisse. Nam in Paradiso atque sinu Abrahæ, etiam ante iam erat beatificante sapientia, & apud inferos iudicante potentia. Vbi enim non est, nullo loco obsessa diuinitas?* Hæc Augustinus. *Augustinus.* *Luc. 15.*

73 IN his autem Augustini verbis duo sanè videntur animaduersione digna, Alterum est, quod Augustinus non audet statuere qui fuerint illi qui doloribus inferni à Christo soluti sunt: negat fuisse eos qui erant in sinu Abrahæ, scilicet illi ab omni dolore & cruciatu liberi erant: eos autem qui tartareis cum diabolo cruciantibus torquebantur, fuisse à Christo solutos, non audet dicere Augustinus. Verum erant alij inter hos quasi interiecti & medij quos asseueranter dicere possumus fuisse doloribus inferni à Christo exolutos: eos dico qui purgatorio igne ad tempus cruciabantur: vt ab omni labe peccati penitus expiati ac purificati, inde ad quietas sanctorum sedes, siue Abrahæ sinum transirent. Alterum verò in verbis Augustini

gustini dignum obseruatione est, iustos qui erant in sinu Abrahæ, fuisse ante Christi aduentum per diuinitatis eius præsentiam beatificatos: quod equidem interpretor non de plena & perfecta beatitudine, quæ in clara Dei visione consistit, (hanc enim nulli mortalium contigisse ante Christi aduentum merito creditur) sed de quietissima quadam & iucundissima vita & beatitudine, tanta nempe, quantam maximam homini in eo statu versanti, citra illam cœlestem & diuinam beatitudinem concedi fas est.

SED enim, nec his, quæ dixerat, planè acquiescens Augustinus, eo tandem disputando, delabitur, vt locum illum Petri interpretandum putet non de prædicatione Christi apud inferos facta, sed de ea quam ipse vel per seipsum, cum homo in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, aut ante suum in terras aduentum, etiam ante diluuium, per prophetas suos, verbique sui præcones, qui nulla mundi ætate nulli fuerunt, fecit fierive mandauit. Hanc verò interpretationem eo probabiliorem indicauit Augustinus, quòd secundum eam non cogeretur ipse fateri per Christi ad inferos descensum fuisse aliquos pœnis infernalibus absolutos, quod vt crederet, ægrè in animum inducere poterat. Sic autē scribit Augustinus: *Considera ne forte totum illud quod de conclusis in carcere spiritibus qui in diebus Noë nō crediderant, Petrus dicit, omnino ad inferos non pertineat, sed ad illa potius tempora, quorum formam ad hæc tempora transtulit. Illa quippe res gesta, forma fuerat futurorum, vt ij qui modo non credunt Euangelio, dum in omnibus gentibus ædificatur Ecclesia, illis intelligātur esse similes qui tunc non crediderunt, cum fabricaretur arca. Illi autem qui crediderunt per baptismum & salui fiunt illis comparentur, qui tunc in eadem arca salui facti sunt per aquam. Vnde ait: Sic & vos simili forma baptisma saluos facit. Ad hāc igitur formę similitudinē cetera etiam de incredulis coaptemus, & non suspicemur quod apud inferos ad faciendos fideles atque liberandos, Euangelium prædicatum sit, vel adhuc etiā prædicetur quasi & ibi sit Ecclesia constituta.* Hæc Augustinus. Verum de Patrum testimonijs, quibus probandum suscepera mus neminem eorum quæ supplicijs inferni damnati erant, fuisse per Christi ad inferos descensum inde liberatum, quæ adhuc memorauimus, ea lectori satis esse possunt. 75. Baruch. 3.

Probatur rationib. neminē damnatorum inferni supplicijs, cū Christus descēdit ad inferos fuisse ab eo litteratum.

SEQVITVR vt idem (quemadmodum suprà secundo loco positum est) nonnullis rationibus confirmemus, quanquam argumentari, quod per se satis pateat & sit euidens, videri fortasse cuipiam possit superuacaneum. Omnino, illud vehementer labefactat eorum qui contra sentiunt opinionem, quod necesse sit istos dicere, Christum apud inferos vel prædicasse tantum his qui fuerant increduli tempore Noë, vel prædicare omnibus qui suppliciis inferni plectebantur: at nulla potest reddi probabilis ratio cur illis duntaxat qui fuerant tempore Noë, prædicasse Euangelium, & salutem impertire Christus voluerit, omissis alijs innumerabilibus, qui nec impietate nec improbitate illos superauerant. Sin autem prædicauit Christus Dominus 76.

nus omnibus carcere inferni incluſis ac damnatis, aut dedit illis ſufficiens auxilium quo ad Deum conuerti poſſent, aut non dedit: ſi non dedit: fruſtra illis prædicauit, & ſine vllo prorſus effectu, nam ſine Dei auxilio non ſolum illi qui in malo erant obfirmati, ſed nec ij qui ſunt in hac vita ad bonum atque ad malum flexibiles, adduci ad pœnitentiam & ſalutem vllo modo poſſunt. Quod ſi dicant fuiſſe à Chriſto datum illis omnibus auxilium ſufficiens ad conuerſionem: quomodo non omnes illi fuere ad Deum conuerſi? Quamobrem deuoluentur iſti vel inuiti ad hæreſim quam narrant & condemnant Philaſter & B. Auguſtinus in libro de Hæreſibus, numero 79. eorum qui magnificantes Chriſti indulgentiam dicebant per eius ad inferos deſcenſum omnes qui inibi erant, eductos & liberatos.

77 QVOD autem, ſi omnibus qui erant in inferno, datum fuiſſet auxilium ſufficiens, omnes crediturí fuiſſent, hinc videtur colligi: etenim duæ res concurrebant, quæ illos ad conuerſionem omnino mouerent & adducerent; altera, quod tam optabilem tamq; inſperatam ex illis pœnis emergendi occaſionem ſibi oblatam, facultatemq; à Chriſto datam cupidiſſimè omnes arripuiſſent & amplexati eſſent: altera, quod vt penitus crederent vera & certa eſſe Chriſti dicta & promiſſa, efficiebat & planè perſuadebat inuſitatus & admirandus Chriſti in ea loca deſcenſus, eiusq; incomparabilis maieſtas in illis tartareis tenebris ſupra ſolis ſplendorem fulgens, poteſtas denique atque imperium quod Chriſtus habere ſe in omnes dæmones præ ſe ferebat.

78 DEINDE ſi liberauit in inferno aliquos homines, cur non etiam aliquos dæmones? par enim vtrorũque cõditio & cauſa eſt, ſiquidem ambo æquè in malitia & odio Dei ſunt obdurati, ambo æternis inferni ſuppliciis damnati & mãcipati ſunt. Quinimo id magis declaraſſet potentiam Chriſti & efficaciam paſſionis eius, ſi Dęmonũ etiam, non tantum hominũ redemptor fuiſſet atq; ea ratione manifeſtũ fuiſſet latius patuiſſe & vberiorẽ atq; efficaciorem fuiſſe Chriſti gratiam quàm peccatum Adæ: hoc enim homines tantum perdidit, illa verò & homines & Angelos perditos ſeruaſſet atq; liberaſſet. Si hæc autem vrdent. r vt ſunt, planè incredibilia & abſurda, illud quoque iudicari debet abſurdum, quod caput & fons eſt huius abſurditatis, per Chriſti ad inferos deſcenſum aliquos reproborum inferni ſuppliciis eſſe abſolutos. Nec ad huius rei confirmationem id non facit, quod in libro Eccleſiaſtici capit. 24. prædictum eſt de Sapientia diuina, id eſt, de Chriſto ad inferos deſcenſuro, & eos tantum qui inibi ſperabãt in ipſum, illuminaturo: *Penetrabo*, inquit, *omnes inferiores partes terræ: & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* *Rom. 5.* *Eccliaſti. 24.*

79 CETERVM quatuor huic noſtræ opinioni ſacrarum litterarum ſententiæ videntur contradicere. Quare perficiendum recta earum interpretatione eſt, vt nullo modo aduerſari nobis videantur. Prima ſententia eſt apud Nahum Prophetam capite primo, quæ iuxta tranſ-

lationem Septuaginta interpretum sic habet: *Non vindicabit bis in idipsum in tribulatione*: pro quo vertit Symmachus: *Non sustinebunt impetum secundæ angustiæ*: Theodotio habet sicut nostra versio, *Non consurget duplex tribulatio*: Pagninus reddidit: *Non consurget bis angustia*. Si Deus, inquiunt, non punit bis idem peccatum, ergo peccatorem pro peccato suo in hac vita punitum, non iterum Deus post mortem puniet: quapropter quorum peccata Deus diluuij exitio vindicauit, ea post post mortem æternis inferni pœnis nequaquam puniuit. 80

Explicatur locus Nahum Prophetæ capite primo.

SED hoc testimonium nihil planè opinioni nostræ officere, duplici responsione ostendemus. Ac primò quidem respondemus, illius sententiæ Nahum, longè diuersum quàm isti volunt esse intellectum: Loquitur ibi Propheta Niniuitis, aduersus quos præcipuè illud edidit vaticinium, & minatur eis extremum supplicium, dicens Deum vno & extremo supplicio eos puniturum, ita vt non sit opus futuro alio supplicio ad eos puniendos: quia semel puniti, omnino perdentur, consumentur, ac delebuntur. Talis enim est futura eorum vindicta: vt altera non sit opus. Hanc intelligentiam & verba ipsa clarissimè reddunt, & contextus ipse antecedentium & consequen- 81

Theodoretus.

tium verborum eandem confirmat. Accedit auctoritas Theodoreti & Theophylacti ad eundem modum verba illa explanantium. Theodoretus quidem in Commentariis eius Prophetæ super ea ipsa verba: *Adeo*, inquit, *acerbum & exaggeratũ de vobis Deus capiet supplicium,*

Theophylac.

vt non opus sit in vos secundam plagam inferri: Theophylactus autem super eundem locum ita scribit: *Talis est*, inquit, *potentia Dei vt si aliquem punire pro meritis velit, hoc ipsum simul cumulatè vna plaga perficiat, nec altera vindicta opus habeat, semel omnino ipsum conficiens atque consumens.* Vides lector, illam Nahum sententiam, si vt oportet intelligatur, id est, prout à nobis exposita est, nihil contra nos facere?

SED fac, illorum verborum Prophetæ eam quam isti volunt esse 82 sententiam: sane nihilo magis illa nobis aduersabitur. Esto, significetur illis verbis peccatorem propter idem peccatum non puniri bis à Deo, hoc est, tam in hac vita, quam post mortem. Sed quæramus ex istis, vtrum id velint intelligi de peccatore suorum peccatorum verè pœnitenti, an de eo qui prorsus impœnitens ex hac vita decedit. Si dicant intelligendum esse de peccatore pœnitenti, equidem assentior ipsis: namque peccatori suorum scelerum, vt oportet, pœnitenti, æterna supplicia peccatis eius merita & debita remittuntur, & commutantur cum pœnis temporalibus, vel in hac vita vel post mortem persoluendis: Verum, hoc nihil iuuat causam eorum qui diluuio interierunt, illos enim mortuos esse impœnitentes, tanquam similius vero suprà ostendimus. Sin autem isti contendant, illud Prophetæ dictum etiam de impœnitente peccatore intelligi posse, non solum illis non assentior, sed vehementer repugno. Cùm enim peccatum mortale per se ac secundum legem diuinæ iustitiæ mereatur æternam pœnam, quomodo id, si solo temporali supplicio puniatur, erit, vt

oportet

oportet, & vt postulat Dei iustitia, punitum? Quare fateri necesse esse præter supplicium temporale peccatoris impœnitentis, manere ipsam æternam pœnam per se respondentem & debitam merito peccatorum eius. Nam si solo temporali supplicio peccatum mortale, pro eo ac debet, punitum esset, nulli profecto mortali peccato æterna pœna deberetur: quocirca delaberemur in absurdam & iam pridem ab Ecclesia Catholica explosam atque damnatam opinionem Origenis, arbitrantis omnes reprobos qui tartareis supplicijs torquentur, etiam ipsum Diabolum, aliquando tandem absolutum & liberatum iri, cui tamen apertissimè diuina scriptura contradicit, clamans ignem inferni & combustionem eius esse inextinguibilem & æternam, & quemadmodum bonorum præmia, ita reproborum supplicia fore sempiterna. *Error Origenis.* *Matth. 25.*

83 LVBET hanc nostram interpretationem illius sentẽtię Nahum, confirmare Ruperti auctoritate, qui ad eundem modum illam sententiam exponit in libro tertio Commentariorum in Genesim, capite septimo, ita scribens: *Volum quidam peccatum Cain, morte corporis fuisse deletum, pro eo quod scriptũ est: Non vindicabit Deus bis in idipsum: sed hæc ratio quàm infirma sit, & ipsa fides scit, & ipsa Patrum sententia diligentior euidenter adstruit. Hoc enim dictum de illis accipi conuenit, quorum vel ante pœnam, vel in ipsa pœna confessionem Deus accipit: & idcirco post eandem pœnam tẽporalem, non illis æternam superadijcit: vt verbi gratia latroni qui in Cruce confessus est, non iniustè Dominus aperuit Paradisum: quia non vindicabit Deus bis in idipsum. Nam alter latro, de temporali ad æternum transuectus est supplicium. De quo etiam rectè dicas, quia nec in illo vindicabit Deus bis in idipsum. Nam esse vna vindicta benè dicitur, quæ hic incœpta, perficiuntur in sempiternum.* Hæc Rupertus. *Rupertus.* *Luc. 23.*

84 ALTERA sententia est B. Petri, quã refert Lucas in Actis Apost. cap. 2. Dixit Petrus, Christum fuisse à mortuis suscitatum solutis doloribus inferni: quibus verbis significatur, eos qui doloribus inferni tenebantur, fuisse illis per Christum absolutos atque liberatos. Et hos B. Aug. li. 12. de Genesi ad litteram, cap. 33. dicit fuisse peccatores qui cruciatibus inferni torquebantur. Verum, illam Petri sententiam quatuor modis commodissimè licet ita explicare, vt nihil istis prodesse, aut nobis obesse videatur. Et primò quidem illud Petri dictum referri potest ad Christum dominum; qui propterea dicatur soluisse dolores inferni, quod illuc descendens non potuit more ceterorum illis doloribus tangi, nedum teneri, quippe qui erat inter mortuos liber: & cum hoc intellectu mirificè congruit quod proximè subiungit Petrus: *Iuxta quod impossibile erat teneri eum ab eo.* Et hanc interpretationem commendat Augustinus in Epistola 99. Soluit igitur Christus dolores inferni, non quod illis fuerit aliquando captus & vinctus, sed quod sua potentia fecerit vt ab illis teneri & capi nullo modo posset. Deinde illa Petri sentẽtia aptissimè potest acommodari ad eos qui in purgatorio igne versabantur: nam & locus ille pars in- *Locus Petri Act. 2.* *August.* *Psal. 87.* *August.*

ferni est, & qui in eo sunt, ad tempus cruciantur, & eos, vel omnes vel plurimos Christum cum ad infernum descendit, illis doloribus liberasse creditur.

85 TERTIO modo: quia pro vocabulo illo *inferni*, quod habet eo loco Latinus interpres (videtur enim ipse legisse Græcè ἅδης, quæ vox infernum significat, Græci codices habent θανάτου, id est, mortis) facile erit intelligere, quomodo Christus descendens ad inferos soluerit dolores mortis, id est, quibus afficitur animus hominis post mortem. Hi autem dolores etiam in iustis & sanctis hominibus, vt minimum, duo sunt alter, manere animum seiugatum & seiunctum à corpore, quod est contra naturalem animi appetitum, alter, ante Christi aduentum nulli patere aditum in cœlum, sed omnes in inferno detineri. Hos dolores Christus soluit, & liber exiens ab inferno, cœlósque conscendens, & triduo quàm mortuus fuerat, anima iterum copulata corpori, ad vitam rediens immortalem.

Duo dolores in animis iustorum post mortem, quos soluit Christus suo ad inferos descensu.

86 QVARTO modo dictum illud bellè accommodari potest etiam ad sanctos patres qui erant in limbo siue in sinu Abrahæ: Nam etsi nullis illi propter sua peccata dolorum cruciatibus eo loco afficiebantur, non poterant tamen sine omni dolore animi esse, propter ardentissimum desiderium quo flagrabant aduentum Messiæ, & videndi faciem Dei, cuius desiderij & spei tam longa dilatio, sine nulla afflictione animi esse non poterat: verum enim est illud Salomonis verbum: *Spes quæ differtur, affligit animam.* Et hanc illorum verborum Petri explanationem approbat & sequitur B. Thom. tertia parte, quæst. 52 art. 2. in Responsione ad secundum declarans illa verba Petri: *Ad secundum*, inquit, *dicendum, quod duplex est dolor, vnus de passione pœnæ quam patiuntur homines pro peccato actuali, secundum illud Psalmi: Dolores inferni circumdederunt me: Alius autem dolor est de dilatione speratæ gloriæ, secundum illud Prouerb. 7. Spes quæ differtur, affligit animam: quem quidem dolorem patiebantur sancti patres in inferno: ad quod signandum Augustinus in sermone de Passione dicit, quod lachrymabili obsecratione Christū orabant. Vtrosque autem dolores Christus soluit ad inferos descendens, aliter tamen & aliter: nam dolores pœnarum soluit præseruando ab eis: sicut medicus dicitur soluere morbum, à quo præseruat per medicinam. Dolores autē causatos ex dilatione gloriæ, actualiter soluit præbendo eis gloriam.* Hæc S. Thom.

Prouer. 7.

S. Thomas.

Psal. 114.

87 QVOD autem huic interpretationi opponit sanctus Augustin. Epist. 99. & libr. 12. De Genesi ad litteram, capit. 33. nusquam legi in sacra scriptura vocabulum Inferni aut Infernorum in bono positum, sed in malam partem semper accipi, quamobrem sinum Abrahæ & locum in quo sancti Patres erant, valdè commendatum in sacris litteris, tanquam quietis & iucūditatis plenissimum, non fuisse partem aliquam inferni: præsertim autem, cùm in illa parabola Euangelica de Lazaro & Epulone inducatur Abraham dicens Epuloni, *Magnum chaos firmatum est inter nos & vos*: Hæc, inquam, obiectio August. haud magnam vim habere videtur. Quamquam enim apertè & expressè

An ex sacris litteris colligi possit sinum Abrahæ siue Limbū sanctorūpatrum fuisse intra terrā & partem aliquam inferni.

Luc. 16.

diuina

diuina scriptura non tradat Limbum Patrum fuisse intra terram: id tamen elicitur ex his quæ traduntur in ea. Etenim in libro Geneseos capite 37. Iacob inquit: *Lugens descendam in infernum ad filium meum Ioseph*: non putabat autem Iacob filium suum Ioseph, sanctissimum nempe atque innocentissimum puerum, esse in inferno damnatorum, nec iturum se putabat in eum locum. Neque verò existimari potest, ibi vocabulum inferni positum esse pro sepulchro: Iacob enim credens suis filiis narrantibus sibi Ioseph fuisse deuoratum à feris, non putauit eum, siue corpus eius sepulchro esse conditum. Huc illud quoque spectat quod supra ex capite 24. libri Ecclesiastici commemorauimus de diuina Sapientia, id est, de Christo in infernum descensuro: *Penetrabo*, inquit, *inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Ergo intra inferiores partes terræ detinebantur sperantes in Domino, id est, sancti patres expectantes sui ex inferno liberationem per Christi in ea loca descensum B. Hieronymus super illa verba Oseæ capite 13. *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne*: *Infernus*, inquit, *est locus in quo recluduntur animæ, siue in refrigerio, siue in pœnis, pro qualitate scilicet meritorum.* *Hieronymus.*

88 QVID plura? nec ipse Augustinus videtur ab hac sententia abhorrere debuisse: is enim epist. 99. sine dubitatione affirmat, inter alios quos Christus descendens ad inferos, soluensque dolores inferni, ex illis locis eduxit, fuisse Adamum parentem generis humani. At vnde quæso siue ex quo inferno Adamum eduxit Christus? non sanè ex loco reproborum & damnatorum (vt patet) nec ex purgatorio igne, cuius ad tempus cruciatu purificantur iusti: namque incredibile est, ex quo tempore Adam mortuus fuerat, vsque ad id temporis quo Christus post mortem descendit in infernum, id est, annorum amplius tria millia, fuisse Adamum in purgatoriis cruciatibus. Eductus igitur est Adamus ex limbo Patrum. Quapropter & is locus pars inferni erat, & ad Patres qui inibi erant, rectè applicatur, etiam secundum Augustinum, illa Petri sententia de doloribus inferni à Christo solutis. *Augustin.* *Adamum Christus eduxit ex Limbo Patrum.*

89 TERTIA est illa Petri sententia in capite quarto prioris Epistolæ: *Propter hoc & mortuis Euãgelizatum est, vt iudicentur quidem secundum homines in carne viuant: autem secundum Deum in spiritu.* Si enim Christus prædicauit Euangelium mortuis, id est, iis quorum animæ tenebãtur apud inferos, nec est credibile frustra eum nulloque effectu & fructi ibi prædicasse: credendũ igitur est, per Christi prædicationẽ aliquos esse cõuersos ad Deum, & pœnis inferni liberatos. Sed verba illa sancti Petri varias habent interpretationes: quas breuiter exponam, quo planum sit, quorum sententiam oppugnamus, nihil illis verbis eorum causam adiuuari. Prima interpretatio est Oecumenij interpretantis Christum cùm descendit ad inferos, prædicasse omnibus ibi commorãtibus Euangelium: vt qui in hoc mundo carnaliter vixe *Locus 1. Petr. 4.* *Oecumenius.*

rant, sint à Christo iudicati, id est, condemnati: simul & ab ipso viuificati, id est, æterna salute & vita immortali ac beata donati qui secundum Deum spiritualiter vixerant. Supplet enim Oecumenius in duobus illis locis, *Secundum homines in carne, & secundum Deum in spiritu*, totum illud: *qui vixerunt, vel qui vixerant in hoc mundo*: & item verba illa, *iudicentur, & viuant*, quæ sunt futuri temporis, posita esse ait pro verbis præteriti temporis, *Iudicati siue condemnati sint, & vixerint.*

Caietanus. NON absimilis est interpretatio eorumdem Petri verborum apud Caietanum in Commentario eius Epistolę: *Est*: inquit, *sensus: vt iudicentur quidem ratione carnis, in qua vixerunt secundum homines, hoc est, secundum cõcupiscentias humanas: viuant autem ratione spiritus quem habuerunt secundum Deum, hoc est conformem diuinæ voluntati. Ad hoc itaque euangelizauit Christus, manifestando se apud inferos omnium esse iudicem, vt agnoscerent impij se iudicandos siue condemnandos esse ab eo, quia humanam & carnalem vitam egerunt: simúlque iusti agnoscerent percepturos se vitam æternam, quia secundum spiritum & Deum vixerint. Itaque Petrus reuelauit nobis causam cur apud inferos euangelizare Christus voluerit: videlicet, vt huiusmodi euangelizatio pararet Christo iudicium mortuorum. Nam iudicium viuorum post primum eius aduentum, parat ei euangelizatio quæ fit in mundo per Apostolos & successores: vt omnes habeant notitiam vnde iudicandi sint.* Sic Caietanus. 90

Augustin. SECVNDA interpretatio est apud Augustinum in Epistola 99. qui per mortuos, intelligit mortuos peccatis secundum animam, siue infideles: quemadmodum cuidam Dominus dixit: *Dimitte mortuos* Matth. 8. *vt sepeliant mortuos suos.* & Paulus ad Timotheum scribens: *Vidua,* in- 1. Tim. 5. quit, *in delicijs viuens mortua est*: Sensus igitur illorum verborum Petri secundum Augustinum hic est, prædicatum esse Euangelium impiis peccatoribus, vt cum crediderint, *iudicentur quidem secundum homines in carne*: hoc est, variis tribulationib. secundum carnem vexentur, & condemnentur ab hominibus, eorum conuersionem & fidem odio habentibus atq; insectantibus: *Viuant autem secundum Deum in spiritu*: quia per eiusmodi tribulationes, & vitam gloriamque spiritus consequuntur. Tertia interpretatio sic habet: Cognoscimus Christum fore iudicem mortuorum, quòd Euangelium prædicatum sit etiam iis qui iam mortui sunt ante Christi iudicium: vt & si humana opinione, morte carnis condemnati sint priusquam Dominus aduenerit, virtute tamen Euangelij quod in hac vita per fidem receperunt, viuant spiritu apud Deum, iterum sumpturi carnem suam, cum Christus ad iudicandum venerit. Sic Paulus primæ ad Corint. 15. probat resurrectionem mortuorum: *Si mortui*, inquit, *non resurgunt: ergo qui dormierunt in Christo, perierunt.* 91

QVARTAM interpretationem minimè post habendam superioribus tribus censeo. Vocabulum illud, *mortuus*, nõnunquam in sacris litteris significat eũ qui proximus est morti, vel ex morbo, aliove casu secundum leges morti adiudicatus. Sic apud Matthæum capite no- 92

no Iairus dixit filiam suam esse defunctam, quam Marcus capite quinto narrat fuisse in extremis, & Lucas scribit quod iam moriebatur. Paulus item secundæ ad Corinth. 11. ait se in mortibus fuisse frequenter, & primæ ad Corinth. 15. *Quotidie*, inquit, *morior*, (quod mox declarans) *Periclitamur*, inquit, *omni hora*, Petrus igitur Christum iudicaturum mortuos eo probat argumento, quòd Euangelium quotidie prædicetur etiam his qui humano iudicio condemnati sunt morte: eo videlicet consilio, vt licet secundum carnem moriantur, viuant tamen apud Deum in anima propter fidem suique conuersionem ad Christum, quam in extremo habuerunt: nisi enim Christus curam gereret animorum, nequaquam prædicaretur Euangelium hominibus iam iam moriturís. Similiter Paulus primæ ad Corinth. 15. ex morientium Baptismo argumentatur futuram resurrectionem mortuorum: *Alioqui*, *ait*, *quid facient baptizantur pro mortuis*, *si mortui non resurgunt. Vt quid enim baptizantur pro illis?* Quem locum tractans Epiphanius in Hæresi. 28. *Rectè*, inquit, *hoc Pauli dictum interpretantes dicunt vicinos morti*, *si fuerint in pietatis doctrina instructi*, *ob hanc spem ante obitum sacro lauacro dignos fieri ostendentes eum qui mortuus est*, *resurrecturum aliquando: ideoq; in præsenti vita indigere remissione peccatorum.* Sic Epiphanius.

Luc. 8.

Locus Pauli 1. Cor. 15.

Epipha.

93 QVARTA denique illa est sententia eiusdem Petri prioris Epistolæ capite tertio, in qua nimirum tota propemodum huius disputationis moles consistit, *in quo, & his qui in carcere erã spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Indicat Petrus his verbis Christũ prædicasse apud inferos his qui tempore Noë fuerant increduli, & perierant diluuio: eam verò prædicationem Christi vel temere ab eo susceptam esse, vel prorsus inutiliter esse factam, cogitare nedum credere fas non est. Non eo inficias, locum hunc Petri esse obscurissimum, quin etiã sua ipsum obscuritate fuisse omni tempore apud Patres apprimè nobilitatum ac celebratum: Sed eum tamen locum nec aduersari nobis, nec iis auxiliari qui contra nos sentiunt, ex duplici eius interpretatione quam hoc loco subiiciam, manifestum erit. Prior interpretatio est sancti Augustini, quam is fusè tractat in Epistola 99. Existimat Augustinus Petrum non loqui de Christi descensu ad inferos, nec de prædicatione eius apud inferos facta, sed figurata locutione vtentem docere, tempus illud Noë quo diluuium est factum, illustrem prætulisse similitudinem atque imaginem temporis aduentus Christi, & prædicationis legis Euangelicæ. Namque illo tempore Christus spiritu venit prædicans illi hominibus: id est, per spirituales inspirationes & reuelationes veniens in mentem seruorum suorum, vt Noë & aliorum, per illos prædicauit hominibus illius temporis: In hoc autem tempore ipsemet Christus in terris visus & cum hominibus conuersatus, predicauit mundo & per se & per suos discipulos. Tunc prædicabatur venturum diluuium ad delendos omnes homines: post

Fusè tractatus locus prima Petr. c. 3. Auguſt.

Baruch. 3.

aduen

aduentum Christi prædicari cœptum est supremum mundi incendium extremumque iudicium, in quo omnes reprobi sempiternis mancipandi sunt suppliciis. Tunc plurimi fuere increduli, ideoque diluuio mersi & obruti interierunt, pauci autem per arcam seruati sunt: post aduentum autem Christi minor pars hominum credit Euangelio, & per baptismum & fidem seruatur. Postremũ, illo tempore prædicabatur hominibus pœnitentia dum fabricatur arca, vsque ad diluuij aduentum: hoc autem tempore prædicatur omnibus Euangelium, quo Christi Ecclesia ædificatur in cunctis gentibus vsque ad consummationem seculi.

Quid significaret vocabulũ carceris.

Beda.

NEC insolens videri debet vocabulum carceris hoc loco posi- 94
tum à Petro vel pro corpore, quo animus velut carcere inclusus tenetur, iuxta illud Psalmi 141. *Educ de carcere Deus animam meã.* (quin Beda pro carcere legit, *carne*, quanquam & nostræ lectionis meminit) vel pro errorum & vitiorum miseria qua vincti & velut captiui tenebantur infideles. Isaias enim capite 42. & 49. vocationem Gentium enarrans, & statum in quo versabantur Gentes ante fidem acceptam, describit infideles tanquam vinculis astrictos, obtenebratos, vectibus ferreis & portis æreis conclusos, ac teterrimo carcere coarctatos: *Dedi te*, inquit, capit. 42. *in fœdus populi, & in lucem Gentium, vt aperies oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, & de domo carceris sedentes in tenebris.* Idem capite 49. *Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas: Vt diceres his qui vincti sunt, Exite: & iis qui in tenebris, reuelamini.*

Catharin.

NEC adeo durum & inusitatum est in sacris litteris (vt putauit 95
Catharinus) hominem appellari spiritum: cùm nonnunquam diuina Scriptura per Synecdochen, vt nomen carnis & animæ, ita nomen spiritus vsurpet pro toto homine: velut in Psalmo 77. *Recordatus est quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens.* Quo genere locutionis etiã vulgus vtitur, homines macie confectos appellans spiritus: & de homine elegãtis ingenij vulgari sermone dici solet: *è vn gentil spirito.* Hactenus fere ex Augustino. Cuius interpretatio non admodum videtur probabilis, tum quod figurata potius & mystica sit, quàm inhærens sententiæ verborum Petri, & vt vocant litteralis: tum quod excludat descensum Christi ad inferos, cuius doctrinam & fidem hoc ex loco Petri plerique Patres præcipuè colligere & probare solent.

ALTERAM interpretationem, quod eam melius ad verborum 96
B. Petri sententiam quadret, simulq; amplectatur doctrinam Patrum qui ex hoc loco descensum Christi in infernum confirmarunt, potiorem ceteris ac probabiliorem censeo. Secundum hanc igitur interpretationem, distinctè per partes illam sancti Petri sententiam ex-

Cyrillus.

planabimus. *In quo.* Cyrillus libro De recta fide ad Theodosium sic exponit: Diuina virtute ac potestate vtens, etiam spiritibus qui erant in inferno apparuit. Refert enim hoc, *In quo.* ad illud paulò superius:

Oecumen.

Viuificatus autem spiritu, id est, potentia diuinitatis, Oecumenius autem illud,

illud, *In quo*, vult idem valere atque, *Propter quod*, & esse causale: vt hæc oratio connectatur cum præcedente ad hunc modum: Quia Christus pro iniustis mortuus est, non solum pro iis qui post aduentum eius fuerunt, sed pro his etiam qui aduentum ipsius præcesserunt, ideo descendit in infernum, &c. Posset item illud, *In quo* referri ad spiritum, seu animam rationalem Christi, secundum quam ipse descendit in infernum, depositio interim corpore in sepulchro: qua significatione etiam illud quod præcesserat. *Viuificatus spiritu*, potest accipi. Vt sit hic sensus: Christus in sua passione mortuus est secundum carnem, secundum spiritum verò, id est, animam viuus & immortalis permansit. Namque in sacris litteris viuificare, non semper significat, ex mortuo viuum facere, sed interdum idem valet atque, conseruare in vita, vel seruare à morte. Sicut in 1. Regum 27. scriptum est de Dauide: *Virum & mulierem non viuificabat*. id est, Neminem relinquebat viuum. Et hac significatione persæpe vsurpatur in Psalmis.

ET *his qui in carcere erant*, vocabulo carceris appositissimè describitur locus inferni: non semel autem in parabolis Euangelicis, similitudine & vocabulo carceris locus inferni designatur: *spiritus veniens prædicauit*, Spiritus appellat animas quæ in inferno detinebantur, siue bonorum, siue malorum. Alij legunt (*Spiritu veniens*) id est, secundum animam tantum descendens in infernum. Licet Augustinus Epistola 99. hoc (*Spiritu veniens*) interpretetur: *Per spirituales reuelationes & inspirationes veniens in mentes seruorum suorum, qui ante aduentum ipsius secundum carnem, omni ætate verbi sui præcones & voluntatis interpretes fuerunt.* Nimirum Augustinus hæc Petri verba non de Christi ad inferos descensu interpretatus est, sed ea ratione quā paulò supra exposui. *August.*

97 ILLVD verbum, *Prædicauit*, non significat prædicationem Euangelij ad conuersionem eorum qui in inferno erant, à Christo factam, sed manifestationem sui apud inferos, quod ipse esset expectatus ille Messias & Saluator mundi, futurusq; omnium iudex, cuique pro meritis eius, æterna vel præmia vel supplicia redditurus, vnde fidelibus & sanctis, incredibilis consolatio & lætitia, infidelibus autem atque improbis mœror & confusio accidit. *Qui increduli fuerant aliquando*, Quidam hoc referunt ad iustos quos ex inferno Christus eduxit, Eos autem incredulos dici, quoniam aliquando fuerant increduli nec obedientes Deo: vel quia omnes, saltem in Adamo, increduli & peccatores fuerant. Id quod Athanasius innuit in libro De incarnatione Verbi: & Hieronymus super illis verbis Zachariæ capite nono: *Tu quoque in sanguine testamenti tui, &c.* ait Christum ex inferno eduxisse eos qui peccatis Adæ, & inoliti erroris vinculis tenebantur. *Athan.* *Hieronymus.*

OECVMENIVS verò sic interpretatur, Christum prædicasse omnibus qui erant in inferno spiritibus: plurimis, qui quidem increduli olim fuerant, in damnatione relicti, paucis autem ad salutē animæ, eorum videlicet qui in hac vita crediderant, & benè vixerant. *Oecumen.*

quemadmodum (exempli causa) in diebus Noë euenit, quo tempore innumeris diluuio pereuntibus quia increduli fuerant, pauci credentes per arcam seruati sunt ex diluuio. Itaque illud de incredulis in diebus Noë, dictum est à B. Petro tanquam exemplis causa: nam licet potuisset idem de aliis quamplurimis dici; illorum tamen præcipuè meminit Petrus, quod illi propemodum innumerabiles, & in ipsa mundi origine fuerint, & quia tam illorum exitium quod eis accidit ex diluuio, quàm paucorum illorum hominum per arcam conseruatio, res fuit maximè memorabilis & admirabilis, atq; illustris quædam imago eorum quæ post Christi aduentum euenerunt. Patet igitur, illud de incredulis tempore Noë nec otiosè dictũ esse à Petro, nec tamen fauere opinioni eorum, qui putarunt eos per Christi descensum ad inferos fuisse inferni pœnis liberatos.

Beda. QVANDO *expectabant Dei patientiam.* Sic est nunc in libris La- 98
Hieronymus. tinis. Beda tamen hoc loco, & Hieronymus atque Augustinus locis
Augustinus. supra positis hoc modo legerunt, *Quando expectabat Dei patientia*, scilicet illos peccatores ac pœnitentiam per centum annos dum fabricaretur arca. Verbum Græcum ἀπεξεδέχετο vtramque lectionem admittit, quia commune est, & tam passiuè, quam actiuè legi potest, id est: expectabat, & expectabatur: & hoc posterius recidit in nostram lectionem, secundum quam hæc verba referuntur ad incredulos qui fuerunt tempore Noë, qui propterea non credebant ei denuncianti venturum diluuium, quia expectabant Dei patientiam, hoc est, Dei clementia & benignitate confisi, putabant Deum patienter & clementer acturum cum peccatoribus, nec passurum vnquam vt vniuersum hominum genus diluuio periret. Ecce igitur vera est & germana illius sententiæ B. Petri interpretatio: ex qua tamen liquidò cernitur hunc Petri locum nihil his suffragari, quorum in hac disputatione sententiam oppugnauimus.

Animaduersio in Caiet. VERVM facere non possum, vt tacitum non præteream quod 99
Caietanus hæc Petri verba explanans, scriptum reliquit. Ait enim (quod etiam supra sub initium huius disputationis commemorauimus) illos qui perierunt diluuio, non fuisse simpliciter incredulos, sed fuisse tantum incredulos Noë, non autem Deo: quippe cum patientiam Dei expectarent, credentes Deum pro infinita clementia sua numquam perditurum omne genus hominum, quamobrem propter huius fiduciæ meritum putat eos placuisse Deo, & idoneos fuisse iudicatos, qui per Christi præsentiam & prædicationem ad æternam salutem adducerentur.

Luc. 10. SED quis non miretur, tantùm Caietani ingenium non vidisse 100
quàm hoc esset absurdum? Cum enim Noë Dei propheta esset, & nomine Dei, voluntatem & mandata eius hominibus sui temporis enunciaret, quomodo illi non erant increduli Deo, si Noë prophetæ Dei mandata eius exponenti non credebant? Nam quod Dominus discipulis suis dixit: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit,*

etiam

etiam in Prophetas atque omnes qui Dei nomine loquebantur, ve- 2. Par. 20.
rissimè dici potest : & verũ est illud quod Iudæis dixit Rex Iosaphat:
Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis eius & cun- Exod. 14.
cta euenient prospera, & in libro Exodi scriptum est, Iudæos visis tot
tãtisque in Aegipto per Mosem à Deo factis miraculis credidisse Deo,
& Mosi seruo eius. fiducia porrò diuinæ longanimitatis, si non, à
peccatis hominem reuocans, inducat eum ad agendam pœniten-
tiam, inanis est Deoquè displicet, nec ad condonationẽ vel excusa-
tionem peccati valet, sed magis ad condemnationem hominis pro-
ficit. Verum, huius disputationis cursum, quasi iam suam perduc-
tum ad metam, hoc loco terminemus.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

LIBER DECIMVS,

QVI EST DE ARCA NOE.

HISTORIA MOSIS

De Arca Noë.

Ex capite sexto libri Geneseos.

FAc *tibi Arcam de lignis leuigatis: mansiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit* l̃gitudo *Arcæ, quinquaginta cubitorũ latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in Arca facies, & in cubito cõsummabis summitatem eius: ostium autẽ Arcæ pones ex latere, deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea.* VERS. 14. 15 16 17

PRÆFATIO.

TRES sunt res in sacris litteris perquàm memorabiles & celebres, Dei non tantũ iussu, verum etiam præscriptione ac designatione ab hominibus effectæ: Mosaicum Tabernaculum, Salomonis Tẽplum, & Arca Noë. Sed hæc illis multas ob causas admirabilior & prædicabilior videri possit: primũ longinquitate tempotis quo facta est, centum enim annos in ea fabricanda consumptos esse creditur: Tum magnitudine & capacitate: qua scilicet nihil adhuc simile post orbem conditum in aquis visum est: Deinde vsu ac fine, is autẽ fuit, generalis terrarũ orbis diluuij effugium, & vniuersi tam hominum quàm animalium generis cõseruatio perditiq; reparatio mundi, & quasi noua quędã renascentis origo: Adhæc multiplici rerũ mirabilitate, quibus rebus arca illa supra quã æstimari queat magnificata & nobilitata est qualis fuit, exẽpli causa animalium cuiusq; generis ad Arcam aduentus, ex omnibus terrarum oris, ea congregãtibus sanctis Angelis & ad Noë deducentibus; totq; ferocium atq; immitium seruorumq; animaliũ tam facilis & placida per Noë in arcam introductio, atq; inibi per vnum annum quietissima commoratio: Diuina item eius Arcæ gubernatio; nãque illa non humana vi & arte, sed Dei potẽtia, & Angelorum ministerio per aquas mouebatur ac regebatur: Ad extremum, vbertate ac sublimitate mysteriorũ; de quibus mysteriis magna & mira à Patribus memorię prodita, in loco explicaturi sumus. Ad explanandam igitur huius Arcæ historiam breuibus descriptam à Mose, totum hunc decimum librum contulimus; eumq; quo dilucidius & enucleatius declararẽtur quędo cere instituerамus, duas in partes digessimus. Prius enim traditur historica, & vt vocant litteralis eorũ quę de Arca scripsit Moses, explanatio, posterius verò apponitur earũdem rerũ Mystica, id est Allegorica & Tropologica interpretatio. Ipsam porrò, quæ de Arca est, disputationem, tripartitã fecimus: nãque primo loco disputatur de materia Arcæ: secũdo loco de magnitudine & capacitate, postremo de figura & partium eius distinctione ac dipositione:

Quinque rebus Arca Noë mirabilior videtur Tabernaculos Mosis & Salomonis Templo

Fac

VERS. 14.

Fac tibi arcam de lignis leuigatis: mansiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.

CONSIDERA, inquit Chrysostomus, *dignationem Dei & ineffabilem misericordiam quæ omnem rationem transcendit, simulq; admirabilem eius erga Noë prouidentiam, imperantis Noë vt faceret sibi arcam, ordinantisque modum quo esset construenda, atque ea re maximam illi cõsolationem afferentis, dum spem salutis per arcæ constructionem ostendit. Volebat quoque Deus illos qui grauissimæ peccauerant, per fabricationem arcæ admoneri suorum scelerum, vt resipiscendo, imminentem indignationem & vindictam nequaquam experirentur: neque enim paruum illis tempus denuo concessum est ad agendã pœnitentiam, quoad scilicet perfecta est arca: quo vitam corrigere potuissent, nisi adeo ingrati & stupidi fuissent ad suorum flagitiorum emendationem. Verisimile enim est quicunque videbant Noë tantæ arcæ fabricationi insistentem, eos causam extructionis ex ipso scisciitatos, cognouisse diuinam indignationem: quapropter si voluissent, facilè potuissent ad suorum peccatorum agnitionem venire. Verum hæc illis nullam vtilitatem attulerunt, non quia non potuerunt resipiscere, sed quia noluerunt.* Hæc Chrysostomus. *Chrysosto. in Gen sim. homil. 24.*

2 FAC *tibi arcam.* Monente & docente Deo, intellexit Noë venturum diluuium, & quemadmodum eam cladem euitare posset. Quod igitur dixit Berosus Annianus, Noë virum Astrologiæ scientissimum ex astrorum inspectione, & obseruatione præuidisse venturum diluuium, nugæ sunt Berosianæ, aut potius figmentum Annianum. Nos enim libro duodecimo, manifestis rationibus ostendemus, nec diluuium Noëticum ex naturalibus causis esse profectum, nec per Astromãtiæ scientiam præuideri potuisse. Indicat autem Moses supradictis verbis materiam ex qua Deus arcam fieri voluit: illud, *fac*, non significat fuisse à Deo imperatum Noë, vt solus ipse, vel vt suis manibus arcam faceret, sed vt ipse cum aliis, quotquot ad id operis necessarij essent, eam faceret, vel vt fieri curaret per alios peritos eius operis faciendi artifices, mercede à se cõductos. Illud, *tibi*, denotat vsum arcæ, quasi dicat, ad conseruationem tui tuæque familiæ, quo diluuium quo ceteri mortales delendi sunt, saluus & incolumis effugias. *Contra Berosum Annianum.*

PRIMA DISPVTATIO

Cur appellata fuerit arca, & non nauis.

3 VOCABVLVM illud Arcæ, formã operis demonstrat. Sed cur appellata est Arca Hebraicè (*Tebath*) & non potius nauis? Nimirum similior illa fuit arcæ, quàm nauis, tum figura, tum vsu: namque nauis ima parte restringitur

& coangustatur, suprema verò parte aperta & ampla est: Arca verò Noë vtrinque, & supernè & infernè clausa & lata erat: nam quia arcere debebat non modo inferiores aquas quibus supernatabat, sed etiam superiores è cœlo per quadraginta continuos dies incredibili copia & impetu præcipitatas: Idcirco eam omni ex parte clausam & bene munitam esse necesse fuit. Quo autem capax esset tot tantorúmque animalium quæ per vnum annum in ea commorari debebant: propterea oportuit eam vsquequaque latam esse. Præterea nauis habet figuram habilem idoneamque vsui cuius grata est facta, vt scilicet remis & ventis arteque humana per aquas moueatur & regatur: illa verò arca Noë, non hominum, sed Dei motione & rectione agebatur.

Chrys. homil. 22. in Genes. AVDI Chrysostomum: *An non*, inquit, *arcam hinc & illinc moueri & non submergi à tanta aquarum vi, cũ nullus esset gubernator, superna erat gratia? Non enim dicere potes quod fuerit ad modum nauis, vt arte quadam illius iter dirigi potuerit. Arca erat vndequaq; clausa & munita, & propter præceptum Conditoris non solum eam lædere non potuit aquarum impetus sed sublimior illis facta, inhabitãtes admodũ securos fecerit. Quando enim Deus operatur aliquid, noli humana ratione exquirere quæ fiunt, transcendunt enim mentem nostram, & non potest humana cogitatio attingere, & comprehendere eorum quæ à Deo condita sunt rationem. Proinde par est nos audientes quod Deus imperauit, obedire & credere iis quæ ab illo dicuntur, nam cum conditor sit naturæ, omnia componit & transformat prout sibi videtur.* Sic Chrysostomus: Et Augustinus libro 15. De Ciuitate Dei, cap. 27. ait, *fabricatam esse arcam Noë non curuis, sed rectis lineis longè latéque porrectam, quã nullus in mare misceret conatus hominũ, sed vnda leuaret cum venisset, naturali ordine ponderum quamque magis diuina prouidentia, quam humana prudentia natantem gubernaret, ne incurreret alicubi naufragium.* Hactenus ex Augustino. Habebat item illa vsum arcæ, quæ deseruit abscondendis & seruandis rebus: Vnde Varro dixit arcam latinè dictam esse, quod à rebus quas in se conditas & clausas habet, fures arceat: Similiter etiam arca Noë, ab hominibus & animalibus quæ intra se cõtinebat, & contegebat, diluuij aquas arcebat.

August.

Varro.

Ratis qua Deucalion fertur euasisse diluuium, appellata est ab Ethnicis Arca.

RATEM quoque illam, qua Deucalionem cum vxore Pyrrha diluuium euasisse, fictum & proditum est à Poëtis, reperio appellatam esse ab Ethnicis Arcam, haud dubiè vt alia multa illius diluuij, sic & hoc de Arca, Poëtis ex Mosis historia mutuatis. Lucianus in Timone, seu Misanthropo, de diluuio Deucalionis scribens, nauigium quo ille euasit, appellat arculam, Græcè, κιβώτιον, *Tantum*, inquit, *memento tẽporis sub Deucalione naufragium contigit, vt demersis in profundo cũctis, vix vnica superstes arcula fuerit ad Lycoream appulsa.* Adron Teius eandem vocat, λάρναια, id est, arcam. Et quoniam ea ad Parnassum montem appulsa est, propter eam causam auctore Stephano, is mons antiquitus Larnassus dicebatur, postea verò ptioti littera mutata, nominatus est Parnassus. Simili vocabulo eam ratem Deucalionis nominat

Lucianus. Adrõ Teius.

Stephanus l. de Vrbibus. Iliad. à

5

minat Scholiastes Homeri ad hunc modum scribens: *Iupiter multam pluuiam è cœlo effundens, multas partes Græciæ adeo inundauit, vt multi homines perirent, paucis exceptis qui in proximos montes confugerunt. Deucalion verò in Arca (ἐν τῇ λάρνακι) per mare nauigãs, in nauẽ dies totidemq; noctes Parnassum appulit: ibique pluuijs cessantibus arca egressus, Ioui Phyxio sacrificauit.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Ex quo genere lignorum constructa sit Arca.

MOSES ait factam esse Arcam: *De lignis leuigatis.* Septuaginta Interpretes habent: *Ex lignis quadratis.* Leuigata enim & quadrata ligna melius inter se aptantur & cohæresc unt. Sed leuigatum & quadratum esse, non denotat certum aliquod ligni genus, in quodlibet enim genus ligni com-
6 petit vt leuigari & quadrari possit. Sanctus Hieronymus ait in Hebræo legi: *Ex lignis bituminatis.* Verùm Hebraicè bitumen dicitur, *Gopher*: hoc autem loco est, *Gopher*, vos nempe diuersa, & diuersæ significationis. S. Augustinus Tractatu sexto in Ioannem tradit inueniri in sacra scriptura, arcam Noë ex lignis imputribilibus esse fabricatam. Verum quod de Arca Mosis scriptum est in Exodo, ad hanc Noë arcam accomodauit Augustinus. Certè Ambrosius admonet hic simpliciter poni ligna, in Exodo autem, imputribilia. Quidam interpretantur, ex tabulis buxeis. Sed Plinius libro 16. cap. 40. scribit buxum spississima, & idcirco grauissima esse materia: quamobrem in aquis non fluitare. Oleaster etsi, dicit vocabulum, Gopher, ignotæ Hebræis esse significationis: coniecturam tamen facit ipse, *eo vocabulo significari picem aut pinum, quæ picem fert. Nãque infra capite 19. ponitur nomen: gophrith, quod est eiusdem radicis pro pice vel sulphure, cùm dicitur, pluisse à Domino super Sodomam & Gomorrham picem siue sulphur & ignem: eademque significatione reperitur apud Ezechielem cap. 39. & apud Isaiam cap. 38. Licet autem lignea pinea, quod facile corrumpantur aquis, propterea illi arcæ construendæ minimè idonea fuisse videantur: attamen interiora pini firmissima esse & ab aquis inuicta.* Sic Oleaster.

Hieronym. in Traditionib. Hebraicis in Genesim.
August. Exod. 25.
Ambros. li. de Noë & Arca cap. 7.
Plinius.
Oleaster.
Gen.

7 SED redeamus ad vocabulum, *Gopher*, hoc esse admodum obscuræ & incertæ significationis, nec vsquam alias in scriptura positum, confitentur Hebræi Auen-Esra (qui Hebræorum interpretum primæ classis merito censeri debet) ait se existimare eo vocabulo significatum esse genus quoddam ligni leue & fluitans in aquis ab ipsis tamen impenetrabile & incorruptibile: sibi tamen non liquere, cuius sit speciei. quocirca putarunt quidam esse abietem, vel laricem, quas arbores scribit Plinius esse omnium altissimas & rectissimas, & sustinen

Auẽ-Esra.

ſtinendo in aquis ponderi validiſſimas renituntur enim, nec temere rumpuntur priuſque carie quàm viribus deficiunt. Alij credunt fuiſſe Cypreſſum æternitate præſtantem: quàm pulchre ita deſcripſit Plinius: Nam moroſam, fructu ſuperuacuam, baccis toruam, folio amaram, odore violentam, materie raram, vmbra minime gratioſam, Diti ſacram: & ideo funebri ſigno ad domus poſitam. Multi exiſtimant fuiſſe cedrum: nam & paraphraſtes Chaldæus vertit hoc loco, *Ex lignis cedri*. Certè Plinius tradit, in Ægypto & Syria reges, inopia abietis, cedro ad claſſes vti. Cedrus autem neque carie neque vetuſtatem ſentit, neque rimam fiſſuramque ſponte capit. Vticæ in templo Apollinis Numidicarum cedrorum trabes durabant Plinij ætate, ita vt poſitæ fuerant prima eius verbis origine, hoc eſt, annis mille centum octoginta octo.

Plinius l. c. 40. Deſcriptio cypreſſi. Idem ibidem cap. 33. Plin. c. 40. eiuſdē libri.

EGO arbitror non vnum aliquod certum ligni genus toti arcæ 8
conſtruendæ aptum fuiſſe, ſed alia alijs partibus Arcæ fabricandis erant commodiora. Et inter ipſas arbores magna eſt proceritatis craſſitudinis, roboris, leuitatis & diuturnitatis differentia. Itaque longiores maioriſque rigoris, baſi conueniebant præcipuè: quæ temperatura erant leuiori, vſum tectis egregiè præſtabant, aliæ contignationibus aſſamentiſque tabulatorum bellè deſeruiebant: nonnullæ ad inteſtinum opus paruaque ſecamenta tractabili materia apprimè accōmodatæ erant. Ergo vel Moſes illo vocabulo, *Gopher*, non vnam aliquam certam ligni ſpeciem ſignificare voluit, vel ſi voluit, non ea ad vſum totius conſtructionis arcæ, ſed grandiorum firmiorumque & principalium duntaxat eius partium pertinebat.

De magnitudine lignorū è quibus conſtructa eſt Arca.

SED miretur fortaſſe lector, qui potuerint reperiri & compara- 9
ri trabes eius magnitudinis, quæ tantæ molis conſtruendæ arcæ ſufficerent? Verum facilè deponet admirationem, ſi cogitet baſim & latera longitudinis Arcæ non eſſe facta ex ſingulis trabibus in longitudinem extenſis, quæque totam Arcæ longitudinem æquarent atque implerent, ſed ex multis trabibus inuicem coniunctis ſecundum longitudinem, quæ fulciebantur alijs trabibus in tranſuerſum ſecundum latitudinem Arcæ ſuppoſitis. Illud quoque admirationem demet, quod de longitudine quarundam arborum à probatis auctoribus memoriæ traditum eſt. Plinius affirmat, principatu Tiberij viſam Romæ trabem è laricæ longam pedes centum viginti, bipedali craſſitudine, totam æqualem: quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, faſtigium ac cacumen æſtimantibus. In Cipro ſucciſa eſt Cedrus ad vndeciremem Demetrij, centum triginta pedum longitudine, craſſitudine verò ad trium hominum complexum. Germaniæ prædones ſingulis arboribus cauatis nauigare ſolitos, ita vt quædam earum etiam triginta homines ferrent, eodem loco auctor eſt Plinius. Idémque libro 7. cap 2. mira ſcribit de proceritate Indicarum arborum, dicens eas ſagiti ſuperari non poſſe.

Plin. l. 16. c. 40. Plinius.

LAVDATISSIMA eſt in ſacris litteris altitudo cedrorū, itaque 10
cum

cum vult diuina scriptura exaggerare proceritatem alicuius rei, cumparat eam cedrorum altitudini: vt videre licet apud Ezechielem capite 31.& Amos cap. 2. & Dauid Psalmo 91. incrementa virtutum & gloriæ iustorum hominum, comparat cum auctu & incremento cedrorũ, *Iustus*, inquit, *vt palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Hanc etiam ob causam eadem scriptura, appellat cedros Dei; videlicet propter excellentem eorum proceritatem: quanquam præter altitudinem, etiam cedri odor, vmbraque & materiæ firmitas atque diuturnitas eximiè commendantur.

11 Id verò quod sequitur. *Mansiunculas in Arca facies*: Hebraicè & Græcè sic legitur: *Nidos facies arcam*, quasi tota arca futura esset velut nidus, id est, multis nidis referta. Ad similitudinem autem nidorum auium, loca destinata habitationi animalium appellantur nidi. Pro multitudine verò & varietate animalium, separatim ad eorum mansionem extruenda erant loca tum figura, tum capacitate diuersa; & præter hæc, etiam cellæ construendæ erant, vbi cibaria, quæ in vnum annum tam animalibus quàm hominibus sufficerent, condi & conseruari possent. Appellauit autem mansiunculas, quia angusta futura erant loca, videlicet quæ satis essent animalibus ad manendum, non autem ad latè spatiandum, vel discursandum.

Et bitumine linies intrinsecus & extrinsecus.

12 BITVMEN, inquit Rabanus, est feruẽtissimũ & violentissimũ glutem; cuius hæc est virtus, vt ligna quę eo lita fuerint, nec vermibus exedi, nec Solis ardore, nec ventorum flatibus, nec aquarum possint violentia dissolui. *Rabanus.* Verum de bitumine vberiùs atque luculentiùs in lib. 35. cap. 15. disputat Plinius, eius naturam, vires, vsusque varios, etiam multiplex natale solum enarrans. Est sanè incorrupta vis bitumini, aquisque contumax; ideoque ligna conseruat ne combibant humorem noxium, neque patitur aërem penetrare, & tineas, teredinem, aliaque à lignis vitia prohibet: propter quæ diuturnitatem operibus maximè præstat; sed & virtus in eo est præcipua copulandi, præter ligna, etiam corpora: colligat enim vulnera, neruosque conglutinat. Calcis quoque præbuit vsum Semiramidi reginæ, ita ferruminatis latere testaceo Babylonicis muris. Bitumen quod erat in lacu Asphaltite Iudææ & Mare mortuum in sacris litteris nominatur, singularem habuit admirationem: tantæ enim tenacitatis fuisse dicitur, vt quæcunque eo essent oblita, non alia re, quàm superfuso muliebri sanguine menstruo dissolui possent. virtus. Bituminis *Plinius.*

13 PROPTER has itaque tam opportunas structuræ Arcæ bituminis virtutes, præter lignorum frontes intus & extra, tota quoque latera iuncturarum dum inter se committerent denique totum opus intestinum credendum est fuisse bitumine oblitum: id quod non tan-

tùm valuit ad coagmentationem, verum etiam ad centum annorum durationem ante diluuium, quod tempus in fabricanda arca creditur exactum; post quod tempus etiam vsque ad Iosephi tempora, quædam eius Arcæ reliquiæ perduraeuerunt per annos amplius bis mille. Iubetur porrò arca tam extrinsecus quàm intrinsecus vngi bitumine: extrinsecus quidem, vt iuncturę tabularum benè clauderentur aduersus aquas tam circunfusas, quàm superfusas arcæ; Intrinsecus autem, ne violentus aquę impetus vel supernè præcipitantis, vel ad latera ipsius arcæ vehementer allisæ, si exteriorem lituram abraderent, resistente interiore litura intro ad arcam penetrare posset; vel ne magna humiditas exterior partem interiorem arcæ limosam redderet.

Ioseph. 1. lib. Antiquit.

TERTIA DISPVTATIO.

De magnitudine & capacitate Arcæ.

VERS 15. *Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.*

DECLARATVR his verbis magnitudo Arcæ secundum omnes eius dimensiones, longitudinis, latitudinis & altitudinis: vnde, quanta fuerit eius Arcæ capacitas, licet intelligere. Erat igitur longitudo Arcæ sexcupla ad latitudinem, vt 300. ad 50. decupla verò ad altitudinem sicut 300. ad 30. qualis nempe proportio est inter dimensiones humani corporis. Namque longitudo corporis à vertice vsque ad plantas pedum, est sexcupla ad latitudinem quæ est à latere dextro in sinistrum per medium pectus: & est decupla ad eius altitudinem, quę est linea recta metiens profunditatem pectoris iacentis hominis proni, vel supini, 14

August. Ac ne putentur hæc de meo sensu deprompta, beatum Augustinum huius sententiæ auctorem ducémque secutus sum, in lib. 15 de Ciuitate Dei, cap 26. hoc modo scribentem: *Mensuræ ipsæ longitudinis, latitudinis & altitudinis Arcæ, significant corpus humanum. Humani quippe corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia, sexies tantum habet quantum latitudo quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantũ quantum altitudo: cuius altitudinis mensura est à dorso ad ventrem velut si iacentem hominem metiaris supinum, seu pronum, sexies tantum longus est à capite ad pedes quam latus à dextra in sinistram, & decies tantum quantũ altus est à terra.* Sic Augustinus: quidem dicit libro 12. contra Faustum. cap 14. Ve-

De mẽsura cubiti. rum quia dimensiones Arcæ Moses definiuit cubitis, quo magnitudo & capacitas Arcæ intelligatur, de mensura cubiti dicendum est.

MVLTÆ sunt in vsu mensuræ ex humano corpore ductæ, velut 15

sunt

sunt digitus, palmus, pes, cubitus vel cubitum, vlna, passus. Est autem Passus, spatium in quantum vtraque extenditur manus, inter longissimos vtriusque manus digitos. & hæc est mensura humani corporis; par ei quæ à vertice vsque ad vestigia pedum. Constat autem Passus quatuor cubitis. Porrò cubitus seu cubitum, interuallum est ab articulo medio brachij seu à flexu eius ad extremum vsque medium digitum sesquipedale, id est vno pede ac dimidio constans. Vlna verò, auctore Polluce & Hesichio, idem est quod cubitum, quanquam Seruius super illa verba Virgilij. *Iuli. Pollux. Hisichius. Seruius in Eclog. 3.*

Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cœli spatium non amplius, vlnas,

facit vlnam æqualem passui. Apud Ouidium tamen in septimo Metamorphoseos, & Plinium l. 16. cap. 40. vlna ponitur pro toto membro continente brachium, cubitum manumque: sed (quod supra diximus) habet communis hominum sensus & vsus. Pes autem constat quatuor palmis; Palmus verò quatuor digitis transuersis: Ergo cubitum in communi vsu sesquipedale est, & sex palmis constat. De his mensuris Vitruuius & alij; sed omnium subtilissimè ac diligentissimè disseruit Agricola. *Ouidius. Plinius. Vitruuius. Agricola.*

16 EQVIDEM non negauerim, hasce mensuras fuisse antiquitùs maiores quàm nunc sunt, sicut ipsum quoque corpus humanum: quatenus verò hæ decreuerint, incertum est. Apud Hebræos duplex fuisse traditur genus cubiti, alterum vulgare & vsitatum, sesquipedale, vti definitum est; alterum, quod apud Ezechielem cap. 43. appellatur verissimum & perfectum cubitum, vulgari manus vno palmo; ob idque Palmicubitũ à quibusdam nominatum: à quo cubito proxime aberat Regium cubitum communi & vsitato maius tribus digitis; cuius in primo libro meminit Herodotus. *Herodotus.*

17 NOMINATVR præterea in sacris litteris cubitum virile, seu cubitum virilis manus. Nam in tertio capite Deuteronomij de Og gigante rege Basan ita scriptum est. *Solus Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.* (siue vt habent Septuaginta Interpretes, ad verbum ex Hebræo) *in cubito viri.* Dicitur autem cubitum virile quod est iustæ ac perfectæ mensuræ: tale enim est cubitum viri, id est, hominis ætate pariter atque statura perfecti: nam cubitum pueri, aut homunculi alicuius longe minus est. Quanquam autem mensura cubiti ducta est ex brachio hominis, à cuius flexu ad extremum vsque digitum medium, quod extensum est, appellatur cubitum: attamen quia pro varietate staturæ hominũ, variatur etiam magnitudo cubiti humani, mensuram autem, quæ ad res metiendas adhibetur, certam & æquabilem esse necesse est; propterea factum est, vt mẽsura cubiti ex ligno, metallo, alia ve materia confecti, & ad magnitudinem cubiti virilis, *Locus Deuteron. cap. 3. Quid sit cubitum virile secundum scripturam.*

id est, perfecti, accommodata, publicè seruaretur, & ad res dimetiendas adhiberetur, ne fraus vlla subesse posset.

VERVM scire conuenit in illo Deuteronomij loco, pro eo quod nos habemus: *Ad mensuram cubiti virilis manus*. Paraphrastē Chaldaicum sic vertisse: *iuxta cubitum regis*. quod referendum esse quidam putant ad ipsum Og regem: vt significetur, lectum eius non habuisse longitudinem & latitudinem vulgaris cubiti, sed iuxta mensuram cubiti eiusdem regis, qui vt cætero corpore, sic etiam cubito reliquos homines excedebat. Et hoc secutus est Auctor Complutensis editionis; habet enim: *in cubito eiusdem regis*. Quanquam non desunt, qui cubitum regium dictum esse putent, pro eo quod est, publicum; quemadmodū appellatur via regia, id est, publica: vt Moses significare voluerit cubitum publicum, qui ex decreto Regis seu Magistratus perfectam habet & inuariabilem cubiti mensuram. 18

Quanta fuerit capacitas Arcæ.

CAPACITAS igitur totius Arcæ, quæ intra tres illas dimensiones totum Arcæ vacuum continebat, detractis omnibus impedimentis columnarum, crassitudinis etiam tabulatorum & assamentorum distinguentium nidos & apothecas, ratione Geometrica concluditur fuisse quadringentorum quinquaginta mille cubitorum: quæ magnitudo ad ea omnia capienda & continenda, quæ fuisse intra arcam narrat Moses, abundè sufficiebat. Etenim si longitudinem trecentorum cubitorum ratione Geometrica multiplices in cubitos quinquaginta latitudinis, fiunt cubitorum quadratorum quindecim millia: Hanc summam rursus multiplicando in triginta cubitos altitudinis, existunt cubitorum solidorum quadringenta & quinquaginta millia: Et hoc est interius arcæ vacuum, eiusque capacitas. Quod si Moses locutus sit de cubitis non vulgaribus, sed perfectis & verissimis, vt appellauit Ezech. c. 43. qui palmo maiores sunt vulgatis & vsitatis cubitis, longè maiorem fuisse magnitudinem Arcæ necesse est. Subducta enim ratione, addendo cuilibet cubitorum vulgarium vnum palmum, reperiemus longitudinem Arcæ fuisse trecentorum quinquaginta cubitorum: latitudinem autem, quinquaginta octo cubitorum & duorum palmorum: altitudinem verò triginta quinque cubitorum. 19

August. ILLVD porrò animaduertendum est, quod meminit B. Augustinus l. 15. de Ciuitate Dei, capite 27. longitudinem & latitudinem Arcæ toties esse multiplicatam, quoties multiplicata sunt tecta seu tabulata, quæ ad diuersas habitationes facta sunt in Arca: & quia hæc secūdum Augustinum triplicata sunt, ideo dixit ipse, quātum ad habitationem, fuisse Arcam longitudinis nongentorum cubitorum, latitudinis centum quinquaginta, altitudinis nonoginta. Verum in altitudine secus est atque in longitudine & latitudine: altitudo enim propter multiplicationem contignationum non multiplicatur, sed contra potius diminuitur & absumitur. 20

QVAR

QVARTA DISPVTATIO.

In qua examinatur noua quædam opinio de mensura sacri cubiti.

21 CVM librum hunc typis essem mandaturus, accepi quendam solertis ingenij virum, & in sacris litteris bene doctum comperisse duplex genus cubiti fuisse quondã in vsu apud Hebræos, & in sacra scriptura non obscurè significari, alterum vulgare, de quo nos paulò supra disseruimus; alterum quod appellat sactum multo quàm vulgare cubitum maius. Siquidem vulgare cubitum continet vigintiquatuor digitos: hoc sacrum quadraginta duos: illud sex palmos, hoc decem palmos & dimidium palmi: illud sesquipedem, hoc duos pedes & dimidium atque insuper octauã partem pedis: illud denique duos palmos Romanos, hoc tres palmos Romanos supérque dimidium ferè palmum. Ergo sacrum cubitum cõtinebat vulgare, ac præterea dimidium eius, & dimidium dimidij Auctor porrò huius sentẽtiæ arbitratur huiusmodi cubito sacro vsam esse diuinam scripturam in describenda fabrica Arcæ Noë, Tabernaculi Mosis, & Templi Salomonis.

22 QVOD autem cubitum sacrum constaret ea mensura quam diximus, probat ille ex iis quæ scripta sunt de Mari æneo quod erat in tẽplo Salomonis. Traditur enim lib. secundo Paralipomenon, cap. 4. Salomonem fecisse mare æneum decem cubitorum à labio vsque ad labium, rotundum per circuitum, altitudine quinque cubitorum, cuius circum ferentia erat triginta cubitorum: capiebat autem tria millia batos, siue metretas. Ex hoc loco, Mathematica ratione argumentatur ille cubita circumferentiæ illius maris ænei non fuisse vulgaria sed sacra, eius scilicet mensuræ quam paulò ante exposuimus. Ego totam eius viri argumentationẽ, quanta maxima fieri potuit breuitate comprehensam hìc subiecì.

23 AMPHORA Romana siue Quadrantal, est vas cubicum, cuius longitudo, latitudo & altitudo est pes Romanus: est autem pes Romanus, mensura continens palmos quatuor siue digitos sexdecim, vel vncias duodecim, siue quod idem est, palmum Romanum, & tertiam insuper eius partem, ita vt proportio pedis ad palmum sit sesquitertia. Iam verò Amphora hæc capit duas vrnas vel tres modios siue sextarios 48. Metreta verò (quæ & Amphora Attica dicitur) continet amphoram vnam & semis, hoc est tres vrnas seu sextarios 72. quare proportio metretæ ad amphoram Romanam est sesquialtera. Quod si constituatur tertia quædam mensura continens metretam vnam cum dimidia: habebit hæc ad metretam proportionem sesquialteram: ad Amphoram verò proportionem duplam sesquiquartam nimirum 9. ad 4. vt apparet in his tribus terminis 9. 6. 4.

in quibus continuatæ sunt duæ proportiones sesquialteræ, vna tertiæ illius mensuræ continentis metretam & semis, quæ est 9. ad 6. altera metretæ ad amphoram, nimirum 6. ad 4.

His positis, quoniam Mare æneum rotundum in circuitu, formámque habens hemisphærij, diametrum habebat 10. cubitorum, altitudinem cub. 5. gyrum denique 30. cubit. hinc fit, vt si multiplicemus semicircumferentiam. 15. cub. in semidiametrum cub. 5. efficiamus aream circuli maximi, hoc est, orificium maris cubitorum quadratorum 75. & rursus si hunc circulum maximum 75. cub. quadratorum in tertiam partē diametri, hoc est, in cubitos $3\frac{1}{3}$ hoc est, tres & vnam tertiam cubiti partem multiplicemus, inueniemus soliditatē hemisphærij continere 250. cubitos cubicos, siue solidos: qui quidem 250. cubiti solidi æquales sunt 4500. amphoris vel 3000 metretis (tot enim Mare æneum capiebat) siue 2000. mensuris, quarum singulas continere diximus metretam & semis. Quare si 2000. mensurarū huiusmodi quæ 3000. metretis æquales sunt diuidantur per 250. cubitos solidos: deprehendemus vnum cubitum solidum continere, 8. mensuras huiusmodi cubicas, quæ 32. metretis æquantur. Quare si singula latera cubiti solidi bifariam secentur, & per sectiones oppositas plana ducantur, secabitur cubus solidus in octo cubos æquales, quorum quilibet æqualis erit mensuræ cubicæ quæ metretam & semis capit. Atque ita habemus, si mensura hæc continens metretam vnam & dimidiam cubicetur, latus huius cubi esse dimidium cubiti, cuius mentio fit in descriptione æneī Maris. Si ergo cognouerimus magnitudinē lateris huius cubi qui octaua pars est cubiti solidi respectu pedis Romani nobis cogniti, eaque magnitudo dupliciter, notus fiet cubitus sacer, respectu eiusdem pedis Romani. Id autem in hunc modum indagandum est.

Dictvm est supra mensuram eam cubicam quæ continet metretam & semis, estque cubiti solidi octaua pars, ad Quadrantal siue ad Amphoram prorportionem habere eandem quam 9. ad 4. consequenterque amphoram ad cubum huiusmodi eam habere proportionem quam 4. ad 9. Igitur si inter pedem Romanum & lineam rectam, quæ ad pedem Romanum habeat eam proportionem quam 9. ad 4. qualis est quæ pedem bis continet & quartam insuper eius partem, inueniantur duæ mediæ proportionales, erit linea inuenta quæ pedi Romano proxima est, latus cubi qui octaua pars est cubiti solidi. Et quoniam, vt supra dictum est, latus huiusmodi cubi est dimidium cubiti sacri: perspicuum est si latus illud duplicetur, totam longitudinem cubiti prodire qui continebit pedes $2\frac{10}{47}$ id est duos & decem decimas septimas, hoc est tres Romanos palmos & semis paulò minus.

Constat ergo, si constituatur vas cubicum continens duas amphoras & quartam insuper amphoræ partem siue metretam & semis, eius latus duplicatum æquale existere cubito sacro quem in-

quā

quirebamus. Et quoniam longitudo Arcæ. 300. cubitorum erat, latitudo 50. altitudo 30. si ratione Geometrica 300. cubitos longitudo, multiplices in 50. latitudinis: efficientur cubitorum quadratorum quindecim millia, hos rursus multiplicando in 30. cubitos altitudinis, existent quadringinta quinquaginta millia cubitorum solidorum, & hæc erat capacitas Arcæ. Si autem cubitus sacer maior erat quam vulgaris, vno palmo Romano & ferè dimidio, si huiusmodi cubitis constabant dimensiones Arcæ, logitudo eius 300. talium cubitorum, contineret cubitos vulgares 525. Latitudo 50. cub. haberet ex cõmunibus cubitos $87\frac{1}{2}$ id est octuaginta septem cum dimidio, altitudo denique 30. cubitorum, esset cubitorum communium, $52\frac{1}{2}$ id est, quinquaginta duorum cum semisse: quod si multiplicentur 525. cubiti longit. per $87\frac{1}{2}$ id est octuaginta septem cum dimidio. latitud. efficientur cubitorum communium quadratorum $45937\frac{1}{2}$ id est, quadraginta quinque millia nongenta triginta septem cum semisse, quos si rursus ducas per $52\frac{1}{2}$ id est per quinquaginta duos cubitos cum semisse, altitud. habebis cubitorum solidorum communium in vniuersum $2411718\frac{1}{4}$ id est, duo millenarum millia quadringenta & vndecim millia septingenta decem & octo cum tribus quartis. Atque hęc erat capacitas Arcæ secundum cubitos vulgares & cõmunes.

24 VERVM cur nihil huius opinionis & nouitas & fides suspecta videatur, dicam vt potero breuissimè: Omnino fundamentum quo hæc sententia maxime nititur, debile admodum & fragile videtur. Etenim ponit quasi certissimum, illud Mare æneum, quod sacra scriptura appellat rotundum, & Iosephus hemisphæricum nominat, fuisse rotundum perfectissimè, id est, secundum exactam Mathematicæ rotunditatis rationem: quod tamen nec probatur ab istis, nec facilè vt opinor, probari potest. Quin contra credibilius fit, diuinam scripturam & alibi cum de rerum figuris sermonem habet, & illo ipso in loco vbi de rotunditate illius Maris agit, loqui de istiusmodi rebus non secundum limatissimam & absolutissimam illam Mathematicæ subtilitatis rationem, sed secundum vulgatem vsum sensumque, communemque hominum loquendi consuetudinem. Nam quod ad figuram rotundam proprius quàm ad aliam quamlibet accedit, parumque à rotunditate deficit, nec talis defectus iudicio sensuum facilè deprehenditur, id populari existimatione rotundum censetur & appellatur. Incertum est igitur, an illud Mare dictum sit rotundum Mathematicè, an potiùs populariter, quod si non fuit Mathematicè rotundum; cùm non liqueat quantum à Mathematica rotunditate defecerit, ratio quæ super Mathematica perfectaque eius rotunditate ab istis conficitur, nec firmam habere vim, nec fidem potest certam facere. Auctori sententia.

25 DEINDE aiunt probatores huius opinionis (iam enim, vt audio, sectatores habere cœpit) hoc genus cubiti sacri nec semel nec obscurè

ſcurè in ſacris libris ſignificari. Aſt ego, vt ingenuè confiteat, ſi ita eſt, inſcitiam meam, nulla videre adhuc potui in diuinis litteris veſtigia, quibus eiuſmodi cubitum indagari, nedum reperiri queat. Adferunt iſti neſcio quid ex ſecundo libro Paralipomenon, cap. 3. vbi ſcriptum eſt longitudinem templi fuiſſe ſexaginta cubitos in prima menſura, Putant iſti illis verbis. *In prima menſura*, ſuum hoc ſacrum cubitum ſignificari. Verum id refellitur dupliciter. Etenim illud, *In menſura prima*, non refertur ad cubitum, ſed ſignificat, in prima dimenſione & deſcriptione fundamentorum templi, non fuiſſe ſeparatim deſignatum oraculum ſiue ſanctuarium, & ſeorſim ipſum templum, ſed indiſcretè dimenſa eſſe fundamenta vtriuſque longitudinis ſexaginta cubitorum: deinde verò ſeparatim & propriè ex illis ſexaginta cubitis, viginti deſtinata & aſſignata ſunt ſanctuario, quadraginta verò ei quod appellatur templum. Et hæc interpretatio, quæ cùm ſententiæ verborum inhæreat fit admodum probabilis, nil plane adiuuat iſtorum opinionem

Locus 2. libri Paralipomen. cap. 3.

26 VERVM eſto: ſignificetur illis verbis, *In menſura prima*, cubitum iſtud ſacrum. Sed vnde probant iſti cubitum illud primæ menſuræ, fuiſſe tantum quantum ipſi faciunt? Quin potius cubitum primæ menſuræ non aliud ſignificat quàm cubitum iuſtæ, exactę, nec variabilis menſuræ, quales erant menſuræ & pondera ſanctuarij, ad quarum rationem exigebantur & explorabantur menſuræ vulgares, vt ſi qua ſubeſſet eis fraus, ex illarum comparatione deprehendi poſſet. Atque harum menſurarum & ponderum ſanctuarij crebra eſt mentio in libris Moſaicis, vt Exo. 30. & 38. Leuit. vlt. & Num. 18.

Locus Ezechielis cap. 43.

SED illud meo iudicio conuincere videtur falſam eſſe iſtam opinionem, quod Ezechiel cap. 43. definiens menſuram cubiti ſacri, cuius nempe vſus erat in templo, & quod ibi nominauit B. Hieronymus cubitum veriſſimum, & Septuaginta Interpretes cubitum perfectum, facit illud maius communi & vulgari vno duntaxat palmo, id eſt, quattuor digitis: loquitur enim de palmo minori ſeu Mathematico, non de maiori, ſeu vt vocant Romano, qui eſt quadruplo maior. Quapropter eo loco à Septuaginta Interpretibus appellatur, παλαιϛῆ, quo nomine ſignificatur palmus minor: & Hieronymus in Commentario eius loci interpretans nomen palmi, ait eſſe ſextam partem cubiti. Ergo ſecundum Ezechielem, cubitum ſacrum erat vulgari maius tantùm vno palmo ſeu quatuor digitis. At ſecundum iſtos, quatuor palmis & dimidio, ſiue digitis decem & octo maius erat: non igitur iſtorum ſententia cum Ezechielis doctrina conſentit. Hæc ad præſens diſputare breuiter volui de ſupradicta opinione: quæ ſi nihilominus tamen cuipiam ſatis firma & probabilis, noſtra verò eius confutatio inefficax videbitur, eam ille ſequatur licet, me non repugnante. Ego mei numeris eſſe duxi, opinionem, nouam, receptæque omnibus ad hanc vſque diem ſententiæ vel aduerſam vel certè diuerſam, & cum doctrina ſacrarum litterarum (vt mihi videtur

videtur) minimè consentientem, nec silentio, nec sine aliquo examine præterire. De reliquo, totius disceptationis huius arbitrium & iudicium erudito lectori permitto.

QVINTA DISPVTATIO.

An Moses locutus sit de cubitis Geometricis, vt sensit Origenes quorum vnusquilibet sex vulgarium cubitorum mensuram contineat.

27 QVONIAM magnitudo Arcæ quàm descripsit Moses, visa multis est parua nimis & angusta, tot tãtorumque animalium cunctis generibus, præterque cibariis eorum capiendis atque conseruandis, propterea quidam commẽti sunt genus quoddam cubitorum Geometricorum longè maius vulgatis & vsitatis cubitis: vt hoc genere cubitorum constans magnitudo arcæ, proculdubio ampliſſima fuisse videatur, atque omnium rerũ quæ in ea fuerunt, capaciſſima. Origines igitur ex traditione maiorũ confirmat, Mosen hoc loco, describendo magnitudinem arcæ, vsum esse cubitis Geometricis, vt quem omni sapiẽtia Ægyptorum apud quos maximo in pretio & honore Geometrica erat, eruditum fuisse testatus sit B. Stephanus. Vnum autem cubitum Geometricum censet Origenes sex cubita vsitata continere, & nouem pedibus definiri. Sententiam Origenis ad hunc modum refert Augustinus libro 15. de Ciuitate Dei, cap. vltimo: *Si autem cogitemus*, inquit, *quod Origines non ineleganter astruxit, Mosen, si licet hominem eruditum, sicut scriptum est, omni sapientia Ægyptiorum qui Geometriam dilexerunt, Geometrica cubita significare potuisse, vbi vnum quantum sex nostra valere asseuerant: quis non videat quantum rerum capere potuerit illa magnitudo?* Sic Augustinus. Quo licet intelligere, apud Hugonem sancti Victoris in Annotationibus in Genesim mendosè legi hoc loco cubitum Geometricum cõstare nouem cubitis, cùm tantum contineret secundum Origenem sex cubita. Vel igitur pro, nouem, reponi debet, sex, vel pro cubitis, legi debet, pedibus: reuera enim cubitum Geometricum, si continebat sex cubita vulgaria, consequens erat vt contineret nouem pedes, cum vulgare cubitum sit sesquipedale.

Origenes. *Act. 7.* *Augustin.* *Hugo sancti Victoris.*

SED gratum fortasse lectori fuerit ipsa Origenis verba hoc loco legere. Secunda igitur homilia in sextum caput Geneseos in hac sententiam scribit Origines: *Apelles*, inquit, *discipulus Marcionis, sed alterius hæreseos inuentor aduersus structuram arcæ disputat probare volens scripta Mosis nihil habere diuinæ sapientiæ, nec esse à Spiritu sancto profecta. Disputat autem nullo modo fieri potuisse vt tam breue spatium arcæ tot anima-*

lium genera, eorumque cibos qui per totum annum sufficerent, capere potuerit.

Genes. 7. *Cum enim bina & bina ex immundis animalibus, hoc est, bini masculi & binæ feminæ, ex mundis verò septena & septena in arcam dicãtur inducta, quomodo fieri potuit vt spatium illud arcæ descriptum à Mose vel quatuor tantum elephantos capere potuisset?* Et postquam per singulas species hoc modo refragatur, concludit his verbis: *Constat ergo*, inquit, *fictam esse fabulam, quod si est, constat à Deo non esse hanc scripturam.* Sic Apelles.

Act. 7. SED *ad hæc nos*, inquit Origenes, *quæ à prudentib. viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque veteribus magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus. Aiebant ergo maiores, quod Moses, qui vt scriptura testatur, omni sapientia Aegyptorum fuerat eruditus, secũdum artem geometricam quam præcipuè Aegyptij callent, cubitorum numerum hoc loco posuit. Apud Geometras enim secundum eam rationem quæ apud eos virtus vocatur ex solido & quadrato, vel in sex cubitos vnus deputatur, si generaliter, vel in trecentos, si minutatim deducatur: quæ vtique ratio si obseruatur in huius Arcæ mensura inuenientur & longitudinis & latitudinis tanta spatia, quæ verè totius mundi reparanda germina, & vniuersorũ animaliũ rediuiua seminaria capere potuerint.* Sic eo loco Origenes.

Origenes. IDEM libro quarto contra Celsum disputat, amplissimam fuisse arcam illam Noë, magnæque vrbi similem, vtpote cuius basis longitudine fuerit nonaginta mille cubitorum, latitudine autem viginti quinque mille. Et hæc quidem ab Origene. Sed ego me nec horum extremorum verborum, nec illorum superiorum de multiplicatione cubiti vel in sex vel in trecentos secundum virtutem Geometricam, ingenuè fateor sententiam assequi: cumque consultissimos atque doctissimos Geometriæ viros ea de re consuluissem, illi supradictis verbis Origenis diu multumque consideratis, denique responderunt, se, quis Origenes intelligere potuerit & verbis illis significare voluerit nequaquam intelligere: vt me quidem minus pudeat, nescire quod nesciam, confiteri.

Ioan. Buteo. NON me fugit quid Ioannes Buteo de hac Origenis opinione 28
senserit & in scriptis reliquerit: Sic enim Origenis verba interpretatur, vt ea reuocans & accommodans ad cubicationem Geometricam, contendat rectam esse Origenis sententiam & rationibus ac placitis Geometricis maximè congruentem: Cuius viri breuem super ea re disputationem visum est hoc loco cognoscendam lectori & considerandam proponere. Sic igitur ille ait in eo libello quem edidit de Arca Noë:

Exponitur & excutitur interpretatio sẽtentiæ Origenis de cubitis Geometricis quã tradidit Ioan. Buteo.

Videndum qua nam discretione sensus dictum Origenis stare possit, iam in præcedentibus ostendi, arcæ solidum continere cubitales cubos quatercentum quinquaginta millia. Planum est insuper, arcæ longitudinem fuisse sex cuplã suæ latitudinis. Basis igitur arcæ in sex æqualia quadrata diuidi potest, quorum commune latus est cubitorum quinquaginta, quod in se multiplicando, facies cubitos quadratos duo millia quingẽtos: Id erit Embadũ vnius sex quadratorum in basi. Rursus multiplicando cubitos quadrati duo millia quingentos in triginta cubitos altitudinis arcæ, fient septuagintã quinque millia cubitorum

lium cubitorũ: quæ est sexta pars corporis Arcæ. Ergo, vt, ait Origenes, vnusquisque talium cubitorum deputatur in sex, quoniam sexies septuagies quinque millia cubitalium cubitorum, summam quatercentum quinquaginta millia constituunt: quæ est Arcæ capacitas eadem, quam per meum ante calculum inueni.

29 ALTERAM *quoque dicti Origenis partem, vnũ scilicet cubitum in trecẽtos deputari, sic ostendo. Accipe alterutrũ ex minoribus Arcæ planis, cuius vnum latus est cubitorum triginta, alterum vero quinquaginta: hæc inter se duo latera multiplicata, cubita quadrata mille quingenta producunt: quem numerum multiplicans iterum in tertiam Arcæ dimensionem trecentorum cubitorum, ex vnoquoque minutatim cubito quadrato trecentos solidos officies, & in summam quatercentum quinquaginta millia: Id autem est solidũ Arcæ sicut prius quod erat demõstrandum. Et ita secundum rationem geometricam ex solido & quadrato verum habet Origenis dictum vtroque modo. Non autem quod cubitus Geometricus tantum valeat, quantum sex nostra cubita valent vt asserit Augustinus, nec cubito Geometrico sed cubicatione Geometrica quæstionem soluit Origenes: cum non cubitos Geometra sed cubicationem habeat seorsim ab vsu communi. Illud tamen aduertendum, esse vitiosum maximè, quod res per se difficilis, insuper ænigmate affectato verborũ sic ab Origene obscuratur, vt diuinare magis eporteat quàm interpretari. Planũ enim fuisset si dixisset, numeros cubitorum in descriptione Arcæ positos rationibus Geometricis inueniri efficere in corpus capacitatem Arcæ quatercentũ quinquaginta millium cubitorum.* Hactenus verba fuere Buteonis.

30 SED fac ita esse vt vult Buteo: nihilo tamen maior & capacior per istiusmodi cubita Geometrica existit Arca, quàm si vulgaribus cubitis eiusdem Arcæ magnitudo definiatur: & hoc fatetur ipsemet Buteo. At enim Origenes aduersus calumniantes paruitatem eius Arcæ demonstrare & probare voluit, quia Moses in describendo magnitudinem Arcæ, non vulgaribus sed Geometricis cubitis vsus sit eo fieri vt longè maior extiterit Arca quàm ea, metientibus magnitudinem eius vulgaribus & vsitatis cubitis fuisse videatur. Omnes etiam scriptores Ecclesiastici qui secuti sunt Origenem multo ampliorem euadere Arcam si cubitis Geometricis magnitudo eius æstimetur, & senserunt ipsi, idemque sensisse Origenem scriptis suis confirmauerunt. Et verò si æqualis magnitudinis & capacitatis fuisset Arca siue Geometricis siue vulgaribus cubitis dimensiones eius definiamus, quorsum obsecro quæstionem de magnitudine Arcæ à communibus cubitis, quorum apud omnes manifesta cognitio & frequens vsus est, traduxisset Origenes ad cubita Geometrica siue ad cubicationem Geometricam vt censet Buteo, rem scilicet valdè abstrusam & obscuram & perpaucis cognitam?

31 ILLVD præterea miror, cur Buteo alterum illud dictum Origenis quod est libro quarto contra Celsum, paulò supra à nobis positum, affirmantis basim Arcæ fuisse longam nonaginta mille cubitis, latam verò vigintiquinque mille, Cur, inquam, hoc Buteo non itidem sus-

ceperit interpretandum, cùm vel falsum sit, vel si verum est, obscurissimum habeat intellectum, & per difficilem explicatum. An forte eum locum Origenis Buteo non legerat? An eum quidem locum legerat, sed quia nullam eorum verborum satis commodam reperit interpretationem, prudenter scilicet, intactum tacitumque præterire maluit, quàm attingere quod expedire non posset? Apud Hugonem libro primo eorum quatuor, quos de Mystico intellectu Arcæ Noë scripsit, in capite tertio memini legere nescio quid ad huius dicti & sententiæ Origenis intelligentiam pertinens.

Cõfutatio sententiæ Origenis de cubitu Geometricis de quibus putat ille locutum esse hoc loco Mosem

SED vtcumque res habeat, illam certè opinionem tam multis probatam de cubitis Geometricis quorum quilibet tantum valeat quantum sex de vulgatis cubitis, in describendo Arcæ magnitudinem locutum fuisse Mosem, tanquam nec rationi, nec diuinæ scripturæ conuenientem, sed planè improbabilem, licet his argumentis confutare. 32
Principio, mensura ista quam describit Origenes cubiti Geometrici, nec apud ipsos Geometras, nec in vlla disciplina, nec apud aliquos artifices, nec denique apud gentes aliquas in vsu est aut fuit vnquam: non igitur de tali cubito locutum esse Mosem credendum est. Deinde Moses de ijs cubitis locutus est in describenda magnitudine Arcæ, de quibus loquitur in alijs suis libris, & quorũ frequens in ceteris diuinarum litterarum monimentis fit mentio: nam si hoc loco de alijs cubitis esset locutus, proculdubio ad præcidendam ambiguitatis & obscuritatis occasionem indicasset Moses variam cubiti significationem qua hic vsus esset: sed omnibus alijs locis suorum scriptorum Moses loquitur de cubito vulgato & vsitato, de cubito autem isto Geometrico nulla vspiam apud eum est littera, ergo remotum à ratione & à vero est arbitrari Mosem hoc loco de cubito Geometrica locutum esse.

ET huius quidem nostræ argumentationis minor propositio, illam dico quod alijs in locis Moses nunquam non loquatur de cubito vulgari, multis exemplis confirmari potest in Exodo, cap. 27. iubet Deus fieri altare longum quinque cubitis, totidemque latum, altum verò tribus cubitis: quæ altitudo iuxta rationem cubiti Geometrici Origenis, contineret decem & octo cubitos vulgares, id est, pedes septem & viginti longitudo verò & latitudo eius altaris fuisset triginta cubitorum vulgarium, id est pedum quinque & quadraginta, At enim tanta eius altaris vastitas nulli ad sacrificia facienda vsui esse poterat, & ob eius altitudinem non nisi scalis admotis ad aram eius ascendi potuisset. Id autem à ritu sacrorum omnino abhorrebat: quin etiam vetitũ à Deo fuerat, vt proditum est in capite vigesimo Exod. *Non ascendes*, ait Deus, *per gradus ad altare meum*. Ad hæc, in tertio capite Deuteronomij ex magnitudine lecti Og regis Basan, qui erat longitudine nouem cubitorum, significatur gigantea eius regis proceritas, quasi ea prope fuerit etiam nouem cubitorum: nouem autem cubita secundum rationem Geometricam Origenis, continent de

vul

vulgaris cubitis quinquagintaquatuor, id est, pedes fermè octoginta: at verò incredibile est eum regem, aut vllum etiam mortalium tantæ proceritatis vnquam fuisse.

ACCEDIT ad hæc, in libro primo Regum, cap ite 17. altitudinem gigantis Goliath describi sex cubitorum & palmi: quæ mensura iuxta opinionem Origenis de cubitis Geometricis, habet triginta sex cubita vsitata, id est, pedes quinquaginta quatuor: quare caput illius gigantis, secundum proportionem quam habet caput humanum ad reliquum corpus, fuisset prope nouem pedum. Quomodo igitur Dauid, vt eo loco scriptum est, caput Goliath à se abscissum, toto nempe se ipso grandius minimum tribus pedibus, manibus suis tollere, & Hierusalem ferre potuisset?

32 AD extremum, secundum istam cubitorum Geometricorum mensuram, enormis atque incredibilis fuisset Arcæ magnitudo: namque longitudo eius fuisset mille & octingentorum cubitorum, id est, pedum bis mille nongentorum: latitudo trecentorum cubitorum, id est, pedum quadringentorum quinquaginta: altitudo centum octoginta cubitorum, id est, pedum ducentorum nonaginta. Denique capacitas Arcæ continuisset nonagies septies millies mille & ducenta millia cubitorum: fuissetque maior & capacior quàm Arca, vti ea definita est à nobis secundum vulgaria cubita, ducenties decies sexies: quæ tam immanis Arcæ moles, nec vlli fuisset vsui quæcumque enim in ea contenta sunt, minima eius particula capi & contineri poterant: nec videtur vlla ratione & opera hominũ ædificari, nec tractari potuisse. Teneamus igitur priorẽ Arcæ magnitudinis descriptionem secundum vsitata cubita: talis enim dimensio & capacitas Arcæ, capiendis omnibus quæ in eam illata dicuntur, abundè suffecit, quemadmodum paulò infra perspicuè demonstrabitur.

Quanta fuisset magnitudo Arcæ secundum cubita Geometrica. Origenes.

SEXTA DISPVTATIO.

A quibus & quanto tempore ædificata sit Arca.

33 QVÆRVNT nonnulli, qui potuerit tantæ molis opus à quatuor duntaxat hominibus, Noë dico, & tres eius filijs, absolui? Verùm ad hoc facilis est responsio, etenim licet illi quatuor principes fuerint eius operis artifices: credendum tamen est adhibitos fuisse alios complures operarios mercede conductos: nam quamuis illi non crederent Noë prænuncianti venturum diluuium, lucri tamen gratia libenter ad perficiendum id operis operas suas locabant. Pensandum item est tempus centum annorum construenda arca consumptum, namque longinquitas fabricationis, paucitatem fabricantium compensat, perinde enim est paucos homines centum annis

opus ille perfeciſſe, atque, ſi plures vno anno abſoluiſſent.

Athenæus lib. 5. CONSTAT certè, auctore Atheneo, Hieronem Siciliæ regem na- 34
Nauigium Hieronis admirandum. uigium illud incredibilis magnitudinis, in quo erat triplex contignatio & apparatus materiæ triremium ſexaginta, remigationis verò ordinum viginti, cum iam aduecta eſſet materia ex Ætna monte, intra vnum annum conſummauiſſe, adhibitis operi faciundo trecentis fabris, præter adminiſtros fabricæ ſubſeruientes, Architecto operis Archia Corinthio. Illud ſanè permagnum & memorabile videtur, quod 5
Plinius. de Epheſino templo Dianæ à Plinio libro decimoſexto, capite quadrageſimo eſt proditum, quadringentis annis perfectum eſſe tota Aſia extruente, quāquam idem Plinius libro trigeſimo ſexto capite 14. duplo breuiorem eius templi ædificationem facit, ſcribens ducentis annis à tota Aſia fuiſſe fabricatum: vt alterutrum locum, aut Plinij lapſu memoriæ, aut librariorum negligentiæ vel inſcitiæ culpa mendoſum eſſe neceſſe ſit

Auguſt. AD eundem modum B. Auguſtinus ſupra dictam quæſtionem explicat libro 15. de Ciuitate Dei capite vltimo *Nam illud*, inquit, *quod quidam diſputant, tantæ magnitudinis Aroā non potuiſſe compingi, ineptiſſime calumniātur, cùm ſciant immenſas vrbes fuiſſe conſtructas: nec attendunt centum annos, quibus Arca illa eſt fabricata. Niſi forte lapis lapidi adhærere poteſt ſola calce coniunctus, vt murus per tot millia circumagatur, & lignum ligno per ſubſcudines, clauos & gluti bituminis non poteſt adhærere vt fabricetur Arca non curuis ſed rectis ligneis longe lateque porrecta: quam nullus in mare mittat conatus hominum, ſed leuet vnda cum venerit, naturali ordine ponderum: magiſque diuina prouidentia quàm humana prudentia natantem gubernet, ne incurrat vbicumque naufragium.* Sic Auguſtinus

Quanto tempore adificata ſit Arca. NEC eſt hoc loco quæſtio illa ſilentio inuoluenda, quanto tempo- 36
Beroſus Annianus. re fabricata ſit arca Noë. Beroſus Annianus ait anno ſeptuageſimo octauo ab inchoacta naui quæ inſtar Arcæ cooperta erat, ex improuiſo accidiſſe diluuium. Ex quo ſignificatur, ſeptuaginta octo annos in fabricāda Arca eſſe conſumptos. Hanc Beroſi ſententiam in ſuis Commentarijs exponens Ioannes Annius: *Dubitabatur*, inquit, *de eo quod dixit Beroſus, Arcam fabricari cœptam anno ſeptuageſimo octauo ante diluuium: cum centum viginti annos ſupputet Moſes capite ſexto Geneſeos. Sed ad hoc reſpondendum eſt mandatum fabricandæ Arcæ accepiſſe Noë centum viginti annis ante diluuium, vt ſignificat Moſes: quadraginta verò & duobus annis præparauit ligna Noë, ob immenſitatem operis faciundi. Vnde anno ſequēte qui erat ſeptuageſimus octauus ante diluuiū, incœptū eſt Arcæ opificiū vt Beroſus ſupputat.* Sic ille. Sed has ego vel fabuloſas Beroſi traditiones: vel (quod verius eſt) fictitias Annij commentationes atque interpretationes pro nihilo ducendas puto. Nam vnde quæſo innotuit Beroſo vel Annio, duos & quadraginta annos dum comparatur materia ædificationis Arcæ, præterijſſe? Cum igitur hoc illi ſine graui auctoritate, ſine probabili ratione, ſine aliqua veriſimili coniectura dixerint: qua facilitate dictum eſt, eadem facilitate contemni æquum eſt.

37 EST altera peruetus & peruulgata Doctorum sententia, centum annis fabricatam esse arcam Noë. Nimirū hoc tradit Origenes lib. 4. contra Celsum, Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei capite vltimo. & lib. 12. Contra Faustum, cap. 18. & in libro Quæstionū in Genesim, quæst. 5. Gregorius præterea homilia 15. in Ezechielem, & Rupertus libr. 4. Commentariorū in Genesim. c. 20 denique his posteriorū doctorum eadem fere sententia est. Sed vnde hoc isti colligūt: Videlicet eo quòd Moses cùm extremo cap. 5. dixisset Noë quingentorum fuisse annorum, proximè subiungit cum alia Dei verba dicta Noë, tum in primis mandatum Dei de fabricanda arca ei datum: erat igitur Noë quingentorum annorum, cum iussus à Deo est fabricare arcam. Nec fit credibile, Noë mandatum Dei de constructione arcæ longum in tempus exequi distulisse: quin potius quamprimū facere opus aggressum, omni studio & opera ad eius operis affectionē & absolutionē incubuisse. Diluuium porro euenit anno vitæ Noë sexcentesimo, scilicet statim vt finita est structura arcæ. Ergo arcæ confectio ab anno quingentesimo Noë vsque ad annum eius sexcentesimum, id est, per annos centum durauit. Sic isti ratiocinatur.

An centū annis fabricata sit Arca.
Origenes.
Augustin.
Gregorius.
Rupertus.

38 VERVM has coniecturas quibus fulcitur & firmatur istorum opinio, non esse valdè firmas, etiam me non monēte, facilè lector per se animaduertet. Neque enim certum est, quanto tempore post quingentesimum annum Noë, datum fuerit mandatum ei de fabricanda arca: nec liquet quo tempore finita sit eius fabrica. Non enim, quia Moses memorato quingētesimo anno Noë, subtexuit Dei mandatum de constructione arcæ, propterea sequitur vt illo ipso anno quingentesimo datum sit illud mandatum: cùm frequenter & Moses & alij scriptores sacri multa coniungant in sua narratione, quæ fuerunt inter se longis temporum interuallis disiuncta. Sane B. Augustinus, qui lib. 15. De Ciuitate Dei, cap. 24. dixit, verba Dei quæ Moses cap. 6. narrat dicta Noë, fuisse ei dicta, cum is quadringintorū & octoginta annorum esset, hoc est centum & viginti annis ante diluuium, consequens esse videbatur vt diceret, arcam per centum & viginti annos fuisse constructam.

August.

39 CETERVM multo minus centum annis arcam esse fabricatam, posset fortasse quispiam argumentari ex illis verbis, quæ Deum locutum esse Noë, narrat Moses capite sexto: *Ponam fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu & filij tui, & vxores filiorum tuorum*: his enim verbis significatur quo tempore Deus præcepit Noë de arca extruenda, iam eo tempore filios Noë habuisse vxores. Ex quo sequeretur, si centum annis ante diluuium arca fabricari cœpta est, etiam filios Noë centum annis ante diluuium vxores habuisse, quod profecto perspicuè falsum est, & contrarium diuinæ scripturæ, quæ cap. 11. Geneseos narrat Sem filium Noë, finito diluuio fuisse centum annorum: Ergo Sem centum annis ante diluuium natus est, quomodo igitur id temporis vxorem ille habere potuit?

VERVM

VERVM à communis sententiæ sectatoribus atque propugnatoribus responderi ad hoc posset, non omnia quæ narrat Moses hoc capite Deum esse locutum Noë, vno atque eodem tempore locutum esse sed alia prius, alia posterius, licet ea omnia Moses contineṇti serie & contextu narrationis coniungat: itaque mandatum illud extruendę arcæ, datum ei fuisse centum annis ante diluuium: illud autem de ingressu filiorum Noë, eorumque vxorum in arcam, mandatam esse structura arcę vel iam planè finita, vel prope absoluta. Nisi forte magis illud placeat, omnia hæc Deum eodem tempore locutum esse, sed illud de filiis Noë & vxorib. eorum ingressuris in arcam dixisse Deum non tamquam iam præsens, sed vt futurum multo an denunciasse: vt hoc Deum dixisse & significasse Noë cogitemus: Fac tibi arcam, quo possis venturi diluuij cladem effugere: in arcam porrò intrabis tu, & vxor tua, & filij tui qui nuper tibi nati sunt: aut (si nondum nati fuerant) qui nascentur tibi, & insuper vxores filiorum tuorũ, quas illi suo tempore ducturi sunt: Vt hisce verbis significare Deus voluerit quos ipse quotquot homines ex diluuij exitio seruare constituisset. Quanquam igitur sententia communis de centũ annis fabricationis Arcæ, non admodum firmis rationibus, fulciatur, quod ea tamẽ perũetus sit, multorúmque atque grauium auctorum, nec quanto plus minúsue centum annis fabricata sit arca demonstrari possit: idcirco videtur ea opinio merito præferenda ceteris.

DE ARCÆ FIGVRA ET DISPOsitione ac partium eius distinctione.

VERS. 16. *Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius: Ostium autem arcæ pones ex latere deorsum: cænacula, & tristega facies in ea.*

HOc loco de Ratione structuræ & figura ac dispositione ipsius Arcæ disputandum est. Ad supradictorum autẽ verborum Mosis explanationẽ pertinet, vt quinque de rebus, nonnulla quæ obscuritatẽ & difficultatẽ habent, explicemus: Primum, de interuallis seu interstitiis quę erant intra arcam, hoc est, de tabularis & contignationibus arcæ: tum de mansiunculis designatis atque comparatis ad habitationem animalium & conseruationem escarũ: deinde de ostio arcæ: adhæc de fenestra arcæ: postremò de culmine & fastigio arcæ. Quod attinet ad primũ, scire oportet, arcam fuisse

fuisse diuisam in aliquot interstitia seu interualla diuersis tectis inter se distincta quæ secundum longitudinem & latitudinem Arcæ æqualia erant inter se, differebant autem secundum altitudinem arcæ. Hæc appellant alij vel tabulata, vel contignationes, vel cameras, vel denique cœnacula: nos perspicuitatis gratia nominabimus principales Arcæ partes.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Quot fuerint in Arca tabulata seu contignationes.

40 DE partium Arcæ numero, quot scilicet in ea fuerint, prima existit quæstio à nobis tractanda Philo sub finem libri secūdi De Vita Mosis videtur huiusmodi partes Arcæ quatuor fecisse quas nominat contignationes. Sic enim scribit: *Fabricauit Noë opus ex lignis maximū longitudine trecentorum cubitorum, latitudine quinquaginta, altitudine triginta, distinctum cellis continuatis, alijs imis, alijs in secunda & in tertia quartaq; contignatione dispositis*, Idem significat Iosephus primo lib. Antiquitatum: *Arcam*, inquit, *extruxit Noë quatuor contignationum.* Erat autē arca tam tecto, quàm lateribus firma contra omnem vim tempestatum & vndarum insultum. Quarum autem rerum vsui quælibet illarum contignationum esset destinata, nec Philo nec Iosephus indicauit. *Philo.* *Iosephus.*

41 ORIGENES quinque facit eas partes Arcæ, sic eas distinguens & ad varios vsus designans: vnam facit infimam, prope basim Arcæ, in quem locum deiiciebantur excrementa & sordes totius Arcæ: In secunda quæ supra hanc erat, condita erant pabula & cibaria omnium animantium: in tertia, bestiæ quæ erant feræ & immites habitabant: in quarta, mitiores animantes, tam quadrupedes, quā reptiles, & volucres: in quinta & suprema, homines & aues. Origenis verba homilia secunda super hoc sextum caput Geneseos sic habent: *Iam verò intrinsecus ea quæ dicuntur arcæ inferiora, bicamerata ponūtur, id est, habitationem duplicem continentia: superiora verò tricamerata, veluti si dicamus triplicibus distincta cœnaculis. Sed hæ distinctiones habitationū ad hoc factæ dicūtur, vt secerni per singulas mansiones diuersa animalia vel bestiarū genera facilius possent, & à bestijs feris mansueta quæq; & ignaua seiungi. Traditum sanè nobis est, & non absque verisimilitudine, inferiora quæ bicamerata diximus, ob hunc modū fuisse duplicia, Nam quia vnum integrū annū fuerūt animalia in arca, necesse vtique fuit in totum annum prouidere illis cibos: nec cibos tantum, verum & egestionum designari loca, quo neque ipsa animalia, neque homines fimi fœtore vexarentur. Tradunt ergo, infimā partem arcæ quæ in fundo erat, eiusmodi sordibus & excremētis excipiendis destinatam fuisse: ea verò quæ supra hanc erat, ad conseruanda pabula pertinebat. Etenim necessa-* *Origenes.*

rium videbatur, vt beſtijs natura ſua carnium oris ſeparatim animalia ad illarum victum vitamq́, conſeruandam, poſteritates reparandæ gratia: in arcam introducta deputarentur: aliis verò carnium oris animalibus alia ſeruarentur alimenta, prout naturalis cuiuſque vſus poſcebat. Ad hos ergo vſus, inferiores duæ partes arcæ quæ bicameratæ dicuntur, pertinebant. Superiores autem tres arcæ partes ſic erant diſtinctæ: In tertia, fera & immitia animalia domicilium habebant: in quarta, mitiores animantes verſabantur: in quinta & ſuprema homines, quos vt ratione & ſapientia ſuperiores cunctis animalibus Deus

Origen. *fecit, ſic in arca celſiores domicilio & habitatione eſſe decebat.* Sic Origenes, qui ad hãc quinque partitam Arcæ diuiſionem ex trãſlatione Septuaginta interpretum videtur adductus. Sic enim habet illa: *Inferiora bicamerata & tricamerata facies eam*, quaſi dicat interiorem arcæ capacitatem in quinque cameras eſſe diſpertiendam.

Auguſt. VERVM S. Auguſtinus multo ſecus verba hæc Septuaginta in- 42
terpretum intelligens & explanans, tres duntaxat principales arcæ partes videtur facere. Nam in libro Quæſtionum in Geneſim, quæſtion. 6 hoc modo ſcribit: *Quod ait cum de arcæ fabricatione loquitur: Bicamerata & tricamerata facies eam, quæri ſolet, num inferiora futura erant bicamerata & tricamerata? Sed in hac diſtinctione totam ſtructurã eius arcæ intelligi voluit, vt haberet inferiora, haberet media & ſuperiora, qua appellantur tricamerata. In prima quippe habitatione, id eſt, in inferioribus, ſemel camerata erat arca: in ſecunda verò habitatione ſupra inferiorem, iam bicamerata erat: ac per hoc in tertia ſupra ſecundum tricamerata erat.* Sic ibi Auguſtinus. Simile eſt quod idem ſcribit libro 15. De Ciuitate Dei, cap. vltimo tres in partes diſtinguens arcam, quarum quælibet longa eſſet trecentis cubiti, lata verò quinquaginta.

Hiſtoria Scholaſtica. HISTORIA Scholaſtica, Lyranus, Toſtatus, Dionyſius Carthu- 43
Lyranus. *Toſtatus.* *Dionyſius carthuſ.* ſianus, aliiq; recentiorum non pauci præter quinquepartitam Origenis diuiſionem Arcæ, alteram ipſi tradunt etiam quinque partitam, verùm diuerſa ratione diſtinctam. Nam primò tres faciunt principales partes arcæ, infimam, mediam, & ſupremam, Et infimam appellant ſtercorariam & inſtar ſentinæ nauis: mediam conſeruationi alimentorum aſſignant, & hanc bicameratam faciunt, id eſt, in duo ſpatia diſtinctam ſecundum longitudinem arcæ: in altero herbas & olera, in altero fructus & ſolidiora cibaria reponunt. Supremam partem arcæ deſtinant habitationi animalium & hominum, tripartitam facientes, vt in extremis duabus partibus eius ſecundum longitudinem habitauerint animalia, in altera quidem fera, in altera verò manſueta: media porrò pars habitationem hominum continebat. Et hæc quidẽ ab aliis de Arcæ diſpoſitione & partium eius diſtinctione tradita ſunt.

Auctoris ſententia de numero diſpoſitione & vſu partiũ arcæ. EGO me conuenienter magis narrationi Moſis facturum eſſe reor, 44
ſi tres principes eius arcæ partes fecero: tres dixerim, quæ ſcilicet ad habitationem animalium hominúmq; & conſeruationem alimentorum pertinebant, prætermiſſo fundo arcæ: nam ſi huius quoque

rationem

rationem in diuisionem arcæ habere lubet, quatuor in partes arcam distribuere oportebit. Et prima (ab infimis incipiendo) continebat basim & fundum arcæ secundum totam eius longitudinem & latitudinem, altitudinis autem arcæ quatuor vel quinque cubitos habebat: hæc erat receptaculum omnium sordium arcæ, vndequaque per meatus ad id comparatos illuc defluentium, eratque instar sentinæ nauis, nisi quis fortè putet fundum arcæ saburra fuisse oppletum, vt fit in nauibus, ad maiorem arcæ in aquis stabilitatem atque firmitatem. Excrementa verò & sordes arcæ, non in fundum arcæ, sed extra arcam in aquas per foramina & apetturas obliquas multifariam ad eum vsum in arca factas fuisse deiecta.

SVPRA hanc igitur infimam arcæ partem, cuius, vt vult Origenes, nullam in descriptione Arcæ mentionem fecit Moses, tres erant aliæ principales arcæ partes, totam quidem arcæ longitudinem & latitudinem singulæ habentes, sed partem tantum altitudinis. In prima locata sunt animalia omnia terrestria, cui octo vel nouem cubitos altitudinis tribuimus: nullum enim animal terrestre adhuc visum est excedens altitudinem octo cubitorum. Supra hanc erat altera pars octo pariter cubitis alta omnes cibariorum apothecas continens: Supra hanc denique erat tertia & suprema habitationi hominum & auium assignata, nouem vel decem cubitis alta: quæ cùm longa esset trecentis cubitis, satis superque ampla erat & capax paucorum illorum hominum atque omnium auium: nam licet plurimæ sint auium species, pleræque tamen omnes parua sunt corporis mole: præsertim cùm non solum intra arcam, sed in loculis ad latera arcæ appensis reponi potuerint. Supra tectum huius supremæ partis erat culmen & fastigium arcæ, quod cuius figuræ, quantæque fuerit magnitudinis, infra dicetur. Quemadmodum verò quælibet harum trium partium arcæ plurimis mansiunculis siue nidis, vt appellat scriptura, referta & instructa fuerit, altera Disputatione quæ hanc proximè sequetur, explicaturi sumus. Atque hęc est nostra de partiũ Arcæ dispositione & distinctione sententia. Cui fides astruitur ex ipsa Hebraica scriptura, quæ sic habet ad verbum hoc loco: *Inferiora & secunda & tertia facies eam.* Id est, Facies in arca tria tabula, infima, media & suprema. nam illud: *Facies eam* dictum est pro, *in ea*: vel quia tota arca non erat aliud quàm istiusmodi tripartita tabulata. Similiter habet paraphrasis Chaldaica. Eandem quoque sententiã reddere verba illa Septuaginta Interpretum: *Inferiora bicamerata & tricamerata facies eam* paulò, supra, interprete beato Augustino demonstrauimus.

45 EADEM sententia est & nostræ translationis Latinæ, licet non sit facilè verba eius omnia ad huius sententiæ intellectum accommoda re. Sic autem habet illa: *Deorsum cœnacula & tristega facies in ea.* Illud, *cœnacula*, significat loca ampla in ædibus, id est, longa & lata, sic appellata, quòd in eiusmodi locis veteres, dispositis triclinis, cœnare solebant: inde vox ea ad alia quælibet loca ædium ampla significanda

Expenditur Latina lectio.

traducta est. Illas ergo tres partes arcæ, quarum amplitudinem descripsimus, vocabulo cœnaculi denotauit Latinus interpres. Nam quod sequitur *& tristega*, explicatio est vocis cœnali: sæpè numero enim fit in sacris litteris, vt cùm duo vocabula ponuntur, posterius sit quasi interpretatio prioris. Declarans igitur Latinus interpres, illa cœnacula arcæ quot fuerint, & quemadmodum separata, nominauit ea *tristega*, quod sonat tria tecta: indicans ea cœnacula fuisse tria & tribus tectis distincta, nam primum tectum, fuit supra cœnaculum animalium: alterum, supra cœnaculum vbi erant cibaria: tertium & supremum, supra cœnaculum in quo erat hominum habitatio. Non enim memoratur quartum illud tectum quo tegebatur fundus arcæ, nec vltimum tectum continens culmen & fastigium arcæ: sed earum modò partium arcæ tecta nominantur, quæ partes ad vsum animalium & hominum comparatæ fuerant.

CETERVM illud aduerbium *deorsum* quo referri & cum quo 46
iungi debeat, non facilè intellectu est. Si enim iungatur cum illis verbis sequentibus, *Cœnacula & tristega facies in ea*, non videtur verâ reddere sententiam: si quidem cœnacula & tristega non erant deorsum, hoc est, in imo arcæ, sed per totam ipsam arcam distincta. Sin autem iungatur cum illis verbis proximè antecedentibus: *Ostium facies in latere Arcæ*, & cum hoc iungatur illud, *deorsum*: primo, id planè discrepat à scriptura Hebraica, paraphrasi Chaldaica, & translatione Septuaginta interpretum, quæ illud, *deorsum* pro quo illæ habent, *interiora*, iungunt cum sequentibus. Deinde non existit vera sententia: non enim ostium arcæ factum est deorsum, id est, in imo arcæ, fuisset enim incommodissimum, ac nulli prorsus vsui. Toſtatus iungit *deorsum* cum eo quod dictum est de ostio, nec refert *deorsum* ad arcam, quasi in imo arcæ faciendum esset ostium, sed iungit cum eo quod paulò superius dixerat Moses de fenestra: *Fenestram* inquiens *in arca facies, ostium autem Arcæ pones in latere deorsum*: vt significet Moses ostium fieri debere infra fenestram: etenim fenestra fuit in superiori parte cœnaculi hominum: ostium verò infra fuit vel in ipso cœnaculo hominum, vel etiam infra hoc, id est, in cœnaculo animalium.

Toſtatus.

QVOD si illud *deorsum*, iungatur cum sequentibus (& verò iungendum videtur) dupliciter exponi potest; Primo, vt *deorsum* idem significet atque, imum arcæ quæ erat instar sentinæ: vt, quod scriptura Hebraica & Græca translatio appellarunt interiora arcæ, Latinus interpres dixerit, deorsum. Vt sit hæc sententia: Fac primo deorsum arcæ, id est, primum tabularum quod fundum arcæ contineat, & supra hoc facies cœnacula in vsum habitationis animalium atque hominum & conseruationis escarum: & hæc facies tristega, id est tribus tectis siue tabulatis siue contignationibus inter se distincta.

POTEST etiam illud *deorsum* referri ad id quod præcessit de faciendo ostio, vt cogitemus ostium arcæ fuisse in supremo cœnaculo quod erat hominum: iussisse autem Deum fieri deorsum, id est infra ostium,

ostium, alia cœnacula numero tria & tristega, id est, tribus testis distincta, vt vnum esset supra aliud. Et primum quidem cœnaculum, conseruandis cibarijs destinandum erat: alterum, habitationi animalium: tertium, continere debebat fundum & imum arcæ. nam licet fundus arcæ propriè non possit appellari cœnaculum, attamen amplè sumpto eo vocabulo, vt sæpè vsurpari solet, nihil prohibet eum sic esse nominatum. Nec alia mihi commodior occurrit ratio explanandi verba hæc Latinæ translationis, vt & veram habere sententiam, nec à scriptura Hebraica, & translatione Septuaginta Interpretum discordare videatur.

OCTAVA DISPVTATIO.

De numero & ordine mansiuncularum quæ erant in arca.

Mansiunculas in ea facies.

47 HOc, quantum ad verborum sententiam supra explanatum est. Hic tantum explicare oportet quod fuerint in arca mansiunculæ, quo ordine dispositæ, quantæ magnitudinis singulæ, quemadmodum inter se distinctæ, quàm idoneè & cõmodè ad vsum habitationis animaliũ designatæ & constitutæ. In primo igitur cœnaculo (primũ dico ab inferioribus arcæ ascendentibus ad superiora & prætermisso fundo arcæ) vbi futura erant animalia, trecentas mansiunculas designare licet non modò cunctis animalibus terrestribus quæ in arca fuerunt, sed multò etiam pluribus capiendis atque continendis abundè sufficientes. Eas porrò trecentas mansiunculas distribuimus in sex ordines, extensos secundum longitudinem arcæ, disiunctos autem & separatos inter se secundum eiusdem arcæ latitudinem.

CVILIBET autem mansiunculæ tribuuntur sex cubita longitudinis totidémque latitudinis, altitudinis verò, nouem vel octo cu-
48 bita. Nam & si nonnulla sunt animalia terrestria tantæ proceritatis, vt eorum par vnum, plus spatij ad habitandum requirat (bini enim elephantes qui fuerunt in arca, ampliorem, vtique locum desiderabant) attamen quoniam pleraque animalia eius sunt magnitudinis, vt minori loco contineri possint: idcirco mensura illa cuiusque mansiunculæ longitudinis sex cubitorum, totidemque latitudinis, satis superque fuerit: perpauca enim animalia plus loci occuparunt, quam plurima verò minori loco circumsepta & contenta sunt. Erant autem mansiunculæ omnes assamentis & cancellis conclusæ.

ASSIGNANDO igitur cuilibet mansiunculæ sex cubita longitudinis cum illud cœnaculũ esset longũ trecentis cubitis, quanta

nempe longitudo erat totius arcæ, neceſſe eſt quemlibet illorum ſex ordinum, qui ſecundum totam eius cœnaculi longitudinem extendebantur, habuiſſe quinquaginta manſiunculas, cumque latitudo arcæ eſſet quinquaginta cubitorum, & cuique manſiunculæ tributa ſint ſex cubita latitudinis; illi ſex ordines manſiuncularum, triginta ſex cubita latitudinis arcæ implebant, ſupererant igitur alia quatuordecim cubita latitudinis arcæ, quæ diſtribuere oportet in aliquot ambulationes tam in longum quam in tranſuerſum inter ſex illos ordines manſiuncularum interiectas, quo ſcilicet poſſent homines diſcurſare, omniaque perluſtrare, quæ ad vtilitatem animalium pertinebant, facilius proſpiciendi & ſuppeditandi gratia. Quod ſi plus ſpatij quatuordecim illis cubitis ad commodiorem earum ambulationum vſum videatur eſſe conferendum, poterit quantumcumque fuerit opus, vel ex magnitudine manſiuncularum detrahi: idcirco enim & plures & grandiores quàm opus erat, eiuſmodi manſiunculas deſignauimus.

ALTERVM verò & medium cœnaculum condendis ſeruandisque cibariis comparatum, multis erat apothecis diſtinctum, diſparis tamen magnitudinis & capacitatis, ſcilicet pro varietate commeatuum namque fœnilia, palearia, & vbi frondes ſeruabantur, grandiora eſſe oportuit quàm frugum & leguminum conditoria. Omnes autem apothecæ tabulatis ſeparabantur. Aliqua item eius cœnaculi parte, in vaſis ligneis aut fictilibus ingens erat copia aquæ dulcis in potum animalium hominumque & in vſum lauandi. Sicut etiam in illa celebri regis Hieronis naui narrat Athenæus fuiſſe ad prorā ingēs aquæ receptaculum capiens metretarum duo millia, aſſamentis, picē, linteiſque compoſitum: & prope hoc fuiſſe piſcinam laminis plumbeis aſſibúsque compactam, aquæ marinæ plenam, in qua magna vis piſcium habebatur. 49

Athenæus lib. 5.

ERANT præterea in hoc ipſo cœnaculo multifariam diſpoſita foramina & meatus directo ſuperſtantes præſepiis animalium, quæ in ſingulis eorum manſiunculis facta erant ad pabulum: ſicut etiam ibidem receptacula erant aquæ ad potum. Ex medio igitur cœnaculo per illa foramina in præſepium cuiuſque manſiunculæ dimittebatur pabulum quod in eſum victúmque ſatis eſſet: erant quoque in eo cœnaculo multi canales lignei & tanquā aquæ ductus, per quos aqua in manſiunculas animalium ad eorum potum deriuabatur. Nec dubitare fas eſt Noë præſcium omnia quæ in terris erant cataclyſmo perituta, copioſam ſupellectilem tam ruſticam quàm vrbanam, ferramentorūque genus omne fabrilium, tam huius medij cœnaculi quàm ſuperioris, vacantibus locis repoſuiſſe. 50

SEQVITVR tertium & ſupremum cœnaculum, in quo domicilium erat hominum & auium. Huius partes omnes ad varios vſus hominum & volucrum accōmodatas: quia Ioannes Buteo ſatis aptè deſignauit, & breuiter expreſſéq; deſcripſit, ponam hic deſcriptionem 51

Ioan. Buteo.

eius

eius iisdem ipsis verbis quibus ille vsus est. *In suprema*, inquit, *regione Arcę amplum fuit cœnaculum vbi erat hominum habitatio illuminatum arcę feneſtra, quæ cum grandior eſſet, valuas habuit ſpeculari lapide ſeu vitro, chryſtallóue munitas, vt iniuriam cœli, non lucem arceret. Cœnaculo iungebatur cella penaria atque culina, cui focus erat lapideo tabulatu: erāq; ibi molæ truſatiles cum libanis, item andronitis atque geniceum diſtincta ſcilicet cubicula virorum atque mulierū, creditur enim, quoad fuere in arca, mulieres & viros ſeorſum cubaſſe, & vſu coniugij abſtinuiſſe. Hæc autem membra ſecundarium lumen (vt vocant Optici) à cœnaculo capiebāt: in alijs verò, quoties opus erat, lucernarum vſus adhibebatur.*

PROPE *culinam lignile fuit, ex lignis coctis quæ dicuntur Græcè ἄνθρακες, id eſt, ſine fumo, & inſuper cella carbonaria. Poſt hac horreum ſequebatur, & apothecæ fructib. ruſticis omnis generis refertæ, atque deinceps aliæ cibis auium dicatæ. Quarum omniū ornithones & caueæ in hac ſuprema contabulatione fuerunt, viarumq; directiones intermiſſis iunctūrarum modicè ſpatijs, vt eſſent velut æſtuaria quibus refrigeſceret aër, ſubiectorum animalium halitu calefactæ, eſſetq; ſpiramentū ſalubrius. Ad hoc etiam habuit ora ſuperior ab vtraq; longitudinis parte ſpiraculā, operis quadam neceſſitate relicta, prohibente ſcilicet cantheriorum craſſitudine, ne trabibus arrectariorum trāſuerſis aſſeres ſuperni iungerētur. Vnde tamen propter ſubgrundiorū ecphoras, nec lumen, nec pluuialis aqua deſcendebat in arcam. Scales præterea locis opportunis admotas eſſe non eſt dubitandū, per quas facilis ad omnia tabulata pateret aditus, vectorum denique & onerum diſtributionem ita factam in Arca exiſtimare oportet, vt ea ſuper aquis librata poſitione ferretur: cuius figura longior ſicut ferendo oneri commoda fuit, ita & huiuſmodi libramento ac temperamento præcipuè opus habuit.* Hactenus ex Buteone.

52 CETERVM illud obiter ac breuiter diſputandum hoc loco eſt, num extra Arcam, ipſi tamen affixæ fuerint manſiones aliquę ad habitationem eorum animalium quæ appellantur amphibia, hoc enim multos ſenſiſſe refert Hugo, eámq; ſententiam videtur ipſe approbare ac ſequi. Sic enim ille ſcribit libro primo de Arca morali, capite tertio: *In parietibus huius Arcæ foris facti erant nidi ſiue manſiunculæ quaſi ad ipſos parietes affixæ, ita vt introitus eorum extrinſecus pateret, ipſo pariete integre permanente intrinſecus. Et hos nidos dicunt factos eſſe propter illa animalia quæ nec ſemper in aqua, nec ſemper in arida degere poſſunt: ſicut eſt lutra & vitulus marinus.* Sic Hugo.

Virum factæ ſint aliquæ manſiunculæ extra Arcā, ipſi tamē Arcæ affixæ, vt quidam ſenſerunt. Hugo.

VERVM hanc opinionem equidem cenſeo minimē probabilem eſſe, quin eam licet quinque argumentis refutare. Primo, inæqualis illa ſtructura manſionum extra Arcam extantium, incommodiſſima fuiſſet Arcæ, propter maximam vim aquarum quadraginta continuos dies magno impetu ſupernè cadentium, & earum quæ ad latera Arcæ vehementer allidebantur. Deinde aut illæ manſiunculæ extrinſecus, id eſt, verſus aquam fuiſſent apertæ & patentes, aut clauſæ: ſi apertæ, id fuiſſet magno detrimento & exitio animalibus inibi latentibus propter incurſiones frequentes & vehemētes fluctuum qui ad latera impinge

impingebantur & allidebantur: sin autem erant clausæ, non igitur potuissent animalia quæ ibi erant, quoties opus erat eire in aquam ad captandum & comparandum sibi pabulum aquatile, sine quo putarunt isti ea non potuisse vitam degere. Ad hæc Moses in describendo structuram Arcæ, tãtum indicauit mansiones fuisse factas intra arcam: si quæ autem aliæ extra arcam factæ essent, eas ille similiter expo suisset. Silẽtium igitur earũ apud Mosem, nullas fuisse eas in arca manifestum argumentum est.

PRÆTEREA Moses nec semel, nec non apertis verbis tam in capite sexto quàm in septimo ostendit omnes animantes quæ seruatæ sunt à diluuio, in arcam esse introductas. *Ex cunctis animantibus, dixit Dominus ad Noë, vniuersæ carnis bina induces in arcam, vt viuãt tecum, &c.* & rursus, *Bina de omnibus ingredientur tecum vt possint viuere,* quod & posteà factum esse, scriptura repetit, dicens: *De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur super terram, Duo & duo ingressu sunt ad Noë in arcam, masculus & fœmina sicut præceperat Dominus Noë.*

ILLVD etiam quod ab istis dicitur, videtur falsum, animalia illa 53
amphibia non posse diu in aquis degere: & terrestri pastu indigere. Non enim crocodilus & vitulus marinus necessitatis causa terram appetunt, sed vberioris prædæ & commodioris ac tutioris loci, ad generationem & conseruationem prolis, captandi gratia. Nec verum est istiusmodi animalia sine aquatili pabulo diu vitam posse degere:
Buteo. narrat enim Buteo vidisse se Lutetiæ duo vitulos marinos è longinquo vectos ad regem Galliæ spectaculi gratia, qui non minus auidè carnes quàm pisces appetebant & vorabant. Quid multa? etiam si concedamus istiusmodi animalia nec extra Arcam, nec sine aquatili pastu viuere potuisse: nec locus tamen illis ad habitandum defuit in Arca, & in supremo eius cœnaculo vbi erant homines, amplissimum supererat spatium ad faciendam ingentem piscinam, quæ piscium plena, cibum istis animalibus in totum annum abundè suppe-
Athenæus. ditaret: quemadmodum supra ex Athenæo diximus, in illa nobili regis Hironis naui magnam fuisse piscinam piscibus omnis generis abundantem.

NONA DISPVTATIO.
De ostio Arcæ & eius feneſtra.

Ostium autem Arcæ pones ex latere.

VERS. 17.

ILLVD. *Ex latere* idem est, quod, *in latere arcæ*, vel, *à latere*, Græcè est ἐκ πλαγίων, quod Ambrosius de Arca & Noë, capite octauo vertit, *Ex aduerso.* S. Augustinus in Locutionibus in Genesim monet plerósque codices habere

Ambrosius. Augustinus.

à latere,

à latere nõnullos tamen habere *Ex transuerso*. Significatur autem perspicuè his verbis, ostium non fuisse aut in tecto, aut in angulis Arcę, sed in aliquo quatuor laterum Arcæ; quorum duo erant latera longitudinis Arcæ, scilicet longiora, altera duo latitudinis, quæ breuiora erant. Ac licet in lateribus longitudinis potuerit esse ostium: ferè tamen Doctores putant fuisse in alterutro latere latitudinis, quod ibi commodius fuerit ad ingressum animalium in Arcam: inde enim incipiebant sex illi ordines mansionum in quibus habitabant animalia, vt illa ingressa in suas quæque mansiones facile deducerentur.

55 SED videndum est in quo cœnaculo arcæ fuerit ostium. Hugo libro prime De Arca morali, capite tertio sententiam Doctorum & suam de ostio Arcæ breuiter his verbis exposuit: *Cum enim dicitur: Pones ostium in latere deorsum per latus deorsum, videtur significare parietem lateralem, ad differẽtiam lateris quod sursum erat in tecto, in quo fortassis fenestra posita fuit. Affirmãt autẽ Doctores, ostium arcæ inter secũdam & tertiam mansionem locatum fuisse, ita vt limen eius fundo tertiæ mansionis esset contiguum, introitus autem eius sursum, in latere eiusdem mansionis excisus erat. Ita vt ab ostio duæ quidem mansionis deorsum essent: tres autẽ sursum. Et vnam dicunt ad fimum animalium recipiendum ordinatam: secundã, ad cibaria eorum, in tertia fuisse indomita animalia, in quarta, mitia animalia: in quinta quæ suprema erat homines & volatilia. Et verisimile est, duas illas inferiores mansiones natante arca deorsum aquis fuisse demersas: tertia verò in qua animalia erant, quæ spiramento aperti aëris egebant, prima supra aquas eminebat, ita vt foris per aquam ad arcam ascẽdentibus, ostium fere per planum occurreret. Et secundum hunc modum fortassis dictum est: Pones ostium deorsum, vel deorsum ideo, quia in quacumque mansione poneretur, deorsum erat, vt arca intrantium pedes exciperet.* Sic Hugo. *Hugo Sancti Victoris.*

56 VERVM Hugoni ego quidem dupliciter non assentior: tũ quod illud, *deorsum* iungit cum ostio, debere autem iungi cum sequentibus ex Hebraica scriptura: & paraphrasi Chaldaica, ac translatione Septuaginta Interpretum, supra ostensum à nobis est. Tum quod existimat iam incœpto diluuio, terrisque aqua apertis animalia natando ingressa esse in arcam: at Moses capite septimo apertè indicat ante diluuij principium & homines & animalia ingressa esse in arcam, ita scribens: *Ingressus est Noë & filij eius, vxor eius & vxores filiorum eius cum eo in arcam, & de cunctis animantibus duo & duo ingressa sunt ad Noë in arcam. Cumque transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram.* Idémque paulò infra repetens subiungit: *Et incluſit eum Dominus deforis, Factúmque est diluuiũ quadraginta diebus: & multiplicate sũt aquę, & eleuauerunt arcam in sublime à terra,* Buteo arbitratur ostium arcæ fuisse super sentinam, ita in eo cœnaculo vbi fuerunt animalia, limen haberet, & in ipso limine cardines, vnde fores versatæ proclinarentur in terram, scalarúmque vicem supplerent quatuor cubitorum ascensu *Buteo.*

Ego sic sentio, ostium, fuisse vt ait Scriptura, in alterutro latere 57
latitudinis arcæ: nam & in animali hominéque atque in aliis corporibus figuræ quadrangularis, sed non æquilateræ, propriè dicuntur latera quæ continent latitudinem. Sed quanta fuerit altitudine ostium à basi Arcæ sublatum, licet incertum sit ex ipsa Scriptura, verisimile tamen admodum est fuisse in cœnaculo habitationis animalium quinque fermè cubitis elatum è basi Arcæ. Nec difficile fuit mollem & facilem struere ascensum animalibus in Arcam ingressuris. Necesse autem fuit optimè clausum & vsquequaque munitum fuisse ost ū com- 58
missuris omnibus firmissimè compactis: & ad hoc significandum, dixit Moses Deum foris clausisse ostium: futurum enim erat toto diluuij tempore aquis demersum, si quidem verum est quod Lyranus & Tostatus ex sententia & traditionibus Hebræorum prodiderant, arcam diluuij tẽpore duodecim circiter cubitis fuisse, aquis demersam: ita vt totum ferme cœnaculum animalium intra aquas fuerit. Sed hoc verum sit necne, disputabitur posteà libro duodecimo qui erit de Diluuio.

Lyranus.
Tostatus.

De fenestra Arcæ.

Sequitur apud Mosem de fenestra Arcæ, *Fenestram in Arca facies.* Hoc de fenestra Arcæ quod habet Latina translatio, necnon & scriptura Hebraica atque paraphrasis Chaldaica, omiserunt Septuaginta Interpretes: namque pro hoc ipsi habent: *Colligens facies arcam,* quod ad fenestram arcæ nihil plane pertinet: cur autem id omiserint, 59
ne diuinando quidem, causam aliquam probabilem dicere possum: Pro vocabulo *fenestram,* est hoc loco vox Hebræa *Sohar,* propriè significans lucem, præsertim verò meridianam: quapropter Hieronymus ait in Hebræo haberi: *Meridianum facies arcæ:* sed manifestius esse interpretatũ à Symmacho dicente διαφανὲς, hoc est, Dilucidum facies arcæ, volente fenestram intelligi. Significat etiam vox illa, *Sohar,* id quod lucem præbet: hoc autem dupliciter fieri contingit, aut quia lucem in se habens diffundit eam ad alia, vt lucerna, siue lapis aliquis pretiosus igneo fulgore splendens, aut quia lucem transmittit, vt est fenestra, per quam lux intrat in domum.

Hieronymus in traditionibus in Gen.

Hebræi arbitrantur eo vocabulo significatam esse à Mose hoc 60
loco lucernã ex grandiori quapiam gemma, vt Lychnite vel Carbunculo tanta luce fulgentibus, vt vbi fuerint, tenebras inde aliquatenus discutiant. Huiusmodi ergo lucernæ radiantis fulgore putant isti arcam, præsertim autem cœnationem vbi erant homines, fuisse illuminatam. Sed enim negari non potest in arca fuisse fenestram, quæ aperiri & claudi potuerit: nam infra capite octauo dicitur, cessante diluuio, Noë aperuisse fenestram quam fecerat, & per eam emisisse cornum atque columbam.

Alii opinantur in suprema parte cœnaculi hominum per cir 61
cuitum eius complures factas esse fenestras speculari lapide vel ex vitro chrystallove, sic fabricatas & aptatas, vt arcerent aquam, lucem verò admitterent: quocirca Moses nominans singulari numero fenestram,

neſtram, aut ſingulare poſuit pro plurali, vt frequenter fit in ſacris litteris. aut eam tantum feneſtrā quæ præcipua erat in arca & cuius infra facturus erat mentionē, hic nominare voluit. Toſtatus putat fuiſſe veram feneſtram, toto diluuij tempore clauſam & bituminatam, nec pellucidam nec apertam niſi finito diluuio. *Toſtatus.*

62 BVTEO vnam tantum facit feneſtram, ſed perlucidam, quę ſcilicet extrinſecus lucem accipiens tranſmitteret in arcam; eāque vnam ſatis fuiſſe ad vſum hominum. Namque animalia non deſiderant lucem, niſi paſtus & ea quibus egent acquirendi cauſa: naturaliter enim vel in foueis, vel in cauernis & ſpecubus, vel in dēciſſimorum nemorum atque fruticum latibulis, vel in cauis arborum receſſibus delitescere gaudent, & quaſi lucem oderint, totos dies latitant, noctibus tantum prædæ & paſtus cauſa prodeuntia. Videntur quoque præter hominem, animalium cetera etiam in tenebris aliquatenus cernere. *Ioan. Buteo.*

63 DE feneſtræ magnitudine nihil dixit Moſes: ſed Vatablus & Oleaſter hoc loco putant fuiſſe altitudinis vnius cubiti: idque ſignificatum eſſe à Moſe, cùm ſubiunxit: *Et in cubito ſummitatem eius conſummabis*, vel vt ipſi vertunt ex Hebræo; *in cubito, ſiue ad cubitum cōſummabis eam ſuperne*: illud enim pronomen *eius*, ſiue, *eam*, tam Græcè quàm Latinè ambiguum eſt, cùm & ad arcam, & feneſtram referri queat, iſti autem referunt ad feneſtram. tanquam Deus præceperit feneſtram fieri longam ſiue altam vno cubito, vel eā in vno illo ſupremo & trigeſimo cubito altitudinis arcæ fieri debere. Latitudinem autem feneſtræ aiunt non deſcribi à Moſe: quoſdam tamen eam colligere ex longitudine: vt feneſtræ latitudo fuerit ſextæ partis vnius cubiti. Verūtamen & talis feneſtra nimis parua proportione arcæ, & nullius fere vſus fuiſſet, illudque verbū *conſummabis ſiue perficies*, denotat aliquid iam inchoatum, nec dum tamen cōpletum: qualis erat arca, quæ quoad non habuit operculum ſeu tectum, imperfecta fuit. Quid quod, ſi hic non agitur de vltimo tecto arcæ, aliubi nuſquam eius fit mētio, cùm tamen infra capite octauo ſcriptum ſit, Noë finito diluuio aperuiſſe tectum arcæ. Ego vt poſtremam ſententiam minimè improbo, ita ſecundam maxime probo. *Franciſcus Vatablus. Oleaſter.*

DECIMA DISPVTATIO.

Qualis fuerit forma ſtructuræ Arcæ ſecundum Varios Auctores.


64 RESTAT vt per aliquot quæſtiones diſputemus qualis fuerit figura Arcæ ſiue ratio ſtructuræ eius, varias Doctorum ſuper ea re opiniones recenſentes atque diſcutientes. Quarum prima nobis obuia ſit Origenis opinio exi- *Origenes.*

ſtimantis Arcam in baſi fuiſſe longam trecentos cubitos, latamque quinquaginta: à baſi verò ſurgentia latera, ſemper magis ac magis inter ſe tam ſecũdum longitudinem quàm ſecundum latitudinem fuiſſe arctata & coanguſtata, donec ad extremum non plus vno cubito inter ſe diſtarent: vt ſupremum culmen, quadratum fuerit æquilaterum, continens extrema quatuor latera arcæ ſingula vnius tantum cubiti. Cui opinationi videtur fides aſtrui ex tranſlatione Septuaginta interpretum, quæ hoc loco ſic habet: *Colligens facies arcam, & in cubito conſummabis eam.* illud, *colligens*, ſignificari videtur arcam ab imo debuiſſe ſemper colligi, id eſt, coarctari magis ac magis in anguſtũ: ita vt ſummitas totius arcæ tam ſecundum longitudinem quàm latitudinem non eſſet maior vno cubito.

SED præſtat audire Origenem, ſuam ipſum propriis verbis opinionem enarrantem. In ſecunda igitur homilia ſuper hoc ſextum caput Geneſeos ad hunc modum ſcribit Origenes: *Quam arcam ego puto quantum ex his quæ deſcribuntur apparet, quatuor angulis ex vno cõſurgentibus, eiſdemque paulatim vſque ad ſummum in anguſtum contractis, in ſpatium vnius cubiti fuiſſe collectam. Sic enim refertur, quod in fundamentis, ius trecẽti cubiti in lõgitudine, in latitudine vero quinquaginta, triginta autem in altitudine ſint poſiti: ſed collectam fuiſſe eam in cacumen anguſtũ, ita vt in cacumine vnus fuerit cubitus lõgitudinis & latitudinis eius.* Et paulo poſt, quibuſdam interpoſitis. *Veruntamen*, inquit, *quantum ad neceſſitatem pluuiarum & diluuij ſpectat, nulla potuit tam conueniens & congrua Arcæ ſpecies dari, quàm vt è ſummo, velut è tecto quodam, in anguſtũ culmine ducto diffunderet imbrium ruinas, & ima in aquas quadrata ſtabilitate conſiſtens, nec impulſu vẽtorum, nec impetu fluctuum, nec inquietudine animalium quæ intrinſecus erant inclinari poſſet aut mergi.* Sic Origenes.

Beda. Rupertus. Toſtatus. ITAQVE ſecundum Origenem figura Arcæ talis fuit, qualis eſt pyramis abſciſſo vertice, ſi planum ſectionis non quadratum, ſed altera parte ſexies longius deſignetur. Et hanc deſcriptionem Origenis pleno aſſenſu approbarunt Beda, Rupertus, Toſtatus aliíque permulti. Nos formam Arcæ ſecundum Origenem hìc lectori ſpectandam ſubiecimus. 65

Forma Arcæ ſecundum Origenem.



AB, *Longitudo.300.Cub.*
AC, *Latitudo 50. Cub.*
DE, *Altitudo 30. Cub.*
EF, *Magnitudo tecti 1. Cub.*

HVGO

66 HVGO tamen refragatur Origeni, in libro primo de Morali Arca, capite tertio aduersus eum ita disputans: *Sententiæ Origenis plura reſpagari videntur. Primo, quod hæc forma ad natandum non videtur esse idonea: constat namque tãtæ molis machinam tot tantisque onustã animalibus & cibarijs nequaquam ita potuisse supernatare venientibus aquis, vt non ex magna parte sui deorsum premeretur: cuius rei experimẽtũ capere possumus in nauibus magna gestantibus onera. Si ergo, vt dicitur statim ab imo cõtrahi cœpit, ita vt intumescentes fluctus latera hinc inde inclinantia, nõ repellerẽt: sed exciperẽt, & non tam aquæ arcã, quam arca aquas portaret: quo modo fieri poterat vt non tota statim ad ima descẽderet?* Sic Hugo cõtra Origenem. Hugo contra Origenem.

67 AT enim verò præter rationem instabilitatis arcæ & periculi submersionis, quam bene vrget Hugo aduersus Origenem, magnis insuper incõmodis premitur istiusmodi forma & descriptio Arcæ. Nam qualem obsecro habet conuenientiam eiusmodi descriptio cum figura arcæ, qualem figura habebat illa Noë cacuminis etiam eius quadrati designatio, & aspectu deformis fœdáque est, & inutilis operi atque inhabilis vsui propter quẽ fabricata est arca. Sane ipsa ratio pyramidis modum fabricationis habet impeditum ac difficilem, & ad tot tantorumque animalium habitationem perquàm incommodum.

68 NAVIGATIONI porrò & annuæ cõmorationi in aquis, quàm futura esset ea descriptio inepta, forma nauigiorum ostẽdit, in quibus semper id quod est contractum vergit in carinam: quæ verò latiora sunt in apertum prodeunt, & in altum surgunt supra aquas extantia. Sed illud maius fuisset incommodum, quod ex capacitate Arcę quam supra descripsimus, quadringẽtorum quinquaginta mille cubitorum vix tertia pars secundum hanc descriptionis Origenis existeret. Ergo, dum formam Arcæ ad depellendos imbrium defluxus accommodare voluit Origenes, ad euitandos impetus ventorum & illisiones fluctuum ac procellarum infirmissimam, maximèque naufragiis obnoxiam, & ad capienda quæ in Arca esse oportebat angustissimam atque incommodissimam reddidit.


Qualis fuerit Arcæ figura secundum Hugonem.

69 HVGO Arcam putat fuisse compositam duabus ex partibus, quarum altera inferior erat quindecim cubitis alta, continens tres mansiones, infimam loco sentinæ: mediam, continendis cibarijs: supremam, ad habitationem animalium sæuorum & immitium. Altera pars Arcæ superior erat, similiter alta quindecim cubitis quam ipse appellat tectum Arcæ superpositum priori parte, intra quod erant homines, aues & terrestres animantes mansuetæ: Sed latera huius superioris partis siue tecti paulatim fastigiabantur, tandemque desinebant in cacumen quadratum vnius cubiti. Hugo igitur eo differt ab Origene, quod hic statim à fundo Arcæ latera eius coarctat &

fastigiat: ille verò Arcæ latera à basi recta excitat per quindecim cubitos, exinde autem ea constringit & acuminat. Verum hæc sententia Hugonis quam ruditer hic adumbrauimus, expressius lectorii ex verbis eius cognoscenda est.

In primo igitur de Morali Arca, capite tertio hoc modo scribit Hugo: *Videtur nobis quod in ipsa Arca parietes in quatuor partibus fuerint erecti: quibus tectum superpositum in cacumine suo ad mensuram vnius cubiti contrahitur. Cuius autem altitudinis fuerint parietes ipsi, hoc auctoritas non dicit, Sed tamen, quantum conijcimus, altitudo parietum vsque ad fundum quartæ mansionis extendebatur* Et quibusdam interiectis: *Si quæratur*, inquit, *verum æqualis fuerit altitudo singularũ mansionum nec ne, nos quidem ex auctoritate probare non possumus quid sentiendum sit: interim tãtum quod auctoritati contrarium non sit, nobis concedi postulamus. Volumus enim sic distinguere: vt primæ mansioni demus altitudinem quatuor cubitorum: secundæ, quinque cubitorũ, tertiæ sex, quartæ septem, quintæ octo. Et sic altitudo parietum quindecim habebat cubitos, & quindecim altitudo tecti.* Hæc Hugo, cuius sententiam de forma Arcæ, subiecta hic figura repræsentat.

Forma Arcæ secundum Hugonem.



A B Altitudo Arcæ 15. Cub
B C, Altitudo Tecti 15. Cub.

Sed ego hanc opinionem Hugonis multis de causis minimè pro- 7ª
bare possum. Ac primo quidem videtur eo loco non solum diuersa, sed etiã contraria dicere. Namque ex supradictis verbis apparet Hugonem extendere tectum arcæ vsque ad fundum quartæ mansionis, & intra ipsum constituisse quartam & quintam mansionem at idem paulò superius dixerat superpositum fuisse tectum, quod erat quintę & supremæ mansioni in qua homo morabatur contiguum. Deinde, si tectum incipiebat à fundo quartę mansionis, id est, à tecto tertiæ: ergo quarta & vltima mansio fuissent sub tecto, quomodo igitur duæ illæ mansiones erant inter se distinctæ, cùm sub eodem tecto essent? mansiones enim in Arca distinguebantur & separabantur inter se diuersis tectis siue contignationibus interpositis, nisi spatium illud quod erat intra tectum, tricameratum fuisse dicat, id est: tribus domiciliis distinctum, vno mitium animalium: altero auium, tertio hominum. Verum sic non erant quinque mansiones sed tres tantum inferiores, & quarta erat tricamerata.

71 PRÆTEREA Hugo prætermisit dicere quemadmodum se habuerint latera siue parietes tecti, an statim à fundo quartæ mansionis inclinari & coarctari inciperent: an aliquanto spatio recti surgerent posteà inclinarentur: an denique per totos quindecim cubitos tecti essent, & post hanc altitudinē inciperet fastigium tecti: hoc enim declarare, permagni referebat ad cognoscēdam eius opinionem de forma arcæ. Nam si putauit parietes tecti statim cœpisse coarctari, fecit deformem arcæ speciem, scilicet proportione longitudinis eius & latitudinis, tali tecto turpem aspectu: hoc est, perpusillam & quasi nanam: fecit insuper domicilium hominū incommodissimū, quod ponit intra tectum, propter angustias laterum semper magis ac magis vergentium in acumen. Præterquam quòd hac constitutione tecti, fermè tertiam partem detrahit capacitatis quadringentorum quinquaginta milliorum cubitorum, quam supra tribuimus capacitati Arcæ.

SI autem voluit parietes tecti primo fuisse aliquatenus rectos, deinde verò inclinatos, hoc dicitur gratis, cùm huius varietatis neque necessitatem, neque vtilitatem vsumue aliquem ostendat: neque præcisè doceat quatenus recti fuerint parietes & vnde ceperint inclinari. Quod si censuit parietes tecti totis quindecim cubitis fuisse rectos: sane tanta tecti altitudo proportione corporis Arcæ, & secundum artem vitiosa, & operis fuisset inutilis: quò enim tam excelsum & amplum tectū opus fuit? Quid plura; cùm ipsa pyramidalis constructio, etiam super basi solida, perplexi operis ac magni laboris sit: si super dimidio Arcæ collocetur, multo magis operosa & ardua fuerit: Ipsa namque dissimilium corporum & inter se discordantium cōmissura, nisi robustis colligationibus crebrísque transuersariis & prismatū fulturis validissimè distineatur, pars inferior pondere violentiáque testudinis tota protrudetur. Vt taceam eiusmodi catenationes multò plus oneris atque impedimenti nauigio exhibere, quàm bonam vectorum ac vecturæ partem.

Quid senserit Caietanus de forma Arcæ.

72 EXPLANANS Caietanus illa verba huius sexti capitis: *Et in cubito consummabis summitatem eius*, significat ea figura fuisse Arcā, vt latera eius in supremo adeo coarctarentur secundum latitudinē, vt licet totam Arcæ longitudinem ipsa retinērent, attamen secundum latitudinem non amplius vno cubito inter se distarent. Cur autem suprema laterum Arca non omnino & in totum fuerint inter se iuncta, sed relictum fuerit interuallum vnius cubiti latitudinis eam reddit ipse causā: quo scilicet ea ratione maior esset interior arcæ capacitas. Caietanus igitur (vt designationem eius Mathematico more declarem) Arcam Noë ea corporis specie figurat, quod à Geometris Prisma nominatur: cuius quo ex opposito plana parallela super minoribus basis lateribus sint trigona, verticibus abscissis, latitudine cubi-

tali,


tali, reliqua verò tria plana parallelogramma

PONAM hic verba Caietani, vt ex his liquidò cognoscat lector & iudicet (suboscurè enim loquitur Caietanus) an ea sit quam dixi eius sententia. Exponens igitur illa verba: *Et in cubito consummabis summitatem eius.* siue vt ipse legit ex Hebræo: *Ad brachium perficies eam supernè: Non de fenestra,* inquit, *sed de arca est sermo, quod suprema pars Arcæ vnius tantum brachij esse debebat: tum vt pluuiales aquæ hic inde laberentur, tũ vt Arca non flecteretur grauedine summitatis. Sed hoc potest dupliciter intelligi: Primo, vt summitas Arcæ fuerit quadrata, hoc est, secundum singula quatuor latera vnius cubiti, & hic sensus valdè dissonat tum à superficie pendula Arcæ foris, tum à capacitate Arcæ intus. Nam surgẽte linea altitudini triginta cubitorum in medio Arcæ, secante in medio lineam longitudinis trecentorum, & lineam latitudinis quinquaginta cubitorum, cõstat quod linea ducta ab extremo semilongitudinis vsque ad summitatem lineæ altitudinis, esset plusquamcentum quinquaginta cubitorum, vt patet. Et maior adhuc esset linea ducta ab angulo Arcæ ad eandem summitatem, vt patet. Existentibus igitur lineis ductis à quatuor Arcæ angulis ad summitatem lineæ altitudinis in medio tã longis, & ipsa linea altitudinis existente tam parua manifestè apparet quod minime pendula, immo fere plana fuisset foris arca. Et hinc etiam apparet quod Arca fuisset intus minimæ capacitatis. Nam lineæ tam à quatuor angulis, quàm ab extremis longitudinis Arcæ ductæ ad summitatem tam breuis lineæ in medio, fuissent adeo propinquæ pauimento Arcæ, vt valdè modicum spatium vacuum intercepisset, vt patet.*

ALTER *itaque sensus est, quod suprema pars Arcæ fuit vnius cubiti secundum latitudinem duntaxat: secundum longitudinem fuit quantum erat longa arca, scilicet trecentorum cubitorum, & quia sic verificatur littera, & cessant omnia absurda, ideo hic sensus amplectendus est. Foueturq; ex eo quod constat, arcæ supremæ parti ideo decretum fuisse cubitum, vt capacior esset arca intus nisi enim maioris capacitatis ratio fuisset habita, decretum fuisset vt tabulæ per longitudinem Arcæ versus altitudinem ad concludendam summitatem vtriusque cõsurgentes sese in summitate tãgerent absque cubito. Non est itaque forma Arcæ nostro accomodanda figmento: sed quo foris magis pendula sit & intus magis capax, eo verius intelligitur littera.* Atque hęc quidem Caietanus. Cuius descriptionem arcæ refert, vt in plano potuit exprimi, subiecta figura.

Forma Arcæ secundum Caietanum.

A, B. LATITVDO TECTI. I. CVB.



VERVM

72 VERVM non satis liquet quemadmodum Caietan. imaginatus sit latera Arcæ. Aut enim existimauit latera statim ab imo & basi arcæ angustari cœpisse secundum latitudinem, donec in summo non plus vno cubito latitudinis inter se distarent: sed hac ratione nihil fermè differt Caietan. ab Origene, & magna ex parte minuit arcæ capacitatem à nobis supra descriptã: quamuis enim fastigium arcæ nihil contraheretur secundũ longitudinem arcæ, sed tantum secundum latitudinem, nihilominus tamen etiam sic plurimum capacitatis deperdidisset arca. Aut putauit Caietanus latera à basi recta surrexisse vsque ad trigesimũ cubitum altitudinis, atq; ibi fuisse laterib. impositum fastigium, cuius latera totam arcæ longitudinem implerent, in supremo autẽ non amplius vno cubito secundũ latitudinem inter se distarent. At enim declarare eum oportebat quantæ altitudinis fuisse existimaret illud fastigiũ siue tectum arcæ. Nec latitudo vnius cubiti relicta in verttce fastigij inter eius latera quicquam conferre potuit ad maiorem arcæ capacitatẽ, vt ipse putauit: si quidem totũ fastigium erat supra tectum supremi cœnaculi siue habitationis hominum, infra quodsi tectũ vsq; ad basim arcæ, tota capacitas Arcæ cõtinebatur.

Animaduersio in Caietanum.

Quæ fuerit de figura Arcæ Nicolai de Lyra opinio.

73 LYRANVS super hoc sextum caput Geneseos de structura Arcæ duo reliquit scripta, ex quibus, quemadmodum ipse formam Arcæ imaginatus sit, facilè possit intelligi. Nam primo, latera Arcæ recta facit vsque ad trigesimum cubitum, & interiorem Arcæ capacitatem in tres mansiones distinguit, infimam facit loco sentinæ, quam appellat ipse stercorariam: mediam destinat conseruationi alimentorum, sed facit eam bicameratam, vt separatim condita fuerint olera & herbæ, & seorsim fruges atque fructus: tertiã & supremam constituit tricameratã, vt in medio domicilium hominum atque auium, in duobus autem extremis cætera animalia, in vno sæua, in altero mansueta.


AVDIAT lector Lyranum, quod breuiter dixit, paulò distinctiùs explicantẽ. Nam explanans illa verba: *Cœnacula & tristega facies in ea: Videtur*, inquit, *quod in arca erant tres mansiones, ascendendo vna super alteram, & infima vocabatur sentina vel stercoraria, quia illuc defluebãt fœces, & ea fuisse dicitur simplex & absque aliqua intercluſione: media autem vocabatur apotheca, quia ibi reposita erant victuaria. Et dicitur fuisse bicamerata, quia aliqua animalia viuũt herbis & alia fructibus: & ideo in vna distinctione erant herbæ, & in alia fructus. Superior autem mansio, quia erat maior, distincta erat duabus intercluſionibus: & sic erant ibi tria spatia, medium erat pro hominibus & auibus, duo verò lateralia pro animalibus mitibus & immitibus. Aliqui faciunt istas quinque mansiones absque vlla distinctione media, scilicet vnam super aliam secũdum longitudinem & latitudinem arcæ. Sciendum tamẽ quod quadratura huius Arcæ non potest bene figurari in plano, sed figuratur vnum latus secũdum longitudinem & alia tria latera supponenda*

sunt secundum imaginationem. Veruntamen prior expositio magis consonat literæ in Hebraico & in Latino. Sic ibi Lyranus.

AD hoc putat Lyranus, lateribus arcæ fuisse impositum tectum ita fastigiatum, vt omnia eius latera desinerent in culmen quadratum cubitale, ad eum nempe modum quo fastigium Arcæ descripsit Origenes. Hoc de tecto Arcæ, exponens illud: *& in cubito consummabis summitatem eius*, his verbis declarat Lyranus: *Ab angulis Arcæ superioribus tectum procedebat sese constringendo, ita quod in summitate latera non distabant nisi per cubitum: & hoc erat vt pluuia descendens super tectum extra Arcam defflueret facilius, & vt arca inter impetus vndarum staret firmius.* Atque hæc est de forma Arcæ Lyrani sententia, quam exprimit subscripta figura.

Forma Arcæ secundum Lyranum.

TECTVM.



SENTINA.

Examinatur opinio Lyrani.

CETERVM in hac Lyrani descriptione formæ Arcæ duo repre- 74
hendi, aut certè desiderari possunt. Nam nec indicauit quantæ altitudinis fuerit tectum supernè claudens & contegens Arcam, potuit enim variis modis fieri, vel excelsius vel humilius: nec aperuit causam cur fastigium & culmen arcæ relictum fuerit quadratum, cum nullam eius rei appareat esse potuisse vel necessitatem vel vtilitatem: quinimo videtur longè opportunius futurum fuisse magisque accommodatum ad faciliorem per tectum arcæ imbrium delapsum atque defluxum, si omnino acuminatum fuisset.

Qualem fuisse speciem & figuram arcæ existimauerit Io. Buteo.

Io. Buteo. lib. de arca Noë

IOAN. Buteo qui in arcæ structura subtiliter explicãda 75
satis diligens & accuratus fuit, de tecto arcæ ita sentit, Mosen cum dixit summitatem arcæ in cubito consummari debere, significasse his verbis tectum arcæ faciendum esse altitudinis vnius cubiti, ita vt is cubitus esset altitudo mediana culminis arcæ, per totam longitudinem cubitorum trecentorum, quæ quidẽ altitudo longioris etiã tractus profluuio satis esse potuisset, præsertim in planitiæ leuigata, & bitumine lubricata.

VERBA Buteonis hæc sunt: *Arcam in cubito perfici, intelligo præter ceteros omnes vt cubitus iste sit altitudo mediana culminis per totam longitudi-*


nem

nem cubitorum trecentorum præter echoras : quæ quidē altitudo longioris etiam tractus profluuio satis erat in planicie præsertim leuigata, asphaltoq; lubricata. Etenim Vitruuius ipse, in eo solo riui, quo per canales structiles aqua ducitur, libramenta fieri statuit fastigiata ducentesima tantum parte longitudinis. In hac autem positione tecti fastigium cubitale rationem Vitruuij ostendo superat. Præter id etiam quod cœlestis aqua deciduis undique guttis se ipsa propellens, facilius multo labitur quàm quæ riuo vel canali procedit. Ad hunc igitur quē dixi modum cōstituta summitate vnius altitudine cubiti, nulla relinquitur in culmine latitudo, quam omnes, quos hucusque legerim ista disputantes cubitalem esse voluerunt. Hic autem orthographum geminæ frontis secundum latum & altum arcæ disposui: vbi linea B A, fastiginm cubitale designat, Sic ille. Vitruuius.

Tectum arcæ iuxta Buteonem.

ALTVM VNO TANTVM CVBITO

B A




Idem porrò omnia quatuor arcæ latera à basi vsque ad supremum, id est, trigesimum cubitum altitudinis, recta excitat: quibus tectum (quale proximè descriprum est) superponit. Interiorem autem arcæ capacitatem siue spatium quatuor in partes secundum totam longitudinem & latitudinem arcæ diuidit diuersis contignationibus & tabulatis interpositis, separatas inter se eodem prorsus modo atque nos supra disputatione septima quatuor fecimus cœnacula seu partes arcæ. Atque hæc Buteonis sententia videtur nobis, quàm ceteræ omnes superius expositæ, vero propior atque probabilior. Formam autem arcæ quæ præter ceteras probantur nobis, quæ hic subiicitur figura, demonstrat.

Forma arcæ secundum Buteonem.

BA, ALTITVDO TECTI VNIVS CVBITI

B



VERVM historica & litteralis eorū quę de arca scripsit Moses explanatio, adhuc tractata est. Sequitur altera pars huius libri, in qua mystica quoque eiusdē arcæ multiplex interpretatio pertractanda est.

ALTERA PARS LIBRI DECIMI DE MYSTICA INTERPRETATIONE ARCÆ.

ARCAM Noê propter historiam rerum, vt à Mose nar- 77
rantur, verè gestarum, adumbrasse etiam & præsignificasse multa in Ecclesia Christi futura mysteria, negare aut etiam dubitare fas non est. Etenim perspicuè ostendit Dominus noster, tempus Noëtici diluuij illustrem gessisse imaginem supremi temporis mundi, quo tempore posterior Domini ad iudicandum aduentus expectatur: & B. Petrus docet, diluuium & arcam, insignem fuisse Baptismi Christiani & Ecclesiæ figuram, vt enim illic pauciſſimi seruati sunt in arca, ceteris omnibus diluuio demersis ac deletis, sic etiam hic pauci in Ecclesia Christi salui fiũ tinnumeris qui extra Ecclesiã sunt, sempiterna morte pereuntibus: Iam verò si omnia Hebræis in figura contigerunt: quanto magis hoc, quod inter omnia diuinæ potentiæ ac prouidentiæ monumenta & 78
miracula præcipuam cõmendationem & admirationem habet? Nam si aliter est, nec huius rei habita est ratio, quid obsecro erat opus per arcam tanti laboris & operæ centum nempe annis fabricatam, pauculos illos homines cum animalibus ex diluuij exitio seruari: cùm illi facilius multò & expeditius in vno aliquo terræ loco, diluuij aquis ac cessu ad eum locum prohibitis, conseruari potuissent?

Matth.24. Luc.17.

1.Petri.3.

Augustin. CONFIRMAT hoc B. Augustinus extremis duobus capitibus libri 15. de Ciuitate Dei ita scribens: *Iam verò quod Noë homini iusto, imperat Deus vt arcã faciat, in qua cum suis & cum animalibus liberaretur à diluuij vastitate, proculdubio figura est peregrinationis in hoc sæculo ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiæ quæ fit salua per lignum, in quo pependit mediator Dei & hominum homo Christi Iesus. Et cetera quæ in eiusdem arcæ constructione dicuntur, Ecclesiasticarum signa sunt rerum. Et fieri quidem potest, vt & nobis quispiã, & alius alio exponat hoc aptius: dum tamen ea quæ dicũtur, ad hanc, de qua loquimur, Dei ciuitatem in hoc sæculo maligno, tanquam in diluuio peregrinantem, omnia referantur, si ab eius sensu qui ita conscripsit, non vult longe aberrare qui exponit. Nam etsi non vno differuntur modo, ad vnam tamen Catholicæ fidei concordiam reuocanda sunt.* Hæc in capite. 26.

1.Tim.2.

IN vigesimo autem septimo, *Non pertinere*, inquit, *ad præfigurandam Ecclesiam tam multiplicia rerum signa gestarum, nisi fuerit contentiosus,*

nemo

nemo præmittitur opinari. Iam enim gentes ita Ecclesiam repleuerunt, mundiq; & immundi, donec certum perueniatur ad finem, ita eius vnitatis quadã compagine continentur, vt ex hoc vno manifestissimo, etiam de ceteris quæ obscurius aliquanto dicta sunt, & difficilius agnosci queunt, dubitari fas non sit. Quæ cum ita sint: si nec inaniter ita conscripta esse putare quisquam, vel durus audebit: nec nihil significare cum gesta sint: nec sola dicta esse significatiua, non autem facta: nec aliena esse ab Ecclesia significanda probabiliter dici potest: sed magis credendum est & sapienter esse memoriæ literisq; mandata, & gesta esse, & significare aliquid, & ipsum aliquid ad præfigurandam Ecclesiam pertinere, Hactenus ex Augustino.

Nos igitur triplicem Noëticæ arcæ mysticam interpretationem hic breuissimè perstringemus. Et vna quidem interpretatio erit secundum Physiologiam. Physiologicam appello interpietationem, quæ historiam rei ad naturalem alterius rei vim & proprietates, propter quandam vtriusque rei conuenientiam & similitudinem aptè & congruenter accommodat. Altera interpretatio erit secundum allegoriam: Tertia, secundum tropologiam. Nec verò quicquam ex nostro sensu promemus, sed ex antiquis & laudatis auctoribus deprompta, in medium proferemus.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Quemadmodum arca Noë secundum Physiologiam fuerit humani corporis figura.

79 BEATVS Augustinus libro 15. de Ciuitate Dei capite 26. breuiter docet mensuras longitudinis, latitudinis, & altitudinis arcæ, dimensionibus humani corporis pulchrè respondere. Siquidem longitudo arcæ trecentorum cubitorum, sexcupla fuit ad latitudinem eius quinquaginta cubitorum, & decupla ad altitudinem eiusdem triginta cubitorum. Consimili ratione humani corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia, sexies tantum habet quantum latitudo quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantum quantum altitudo: cuius altitudinis mẽsura est in latere à dorso ad ventrem: velut si iacentem hominem metiaris, supinum aut pronum, is sexies tantum longus est à capite ad pedes, quàm latus à dextra in sinistram, vel à sinistra ad dexteram & decies quàm altus à terra. *Augustin.*

80 VERVM hanc similitudinem Arcæ & Humani corporis enucleatius distinctiúsque tractat, & quidem pereleganter B. Ambrosius in libro de Arca & Noë, capite sexto & aliquot sequentibus: *Arcam,* inquit, *Noë si quis velit impensius considerare, inueniet in eius ædificatione descriptam humani figuram corporis. Fac,* inquit, *Deus, tibi arcã de lignis qua-* *Ambros. sequitur lectionẽ. LXX. Interpretum.*

dratæ. Quadratum appellamus, quod suis omnibus bene consistat partibus, & conueniat sibi. Quadrata autem hominis membra esse, euidens ratio ostendit, si consideres pectus hominis, consideres ventrem pari mensura lõgitudinis & latitudinis: nisi cum voluptatibus & epulis ventre distento, mensura naturalis excedit. Iam pedes & manu, brachia, fœmora & crura quadripertita quis non ipso vsu aduertat? Sunt autem pleraque eorum etsi non eiusdem lõgitudinis aut latitudinis, tamen quæ analogiam ita seruant, vt in ijs quoque congrua mensura ratioq; cõcurrat: lõgitudo prolixior quàm latitudo sit, latitudo quàm altitudo. Et sicut ligni arcæ trina distantia est, siquidem trecẽtorum cubitorum longitudinem, & quinquaginta latitudinem, & triginta cubitorum altitudinem seruanda esse præscripsit: ita & in nostro corpore summa est & media & minima distantia. Summa, secundum longitudinem: media, secundum latitudinem: minima, secundum altitudinem: totum tamen corpus attextum ex singulis membris, quadratum videtur. Nam & in vsu ita est, vt eos quadratos dicamus, quos nec enormes proceritate, & validos robusti qualitate corporis æstimamus.

QVID etiam sibi velit quod ait: *Nidos facies in arca*, nequaquam 91
silendum videtur. Naturaliter enim dictum arbitror, eo quod omne corpus nostrum attextum est sicut nidus, vt spiritus vitalis omnes partes viscerum penetret, atque de principali nostro fundat se per artus singulos. Nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inseruit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium, per quos auditus se infundit, & velut in foueam altam deiicit. Nidus est narium, qui ad se odorem attrahit. Nidus est quartus maior ceteris hiatus oris, in quo nutritur, donec adolescat sapor: & vnde vox euolat, in quo latet lingua, quæ velut organum vocis, sonos eius artifici suauitate modulatur. Et cùm sit ipsa irrationabilis, rationabilem vocem exprimit. Nidus est hemicraneum. Nidus est membrana illa quæ cerebrũ fouet, & intra cohibet. Nidi sunt viscera pulmonis & cordis. Spiritus quidem nostri, hoc est, eius quem carpimus, & quo alimur in hac vita, nidus est pulmo. Sanguinis autem & spiritus nidus est cor. Duo sunt enim eius vteri, vnus quo sanguinem velut quodam sinu suscipit, & transfundit in venas: alter, quo rigatus ex illo superiori deducit in arterias iugi meatu. Ossa quoque validiora nidos habent, sunt enim intus cauata, & in quibusdam foraminibus est medulla. In visceribus ipsis mollioribus nidi cupiditatis aut doloris sunt. Et alia si quis consideret, etiam plures nidos inueniet in fabrica humani corporis. Vnde puto & illum in Psalmo non solum mysticè, sed etiam naturaliter dixisse: *Et enim passer inuenit sibi domum & turtur nidum vbi reponat pullos suos.* Est enim iam in hoc corpore nidus pudicitiæ, in quo erat nidus irrationabilis concupiscentiæ. Sed vbi antea partus deformes nutriebat libido, ibi nunc decoræ castitatis adolescit hæreditas.

ILLINIES, inquit, *eam bitumine*. Ex multis ossibus neruisque & ceteris aliis constat humanum corpus. Et foris igitur & intus aptæ compage connexum sibi adheret, & habitudine propria quàm, ἁρμο-

Græci

Græci dicunt, tenetur: vt intus clausus spiritus qui infunditur, vel spiritalis substantia quæ intus operatur, veluti geminis constricta vinculis non euagetur: sed ad vnitatem aptam & continentem, connexionemq; validam cohibetur. Ideo bitumine constringi arca iubetur: est enim bitumen vehementis ad constringendum naturæ. vnde Græcè dicitur, *ἄφθα παρὰ τοῦ συνάπτειν*, quòd disiuncta connectat, nexuq; constringat indissolubili, ita vt naturali vnitate sibi credas conuenire. Ob hanc causam intus & fortis bitumine arca constringitur, ne connexio illa facile rumpatur.

NEC illud prætereundum est quod additur: *Colligens facies arcam, & in cubito consummabis eam à summo:* vt reliquo corpori mensuræ sibi conuenientis ad gratiam decore quadret caput hominis, tanquam regale arcæ adiungeret: ex quo cùm sensus omnes ad ceteras partes corporis transfunderentur, maximè oculi, velut spectatores & custodes, naturæ appositi prouidentia, propè totum orbis nostri statum desuper contuerentur. Ipsaq; mens illic locata secundum plurimorum sententiam, & maximè Salomoniis, qui ait: *Oculi sapientis in capite eius*: quasi in aula imperiali virtutum, consilium sibi cõtrahat, quo stipata comitatu & ipsa munitior sit, & tanquam ex edito quodam tuẽdi totius corporis regnum impertiat, responsa proferat, per quæ possimus nos ipsi non solum retro respicere, nec solum quod ante pedes est, videre, sed etiam cæli ipsius secreta profundo sapientiæ obtutu spectare. Ibi igitur summa nostræ salutis, vbi gratia. Inde custodia, inde etiam pulchritudo corpori acquiritur, quæ primum in vultu vernat. Decet enim præstantiorem esse aulæ regalis nitorem, in qua sicut vsus maior, ita splendor est.

82 POST hæc multa subiicit disertissimè Ambrosius de sensibus in capita locatis. Tum verò subdit: *Hæc de capite prolixius diximus, quia oportuit sensus omnes in summo locari, vnde omnia per reliquas partes officia diuiderentur, capiti autem nostro à tergo ceruix proxima: dextera læuaq; brachia sunt, quæ arcem imperialem tãquam fida tuentur custodia. Denique hæc in nobis validiora: quæ propiora capiti, hæc præstantiora. Pectus quoque velut quoddam sacrarium sapientiæ, & stomachus velut quidam testis (vt medici aiunt) & conscius secretorum capitis, compassionisq; consors, cui sua omnia vel salubria vel auersa transfundat. Latera, nates, fœmora & crura, mensuræ latitudinem ipsa specie significant, pedumq; gressus. Qui etsi exiliores videntur sunt tamen latiores cùm incedunt.*

PVLCHRE autem dicitur: *Ostium ex aduerso facies.* eam partẽ declarans corporis, per quam cibos egerere consueuimus, vt quæ putamus ignobiliora esse corporis nostri, his abundantiorem honorem circundaret. Id quod potissimum decori conueniebat, vt ductus quosdam vel exitus cuniculorum nostrorum à tergo auerteret, ne in purgationibus ventris conspectus noster offenderetur. Sed quid est illud, *Inferiora arcæ bicamerata & tricamerata facies*; Inferiora quidem dicendo, significare voluit, inferiori loco æstimãdo nobis esse ciborum recepta

1. Cor. 1.

Cap. 9.

receptacula, hoc est, viscera quæ acceptum conficiunt cibum corruptibilis enim esca est. Quod autem corruptibile, non superioribus, sed inferioribus comparandum. Cibus quoque deorsum fertur: cuius exigua portio viribus corporis alimoniæq; proficit: reliqua verò pars aluo purganda deducitur, quia intestina sunt, per quæ descendunt ciborum superflua. Ita operator noster instituit, vt non extenta à stomacho ad imum, sed sinuata sint ac reflexa, quò vitæ nostræ vsus propagaretur. Nam si extenderentur intestina hominis quæ suscipiunt & deducunt cibum, statim sine vlla pertransiret mora: & necesse esset semper esurire nos & iugiter epulari: aut deficiente alimentorum substantia deficerent illico. Nunc autem in illa intestinorum insinuatione ac reflexione bipartita & tripartita adhæret cibus, & descendendo paulatim vires ministrat, succum infundit corpori, tenet satietatem, differt edendi appetētiam: nec subita effusio, nec repentina euacuatio est, nec inexplebilis appetentia, nec insatiabilis epulandi libido. Dum enim paulatim descendit esca, famem & cruditatem naturalis temperat prouidentia. Primum enim in stomacho, quem plerique ventrem appellant superiorem, cibus conficitur: deinde coquitur in iecore, atque eo digeritur vapore, succus eius diuiditur certis viscerum portionibus, ex quo omne corpus valescit. Quod satis iuniorum incrementa, senum testificatur perseuerantia. Reliquum cibi in ventrem defluit, quem omnes ventrem appellamus sine adiectione. Plerique dicunt ventrem inferiorem, ex quo simus necesse est (qui plenus iam corruptionis descenderat (egeratur per illud ex transuerso ostium.

HÆc cum ita naturali institutione ad Dei præceptionem composita videantur, tamen si non edendi à nobis agendiq; modus seruetur, tanquam exuberantibus passionibus generatur diluuium, & quasi quædam corporis labes. Vnde mihi videtur, per arcæ huius figuram voluisse Deum nos edocere quemadmodum ad hoc speciali tuti simus diluuio: corruptela enim, diluuij causa est: ea vbi erepserit, aperiuntur aquæ, ebulliunt omnes fontes cupiditatum, vt totum corpus tanto & tam profundo vitiorum fluuio mergatur. Nihil est enim quod tam miseræ seruituti subiiciat hominem, quàm libido, atque eiusmodi cupiditates, quæ iugo quodam criminum graui deprimunt miseram conscientiam, vt se nequeat attollere, vtpote quæ libertatem innocentiæ amiserit. Maximum ergo in hoc diluuio est remedium, vt iustum præferas, eumq; mandati cœlestis executorem eligas. Quis est iustus in nobis, nisi mentis vigor, qui intra istam arcam includat omne animantium genus quod est super terram? cohibe ergo & tu omnes irrationabiles passiones tuas, omnesq; sensus tuos menti subiice, animiq; imperiis assuesce. Euolare foras non sinas cupiditates tuas, exire in vulgus libidinem: & per rationalem mentem poteris etiam irrationabilia tua & immunda peccata ab omni periculo diluuij liberare.

DVO

DVODECIMA DISPVTATIO.

Quomodo arca Noë secundum Allegoriam figura fuerit Ecclesiæ Christi.

84 ALLEGORICAM interpretationem arcæ Noë prout ea fuit vmbra quædam & imago Ecclesiæ Christi, ex probatissimorum auctorum, Origenis, Augustini, Gregorij, Ruperti, aliorúmque sententijs contextam, hic breuissimis verbis apponam. Noë figura fuit Christi tam nomine quàm factis. Nomen enim Noë Requiem significat, vera autem requies nostra Christus fuit. Ipse enim dixit: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris*, & proximè antè dixerat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Non igitur absq; diuino præsagio Lamech filium suum appellauit Noë, dicens: *Iste consolabitur nos, vel requiescere nos faciet ab operibus & laboribus manuũ nostrarum in terra cui maledixit Dominus.* Non videtur autem secundum historiam id conuenire a modum in Noë: quippe eius tempore maiorem Deus quàm vnquam, iræ suæ vim ostendit, adeò vt diceret: *Pœnitet me fecisse hominem, & delebo omnẽ substantiam quam feci de superficie terræ*, denique maximè Dei offensæ, iræ atque vindictæ indicium fuit destructio per diluuium orbis terræ, & animalium atque hominum interitus.

Origen. hom. 2. in c. 6. Ge. Aug. l. 12. contra Faustum c. 14. Greg. hom. 12. in Ezec. Rup. l. 4 cõmẽta. in. Genes. c. 71. & sequen. Noë figura Christi tam nomine quam factis. Matt. 11. Genes. 5. Genes. 6. Infra 7.

85 AT verò secundum allegoriam, pulcherrimè quadrat in Christum Dominum: vera enim requies & consolatio nostra fuit remissio peccatorum nostrorum, quam ipse nobis tribuit per Baptismum suum, cuius figura fuit illud diluuium: nam vt in illo peccatores perierunt, sic peccata in hoc delentur. Duplicem igitur noster Noë requiem nobis præstitit, vnam ab operibus manuum nostrarum, id est, à peccatis, ne conscientiam nostram perturbent, inquietent ac deuexent, alteram à miserijs & ærumnis, quibus propter peccata iustè subiecti sumus in terra, cui maledixit Deus: *Homo*, inquit Iob, *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodẽ statu permanet.* Sunt quidem etiam iustificati per Christum, nihilominus quàm ceteris malis huius vitæ subiecti, sed sunt tamen ad breue tempus, & cum spe certissima consequendi sempiternam impassibilitatem, atque interim mala quæ perferunt multum conducunt illis ad incrementa virtutum materiémque amplissimorum meritorum atq; præmiorum. Quemadmodum autem per vnum Noë seruatus est orbis, sic per vnum Christum seruantur omnes? *Non enim est aliud nomẽ sub cœlo datum hominibus: in quo oporteat nos saluos fieri.* Et vt Noë per

Iob 14. Act. 4.

lignum conseruauit reliquias humani generis, ita Christus per lignum Crucis & passionem suam, humanum genus à morte redemit. Salutiferum igitur fuit hoc Christi diluuium à tempore Christi cœptum, & inundans vniuersum orbem, in quo plures submersi sunt peccatores ad eorum tamen salutem, quàm in illo demersi sunt, ad ipsorum perditionem & interitum.

Arca Ecclesiæ figura.

QVEMADMODVM porrò Deus dixit ad Noë: *Fac tibi arcã*, ita 86
dixit nostro Noë, qui verè iustus & perfectus fuit placens Deo, vt fabricaret sibi Ecclesiam ex firmissimis lignis, id est, ex omnibus gentibus in æternum victuris & mensuras ei daret cœlestibus sacramentis repletas. Hæc autem arca Ecclesiæ non vno anno ædificata est, sed centum annis, id est, ab exordio mundi ædificari cæpta est Ecclesia, nec vsque ad finem mundi ædificatio eius cessabit, vnde Paulus dixit: *Deum dedisse Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores, & doctores, ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi.* Arca in fluctibus natabat, sic Ecclesia in persecutionibus & tentationibus versatur: *Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Arca non ex vno, sed ex multis lignis bitumine coniunctis facta est; sic Ecclesia ex multis hominibus collecta est vinculo charitatis in vnitate fidei conglutinatis.

Ephes. 4. Act. 4.

ERANT autem ligna ex quibus constructa erat arca secundum
aliquos, incorruptibilia, secundum alios fortia, secundum nostram 87
translationem leuigata, secundum editionem septuaginta, quadrata, & hæc omnia in Ecclesiam rectè conueniunt, siquidem Ecclesia requirit homines incorruptos peccatis, & Deo semper viuentes: exigit quoque homines fortes ad ferendas iniurias, & quecumque aduersa ingruerint tolleranda animosos & constantes: desiderat quoque homines leuigatos, id est, non asperos, non acerbos, non intractabiles, sed mansuetos, affabiles, nullam cuique dantes offensionem, & in quibus sint viscera charitatis. Quadrata ligna, sunt in Ecclesia doctores & magistri. Quadratum enim est, inquit Origenes, quod nulla vacillat ex parte, sed quocumque verteris, fida & solida stabilitate consistit. Et hæc quadrata ligna fuerunt, quæ omne pondus arcæ, tam animalium intrinsecus, quàm fluctuum extrinsecus sustinebant. Et sancti Doctores Ecclesiæ tam intrinsecus fideles verbo commonitionis & doctrinæ gratia consolantur, quàm extrinsecus infidelibus impugnantibus, & quæstionum fluctus, ac procellas disputationum commouentibus, virtute verbi, sapientia rationis obsistunt, & velut murus quidam & defensio sunt ijs qui intrinsecus sunt. obstaculum autem & impugnatio ijs qui extrinsecus superueniunt, quia igitur vndique stabilis est sanctorum vita doctorum, & ad omne bonum opus parata, ideò de lignis quadratis Ecclesia Christi fabricatur.

Quadratum quid.

HÆC ligna intrinsecus & extrinsecus bitumine linuntur, vult 88
enim tè architectus Ecclesiæ Christus non esse talem quales sunt multi, qui deforis apparent hominibus iusti, intus autem sunt sepul-

chra mortuorum. sed vultte corpore sanctum esse exterius, & corde intrinsecus putum, cantúmque vndique & castitatis atque innocentiæ virtute munitum, hoc enim est intrinsecus & extrinsecus bitumine esse oblitum. Vel significatur in compage vnitatis tolerantia charitatis, ne scandalis Ecclesiam tentantibus siue ab iis qui intus, siue ab iis qui foris sunt, cedat fraterna iunctura, & soluatur vinculum pacis. Est enim bitumen feruentissimum & violétissimum glutem, significans dilectionis ardorem in magna fortudine ad tenendam societatem spiritalem tolerantem.

89 VERVM quia non omnium vnum est meritum, nec idem in fide profectus: idcircò & arca illa non vnum omnibus præbebat mansionem, sed in ea bicamerata erant inferiora, & tricamerata superiora, multíque nidi seu mansiunculæ: sic in Ecclesia licet omnes intra vnam fidem contineantur, & vno Baptismo abluantur, non tamen vnus omnibus atque idem profectus est, sed vnusquisque stat in ordine suo. Et alij quidem per rationabilem scientiam viuentes, & idonei non modo seipsos regere, verum etiam alios docere ac gubernare qui perpauci sunt, cum ipso Noë versantur, & proxima ei propinquitate iunguntur, & in sublimitate arcæ collocantur. At verò multitudo irrationalium animalium, vel etiam bestiarum in inferioribus arcæ ponitur, & eorum maximè quorum feritatis sæuitiam nec dum fidei dulcedo molliuit. Superiores verò aliquantulo ab his sunt qui licet minus rationis habeant, plurimùm tamen simplicitatis & innocentiæ custodiunt. Et sic per singulos habitationum gradus ascendendo, peruenitur ad ipsum Noë, id est, Christum qui est caput totius Ecclesiæ super omnes sanctos, & gratia gloriáque & merito atque præmio exaltatus. Quod item inferiora arcæ bicamerata & tricamerata construuntur, significat bipartitam multitudinem hominum ex Iudæis & Gentibus in Ecclesia congregatam, vel tripartitam propter tres filios Noë, quorum progenie repletus est orbis.

90 ARCA ad vnum cubitum collecta desuper consummatur, sicut Ecclesia quæ est corpus Christi in vnitatem collecta sublimatur & perficitur. Vnde dixit Dominus: *Qui mecum non colligit, spargit.* Aditus porrò arcæ fit in latere eius. Nemo quippe intrat in Ecclesiam, nisi per sacramentum remissionis peccatorum, hoc autem de Christi latere aperto manauit, Et ostium quidem arcæ vnum erat, qua vnus est Christus, vna fides, vnum verbum Dei, per quod tantummodo in Ecclesiam intrari, & ad participationem æternæ salutis peruenirí potest. Arca parum luminis externi habebat, vna enim tantum fenestra, & ea quidem parua, parùm ei luminis exhibere potuit. Sic Ecclesia non multum curat sapientiam secularem, habet enim lumen suum in se: magis autem curat & laborat vt probitate vitæ & sanctitate morum luceat & splendeat, & quod de Ecclesia cœlesti scriptum est in Apocalypsi, id etiam quodammodo quadrat ad Ecclesiam mili- *Ephes. 4.*

tantem: *Et ciuitas*, inquit, *non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & Lucerna eius est Agnus. Et ambulabunt Gentes in lumine eius.*

ERANT in arca omnis generis animalia, tam munda quàm im- 91
munda, sic Ecclesia omnes recepit, tam ex Gentibus quàm ex Iudæis, sempérque in ea sunt tam boni quàm mali. Et sicut plura fuerunt in arca animalia quàm homines, ita plures sunt, in Ecclesia mali & im-
Ephes. 4. perfecti, quàm boni & perfecti. De immundis fuerunt bina, de mun-
Isaiæ 11. dis septena. Nam licet mundi & boni pauciores sint quàm immundi & mali: boni tamen seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sanctum autem Spiritum Scriptura in septiformi operatione commendat, & septiformis Spiritus Sancti gratia est, quæ verè mundos efficit: mali autem binario numero signantur, quod recedant ab vnitate pacis, & ad schismata faciles, & prompti, & ad dissidia & discordias procliues sint. Continebat arca escas omnis generis ad cibatum omnium animalium & hominum. Sic Ecclesia maximam habet copiam spiritualium ciborum, quibus omnes vt eis expedit nutriti possint, præbétque cibaria tam bonis quàm malis: bonis, promissiones cœlestium bonorum, malis comminationes æternorum gehennæ suppliciorum. Nec verò Noë tantum arcam
Matth. vlt. condidit, sed in eam ipse intrauit, & in ea mansit: ita Christus non tantùm vt Deus Ecclesiam ædificauit, sed etiam vt homo in ea conuersatus est, & in ea manebit omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.

LONGITVDO arcæ trecentorum cubitorum, sexcupla erat 92
ad latitudinem eius quinquaginta cubitorum, & decupla ad altitudinem eiusdem triginta cubitorum: similis autem est mensura corporis humani, vt suprà ostendimus. Ecclesia verò & fidelium congregatio, corpus Christi appellatur: cuius multo maior est longitudo quàm latitudo, & latitudo quàm altitudo. Longitudo enim denotat fidem, Latitudo charitatem, altitudo celsitudinem sapientiæ & contemplationis rerum cœlestium, & sublimitatem perfectionis Euangelicæ. Inter fideles autem, pauciores sunt boni & charitate præditi, plures autem mali solam fidem habentes. Et inter bonos pauciſſimi sunt perfecti, & rerum sublimium ad diuinarum meditationi & amori, cæteris omnibus rebus post habitis & contemptis dediti. Significatur etiam humanum corpus, quod nostra causa induit filius Dei, scilicet vt per eius in Cruce oblationem, iram
Ephes. 5. Dei placans, eum nobis reconciliaret ac propitiaret: & Ecclesiam
Tit. 2. sanguine suo lauans & mundans, exhiberet sibi eam gloriosam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt esset sancta & immaculata, & redimens nos ab omni iniquitate, mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Qua-
Hebræ. 10. propter ingrediens ipse mundum, dixit Deo Patri: *Hostiam & obla-*
Psal. 39. *tionem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non*

tibi

tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.

93 ARCA porrò secundum imaginationem & descriptionem Origenis, quam plerique Doctorum secuti sunt, in imo ampla erat: sed quò altius surgebat, eo magis arcta & angusta efficiebatur, donec in angustissimum vnius duntaxat cubiti fastigium & culmen desineret. Hoc secundum allegoriam præclarè interpretatur. Sanctus Gregoria homilia 16. in Ezechielem. *Quid per arcam*, inquit, *Noë nisi sancta Ecclesia figuratur, quæ inferiùs ampla est, superiùs angusta? Rectè enim per hoc Ecclesia designatur, quæ adhuc in multis suis carnalibus lata est, in paucis spiritualibus angusta. Et quia ad vnum hominem qui est sine peccato colligitur, quasi in vno cubito cõsummatur. Videmus etenim multos intra eiusdem sanctæ Ecclesiæ sinum in superbia erigi, in carnis voluptate dissolui, acquirendis terrenis rebus inhiare, imperante auaritia mare transire, deseruire iracundiæ, iurgijs vacare, proximos quos præualent lædere. Sed quia eos adhuc sancta Ecclesia tolerat vt conuertat, quasi in arcæ latitudine deorsum bestiæ morantur. Videmus alios iam aliena non quærere, illatas iniurias æquanimiter portare, rebus proprijs esse contentos, humiliter viuere. Sed quia isti iam pauci sunt, angustatur arca. Alios autem conspicimus, etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem à cunctis voluptatibus domare, motus omnes sub rationis iudicio premere, per cœleste desiderium contẽplationis pennas subleuare. Sed quia tales quinque valdè rari sunt, in arca iuxta cubitum ducatur, vbi homines & volatilia continctur, Quæratur tamẽ si quis in eis esse valeat sine peccata, at nullus inuenitur. Quis itaque homo sine peccato est, nisi ille qui in peccato natus non est? In vno ergo cubito consummatur arca, quia vnus est auctor & redemptor sanctæ Ecclesiæ sine peccato, ad quem omnes proficiunt, quise esse peccatores nouerunt.* Hactenus Gregorius. *Origenes.* *Gregorius.*

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Cuius rei figura secundum Tropologicum sensum fuerit Arca Noë.

94 *SI quis est*, inquit Origenes, *qui crescentibus malis & inũdãtibus vitijs cõuertere se potest à rebus fluxis & caducis, & audire verbum Dei ac præcepta cœlestia custodire, hic intra cor suũ arcã salutis ædificat, & vt ita dicam, bibliothecã diuini cõsecrat verbi, lõgitudinem in ea latitudinem & altitudinem, fidem dico spem, & charitatem collocans. Fide Trinitatis, ad longitudinem vsq; immortalitemq; descendit. Latitudine charitatis, indulgentiæ benignitatisq; fundat affectum. Altitudine spei ad cœlestia erigit animum, & in terris ambulans, in cœlis habet conuersationem. Summam verò actuum suorum refert ad vnum. Scit enim quia omnes quidem currunt, sed vnus accipit* Orig. hom. 2. in 6. c. Gen. 1. Corinth. 9.

palmam, scilicet qui cogitationum varietate & mentis instabilitate non fuerit multiplex. Sed hãc arcam & bibliothecam non ex agrestibus & inpolitis, sed ex quadratis, & secundum aquitatis lineam directis construit lignis, id est, non secularium auctorum, sed ex propheticis & apostolicis voluminibus. Ipsi enim sunt qui diuersis tentationibus dolati recisis omnibus vitijs, quadratam continent vitam & ex omni parte libratam. Nam auctores secularium librorum Hiezem. 2. *posse dici ligna excelsa & vmbrosa (sub omni enim ligno excelso & nemoroso accusatur fornicatus esse Israël) quia illi loquuntur quidem excelsa, & florida vtuntur eloquentia, non tamen ita faciunt vt loquuntur: & ideo non possunt ligna quadrata nominari, quia non in eis sermo & vita collibrant. Tu ergo si facis arcam, ex propheticis & apostolicis sermonibus confice, & bicameratam ac tricameratã eam facito: ex ipsa narrationes historicas disce: ex ipsa, latentia rerum mysteria & sacramenta agnosce: ex ipsa quoque mores emendare, resecare vitia, purgare animã, atque exoluere omni vitio captiuitatis enitere. Nidos in ea diuersarum virtutũ & profectuum collocа. Intus & foris eam bitumina, corde fidem gerens, ore confessionem præferem. Intus scientiam, foris operationem habens: Intus corde mundus, foris castus corpore incedens.* Sic Origenes.

Hugo Sancti Victoris. Iacobi. 5. HVGO autem Sancti Victoris in libro Allegoriarum in Genesim, Capite decimo octauo: *Anima*, inquit, *nostra velut arca Noë. In arca saluari debemus & in ipsam intrantes, & in ipsa manẽtes, sicut scriptum est: Reditæ præuaricatores ad cor. Huius arcæ longitudo, fides est, quæ credit omnia quæ fecit Deus ab initio seculi, vel facturus est vsque ad finem eius, per se vel per Angelos, vel per homines: Altitudo spes est, qua erigitur ad speranda bona quæ in cœlis sunt præparata diligentibus Deum: Latitudo, caritas est, quæ extenditur ad Septentrionalem plagam, per dilectionem inimicorum, & ad plagam Australem per dilectionem amicorum. In hac arca est Noë, id est, Intellectus rationalis & sensus spiritualis, & quæ ex his nascuntur, recta consilia, iusta desideria, piaque vota tanquã filij & cognati Noë. Animalia opera sũt,* Genes. 8. *quæ circa res terrenas efficiũtur. Volucres, cogitationes sunt in rebus excelsis &* Ibidem. *cœlestibus versantes. Inundatio aquarum, impetus est tentationum. Montes Armeniæ, in quibus requiescit arca, quies est animæ in contemplatione rerum diuinarum. Coruus emissus nec reuersus, significat falsos Christianos, qui, dum aliquãdo ad exteriora necessitatis causa mittuntur foris remanent visibilibus* Ibidem. *inhærentes, neque ad interiorem quietem reuertentes, sed foris in fluctuatione temporalium latantes. Columba verò extra arcam missa sed ad eam reuersa, bonos Christianos significat, qui, dum pro vtilitate proximorum ad exteriora procedunt, redeũt, cum foris quietem non inueniunt: & afferunt ramum oliuæ, quia peregerunt opera misericordiæ.* 95

Hugo sancti Victoris. SED idem Hugo in libro secundo de Arca Morali per prima aliquot eius libri capita dum historiam arcæ per Tropologicam interpretationem pulcherrimè accommodat ad secretum conscientiæ & cordis humani, vbi sedes est sapientiæ, vigetque contemplatio Dei & creaturarum eius, tam luculentam habet disputationem, vt si eam hoc loco tacitam præterirem, equidem viderer ipse mihi fraudasse 96

lecto

lectorem ingenti vtilitate ac voluptate spiritali, quam ex eius viri piis admodum & eruditis maximéq; salutaribus sententijs & documentis aurire licet. Cum igitur ille dixisset, arcam Noé adumbrasse secretum & quasi adytum ac penetrale animi nostri, vbi sedet sapientia, rerum contemplationi vacans, ad hunc fermè modum disputat, exponam enim breuiter disputationis eius summam: Anima, inquit, nostra similitudinem Creatoris sui habet: quod vt in mente Dei rerum omnium causæ æternaliter, sine mutabilitate & distinctione temporali subsistunt: sic in mente nostra præterita, præsentia & futura per cogitationem simul subsistunt. Si ergo per studium meditationis assiduæ cor nostrum inhabitare cœperimus, iam quodammodo temporales esse desistimus, & quasi foris mundo mortui intus Deo viuimus. Tunc quicquid fortuna extas molitur, facile contemnimus: si ibi fixum est desiderium nostrum, vbi mutabilitati non subiacemus. Vbi nec præterita relinquamus nec occupemur præsentibus, nec expectemus futura: nec cupiamus vitæ prospera, nec metuamus aduersa. Habeamus ergo rectas, vtiles & castas cogitationes: quia de tali materia fabricabimus arcam nostram. Ista sunt ligna quæ in aquam missa natant, in igne posita ardent: quia tales cogitationes fluxus carnalium delectationum deorsum non premit, sed flamma charitatis incendit. Nec timeas hunc ignem in tectis tuis. Væ tibi, si non arserit ex hoc igne tabernaculum tuum. Posteà bituminabis arcam tuam intus & extra. Extra, vt mansuetudinem exhibeas, intus, vt charitatem non amittas. Nullatenus enim in secreto conscientiæ tuæ suauiter quiescere poteris, nisi prius malos & extra per mansuetudinem tolerare, & intus didiceris per charitatem non odisse. Bitumen calidæ naturæ est, & nascitur de terra fulminata: & charitas procreatur in anima timore diuini iudicij percussa.

Hor. spirit. Orig. 5.a

Vide Paulus ad Heb. 11. v. 7. vbi agit de Noe. Hier. sit vobis: Fides Ba[illegible] in libris [illegible] Aug. de C. D. n. 31.

Hor. 3 Orig. lib. 5.a

62 TRECENTORVM cubitorũ longitudo arcæ, præsens seculum ab initio eius vsque ad finem, per tres differentias temporis, Præteriti, Præsentis & futuri variatum significat. Si ergo tu cogitationem tuam ab exordio mundi ducens vsque ad extremum eius, consideraueris quod & quanta Deus operatus & operaturus sit propter electos suos: trecentorum cubitorum longitudinem in corde tuo meritis. Si vitam & facta fidelium contemplans in exemplum tibi proponas: in latitudinem quinquaginta cubitorum cor tuum extendis. Si verò diuinæ paginæ quæ triginta libris continetur, scientiam adeptus fueris: ad altitudinem triginta cubitorum cor tuum erigis. Hæc est arca, quam in corde tuo ædificare debes: requiesce intra eam hic securus manebis. Procella & tempestas foris sæuit: quocumque prodieris, naufragium patieris. Si superbè per sapientiam tuam diuina secreta scrutari conaris, quæ Deus nobis per scripturam suam aperire noluit: altitudinem triginta cubitorum transcendis. Si vsque in finem seculi Ecclesiam Christi duraturam esse non credis, sed aliquando Dei destituendam esse auxilio: trecentorum cubitorum longitudinem transis

sis. Si frequenter de amatoribus huius mundi & de vana eorum conuersatione cogitare delectat, quinquaginta cubitorum latitudinem transgrederis.

VERVM de ostio & fenestra huius arcæ dicamus. Et si tutum & iucundum est intra arcam, id est, cordis nostri secretum, remotos à strepitu huius mundi latere, attamen quia ipsa nostræ conditionis infirmitas diu nos in silētio intimæ contemplationis morari & quiescere non patitur, exitum habemus per ostium & fenestram. Ostium, significat exitum per operationem: Fenestra exitum qui fit per cogitationem. Ostium deorsum est, fenestra sursum: quia operationes ad corpus pertinent, cogitationes ad animam. Hinc est quod per fenestram aues exierunt: per ostium, bestiæ & homines. *Sicut enim auis ad volatum, Sic homo nascitur ad laborem*, sic enim nati sumus, vt si volumus animam ad contemplationem subleuare, necesse sit corpus per exercitia laboris atterere. Ostium in latere arcæ positum fuisse, significat, nunquam nos è secreto cordis nostri per operationem exire debere ex proposito intentionis, sed tantum ex accidenti occasione necessitatis. Et fortasse non sine causa hoc de fenestra tacuit scriptura: quia etsi per cogitationem voluntate aliquando licet exire, nunquam tamen per operationem foras prodire debemus nisi ex necessitate. Quod etiam conuenienter insinuatur, eo quòd homo ipse quando voluit, fenestram aperuit vt aues emitteret. Ostium verò foris à Deo & clausum, & rursus apertum esse legitur, vt homo exiret.

QVATVOR autem modis eximus per actionem. Namque actiones aliæ sunt carnales, id est, ad vsum corporis pertinentes: aliæ spirituales, pertinentes ad instructionem mentis. Ad vtrasque boni & mali exeunt. Qui ad explendam voluptatem, terrenis actionibus foris inseruiunt: similes sunt immundis animalibus quæ de arca exierunt. Qui eas ad vsum necessitatis administrant, animalia quidem sunt, sed munda. Qui verò Ecclesiastici regiminis curam quæ actio spiritualis est, gerendam suscipiunt: & à secreto internæ quietis, non ex ambitione, sed ex præcepto obedientiæ ad publicum prodeunt: similes sunt Noë, qui exiens de arca sacrificium obtulit: quia sæpè tales eo magis per abstinentiam omnes in se carnis motus occidunt, quo grauiora internæ quietis damna per occupationem in se pertulisse cognoscunt. Illi autem qui propter gloriam propriam honores in Ecclesia suscipiunt, & cum se in sublimi positos vident, ceteros despiciunt, & infirmioribus quibusque in Ecclesia positis ex compassione condescendere nolunt: similes sunt Cham, qui denudari patris verenda derisit, & ob hoc meruit maledictionis sententiam accipere. 98

De quatuor modis exeūdi ad creaturas per contēplationem. Origen. hom.

QVATVOR autem modis eximus per contēplationem. Primus modus est: cùm considerauimus quid sit ex se omnis creatura. Inuenimus autem omnia esse vanitatem: quia sicut omnis creatura ex nihilo venit ad esse, ita quotidiana mutatione sua indicat, se quantum in se est, ad nihilum tendere. Alter modus est, cùm considerauimus quid 99

sit

sit creatura ex dono Creatoris, & cernimus in ea diuinæ rationis similitudinẽ. Nam licet ipsa pro conditione suæ naturæ mutabilitati subiacet, dum tamen ex beneficio Creatoris sui accipit, vt nunquam prorsus esse desinat, quodammodo opus temporale, æternam Opificis sui imitatur stabilitatem. Tertius modus est, cùm contẽplamur quemadmodum vtatur Deus ministerio craturarũ ad implenda iudicia sua, siue pro sua misericordia largiendo beneficia, siue pro nostro merito supplicia inferendo. Et in hac consideratione inuenimus omnia esse instrumentum diuinæ dispensationis, & nostræ prauitatis argumentum.

Triplex creturæ vox ad homines.

In hoc genere contemplationis audimus omnem creaturam his tribus vocibus loquentem nobis: Accipe, Redde, Fuge, Accipe beneficium, Redde debitum, Fuge supplicium. Prima vox est famulantis: secunda admonentis: tertia comminantis. Quartus modus contemplationis est, cùm creaturas inspicimus pro vt homo eis vti potest ad explendas carnalis concupiscentiæ suæ voluptates, & in eis cogitamus non naturalis infirmitatis subsidium, sed prauæ libidinis oblectamentum. Hoc oculo Eua lignum vidit: *quod esset pulchrum visu & ad vescendũ suaue & tulit de fructu eius & comedit.* Qui sic exeunt per cogitationem ad creaturas, similes sunt coruo arcam egresso, nec ad eam reuertso: quia cùm foris quod malè delectat inueniunt, ad arcam conscientiæ amplius redire nolunt. Priora verò tria contemplationis genera per egressum columbę figurata sunt, quę cum ex arca emissa esset, nec foris inueniret, vbi pes eius requiesceret, reuersa est ad vesperam portans ramum oliuæ virentis in ore suo. Vacua exijt, sed vacua non redijt, quia foris inuenit quod intus non habuit: nec tamen foris amauit quod intro detulit. *Gen. 3.*

100 Tres porrò mansiones in intellectuali arca, tria significant genera cogitationum: Rectum, Vtile, Necessarium. Si diligere cœpero meditationem scripturarum, & libenter cogitauero de virtutibus & factis sanctorum, & de alijs quæcunque ad emendationem morum & exercitationem virtutum conferunt, iam in prima mansione arcæ esse cœpi. Sed si bonum quod noui, imitari differo aut detrecto, tunc recta cogitatio mea est, sed inutilis: quia bonum quidem est quod de alijs cogito, & in aliis cognosco, sed inutile mihi est, si illud ad exemplum viuendi non traho. Si quidem aliena virtus mihi non prodest, si eam quantum possum imitari neglexero: *Thesaurus absconditus & scientia abscondita, quæ vtilitas in vtrisque?* scientia abscondo, si bonum quod noui, opere non ostendo. Si autem operam dedero non tantum vt sciam, sed vt etiam agam quæ bona & vtilia mihi esse cognouero, & hoc sedulo curauero vt virtutes quas in alijs amare & admirari didici, meas faciam per exercitium disciplinæ & per formam rectè viuendi: tunc vtilis erit cogitatio cordis mei, & tunc ascendi in secundam arcæ mansionem, & cor meum in vnum iam ma- *Eccles. 20.*

gis collegi, vt non discurrat & vagetur per ea quæ vana sunt & inutilia.

RESTAT tertium, vt cum habere potero opera virtutum, laborem ipsas quoque virtutes habere, hoc est, vt quod foris demonstro in opere intus possideam in virtute. Non enim multum mihi prodest habere opera, nisi etiam virtutes operum habeam. Si igitur ad hoc cordis mei cogitationem instituo, vt quicquid in me boni foris humanis apparet aspectibns, diuinis intus satagam præsentare obtutibus, tunc ascendi in tertiam mansionem, vbi virtutes sunt quæ nobis sunt necessariæ. Sed inter omnes præcipuè necessaria est charitas, quæ nos Deo coniungit. Et ideò arca in supremo ad vnum colligebatur: vt iam vnum cogitemus, vnum expectemus, vnum desideremus Dominum nostrum Iesum Christum. In prima igitur mansione est cognitio: in secunda, opus: in tertia, virtus. In supremo præmium virtutis Dominus Iesus Christus. Hos gradus habes in Psalmo, vbi dicitur: *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*, si conuerso ordine ita dicas: *Scientiam & disciplinam & bonitatem doce me Domine Iesu Christe.* Hactenus exposita est à nobis interpretatio arcæ secundum Tropologicum sensum.

Psal. 108

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM, LIBER VNDECIMVS,

DE IIS, QVÆ FVERVNT in Arca Noë

EX HISTORIA MOSIS,

Quæ est in capite sexto libri Geneseos.

PONAM *fœdus meum tecum: & ingredieris tu & filij tui, vxor tua & vxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animãtibus vniuersæ carnis bina induces in arcam vt viuant tecum, masculini sexus & feminini. De volucribus iuxta genus suum, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum vt possint viuere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in escam. Fecit igitur Noë omnia quæ præceperat illi Deus.* VERS. 18. 19 20 21 22

PRÆFATIO.

TRIA præcipue fuerunt in Arca Noë, ab exitio diluuij cõseruata, Homines, Animalia & Cibaria. Et hoc indicauit Dominus, cùm dixit Noë: *Ingredieris in arcã tu & filij tui, vxor tua & vxores filiorũ tuorũ tecũ, & ex cunctis animãtibus vniuersæ carnis bina induces in arcam, masculini sexus & feminini, vt viuant tecum. Tolles tecum ex omnibus escis quæ mãdi possunt, & cõportabis apud te, & erũt tã tibi quàm illis in escã.*

PRIMA DISPVTATIO.

De hominibus qui fuerunt in Arca.

PRIMO autem loco dicendum est de hominibus, quos fuisse tantùm octo manifestum est ex narratione Mosis qui sub finem sexti capitis narrat Deum præcepisse Noë, vt ipse cum vxore sua & tres filij eius cum vxoribus suis ingrederentur in arcã, & sequenti cap. hos tantum scribit ingressos esse in arcam, eodemque duntaxat finito diluuio arca egressos esse commemorat capite octauo. Beatus item Petrus in capite tertio prioris epistolæ suæ, solum octo animas in arca saluatas esse ait per aquam. Berosus Annianus etiam nomina illarũ mulierum ponit. Nam vxorem Noë Tytæam magnam appellat, reliquas tres, Pandoram, Noëllam & Noëglam. Epiphanius in Hæresi 26. disputans contra Gnosticos qui vxori Noë affinxerant nomen, Noria, ait eam fuisse appellatam Barthenon. Illud verò quod nõnullis admirationem mouere posset, Noë per sexcentos annos non plures tribus, filios, & hos non ante quingentesimum annum genuisse, nec aliquem eorum filiorum per centum annos (tot enim vixerunt ante Diluuium) filium aliquem procreasse, quemadmodum intelligi debeat, libro nono explicatum à nobis est.

Berosus.

Epiphanius.

1

Nec homines nec animalia, dũ fuerunt in area, vacasse generationi.

EST præterea communis Hebræorum & Christianorum Doctorum sententia, Noë atque filios eius, quoad fuerunt in arca, non dedisse operam generationi, sed toto illo anno vxoribus abstinuisse. Nimirùm, illud lugendi potiùs tantam humani generis atque orbis terrarum

2

terratum cladem, & pœnitentiam agendi quàm expetendæ fruendæque voluptatis, etiam licitæ & conceſſæ tempus eſſe videbatur. Quin etiam idem multi ſenſerunt de animalibus, quæ dum fuerunt in arca, putant non vacaſſe generationi. Hoc ſi fuit, ideo factum eſt, quia vel dum fuerunt in arca animalia, parua erant & immatura generationi: vel mares à feminis in Arca ſeparati ſunt: vel toto eo tempore nulla generandi libido inceſſit animalia: aut propter aſperitatem temporis & incommoditatem loci, aut libidinis ardore naturaliter animalibus inſito, diuinitus per eum annum reſtincto.

Vbi fuerit Henoch tempore diluuij.

3 SED illud fortaſſe lectori dubitationem afferre poſſet, vbi fuerit tempore diluuij Henoch, quem conſtat nec fuiſſe in arca, & vixiſſe ante diluuium, nec tantùm fuiſſe diluuio ſuperſtitem, ſed adhuc etiam viuere. Multi reſponderẽt, Henoch tempore diluuij fuiſſe in Paradiſo terreſtri, exiſtimantes eum locum diluuio fuiſſe intactum. Verum aduerſus hanc opinionem multa nos diſputauimus in priori Tomo noſtrorum Commentariorum in Geneſim, libro tertio qui eſt de Paradiſo terreſtri, quæſtione quinta, & libro ſeptimo in Diſputatione vltima quæ eſt de Tranſlatione Henoch, quæſtione ſeptima. Nos igitur breuiter dicamus, propterea Moſen in hac hiſtoria Diluuij, & B. Petrum loco ſupra memorato affirmaſſe omnes homines diluuio periiſſe præter illos octo, nec excepiſſe Henoch qui tunc viuebat, & poſt diluuium vixi, tquod ipſi loquerentur de hominibus quorum habitatio & conuerſatio in terris nota erat, & qui vitam agebant modo & more humano atque vſitato: Henoch autẽ, quia extra ſocietatem hominum, & incognitus cunctis mortalibus, nec humano more vitam degebat, idcirco perinde ac ſi non eſſet in terris, tacitum prẽterierunt. Vbinam autem fuerit tempore diluuij, quis mortalium poſſit vel auſit dicere? Certè vbicumque libitum fuit Deo: conſeruari potuit, vel in aëre ſupra aquas diluuij, vel alicubi.

Geneſ. 7.

4 QVOD autẽ dixit Deus Noë: *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac.* non obſcurè indicat ſolum Noë ob eximiam pietatem & ſanctitatem dignum fuiſſe qui à diluuij clade, tanto miraculo, conſeruaretur, reliquos autem ſeptem homines, ipſius Noë gratia fuiſſe ſeruatos: qui licet probitate non eſſent pares Noë, attamen vel boni erant, vel certè minus mali quàm qui diluuio perierunt. Fuit etiam illa cauſa conſeruationis eorum, vt reparandi poſt diluuium generis humani multiplicandique auctores eſſent. Potuit quidem Deus ex vno Noë genus hominum propagare: ſed hanc tamen rationem propagationis præſtabiliorem eſſe diuina ſapientia iudicauit: *Licet filij Noë & vxores eorum*, inquit, Chryſoſtomus, *multũ à virtute iuſti illius abfuerint: alieni tamẽ erãt à grauioribus ſui ſeculi peccatis. Alias quoq; duas ob cauſas ſalute potiti ſunt tum in honorem iuſti tũ poſteritatis cauſa: conſuetudo enim miſericordis Dei eſt honorem hunc tribuere ſeruis ſuis, vt propter eos ſaluentur & alij. Quod & B. Paulo conceſſum eſt, quippe nauiganti Romam, propter maximam tempeſta-*

Chryſoſt. hom. 24. in Geneſim.

Act. 27.

tem pereclitante naue, salutem omnium qui in ea simul cum ipso erant, Deus indulsit: Similiter & hoc loco factum est. Volebat præterea Deus semen aliquod & radicem in filijs Noë ad posteritatis constitutionem relinquere: non quod impossibile esset Deo iterum formare homines, & ex vno genere iterum augmẽtum facere: sed quia hoc sua bonitati probabatur. Ita Chrysostomus. In eandem sententiam nonnulla disertè scripsit Ambrosius in libro de Noë & arca cap. 11.

SECVNDA DISPVTATIO.

De mundis & immundis animalibus iussu Dei in Arcam ingressis.

Hieron. BEATVS Hieronymus scriptum reliquit in Epistola 125. quam ad Damasum misit, Tertullianum egregiam scripsisse disputationem, cur Deus, qui omnia fecerat valdè bona, introduci iusserit in arcam Noë vnà cum animalibus mundis etiam immunda. Quam sanè quæstionem *Tertullianus.* fuisse à Tertulliano plenè & absolutè tractatam, vel ex eo licet existimare, quod S. Hieronymus cùm de eadem quæstione consultus esset à Damaso, eius explicationem noluit attingere: quasi ratus nihil à se, quod magni esset momenti, ad illam Tertulliani disputationem posse adiici: Sed cum liber ille Tertulliani ad nos nominè peruenerit, nec eius doctrinæ, nec sententiæ participes fieri potuimus, Verum ad eam ipsam quæstionem breuiter, quantum scilicet instituto nostro satisfuerit, ita responderi posset: Nullum animal natura esse immundum, sed omne animal esse de numero eorum quæ Deus in suo quodque genere fecit valdè bona: quędam verò appellata esse immũda, non per se nec secundum naturam, sed vel opinionibus institutis hominũ, vel relata ad cibũ hominis, vel aliqua significatione & mysterij alicuius gratia. Ea porrò animalia quæ nominantur immunda, necesse fuit in arcam induci, ne tot eorum species quæ dignatis ac nobilitatis principatum inter animalia citra controuersiam obtinent, vt leo, equis, & elephas, diluuio perirẽt. At enim his omissis, quæ præcepit Deus Noë de animalibus in arcam introducendis, ea nos cum diligentia curaq; explicemus.

PRÆCEPIT Deus Noë vt bina ex immundis animalibus, septe- 6
Gen. 6. & 7. na verò ex mundis in arcam induceret. Sed hoc Dei præceptum duas habet quæstiones, quarum prior est hæc: Quomodò distinctio mundorum atque immundorum animalium potuit esse in obseruatione & vsu ante Diluuium, cùm ea fuerit inuecta per legem Mosis, cuius *Leuit. 11. Deut. 14.* legis promulgationem octingentis annis antegressum est Diluuium? Ad hanc quæstionem triplex dari responsum solet B. Chrysostomus

vigesi-

vigesima quarta homilia in Genesim respondet, discrimẽ mundorum atque immundorum animalium fuisse cognitum Noë vel naturali rationis iudicio & prudentia, vel singulari aliqua Dei reuelatione: idemque Didymum sensisse atque prodidisse fertur in Catena. Ac verba quidem Chrysostomi sic habent: *Operæpretium fuerit hoc loco inquirere vnde iustus ille nouerit quæ animalia pura essent & quæ impura: nõdũ enim distinctio hæc facta erat, quam postea Moses in suis legibus statuit. Vnde ergo sciebat? num à se ipso & ab insita naturæ suæ doctrina? Nihil autẽ per se immundum est ex his quæ fecit Deus: quo pacto enim immundã vocemus creaturam vllam, cùm omnis semel à Deo approbata sit: dicente Mose: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: Verum deinde natura à se ipsa hæc distinxit. Quod autem id sit verũ, considera quemadmodum nonnullis locis quidam abstinent ab aliquibus vt immundis, alij vero illis ipsis vescũtur, tanta est vis consuetudinis apud homines in vtramque partẽ. Sic etiam fuit tempore Noë. Ipsa vero scientia ei viro insita docebat eum quæ essent ad cibum commoda, & quæ immunda: non quod talia per se essent, sed quia pro immundis habebantur. Qua de causa, dic oro, asinum immundum censemus, eiúsque esum auersamur, quamuis leguminibus pascatur: alia verò quadrupedia licet immundis rebus nutriantur, cibo tamen conuenientia putamus? itaque scientia à Deo nobis indita, horum est magistra & doctrix. Posset autem & aliter dici, quia Deus quæ præceperat idem & scire ea manifestè fecit.* Hactenus ex Chrysostomus.

Chrysost. *Didymus.* *Gen. 1.*

7 Alii censent, hoc de distinctione mundorum & immundorum animalium, locutum esse Mosem per eam figuram orationis quæ nominatur Anticipatio, nec est infrequens in sacris litteris. Deus enim nominatim indicauit Noë species animalium ex quibus sumeret bina, & alias species ex quibus sumeret septena: sed quia postea euenit, vt per legem à Deo latã hęc censerentur & appellarentur munda, illa verò immunda: idcirco Moses qui librum hunc post legem latam euulgauit, vt putarunt, Theodoretus, Beda & Tostatus, distinctionẽ illam animalium, quò breuius & dilucidius indicaret, noto Iudæis discrimine mundorum & immundorum animalium, eam declarauit.

Theodoretus q. 1. in Gen. Beda in Hexameron. *Tostatus super c. 13. Geneseos quæst. 132.*

8 Placet alijs (& mihi in primis placet) eorum quę lege Mosis sancita sunt, multa fuisse ante legem, iam inde ab exordio mundi in more & vsu apud probos & pios viros: cuiusmodi est ædificatio altarium Genes. 8. & 28. abstinentia à sanguine & suffocato, Gen. 9. nuncupatio votorum & oblatio decimarum. Gen. 28 suscitatio seminis fratris mortui sine liberis. Gen. 38. & in his fuit etiam hoc de distinctione mundorum & immundorum animalium: non quidem quantum ad esum, nam vt postea dicetur capite nono, concessit Deus Noë & posteris eius esum cuiuslibet animalis citra discrimen aliquod mundi & immundi, non minus indiscretè permittens illis esum animalium quàm olerum: non igitur, vt dixi, distinctio mundorum & immundorum animalium tempore Noë fuit in vsu quantum ad cibum, sed tantummodo quantum ad ritum & vsum sacrificiorum: eáque

distin

distinctionem acceperat Noë ex traditione maiorum suorum, cuius
Genes. 5. traditionis originē si quis referat ad Seth, vel ad Enos, cuius tempore cœptum est inuocari nomen Dei, haud scio an is à vero aberrauerit, Harum autem rerum obseruantia non erat ante legem Mosis aliquo Dei præcepto aut lege, vt vocant, positiua hominibus imperata, sed partim instinctu Dei, præcipuè autem maiorum traditione in consuetudinem cultumque inducta. Nonnullis visum est appellari hoc loco animalia munda, quæ naturaliter ad esum humanum accommodata sunt: quæ vero ab esu victuque hominum naturaliter reiiciuntur, nominata esse immunda. Glossa insuper significat aliam causam eius appellationis, dicens, omnia esse munda naturaliter: sed comparatione melioris naturæ aliqua nominari immunda: Exempli causa, bos dicetur mundus, leo verò immundus, quod ille vtilior & commodior sit homini ad victum vestitumque & culturam terræ.

Multa fuisse licita ante legē Mosis, quæ postea per eā legem Iudæis interdicta sūt, disputatur contra Rabbinos.

NON est prætereundum id quod à quibusdam Rabbinis Hebræo- 6.
rum hoc loco est proditum, nec tamen verū est, ob idque à nobis obiter confutandum. Aiunt illi quæ per legem Mosis Iudæis præcepta sunt ea fuisse omnia ante legem à probis & piis Dei cultorib. obseruata. Confirmant id nonnullis exemplis, cuiusmodi sunt ea quæ paulò supra posuimus. Sed hoc falsum esse, tribus in rebus (ne plura consectando, vbi minimè opus est longior sim) planū faciam. Iacob vxores duxit & habuit simul duas sorores, Liam & Rachelem. Genes. 29. at per legem Mosis tale coniugum Hebræis vetitū est, Leuit. 18. Deus item Noë & posteris eius concessit esum omniū animaliū citra discrimen vllum, vt narrat Moses Gen. 9. at lex Mosis iubebat à multis animalium generib. tanquā immūdis abstinere Iudæos. Leu. 11. & Deuter. 14. Amrā denique pater Mosis & Aaron, vxorē habuit Iochabet patruelem siue amitam suam, id est, sororem patris sui, id quod ex cap. 6. Exodi, & vigesimo sexto Numerorum apertè colligitur. Lex tamen Mosis, vt scriptum est Leuit. 18. vetabat eiusmodi matrimonium: Non igitur omnia quæ lege Mosis præcepta sunt Hebræis, ea fuere ante legem (vt isti Rabbini nugantur) à piis viris obseruata.

TERTIA DISPVTATIO.

De numero mundorum & immundorum animalium quæ ingressa sunt in Arcam.

Gen. 6. & 7. PRÆCEPIT Deus Noë dicens: *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & feminam: de animantib. verò immundis, duo & duo, masculum & feminam.* Sed hæc verba Domini obscuram habent & ambiguā sententiam, quemadmodum intelligi debeat illud: *Bina & Bina, septena, & septena,*

septena, vtrum duo tantum an quatuor, & vtrum septem tantum an
10 quatuordecim. Duæ sunt planè contrariæ eorum qui hunc locum tractarunt sententiæ, altera est, *septena & septena* significare duos septenarios, id est, quatuordecim: tum quod manifestè hoc declarat geminatio eiusdem numeri, siquidem septena & septena idem valent, atque quatuordecim etiam in vulgari consuetudine & vsu loquendi, tum quod Deus iussit vt Noë induceret in arcam animalia coniugata, id est, matem cum fœmina. Ter namque Moses hoc septimo capite nominat animalia inducta in arcam, primo vt ingressura, tum vt ingredientia, demùm vt ingressa, & semper commemoratis animalibus, adiungit masculum & fœminam. Vnde licet argumentari animalia omnia fuisse numero pari, & suam cuique mari fœminam, & suum cuique fœmine marem fuisse adiunctum: si autem septem tantum cuiusque speciei mundorum animalium fuissent in arca, septimum sine suo consorte & coniuge fuisset, vel mare vel fœmina. Atque huius sententiæ primos reperio fuisse auctores Iustinum Martyrem in responsione ad Quæstionem 43. Orthodoxorum, & Origenem homil. 2. super 6. cap. Geneseos. Lyranus & Tostatus eandem assignant cuidam Andreæ, aduersus quem in commentarijs suis super septimum caput Geneseos ipsi disputant. Carthusianus quoque super septimum cap. Geneseos Articulo 36. & Oleaster ibidem eam censent textui sacræ scripturæ congruentiorem, & idcircò probabiliorem.

Gen. 9.

Iust. Mart.
Origenes.
Lyranus.
Tostatus.
Dionysius Carthusia.
Hieronymus.
Oleaster.

11 ALTERA sententia pluribus & grauioribus probata doctorib. illud *septena & septena* interpretatur, septem tantum, vt mundorum animalium cuiusque speciei tria fuerint paria, ita vt quodlibet par fœminam & marem haberet, septimum autem animal erat mas destinatus sacrificio quod statim finito diluuio fieri debebat ex mundis animalibus, & ideò mas solitarius & sine coniuge fœmina seruatus est. Illa autem geminatio eiusdem vocis, *septena & septena*, non significat duplicatum numerum septenarium, sed significat eundem numerum septenarium in omni specie mundorum animalium adhiberi oportere, vt sit sensus: Ex mundis animalibus tolles, septena ex hac specie & septena ex alia, & similiter septena ex alia qualibet specie. Sanè quatuordecim animalia cuiuslibet speciei mundorum introducere in arcam, præterquàm quod id plus nimio implesset & grauasset arcam, etiam superuacaneum fuisset: quo enim tanta cuiusque speciei animalium multitudo? cùm dimidium eius numeri satis superque foret ad id cuius gratia seruabantur animalia in arca. Et huius quidem sententiæ plurimos & grauissimos viros nominare & laudare possum auctores, vt Iosephum primo libro Antiquitatum, Ambrosium de arca & Noë capite 12. Chrysostomum homilia 24. in Genesim, Augustinum libro 15. de Ciuitate Dei capite 27. Theodoretum quæstione 50. in Genesim, Historiam Scholasticam in librum Geneseos, cap. 33. Eucherium, Lyranum, Tostatum, Caietanum super

Iosephus.
Ambrosius.
Chrysost.
Theod.
Historia scho lastica.
Eucherius.
Lyranus.
Tostatus.
Caietanus

septimum caput Geneseos. Ego vtramque opinionem iudico esse probabilem, sed posteriorem esse probabiliorem, mihiq; placere magis, non abnuo.

SED cur Deus iussit plura de mundis animalibus quàm de immundis in arca recipi? Cur in arca Noë plura fuerint animalia munda immundis secundum vnamquamque speciem, varias licet causas reddere: vnam, quo plura essent animalia homini vtilia, pauciora verò inutilia, aut etiam noxia. Alteram quod mundis opus futurum erat ad vsum sacrificiorum, quæ & statim finito diluuio facta sunt, nec nisi de mundis animalibus fieri oportebat. Tertiam quod post diluuium statim Deus copiam fecit homini vescendi animalibus plurimùm mundis. Quamobrem cùm immunda animalia vnam tantum ob causam seruarentur, hoc est, ad propagationem speciei, munda animalia tres ob causas seruabantur, & ad propagationem speciei & ad vsum humani cibi diuinorumq; sacrificiorum, hæc igitur plura illis recipi in arcam & conseruari conueniens fuit. His adde quartam causam, mysticam scilicet, vt ea re significaretur, multò plures in Ecclesia Christi esse debere mundos, id est, bonos & sanctos, quàm immundos & improbos. Nam, vt ait Paulus, *vocauit nos Deus non in immunditiam sed in sanctificationem, elegitq; nos vt essemus sancti & immaculati.* Atque vtinam Ecclesia Christi hac etiam re illi arcæ Noë responderet, vt plures haberet mundos quàm immundos: verum multò secùs accidit, cùm in agro Christi plurimùm fit pallearum ac zizaniorum, tritici verò perquàm paululum. 12

1. Thessal. 4. Ephes 1.

CONFIRMANDA sunt hæc & illustranda Chrysost. & Theodoreti verbis hoc loco adscriptis: *Plura*, inquit Chrysostomus, *præcepit Deus ex mundis introduci, vt inclitũ Noë & qui cùm illo erant inde consolaretur ex illis vsum habentes. Quod autem septena & impari numero inducta sunt, hoc quoque piæ mentis Noë indicium fuit, qui finito diluuio suam gratitudinem declaraturus erga Deum pro gratiarum actione hostias & sacrificia ei oblaturus erat. Vt igitur hoc faciẽdo non mutilaret paria, ideò Deus iussit septena induci ex singulis auium generibus, vt cùm cessaret vniuersalis interitus, & suam mentem declararet, & coniugia volatilium cæterorumq; animalium non læderentur.* Sic ferè Chrysostomus. Theodoretus autem (ex ipso Chrysostomo vtique mutuatus) similia scribit: *Nam cum hominibus*, ait, *permissurus esset Deus manducare carnes, & homines pij sacrificaturi essent illi, maiorem numerum mundorum animalium custodiri iussit, nempe tres cõiugationes ad augmentationem generis, vnum verò animal reliquum ad sacrificandum, statim enim vbi cessauit vltio, Noë sacrificium obtulit Deo graciarum actioni conueniens. Ita vt certum sit hac de causa Deum iussisse ex vnaquaque specie mũdorum animalium septena in arcam introduci, vt Noë vnum animal offerens ex vnaquaque specie, non perimeret coniugationes.* Sic Theodoretus. 13

Chryso. hom. 44. in Gen.

Theodoret. quæst. 50. in Gen.

QVAR

QVARTA DISPVTATIO.

Cur voluit Deus mundis animalibus nec plura nec pauciora quàm septem in arcam recepi.

BEATVS Ambrosius de Arca & Noë cap. 12. causam eius rei ad mysticam septenarij numeri virtutem & præstantiam refert. Etenim septenarius denotat munditiam, integritatem & perfectionem: at verò binarius, tanquam primus numerorum ab vnitate recedens, dissensionem, discordiam, immunditiam & imperfectionem significat. Sed Ambrosij verba explanantis illud: *de mundis septem & septem*, sic habent: *Et vt ego arbitror, inire mundam asserit hebdomadam, quia mundũ & sacer septenarius numerus est. Nulli enim miscetur, nec ab alio generatur, idemq; Virgo dicitur, quia nihil ex se generat. Meritoq; tanquam materni exors immunisq; partus muliebris copulæ, etsi hebdomas femineo nuncupetur nomine virilis habet sanctificationis gratiam. Secundus autem numerus non est plenus quia diuisus. Quod autem non est plenum, vacuum habetur. Septimus autem numerus plenus est, quia hebdomas vt decas, & similis illius primi, quia factus est ad similitudinẽ illius qui est semper, à quo profluunt & mouentur quæ sunt in omni genere virtutes.* Hæc Ambrosius. *Ambros.* *Septenarij numeri præstantia.*

15 SED Chrysostomus tractans hanc ipsam quæstionem, cur de mundis animalibus septem introducta sint in arcam vehementer irridet eos qui causam huius rei ex arcanis numerorum virtutibus accersunt: quin etiam huiusmodi ex numeris depromptas sacrarum rerum interpretationes & fabulosas & periculosas esse, vtpote ab hæreticis confictas affirmat. Ad hunc enim modum scribit: *Multi vanitas de hac re fabulas narrant, & hinc occasione sumpta obseruationes numerorum ostendunt. At non obseruatio, sed intempestiua hominum curiositas talia fingere molitur: vnde & multæ hæreses sunt ortæ: quod statim scietis. Etenim frequenter (vt videamur quasi ex abundantia, eos qui ex suis opinionibus noua afferunt, compescere) inuenimus in scripturis numerum parem commendatum. Quippe quando Dominus misit discipulos, binos eos misit, & Apostoli omnes duodecim erant, & quatuor numero sunt Euangelia. At superuacaneum fuerit hac apud charitatem vestram commemorare, quæ satis didicit huiusmodi dictis obturare aures.* Post hæc Chrysostomus subdit veram causam cur ex mundis animalibus septem introducta sint in arcam; quam nos paulò supra exposuimus. Ad extremum autem hisce verbis concludit disputationem Chrysostomus: *Dedicistis causam, ob quam septena introducere præceptum fuerit. Num post hac tolerabitis eos qui fabulari, diuinaq; scripturæ ordinem turbare, & quæ ex suo capite finxerunt introducere nituntur?* Hactenus ex Chrysostomo. Credo equidem verba hæc Chrysostomi non esse dicta aduersus Ambrosium aliosq; *Chry. hom. 24. in Gen.* *Quid sentiat de Mysterijs numerorum.* *Luc. 10.* *Matth. 10.*

16

quam plurimos & grauissimos doctores Ecclesiæ, qui in explicatione sacrarum literarum tractatúque rerum diuinarum multa de numeris acute, doctè, piè atque vtiliter disputarunt. Sed ea valere aduersus hæreticos, Simonem dico, Valentinum, Basilidem, Marcionem & Gnosticos, qui fabulosis numerorum mysteriis absurdos & impios errores suos adornabant, & imperitis probare studebant.

Quid sentiat Auctor de numero Septenario an sit mysticus.

Leuit. 25.

OMNINO inficias nemo ibit, septenarium numerum plurimis rebus in diuina Scriptura nobilitatum atque commendatum & quasi consecratum esse. Quis nescit in veteri testamento septimum hebdomadis diem, septimum anni mensem, & septimum quemque annum, denique eum qui septem hebdomadas annorum consequebatur, quinquagesimum annum Iubileo dicatum: hæc, inquam, fuisse sacrosancta & summa religione ac veneratione à Iudæis celebrata? Non persequar alia quamplurima septenario numero insignita & commendata in sacris literis, ne in re nota & peruulgata multus sim & insolens. Sed vt hoc verum est, ita nec illud non est, veriſſimum, septenarium numerum etiam in rebus pessimis & execrandis sæpenumero esse positum & vsurpatum in sacra Scriptura: *Immundus spiritus* (inquit Lucas cap. 11.) *assumit septem alios spiritus nequiores se.* Marcus narrat capite vltimo, Dominum ex Magdelena septem dæmonia

Apocal. 12.
Infrà 15.
Infrà 16.
Psal. 118.
Eccles. 7.

eiecisse. Ioannes in Apocalypsi vidit draconem habentem septem capita & septem diademata, & nominat septem plagas terræ, & septẽ phialas iræ Dei. Dixit quidem Dauid: *Septies in die laudem dixi tibi*, at filius eius Salomon dixit: *septies in die cadit iustus.* Apparet igitur eosdem numeros æquè in bonis atque in malis poni & vsurpari in sacra Sciptura.

Auctoris opinio cur septẽ munda animalia in arcã admissa sint.

QVÆ igitur est vera & germana causa, cur nec plura nec paucio- 18
ra quàm septem de mundis animalibus admissa sint in arcam? Difficile est diuinare, sed illud fortasse non videbitur lectori prorsus improbabile, tria paria mundorum animalium eò seruata esse, quod eiusmodi animalium conseruatio tres ob causas esset necessaria. Primò quidem ad propagationem speciei, & ad hunc finem seruatum est vnum par. Deinde ad esum, nam post diluuium vescendi animalibus copia hominibus à Deo facta est, & ob hãc ipsam causam altero pari eorum animaliũ opus fuit. Denique ad vsum sacrificiorum, & huius rei gratia tertium par conseruari debuit. Ecce tibi, cur de mundis animalibus sex conseruata sint. Septimum porrò animal quod erat mas solitarius, id est, sine coniuge femina, destinatum est sacrificio mos post diluuium faciendo, sicut factum est à Noé. Oportuit autem esse marem, quia mas perfectior est femina ob idq; congruentior atque decentior diuinis sacrificiis. Ad huius rei exemplum & similitudinem (vt hoc etiam velut in transcursu attingam) viros esse eos oportet & sine coniuge feminas, id est, virili animo magnóque virtutis robore præditos, omniq; animi quasi feminea mollicie & infirmitate exutos, quicunque seculo renunciato, in statu religioso seipsi

spiritualiter

ſpiritualiter mactant & ſacrificant Deo, vt in carne viuentes extra carnem viuant, id eſt, ab omnibus carnis voluptatibus & oblectationibus etiam per ſe non illicitis, ſeiugati & penitus abſtracti.

19 CETERVM de numero animalium quæ ingreſſa ſunt in arcam, reſtant nonnullæ dubitationes paucis expediendæ. Prima dubitatio: Cur Deus cùm primò præcepit Noë de numero animalium quæ recipienda erant in arcam, tantùm generatim, & præcisè iuſſit bina de qualibet ſpecie tolli, vt habesſub finem ſexti Capitis: *De cunctis*, inquit, *animantibus bina induces in arcam*: cùm tamen paulò infra initio ſeptimi Capitis diſtinctè iubeat tolli de immundis bina, de mundis autem ſeptena. Reſpondendum eſt: cum prius iuſſit Deus tollit bina, illud, *bina*, non ſignificat multitudinem introducendorum animalium, hanc enim infrà expreſſit diſtinguendo genera animalium mundorum & immundorum, & indicando de vtrolibet iſtorum quot ſumi deberēt: ſed illud, *bina*, ſignificat combinationem ſiue coniugationē vtriuſque ſexus, maſculini & feminini. Vnde protinus ipſe ſubiunxit: *Bina tolles, maſculini ſexus & feminini*, Noluit enim ſumi aut omnes aut plures maſculos vel feminas, ſed pariter mares cum feminis, & cum ſua quemque marem femina coniugatum.

Quatuor dubitationes de numero Animalium quæ ingreſſa ſunt in Arcam.

1 *DVBITATIO.*

20 ALTERA dubitatio: Cur Moſes loquens de duplici ſexu animalium introducendorum in arcam, nunc appellat marem & feminam, aliquando verò vxorem & maritum: Nam pro eo quod noſtra tranſlatio habet c. 7. *ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena, maſculū & feminam: de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & feminam*: pro illo inquam, quod bis dicitur: *maſculum & feminam*, Hebraicè bis pariter ad verbum eſt, *Vxorem & maritum*. Hanc dubitationem Caietanus ſuper eum locum ita ſoluit: *Maris*, ait, *& feminæ vocabulo vtitur Moſes, ad ſignificandum diuerſitatem ſexus: metaphora autem mariti & vxoris vtitur, ad ſignificandum ætatem maris & feminæ aptam ad generandum & multiplicandum: vt explicaretur quod non pulli ex nido, nec vetuli, ſed ætatis iuuenilis tam maſ quàm femina ſaluarētur*. Hæc Caietanus. Sed quia illud nomen vxoris & mariti non generatim nec indifferenter in quolibet genere animalium poſuit Moſes, ſed in iumentis tantum & in terreſtribus animantibus, non autem in auibus: Idcirca ſolutio Caietani difficultatem non omnino exhaurit. Quocirca Oleaſter ita eam ſoluit dicens in iumentis modum commixtionis feminæ cum mare, ipſaque generationis membra ſimiliora eſſe humanis, quàm in genere auium: & ob id illis potius quàm his nomen vxoris & mariti meritò fuiſſe tributum.

2 *DVBITATIO.*

Cur Moſes animalia in arcam introducta nunc marē & feminam, nunc virū & vxorem appellat. Caietanus in Geneſim.

Oleaſter.

21 TERTIA dubitatio: Cur Moſes loquens de iumentis ſiue terreſtribus animantibus, diſtinxit ea in munda atque immunda, de auibus autem loquens, non eas diſtinxit in mundas & immundas, ſed, quaſi omne genus auium eſſet mundum, ſimpliciter de auibus dixit tollenda eſſet ſeptena: at non pauca genera auiū fuiſſe olim immūda, patet ex vndecimo capite Leuitici & decimo quarto Deuteronomij.

3 *DVBITATIO.*

Cur aues non diſtinxit Moſes in mūdas & immundas.

Huic dubitationi tribus modis occurri potest: Primò, si dicatur, distinctionem mundi & immundi, nó fuisse in auibus obseruatam ante promulgationem legis Mosaicæ. Deinde potest dici quod ait Carthusianus, Mosen insinuandi alicuius mysterij gratia distinctionem mundi & immundi in auibus tacuisse: nempe vt ea re significaretur, admixtionem mundi & immundi in his versari, qui ad similitudinem terrestrium animalium, terrenarum rerum studiis curisque distinentur atque implicantur: vel qui adhuc in terris vitam degunt, horum enim alij sunt mundi, alij verò immundi. At in his qui similes volucrum cœli, animos menteque suas tollunt ad sublimium & diuinarum rerum contemplationem, & quorum, vt dixit Apostolus, *conuersatio in cœlis est*: vel qui terrenis corporibus exuti iam euolarunt ad cœlestes & beatas sedes, in his, inquam, distinctio mundi & immundi locum habet planè nullum. Scriptū enim est in Apocalypsi, nihil coinquinatum & immundū in cœlestem illam beatarū mentium patriam intrare. Sed illud verius dictu est, Mosen distinctionem mundi & immundi breuitatis causa in auibus tacuisse: verùm quàm proximè ante iumentis siue terrestribus animantibus expressérat, eandem voluisse in auibus intelligi, Magnam facit huic interpretationi fidem translatio Septuaginta Interpretum, quæ etiam in auibus distinctionem mundi & immundi expresè posuit. Namque initio septimi capitis sic habet illa: *Et à volatilibus cœli mundis septem, septem, masculum & feminam: & ab omnibus volatilibus immundis duo, duo, masculum & feminā.* Ergo quod Mosen studio breuitatis tacuisse putarūt Septuaginta interpretes, hoc ipsi, quò dilucidius Mosis sententiam exprimerēt, distinctè & expresè addiderunt.

Dionysius Carthus.

Philip. 3.

Apoc. vlt.

22

4. DVBITATIO.

QVARTA Dubitatio: An de his quæ de numero animalium introducendorum in arcam scripsit Moses, omnes translationes inter se congruant, & cum Hebraica scriptura concordent: Non omnino congruunt, sed quibusdam rebus, leuissimis tamen, dissonant. Quadruplex autem varietas hoc loco annotari potest. Primo sub finem sexti capitis tam Latina translatio, quàm paraphrasis Chaldaica & Scriptura Hebraica habet semel, & sine geminatione eiusdem numeri, bina animalia esse inducenda in arcam: Septuaginta autem interpretes habent eundem numerum geminatum, dicentes, *duo, duo.* Deinde in exordio septimi capitis Latina translatio & Septuaginta interpretum habent, ex immundis animalibus sumenda esse duo & duo: Hebraicè verò & Chaldaicè semel tantum est illud, *duo.* Ad hæc Scriptura Hebraica eo ipso loco cum de iumentis loquitur, tribuit eis nomen vxoris & mariti, & item vocabulum maris & feminæ: Latinè verò, Græcè & Chaldaicè tantùm ponitur nomen maris & feminæ. Postremò in auibus, Septuaginta interpretum translatio ponit distinctionem mundi & immundi: quam distinctionem nec Latina translatio habet, nec paraphrasis Chaldaica, nec Scriptura Hebraica.

23

In numero animaliū quæ in arcam introducta sunt quadruplex Interpretum varietas.

QVINTA

QVINTA DISPVTATIO.

Quemadmodum animalia omnia vndique congregata conuenerint ad Arcam.

24 PHILO extremo libro secundo de vita Mosis significat ipsum Noë congregasse animalia, eaq; non modo non repugnanter, sed etiam vltrò & placidè secuta eum fuisse, non secus atque oues gregatim pastorem suum quocunque ducantur, sequi solent: itaque non solum mansueta, sed etiam ferocia & sæua, naturalem quasi exuentia sæuitiam, se dabant omnino ductui, & obsequio Noë. Ita autem scribit Philo: *Sic factum est vt nullum animal detractaret obsequiũ Noë, immanibus etiam bestijs mãsuescentibus, & seruatorem suum tanquã pastorem vltro sequẽtibus. Quæ postquam se contulerunt intra vnum receptaculum, dici illud poterat totius terrarũ orbis æmulum, nimirum continẽs tot animantium genera, quot in omnibus terris vel tunc inueniebantur, vel inuenienda erant in posterum, vix vllo sermone comprehensibilia.* Sic Philo. Verùm si hoc Philo sensit, quod prædicta verba præ se ferunt: haud dubiè non rectè sensit. Non enim potuit Noë aut per se ipse aut per alios, omnes tetrarum tractus orasq; omniaq; loca, in quibus toto orbe dispersa erant animalia perue stigare ac perlustrare, eaq; vndique congregando ad arcam adducere: non, inquam, hoc ille potuit sine mora longissimi temporis, nec sine molestissima & vix tollerabili immensi laboris perpessione. *Philo.*

25 IOANNES Buteo facit Hugonem Sancti Victoris affirmantem, inualescente diluuio & terras operiente, animantes omnes effugium aliquod præsentis exitij quærentes, vndique natando confugisse ad arcam. Verba Hugonis ex quibus sententiam illam Buteo elicuit, sic habent in libro primo de arca morali, capite tertio: *Tertia mansio arcæ in qua animalia erant quæ egebant spirumento aperti aëris, prima supra aquas eminebat, ita vt foris per aquam ascendentibus ad arcam animalibus, ostium ferè per planum occurreret.* Sic Hugo. Sed hanc opinionem, & diuina Scriptura reiicit, & ratio confutat. Narratio enim Mosis in cap. 7. Geneseos apertè ostendit prius animalia fuisse ingressa in arcam, quam diluuium cœptum fuerit: quinimo ante eluuionem aquarum & post ingressum animalium in arcam, dicitur ibi Deũ foris ostium clausisse. Quid quod, si aquæ ante ingressum animalium in arcam nundassent terram, multæ animantium species vel repentinis aqui, oppressæ, vel nandi, aut certè natando perueniendi vsque ad arcam impotentes periissent, nec nisi longo admodum tempore concursus omnium & conuentus animalium ad arcam fieri potuisset. *Io. Buteo in lib. de arca Noë. Hugos. Victoris.*

26 ILLA igitur, vt peruulgata & plerisque Doctoribus probata, sic etiam vera est sententia, voluntate ac potestate Dei, ministerióque

Angelo

Angelorum omnia animalia vndique congregata & deducta esse ad arcam. Id quod non obscurè indicauit Deus ijs verbis quæ refert Moses sub finem sexti Capitis. Nam pro eo quod Latina translatio habet: *Bina de omnibus ingredientur tecum vt possint viuere.* Græcè & Hebraicè est: *ingredientur*, vel *venient ad te*, id est vltrò venient, non tua cura aut labore quæsita & congregata. *Non fuit* (Augustinus ait libro decimo quinto de Ciuitate Dei, capite vigesimo septimo) *ista cura illius hominis vel illorum hominum, sed diuina: non enim ea Noë capta intromittebat, sed venientia & intrantia admittebat. Ad hoc enim valet quod dictum est: Intrabunt ad te, non scilicet hominis actu, sed Dei nutu.* Hæc Augustinus. Caietanus quoque expendens, illa ipsa verba: *Duo ex omnibus venient ad te*, ita scribit: *Soluitur hinc quæstio, quomodo Noë congregauerit bina ex omnibus animantibus: Clarè enim Deus absoluit eum ab hac cura, dicendo, Venient ad te. Diuino siquidem nutu, ministerio Angelorum venerunt ex omnibus animalibus mas & fœmina ad Noë: ipsius autem Noë cura & opera fuit efficere, vt quæ venerant animantia, ingrederentur in arcam, & inuenirent nidos siue mansiones in ea, & ibi pascerentur ab ipso. Ab hoc miraculo veniendi discere reliqua consequentia circa pacem animalium apud Noë eiusdem enim rationis sunt.* Hactenus ex Caietano.

Augustin.

Caietan. Gen. 6.

Philo refellitur.

CASTIGANDA obiter est hoc loco sententia quædam Philonis, qui hoc discrimen facit inter arcam Noë & Paradisum terrestrem, in quo Deus collocauit Adamum: quòd intra arcam fuerunt & homines & animalia tam munda quàm immunda, in Paradiso autem terrestri nullum fuit animal rationis expers, sed homo tantùm. Sic enim dixit Moses capite secundo: *Plantauit Deus Paradisum, in quo posuit hominem quem formauerat*, & paulo infra: *Tulit Deus hominem & posuit eum in Paradiso voluptatis vt operaretur, & custodiret illum.* Atque huius differentiæ rationem quandam Tropologicam reddit Philo. Sic enim scribit in libro qui inscribitur De plantatione Noë: *Non est mirandum cur in arcam illam ingentem diluuio præparatam omnes animantium species introducantur, nulla verò in Paradisum. Nam arca illa corpus humanum significabat, quod necessario capit affectionum vitiorúmque immanes pestes & indomitas: Paradisus autem solarum virtutum capax est, quæ nihil immansuetum admittunt aut quod ratione careat.* Sic Philo. 27

Iosephus. Basilius. August. Damasc.

SED ego Philoni minimè assentior nullum fuisse animal intra Paradisum: possum enim contrariæ sententiæ auctores proferre viros clarissimos Iosephum primo libro Antiquitatum, Basilium in Oratione quam scripsit de paradiso, Augustinum libro decimo quinto de Ciuitate Dei capite vndecimo, & Damascenum libro secundo de fide Orthodoxa, capite decimo, quamquam is proximè sequenti capite, quasi eorum quę antè dixerat, oblitus, contraria videtur scribere. Quomodo enim animalia non fuisse in Paradiso credibile est, cùm ad ipsum Adam in Paradiso versantem cunctæ animantes adductæ sint, vt eis ille nomina imponeret: 28

eique:

eique datum fuerit à Deo imperium in omnia animalia? Vbi etiam erat nisi intra Paradisum, serpens qui Euam tentauit atque decepit? cuius aspectu & sermone tanquam re insolita obstupuisset Eua, nec tam familiariter cùm eo esset collocuta, nisi anteà & ipsum & alias animantes in Paradiso vidisset. Sed pergamus ad alia.

SEXTA DISPVTATIO.

Quæ genera animalium non sint in Arcam ingressa.

29 TRIA genera animalium non sunt in arcam ingressa. Vnum est genus piscium & omnium quæ in aquis viuunt: namque istis diluuium nihil damni attulit. His quoque licet annumerare quæ ambiguæ sunt vitæ & appellantur amphibia: nam licet ista sæpe extra aquas versentur in terra, non tamen terram petũt necessitatis causa, sed captandæ voluptatis aut prædæ, vel occultandæ prolis gratia. Quod si nec istis diutina in aquis mansio esse potest, nihil perturbat id rationem nostram, sufficientem enim istis quoque capiendis locũ in arca fuisse supra demonstratum est. Alterum est genus eorum, quæ ex diuersæ speciei animalium cõmixtione generantur, vt mulus & mula ex equo & asina: satis enim fuit seruatos esse in arca istorum parentes, scilicet ex quorum coniunctione rursus finito diluuio reparari genus eorum poterat. Tertium genus eorum est quæ creantur ex putrescente materia: nam cùm nullo tempore post diluuium de futura esset putrescens materia, nec vis cœlestis, vnde talium animalium generatio existit, necessaria non fuit eorum in arca conseruatio.

Tria genera animaliũ nõ fuisse in arca Noë.

30 TOSTATVS autem super secundum cap. Genes. quæst. 2. sex huius generis animalium species facit ad hunc modum scribens: *Animalium imperfectorum, quæ de putrefactionibus generantur, communiter sex sunt genera: quædam de exhalationibus generantur, vt bibiones, quæ sunt minutissima animalia ex vini exhalationibus genita, papilioens ex aqua: quædam ex corruptionibus humorum, vt vermes in stercore, vel cisternis. Quædam ex cadaueribus, vt apes ex iumentis, crabrones, id est, muscæ grandes quæ sonant volando, & Scarabei & muscæ virides ex equis, vel canibus mortuis, & Scorpius de carnibus Cancri mortui.* Vt Ouid. ait Metamorphoseos 15.

Tostatus tradit sex species animaliũ ex putri materia nascentium.

Concaua littorei si demas brachia Cancri,
Cætera supponas terræ, de parte sepulta:
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca.

Nascitur etiam de medulla spinæ humanæ serpens, vt ait Isidorus 15. Etymologiarum, de quo Ouidius Metamorphos. 15.

Isidorus. Ouidius.

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro
Mutari credunt humanas angue medullas.

Quædam ex putredine lignorum, vt teredines quæ sunt vermes nati intra ligna, quando non abscinduntur tempore debito. Quædam ex herbarum corruptione, vt tineæ: quædam ex corruptione fructuum, vt gurguliones ex fabis. De his sex animalium speciebus dicitur quod non à Deo immediatè creata sunt, sed posteà naturaliter ex corruptione formata sunt, Deus tamen seminarias causas horum rebus indidit. Hæc Toſtatus.

TRIA porrò ſupradicta genera animalium excluſa fuiſſe ab arca, 31
ipſa Moſis narratio non obſcurè indicat. Ac de aquatilibus quidem nemini dubium eſſe potuit, cùm Deus ſola terreſtria & volatilia in arcam introduci iuſſerit nulla piſcium ſiue aquatilium facta mentione. De cæteris duobus generibus, idem manifeſtum eſt, ex eo quod in omni genere animalium quæ Deus in arcam iuſſit recipi, diſtinctionem vtriuſque ſexus: id eſt, maris & feminæ eſſe voluit, proculdubio ad eum finem, vt rurſus tali commixtione ſexus generando ſibi ſimilia, ſpeciem ſuam ſeruare ac propagare poſſent. Quæcumque igitur aut non habent diſtinctionem ſexus, aut non generantur ex commixtione vtriuſque ſexus, aut ipſa per commixtionem maris & feminæ aliud quippiam non generant, ea non fuiſſe in arca, neceſſe eſt confiteri. Mulus quidem & mula ex commixtione maris & feminæ generantur, & habent in ſe diſtinctionem vtriuſque ſexus: ſed ipſa tamen per huiuſmodi commixtionem nihil generant, quo citra eorum ſpecies non conſeruatur & perpetuatur propter actiuam eorum generationem, ſed tantùm propter paſſiuam ex equo & aſina.

Auguſt. CONFIRMATVR noſtra ſententia de animalibus quæ nō ſunt 32
in arcam ingreſſa, auctoritate Beati Auguſtini, ſimillima eorum quæ hic docuimus, in libro decimoquinto de Ciuitate Dei, capite vigeſimo ſeptimo hunc in modum ſcribentis: *Quod autem ſcrupuloſiſſimè quæri ſolet de minutiſſimis beſtiolis, non ſolum quales ſunt mures & ſtelliones, verum etiam quales locuſtæ, ſcarabei, muſcæ denique & pulices, vtrū non amplioris numeri in arca illa fuerint, quam qui eſt definitus, cum hoc imperaret Deus: prius admonendi ſunt quos hæc mouent, ſic accipiendū eſſe quod dictum eſt: Quæ repunt ſuper terram, vt neceſſe non fuerit conſeruari in arca, quæ poſſunt in aquis viuere, non ſolum merſa, ſicut piſces, verum etiam ſupernatantia, ſicut multæ alites.* Deinde cùm dicitur: *Maſculus & femina erunt. Proculdubiò intelligitur ad reparandum genus dici, ac per hoc nec illa neceſſe fuerat ibi eſſe, quæ poſſunt ſine concubitu, de quibuſque rebus vel rerum corruptionibus naſci, vel ſi fuerunt, ſicut in domibus eſſe conſueuerūt, ſine vllo numero definita eſſe potuiſſe: aut ſi myſterium ſacratiſſimum quod agebatur & tātæ rei figura etiam in veritate facti aliter nō poſſet impleri, niſi vt omnia ibi certo illo numero eſſent, quæ viuere in aquis natura prohibente non poſſent, non fuit iſta cura illius hominis, vel illorum hominum, ſed diuina. Non enim ea Noë capta intromittebat, ſed venientia & intrantia admittebat. Ad hoc*

enim

enim valet quod dictum est: Intrabunt ad te non scilicet hominis actu, sed Dei nutu: ita sanè, vt non illic fuisse credenda sint quæ sexu carẽt. Præscriptum est enim atque definitum: Masculus & femina erunt. Alia sunt quippe quæ de quibusque rebus sine concubitu ita nascuntur, vt postea concumbant & generẽt, vt muscæ: alia verò in quibus nihil sit maris vel feminæ, sicut apes. Ea porrò quæ sic habent sexum, vt non habeant fetum vt muli & mulæ, mirum si ibi fuerunt, ac non potius parentes eorum ibi fuisse suffecerit, equinum videlicet atq; asininum genus, & si aliqua alia sunt quæ ex commixtione diuersi generis genus aliquod ducunt sed etsi hoc ad mysterium pertinebat, ibi erãt: habet enim & hoc genus masculum & femininum: Sic Augustinus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Quæ genera animalium in Arcam sint ingressa, & primò de Reptilibus.

32 EXCEPTIS tribus Illis supradictis animalium generibus quæ non esse in arcam recepta, præcedenti quæstione ostendimus, cæteræ omnes animantium species in arcam ingressæ sunt. Horum autem animalium quinque genera licet distinguere: vnum auium, alterum reptilium: tertium Quadrupedum carniuorum, quartum non carniuorum & magni corporis: quintum non carniuorum, & quæ minori corpore sunt prædita. Et auium quidem licet quàm plurimæ sint species, eis tamen, quia pleræque sunt per quam exigui corporis, satis superq; loci in supremo cœnaculo areæ à nobis suprà est assignatum. De reliquis igitur quatuor generibus explicandum est: quemadmodum tot cuiusque generis species in arca contineri potuerint: quamobrem necesse est cuiuslibet quatuor supradictorũ generum hic pernencere omnes species, quæcumque adhuc ad notitiã hominum venerunt, vel ipso vsu & experientia plerisque cognitæ, vel doctorum hominum industria, & diligentia depreheusæ, obseruatæ & litteris proditæ.

cur Auctor tradat species animaliũ, nõ solum per cẽsendo eorũnumerum, sed etiãm præcipuas ac singulares quorundam naturas breuiter exponẽdo.

33 VISVM præterea nobis est (quod vt faceremus etiam à nonnullis moniti & rogati sumus) breuem quorundam animalium, quæ non quibuslibet nota sunt, virium, naturæ, ac procritatum expositionem, probatis ex auctoribus sumptam, hoc loco velut in transcursu tradere: quò scilicet distinctio specierum, vnde numerus animalium, quæ in arcam ingressa sunt, iniri & constitui debet, manifestior atque illustrior existeret, & sacrarum litterarum studio deditus Lector compendiariam quandam, & certa ratione atque ordine digestam, præcipuorum animalium terrestrium cognitionẽ haberet. Nempe hac ille

vti poterit ad multos diuinæ scripturæ locos, quibus miræ complurium animalium proprietates indicantur, eruditè ac luculenter interpretando. Hinc præterea licebit capere multa & quidem perutilia documenta moralia, ex admirandis animalium ingeniis ac moribus aptè petita similitudine: quod sanè ad populares conciones ornandas & locupletandas valebit plurimùm, & vberiorem ac iucundiorē suppeditabit materiam spiritualium meditationum, quæ contemplandis rebus naturalibus, ad earum omnium opificis Dei sapientiæ ac prouidentiæ admirationem ac prædicationem humanam mētem extollunt. Posuimus autem in margine nomina eorum tantū animaliū, quorum naturas vt miras eoque memorandas, breuiter exponimus, scilicet ea re lectoris studio ac memoriæ, id est, voluptati simul atque vtilitati seruientes.

Reptiliū quæ in arcam ingressa sunt species 25.

REPTILIVM igitur quæ ingressa sunt in arcam, eorum nempe 34
quæ non ex putrescente materia, nec ex animalium diuersæ speciei mixtione nec aliter quàm ex maris & feminæ commixtione suique similibus parentibus generantur, hæ sunt ferè adhuc cognitæ species.

Scaliger exercitat 183.

1 *ANGVIS.* Mons qui Narsingæ regnum diuidit à Malabaris, multa alit feras, inter quas alatos angues arboribus insidentes,

Angues alatos. Herod l. 3.

quos aiunt solo afflatu, vel etiam obtutu eos qui propius accedant, interficere.

Vipera. An Viperain partu pereat.

2 *ASPIS.* 3 *VIPERA.* Multa Herodotus tradit fabulosa, 35
non ille quidem mentiendi libidine, sed nimio vndeque omnia carpēdi & colligendi studio, non tam iudicij & prudentiæ, quàm copiæ ac diligentiæ laudem quærens. In fabulosis numerant nonnulli quod ab eo proditum est, in Viperino genere tam marem quàm feminam in generando prolem interimere: Marem quidem à femina, quæ caput eius in coitu ore comprehendens, voluptatis dulcedine arrodit: feminam verò à catulis quos vtero gerit: nam cum singulos diebus singulis pariat, viginti ferè numero, posteriores morę impatiētes latera perrumpunt occisa parente. Ridet hoc Scaliger: *Viperas*, inquiens, *ab impatientibus moræ fœtibus numerosissimis, atque idcirco erūpendibus rumpi & interire falsum esse scimus, qui in Vincentij Camerini circulatoris lignea theca vidimus enatas viperillas pareme salua.*

Scaliger exercitat. 201.

Arist. l 5. de hist. anim. c. 31.

VERVM Aristoteles, vt erat in philosophando non modò doctis- 36
simus, sed etiam cautissimus atque prudentissimus, quasi sententiam Herodoti restringens & corrigens, non matricem aut latera viperæ lacerari à catulis ait, sed mēbranas, quibus illi in vtero inuoluti erant rumpi, idque non semper, sed interdum. Verna eius sic habent: *Parit vipera catulos obuolutos membranis, quæ tertia die rumpantur. Euenit interdum, vt qui in vtero adhuc sunt, abrosis membranis prorumpant, singulos diebus singulis parit plures quam viginti.* Quamquam autem ferè perexigui

Nymphes apud Aelianū li. 17. cap. 3.

corporis sunt viperæ. Nymphes tamen librorum quos scripsit de Ptolemæis nono Viperas ait in Troglodytide, decem & septem cubitorum existere.

BA

37 4. *BASILISCVS*: De Basiliſco quæ hic memorari poſſent reperiet lector apud Plinium lib.8.cap.21.Solinum cap. 30.& Ælianum lib. 2.cap.35.& lib.3.cap.30.Baſiliſcum non vt alios ſerpentes incantari,diuinis teſtatum eſt litteris:*Ecce ego*,inquit Dominus, *mittam vobis ſerpentes regulos,quibus non eſt incãtatio,& mordebunt vos*,quin etiam baſiliſcus incantamenta diſcutere, & his iam captos alios ſerpentes, ſoluere ac liberare creditur. Quod autem ſcriptum eſt apud Eſaiam: *De radice colubri egredietur Regulus,& ſemẽ eius abſorbens volucrem*, ſermo eſt non proprius ſed metaphoricus & figuratus Non enim à colubro generatur baſiliſcus;ſed ſignificatur Oſiam regem multis quidem malis afflixiſſe Philiſthæos, verum ex eius tamen ſemine natum Ezechiam grauioribus eos calamitatibus contriturum : quemadmodum baſiliſcus nocentior & pernicioſior eſt quàm coluber. Dicitur autem baſiliſcus abſorbere volucrẽ, propterea quod infecto à ſe aëre ſuperuolantes aues interimit,vt à Solino proditur.Refert Scaliger legiſſe ſe apud recenſiores, Romæ, Leone Pont.Max.ad ædem Luciæ ſub fornice ſtabulatum eſſe baſiliſcum , cuius afflatu magna lue affecta Roma fuerit,eumque illico Pontificis precibus extinctum.

Baſiliſcus. Ierem.8.

Locus Iſa. cap.14.

Scaliger exercitat.246.

38 SIMILIS eſt natura & vis peſtilens feræ quam CATOBLEPAM appellant,non corporis magnitudine, ſed veneni potentia inſignem, membris inertem , capite adeo graui, vt id ægrè ſuſtinens ſemper in terram deiectum ferat : non impetu morſuque noxiam , ſed aſpectu ſolo omnibus qui eius oculos viderunt,confeſtim expirantibus.

Plin.li.8.c.21. Catoblepa.

39 5 *LACERTVS* viridis.6 *LACERTVS* minutior.7 *STELLIO*. 8 *TARANTVLA*. hanc multi putant ſpeciem eſſe ſtellionis : verum ſecus eſt conſtat enim ſpeciem eſſe Phalangi Italiæ peculiarem:in oræ tractu meridionalis innoxiam, ſed in terra Apulia tum frequentem,tum maleficam:à Tarento vrbe Tarantulam nominatam hæc in ſulcorum ſqualore latitans, imprudentes meſſores vel venatores pungit,quamobrem illi ocreolis calceati metunt.Nec eorũ qui læſi ſunt à Tarãtula,vnus eſt modus.Apulorum fert opinio, quot ſunt in hebdomade dies,tot eſſe noxarum ſpecies ab hac beſtia illatarum.Multi confeſtim ſopore occupantur:nec pauci perpetuis vigiliis diſtrahuntur,alij fletu mœrent,alij riſu diffundũtur,alij currunt, nonnulli inertes deſident. Sunt qui ſudent , qui vomant, qui inſaniant. Quapropter non defuere Philoſophi qui crederẽt tot eſſe Tarantulæ ſpecies,quot eius malefici cernerentur effectus. Verum quemadmodum ebrietas,pro varia hominũ affectione, non vnus modi effectum habet:flent ebrij,rident,ſilent,blaterant,diſcurſant,verberant, itidem ex huius beſtiolæ morſu euenire putandum eſt.Diuerſa eſt ab hac quę vulgo Romæ Terrantula quòd ſub terra lateat, nominatur : ſiquidem ea lacerti facie & luteis maculoſa notis cum ſit,ſtellionis putanda eſt ſpecies.

Scaliger exercitat.185.

Tarantulæ.

40 9 *CHAMAELEON*. Nullius fere animalis tam copioſe ac ſubtiliter naturam & mores deſcripſit Ariſtoteles, vt Chamæleon-

Chamæleon.

tis, scilicet propter eius animalis multiplex miraculum. Descriptionem Aristotelis eleganti breuitate reddidit latinè Plinius. Duo in primis celebrantur eius miracula: alterũ, quod ipse celsus hianti semper ore, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento, sed (quod alterum est miraculum) coloris natura mirabilior mutat: namque eum subinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, redditque semper quemcunque proximè attingit, præter rubrum, candidumque. Variatio colorum secundum Aristotelem, ei accidit sanguinis inopia metuque. *Omnium*, inquit, *ouiparorum pedestrium tenuissimus Chamæleon est, quippe qui omnium maximè inopia sanguinis riget: præ nimio quoque metu multiformis efficitur. Metus autem refrigeratio quædam est per inopiam sanguinis caloríque.*

Arist. l. 2. de Historia animal. cap. 11.
Plini. lib. 8. cap. 33.
Arist. lib. 4. de Partibus animal. c. 11.

AT enim veterem Chamæleontis historiam certiori recentiorum narratione aliqua ex parte corrigit & emendat Scaliger ad hunc modum scribens: *De Chamæleonte quædam minus trita referamus. Io. Lãdius in vltima Syria cum esset, ait se vidisse vnum è quinque quos emerat Chamæleontibus, linguæ repentino momentaneóque iaculatu muscam quæ in eius esset pectore legisse: Propterea illius à se dissecti linguam narrabat inuentã palmi longitudine, cauam, inanem, in summa tãquam acetabulũ cum muco, quo prædam tolleret, id nouum sanè ijs, qui solo vento viuere hactenus existimarunt.* 41

Scaliger exercitat. 196. Ioa. Lãdius.

IN quoslibet mutari colores verũ non est. Super viridi viriditas vegetatur: super luteo temperatur ad luteum. Super cœruleo, aut rubro, aut albo non vincitur viriditas natiua: sed puncta cærulea & rubra & alba, viuidiorem, vadidioréque sui speciem dant. Super nigro subnigrescunt, manet tamen tenor ille viredinis atro confusus. Etiam haud mutato supposito colore, mutat ipse suũ, vel metu, vel molestia, aut oppressus, aut solitus. Quod aërilli pro cibo sit aliquandiu, ex eo patet: quod & annum integrum aium inediam tolerare: & vbi excepit hiatu auram, & occlusit malas, turget ei venter. Etiam inueni qui diceret obuersum ad Solem haurire radios, eosq; conuersione hiãtem sequi: Venenatorũ serpentum est hostis acerrimus Chamæleo. Is ex illis vnumquempiam speculatus in vmbra captãtem auras, aut in radijs apricantem, in eam scandit arborẽ quæ illi imminet: vnde ex ore filum demittit araneorum more: in cuius fili extremo guttula sit, margaritæ splendore. Eã tactum in vertice serpentem mori. Illud etiam admirabilius. Si ad perpendiculum neque at filum demittere, quòd minus adamussim respondeat ramus in quo est inferiori loco vbi cubat serpens: ita filum corrigere pedibus anterioribus atque eius tactum temperare, vt ad ligneam quasi catheton descendat. Hæc Scaliger. 10 *SALAMANDRA*, De hac quæ mira sunt & cogniru digna, disputauimus in libro tertio Commentariorum nostrorum in Danielem. 42

Solin. de Scytale & sequẽ lib. c. 30. Scytale.

11. *SCYTALE*, serpens tanta præfulgens tergi varietate, vt notarum gratia videntes retardet, & quoniam reptando pigrior est; quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes. 12. *CERASTES*, præferens quadrigemina cornua, quorum ostentatione, velut esca illice, sollicitas aues perimit. 13. *AMPHISBÆNA*, consurgens in caput geminum, quorum alterum in loco suo est, alterum in ea parte: 43

qua-

qua cauda. 14. *IACVLI*, qui subeunt arbores, è quibus vi maxima turbi nati, penetrant animal quodcumque obuium. 15. *DISPAS*, situ interficiens. 16. *HYPNALE*, sumno necans, experimẽto Cleopatræ, idcirco ad mortẽ quæsita & empta. 17. *EMORROIS*, morsu sanguinem eliciens, & dissolutis vænarum commercijs, quicquid animæ est, euocans per cruorem. 18. *PRÆSTER*, à quo percussus distenditur, enormique corpulantia necatur extuberatus. 19. *SEPS*, cuius ictum statim putredo sequitur. 20. *AMMODITES*, serpens magnitudine quidem cubitali est, colore verò arenosus, per corpus autem maculis nigris insignitur, caudam habet præduram, supet-
44 nè discussam. A quibusdam cenchrias, id est, miliaris, ob caudæ instar milij duritiem, appellatus est. Latiores maxillas quam vipera habet: cumque in multis aliis ei similis sit, colore magis discerni potest vipera enim subflaua est. 21. *CENCHRIS*, genus etiam serpentis venenosi, de quo Plinius loquens de serpillo domestico aduersus serpentes efficax, maximè Cenchrin, &c. 22. *ELEPHANTIA*. *Plin. l. 20. c. 22.*

23. *CHERSYDROS*, serpens qui tam in aquis quàm in terris moratur: non multum distans à Chelidro, fumum qua serpit, emittente Lucano: *Lucanus. li. 9.*

Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arua
Cherſidros, tractiq; via fumante Chelydri.

24. *CHAMÆDRACOM.* *Hydrus & Hydra.*

45 25. *HYDRVS* seu *HYDRA* (nam Hydrus mas est & Hydra femina) quanquam hoc genus serpentium aquatile est potius quàm terrestre. De hoc sic Plinius: *In orbe terrarum* inquit, *Pulcherrimum anguium genus est, quod in aqua viuit. Hydri vocantur, nullis serpentium inferiores veneno. Horum iecur seruatum aduersus percussos ab his, auxilium est.* *Plin. l. 29. cap. 4.*

Idemalibi, memorat marinos vicenum cubitorum, à quibus classis Alexandri territa sit. Nam Hydram in Lerna palude multorum fuisse capitum, quorum aliquot excisis plures continuo renascerentur, & quæ tandem ab Hercule sagitis & igne interfecta sit, poëtarũ est figmentum. Sunt igitur in vniuersum vigintiquinque supradictæ species Reptilium. Sed propter alias fortasse nonnullas species adhuc nobis incognitas, eum numerum vsque ad triginta extendamus. *Idem l. 6. c 23.*

OCTAVA DISPVTATIO.

De animalibus carniuoris in arcam ingressis.

46 CARNIVORA hoc loco appello animalia, quæ post diluuium & deinceps ad hodiernum vsque diem carnibus vesci solent, nam ante diluuiũ, esu & cibatu carniumanimal nullum fuisse vsum, demonstratum à nobis est in priori Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim sub finem libri quarti vltima disputatione. Horum autem

Carni

Carniuororũ animaliũ species quinque & triginta numerãtur. Scaliger exercitat. 183.

Carniuororum animalium ſpecies, vſu & aliorum relatu exploratas & cognitas, has percenſere habeo. 1. *LEO.* 2. *PARDVS.* 3. *DRACO.* Mira narrantur de Draconibus, Atlantici montis dracones ſolo contactu interficere, capite & cauda gracillimos: alui tanta vaſtitate, vix vt reptioni ſint habiles, Philoſtratus ſanè perquam ingenioſus & diſertus mendaciorum artifex in tertio libro ſcribit ad Gangem innumeros eſſe dracones, quos oculorum gratia venentur Indi, eorum enim oculos, lapillos eſſe ignei fulgoris pretioſos. Sed illud magis fabuloſum ab Africanis vulgatum, ex aquila concipere lupam, nec parere, ſed rumpi: edi autem draconem roſtro & alis parti ſimilẽ, pedibus & cauda matri: corio ſerpentis, maculis verſicolore, oculorum genus attollere nunquam, in ſpecubus habitare. Hæc fabuloſis proxima equidem prodere volui, non vt lectori prudenti credenda, ſed vt curioſo, & quicquid mirabile dictu eſt noſcendi auido, non ignoranda. Etenim ſcitum eſt illud Ariſtotelis, Philoſophum etiam fabularum eſſe amatorem, quod ex rebus mirandis conſtat fabula.

Fabulæ de Draconib.

Philoſtratus.

Ariſt. 1. lib. Metaph. c. 2.

Plin. l. 8. ca. 17. & 27. Panthera.

4. *PANTHERA.* Panthera & Tigris maculatum varietate propemodum ſolæ beſtiarum ſpectantur: Pantheris enim in candido breues maculatum oculi. Ferunt odore earum mirè ſollicitari quadrupedes, ſed capitis toruitate terreri: quamobrem occultato eo, reliqua dulcedine imitatas, ab ea corripi. Aiunt quidam in armo pantheris ſimilem Lunæ eſſe maculam creſcentem in orbes, & cauentẽ pari modo cornua. Pantheras autem perfricata carne aconito (venenũ id eſt) Barbari venantur, occupat illico fauces earum angor: at fera contra hæc excrementis hominum ſibi medetur, & aliàs tam auida eorum, vt à paſtoribus ex induſtria in aliquo vaſe ſuſpenſa altiùs quàm vt queat ſaltu attingere, iaculando ſe appetendoque deficiat, & poſtremò expiret: alioqui viuacitatis adeò lentæ, vt eiectis interraneis diu pugnet. 47

Solin. c. 21. Plin. l. 8. cap. 18. Tigris

5. *TIGRIS.* Hircania vt ſyluis aſpera, ſic immanibus feris copioſa, fœtáque tigribus. Animal eſt tam inſignibus maculatum notis, tum incredibili pernicitate admodum memorabile. Fuluo niter, nigrantibus ſegmentis interundato, varietate apprimè decenti. Pedum tanta velocitate, vt nihil tam longum ſit quod non breui penetret, nihil tam longè antecedat, vt non illicò aſſequatur. Sed maximè potentia eius probatur, cùm catulorum ſuorum inſiſtit raptoribus. Succedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtrà eſt omnis conatus. Nam vbi vacuum cubile reperit femina (maribus enim cura non eſt ſobolis) fertur præceps, odore veſtigans. Raptor appropinquãte fremitu abiicit vnum de catulis, quem illa morſu tollens, pondere etiam ocyor acta remaneat, iterúmque conſequitur, ac ſubinde, donec in nauem regreſſo irrita feritas ſæuit in littore. Illud obiter ſcire conuenit, eſſe genus quoddam commune, carens tamen nomine, continens 48

proximè

has ſpecies, Lupum, Canem, Vulpē, Tigrem, Hyænam & Leænam. indicio eſt mutua horum inter ſe animalium commixtio, & hinc generatio prolis, diuerſæ tamen à parentibus ſpeciei.

49 6 *LVPVS* 7 *LVPVS* canarius. 8 *LVPVS* ceruarius, qui & *THOS* dicitur. Ethiopicis Lupis proprium eſt, quod in ſaliendo ita niſus habent alitis, vt non magis proficiant curſu qaàm meatu: homines tamen nunquam impetunt, Bruma comati ſunt, æſtate nudi, Thoas vocant. Videtur hæc Solinus accepiſſe ex Ariſtotele, cuius hæc ſunt verba: *Thoes etiam (quos Lupos ceruarios diximus) hominem diligunt, & neque offendunt, neque metuunt valde. Pugnāt canibus & Leonibus: quo fit ne eodem in loco ſint ceruarij & Leones. Optimi ceruarij, qui minores ſunt. Genere horum alij, duo alij tria ſtatuunt, plura his eſſe non videntur. Sed vt piſcium, aquiū, quadrupedumq; genera aliqua, ita ceruarij quoque pro tempore immutantur, & colorem diuerſum hyeme æſtatéve trahunt: atque* 50 *æſtate nudi hyeme hirti redduntur.*

Solin. c. 13. Lupus ceruarius

Ariſt. lib 9. de Hiſto. animal. c. 44.

9 *LYNX*, Lynces in Luporum genere numerat Solinus: quarum vrinas coire in duritiem pretioſi calculi: nec hoc ipſas latere, ſed quaſi hominis vſui inuidentes, egeſtum liquorem illico arenarum cumulis contegere Theophraſtus perhibet. Lapidi color ſuccini, ſimiliſq; vis attrahēdi proxima, & ad ſedandos renum dolores medendumq; regio morbo. Λυγκούριον nomen eſt: ſed Scaliger negat Lyncurion aut eſſe ſuccinum, aut ab vrina Lyncum concreſcere. Namque in Germanis & Scythiis atque Sarmatiis magnam eius animalis eſſe frequentiam, ibi tamen huiuſmodi lapidem eſſe nullum. Idem Lyncem non videtur ſpecie diſtinguere à lupo ceruario. *Lynx mas*, inquit *eſt lupus ceruarius huic enim breues orbiculares, diſtincta maculæ: illi producta & admodum continuæ pleraque. Appellantur lupi ceruarij, cum lupinæ aut ceruinæ formæ nihil habeant, lupi quidem, ab auiditate: vicina enim omnia populantur, quo fit vt in Scandania, vbi Lyncum frequentia, inſignis aliarum ferarum ſit raritas, ad victum eis maxima ex parte agreſtium felium præda* 51 *eſt. Ceruorum autem quia hoſtes ſunt acerrimi, propterea cognominantur Ceruarij.* 10. *SPHINX.* Inter Simias, inquit Solinus, habētur & Sphinges, villoſę comis, geminis, in pectore mammis, dociles ad feritatis obliuionem. Tradit Plinius, Sphinges condere in theſauros maxillarum cibum: mox inde ſenſim ad mandendum manibus expromere: Et quod formicis in annum ſolemne eſt, his eſſe in dies vel horas. Poëte Sphingem, monſtrum eſſe finxerunt multiforme atque horrendum. Clearchus habuiſſe ſcribit caput & manus puellæ, corpus canis, vocem hominis cauda draconis, Leonis vngues, alæ volucris.

Solin. c. 33. Lynces.

Theophraſt. Scaliger exercitat. 104: Idem exercitatione. 120.

Sphinges. Solin c. 30. Plin. lib 10. cap. 72.

Clearchus.

Plin. lib. 8. c. 34. Soli c. 30. Aelian lib. 7. c. 18.

52 11. *HYÆNA.* Huic feræ, lupi forma, ſed moles corporis maior, pedesq; longiores, & humanis ſimiles: craſſę item ſuræ atque humanis propiores. Non ferarum præda, ſed erutis alitur cadaueribus, in ſpecubus ſtabulatur: quam venatores cantu atq; tympanorū pulſatione delinitam, laqueis iniectis capiunt. Vtrumque ei ſexum eſſe & alternis annis mares, alternis fœminas fieri & parere ſine mare à

Arist. lib. 6. de hist. anim. c. 34 & lib. 3 de Generatio. animal. c. 6.

nullis creditum, refert & refellit Aristoteles. Hoc tamen de Hiæna serpente vtriusque sexus participe tradit Ælianus. Collum & iuba continuitate spinæ porrigitur, flectiq; nisi circumactu totius corporis nequit, sermonem humanum inter pastorum stabula mirè assimulat, noménque alicuius addiscit, quem euocatum foras laceret. Vomitionem hominis mentitur, ad solicitandos canes quos inuadat. Ab hoc vno animali fertur sepulchra erui inquisitione corporum. Huius oculis mille esse varietates colorumq; mutationes, eius vmbræ contactu canes obmutescere, & quasi magicis quibusdam artibus omne animaliter ab hoc lustratum in vestigio hærere, huius coitu Leæna Aethiopica parit Leocrocutam, de qua dicetur infra.

Ælian. lib. 1. c. 26.

Solin. c. 33. Lycao.

12 LYCAON. Aethiopia mittit Lycaonem lupini generis, ceruice iubatum, & tot modis varium, vt nullum illi colorem dicant abesse. Poëtarum est figmentum, Lycaonem fuisse regem Arcadiæ, propter incredibilem eius impietatem & crudelitatem in lupum à Ioue transformatum. 13 VVLPIS. 14 MVSTELA. 15 FELIS. In Malabat prouincia Feles sunt agrestes in arboribus agitantes. Saltu valent plurimum, sed est peculiaris eorum volatus: idq; quod magis mirum est sine alis. Membrana ab anterioribus pedibus ad posteriores vsq; producta tenditur. Quam dum quiescunt, ad aluum contrahunt. Vbi volare instituunt, pedum crurúmque agitatione protenta, collectaq; membrana, tum sustinentur, tum feruntur. Mirabilisque est eorum, tanquam per aërem currentium species. An hæc species Felium volantium, à specie nostratium Felium diuersa sit necne, doctis viris existimandum & iudicandum reliquo. 16 CANIS. Quamquam hæc duo animalia, Felem dico & Canem, etiam sine carnibus vitã aguut, nec proprium in arca locum desiderauerint, cum inhabitatione hominum versari potuerint. 17 VITVLVS marinus. 18 CROCODILVS. Sed hæc duo in aquis viuere possunt. 19 LEOCROCVTA. Scribit autem Plinius, Leocrocutam perniciissimam esse Feram asini feri magnitudine, ceruicibus ceruinis collo, cauda, pectore Leonis. capite melium bisulca vngula, ore ad aures vsque resciso, dentium locis esse perpetuo, humanásque voces mirè imitantem, ex Hyæna & Leæna generatam. 20 EALE. Magnitudine equi fluuiatilis, cauda Elephanti, colore nigra vel fulua: maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habens mobilia, quæ alterna sistunt in pugna, variátque infesta aut obliqua, prout ratio monstrauit. 21 Serpens BOA. Hi serpentes in tantam amplitudinem excrescunt, vt principatu Claudij, quemadmodum tradit Plinius, vna earum occisa in Vaticano, solidum in aluo habere infantem spectata sit. Aluntur primo bubuli lactis succo, vnde nomen traxere. In Senegæ regno angues nascuntur denum pedum longitudine, tanto hiatu, capram integram vt deglutiant. In Calicut, serpentes sunt capite & crassitudine suilla, quadrupedes, cauda longa glabri, denum pedum longitudine, sine veneno, sed nihilominùs tamen malefici, dentibus quippe conficiunt homines.

53

54

55

56

57

Scaliger exercitat. 217. Feles volantes.

Plin. li. 8. c. 21 Leocrocuta.

Plin. ibid. Eale.

Boa. Plin. lib. 8. c. 14. Scaliger exercitat. 183. Serpentes regionis.

Calicut.

MAN

22 MANTICHORA, humanarũ carniũ auidiſſimè appetens. Cuius ſuper omnes animantes ſæuitiã atque truculentiam diſertis verbis, auctore Cteſia, deſcribit Ariſt. & ex hoc mutuatus etiam Plinius. *Ariſt. li. 2. de Hiſt. animal. c. 1. Pli. li. 8. cap. 21. Idem ibi.*

58 23 TAVRVS cornimobilis, venatu viuens, huc fert Aethiopia atrociſſimum, maioremq; tauris agreſtibus, velocitate ante omnes, calore fuluo, oculis cœruleis, pilo in contrariũ verſo, rictu ad aures dehiſcente, iuxta cornua mobilia, tergori duritia ſilicis, omne reſpuẽs vulnus. Feras omnes venatur, ipſe non aliter quã foueis captus, feritate ſemper interit. *Taurus cornimobilis.*

24 CHAVS. 25 CEPHVS. Pompeij Magni primum ludi, ait Plinius, oſtenderunt Chaum, quem Galli Raphium vocabant *Chaus. Pli. lib. 8. ca. 19.*

59 effigie lupi, Pardorum maculis. Idem demonſtrarunt ex Aethiopia quas vocant Cephos, quorum pedes poſteriores, pedibus humanis & cruribus, priores manibus fuere ſimiles. Hoc animal poſteà Roma non vidit. 26 CROCVTA, velut ex cane Lupoq; concepta, omnia dentibus frangens, protinusq; deuorata conficiens ventre. *Crocuta.*

27 AXIS fera, hinnulli pelle, pluribus condidioribusque maculis, ſacra libero patri, vt ait Plinius. 28 VIVERRA. Hoc eſt animal exiguum ex genere muſtelarum quo venatores vtuntur ad cuniculos ex antris & ſpecubus extrahendos. Lege Plin. *Pli. lib. 8. ca. 21.*

29 ICHNEVMON, huic bellum internecinum eſt cum aſpidibus & Crocodilis. De his quoque Plin. *Idam ca. 55. eiuſdẽ libri. Idem c. 24. & 25.*

60 30 EST animal Sclauonicè dictum ROSSOMACHA, vt refert Olaus Magnus ab incredibili voracitate appellatum, quod Latinè diceretur Helluo: *Cuius craſſitudo vt magni canis: aures & facies velut Cati: pedes & vngulæ aſperrimæ: corpus villoſum & prolixorũ pilorũ colore ſubfuſco, cauda vt vulpis, licet breuior, ſed crinium denſiorum: vnde optima conficiuntur hyemalia capitis tegumẽta. Hoc igitur animal voraciſſimum eſt. Reperto namque cadauere tantum vorat, vt violento cibo corpus inſtar tympani extendatur: inuẽtaq; anguſtia inter arbores, ſe ſtringit, vt violentius egerat: ſicq; extenuatum reuertitur ad cadauer, & ad ſummum vſque repletur: iterumque ſe ſtringit anguſtia priore, repetitq; cadauer, donec eo cõſumpto, aliud ſolicita venatione inquirat. Eius caro omnino inutilis eſt ad humanam eſcam, ſed pellis multum commoda atque pretioſa.* Sic Olaus. *Olaus Magnus libr. 18. hiſto. ſeptentrional. c. 7. Roſſomaca.*

61 SVNT præterea quatuor ſpecies paruorum animalium cibum ex aquis petentium, in terris tamen degentium: Vti ſunt 31 LATAX. 32 FIBRIS. 33 SATHERIVM. 34 SATYRIVM. 35 LVTRA. De quibus vide Ariſtotelem, & Plinium. Sunt igitur prædictæ ſpecies Carniuororũ animalium triginta quinque. Sed propter aliquas fortaſſe quæ noſtram & aliorum ſcriptorum notitiam & diligentiam fugerunt: faciamus eas quadraginta. Hiuſmodi verò animalium pauca ſunt maiora lupis, nec multa illis paria, quãplurima verò minora, ſed redigamus ea ad menſuram luporum, vt quantum ad occupationem loci in Arca, inſtar fuerint quadraginta parium luporum. *Ariſt. lib 8. Hiſtor. anim. cap. 25. Pli. lib. 8. ca. 30.*

NONA DISPVTATIO.

De animalibus non carniuoris, & magni corporis quæ in Arcam ingressa sunt.

ANIMALIVM non carniuororum, & magnitudine corporis præstantiū multæ sunt, multisque rebus insignes admodū species, quas ego vt ex doctis ac diligentibus curiosisq; scriptoribus cognitas habeo, hic enumerando recensebo, adiecta quorundam quæ non omnibus nota sunt, breui explicatione. 1 ELEPHAS. 2 BOS vnicornis. 3 RHINOCEROS. 4 MONOCEROS. De his duobus animalibus nihil legi apud Aristotelem, vt ignota ei fuisse videantur. Plinius autem & Solinus breuissimè describūt. Primum Ludis Pompeij Magni Romæ spectatum fuisse Rhinocerotem, cui color buxeus, in naribus cornu vnicum & repandum, quod subinde attritum cautibus in mucronem exacuit, eoque præliatur aduersus Elephantos, magnitudine paulò infrà ipsos, breuioribus tamen cruribus, naturali telo aluum petens, quam solam intelligit ictibus suis peruiam. 62

Prædictorū animaliū species triginta quatuor memorantur. Pli. libr. 8. c. 20. Solin. ca. 33. Rhinoceros.

MONOCEROTEM ex Plinio item & Solino ad hunc modum licet describere: Atrocissimum monstrum, mugitu horrido, equino corpore, elephanti pedibus, cauda suilla, capite ceruino, cornu è media eius fronte protenso splendoris mirifici, ad longitudinem (secundum Solinum) pedum quatuor, vel (secundum Plinium) duum cubitorum: ita acuto vt quicquid impetat, facilè ictu eius perforetur. Viuus non venit in hominum potestatem, & interimi quidem potest, capi non potest. Hanc descriptionem nonnihil variat & amplificat Cardanus: *Est*, inquit, *Monoceros animal rarum, equi magnitudine, pilo mustelæ simillimo, capite ceruino, in quo cornu crescit vnciū cubitorum trium longitudine, media in fronte atque rectum, in imo autem amplum, tendens in acrem, collum breue, iuba rarissima, & in alteram tantum partem tēdens: crura velut capreolæ tenuia, posteriorum exterior pars multo pilo villosa. vngulæ bifidæ: denique non absimilis cerui, præter vnicum illud cornu. Ferum valdè animal est, nascens in Aethiopia inter solitudines squalentemque terram & venenatorum animalium referiam. Sed eius cornu mirandum in modum aduersus venena auxiliari creditur.* 63

Pli. li. 8. cap. 21. Solin ca. 25. Monoceros.

Cardanus li. 10. de subtilitate.

§ BVBALVS. De Babulo hoc tantùm scribit Plinius animal esse peculiare Africæ, Vituli aut cerui similitudine. Sed id genus animalis notissimum & frequentissimum nunc est in Italia, vocitatum vulgò Buffalus, quem disertè describit Iulius Scaliger: *Est*, inquit, *bouis genus atri, quem Baffulum vocant, Itali nunc, maximi coboris, depressiore quàm bos magnitudine, sed corpore compatiore, latiore, pleniore, firmiore. Cornua non tam teretia, quàm pressa: nec surrecta, sed deorsum versum retro-* 64

Pli. li. 8. cap. 15. Bubalus vulgò Buffalus. Iulius Scaliger exercitat. 106.

flexa,

flexa: etiam domitis maxima ferocia: quæ corrigitur, vitulis annello ferreo pridem naribus inserto: cui funiculus inditus pro habenis est. Hunc neque Bubalim esse, neque Vrum scio: nam & Vri cornua vidimus: & Bubalis quid sit, coniectura intelligo. Aristotles in tertio de Partibus ait Bubalos pugnare cornibus: at nostri Bufali nequaquam, sed calcibus vel potius genuum compressione. Inepta enim sunt ad pugnam cornua, quia retrouersum auersa ac demissa cuspide. Sic Scaliger. *Aristot.*

65 CETERVM bubula caro in sacris litteris vt cibus hominis delicatus, salubris, minimeque vulgaris memoratur: quippe in animalia munda, quibus solis vesci fas erat Iudæis, numeratur bubalus: & cibus regis Salomonis tum aliorum animalium, tum etiam bubalorum carnibus constabat. Cum igitur talis non sit caro bufalina, qualem esse bubalinam significatur in sacris litteris: Bufalum atque Babulum diuersa facere animalia necesse est. Verùm de huiusmodi Bubalis apud veteres perpauca. Apud Plinium quidem illud tantùm generari in Africa Vituli cerùiue similitudine, & falso appellari ab imperito vulgo Vros. Apud Aristolem, Bubali sanguinem vt proximum ouillo aliquanto amplius spissari: & bubalis interdum cornua inutilia esse, nam etsi contra nonnulla resistant, & cornibus se defendat, tamen feroces pugnacesque belluas fugiunt. Plura de his Scaliger. *Leuit. 11. & Deut. 14. 3 Reg. 4 Plin. lib. 8 ca. 15. Arist. li. 3. de Hist. animal c. 6. & lib. 3. de partib. animal. cap. 2. Scaliger exercitat. 206.*

66 6. BOS domesticus. 7. CERVVS. 8 ASINVS 9. ONAGER. Est Onager solidis vngulis, sine cornibus. In monte qui Narsingæ regnum diuidit à Malabaris, cùm aliæ complures feræ, tum Onagri aluntur, equi facie, colore cinereo, agiles adeo, vt capi non facile queant. Africanis quoque Onagris tanta est celeritas, vt cursu vix vlli cedant feræ, homine conspecto, in iisdem stant vestigiis, mox rudentes, immotis anterioribus pedibus, posterioribus calcitrant, vbi tam prope venator accessit, vt manu queat contingere, fuga sese subtrahunt. Eorum caro cocta dum calet, fœtet, refrigerata, neque malè olet, neque benè sapit. Africani, singuli imperitant gregibus seminarum: æmulos libidinis suæ metuũt, Inde est quod grauidas suas seruant, vt in editis maribus si qua facultas fuerit, generãdi spem mor su detrucent, quod, cauẽ es feminæ, in secessibus partus occulunt. Generãtur ex aqua & Onagris mansuefactis mulæ veloces in cursu duritia eximia pedum, verum strigoso corpore, indomito animo, sed generoso. Onagro & asigna genitus omnes antecellit. Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui, pullis eorum ceu præstãtibus sapore, Africa gloriatur, quos Lalisiones appellant. Onagrũ, vt animal soliuagum & solitudine gaudens, non semel nominat diuina Scriptura. *Onager. Solinus. 03. Plin. lib. 8. cap. 44.*

67 10 VRSVS. 11 SVS. 12 APER. 13 HIPPOPOTAMVS, id est, equus fluuitalis: quanquam huic cum in aquis possit viuere, nõ fuit locus in Arca necessarius. 14 PEGASVS, id est, Equus pennatus & cornibus armatus. 15 BOS Indicus vnicornis. 16 CAMELVS Arabicus. 17 CAMELVS Bactrianus. 81. CAMELVS, à velo-

citate cursus dictus Dromas, seu vulgo Dromedarius.

19 CAMELOPARDALIS Nabin Aethiopes vocant, collo similis, equo pedibus & cruribus boui, Camelo capite: albis maculis rutilum colorem distinguentibus: Vnde appellata Camelopardalis: Dictatoris Cæsaris Circensibus ludi primum visa Romæ. Ex eo subinde cernitur aspectu magis quàm feritate conspicua: quare etiam *Iul. Cæsar. li. 6. de Bel. Gallico.* Quis feræ nomen inuenit. Sic Plinius. 20 VRVS. Vrorum qui in 68
Vrus. Hercynia silua germaniæ generantur, elegans apûd Cæsarem legitur descriptio: *Tertium*, inquit, *genus ferorum est eorum qui Vri appellantur. Hi sunt magnitudine paulo infra Elephantos, specie & colore & figura tauri: magna vis est eorum & magna velocitas: neque feræ quam conspexerunt parcunt. Hos studiose foueis captos interficiunt: assuescere ad homines & mansuefieri, paruuli quidem excepti, possunt.* Hæc ille. 21 EQVVS ferus. 22 ASINVS ferus 23 BISONS. In saltu Hercinio, & in omni Septentrio- 69
Solin. ca. 23. Bisons. nali plaga Bisontes frequentissimi sunt, boues feris similes, setosi:
Plin. li. 8. cap. 15. colla iubis horridi, vltra tauros pernicitate vigentes, capti, assuescere manu nequeunt. 24 BONASVS, Tradunt in Pæonia, inquit Plinius, feram quæ Bonasus vocatur, equina iuba, cetero, tauro similem, cornibus ita in se inflexis, vt non sint vtilia pugnæ: quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem in ea fimum interdum etiam trium iugerum longitudine: cuius contactus sequentes, vt ignis aliquis, amburat. 25 ORYX. Orygem, inquit Plinius, *appellatus Ægyptus*
Plin. lib. 2. ca. 40. *feram, quam in exortu canicula contrà stare & contueri tradit, ac velut adorare, cùm sternuerit.*

Solut. ca. 33 Tarandus. 26 TARANDVS. Mittit Aethiopia Tarandum, magnitudine 70
boum, bisulco vestigia, ramosis cornibus, capite ceruino, vrsino colore & pariter villo profundo. Hunc aiunt metu habitum vertere & cum delitescat fieri assimilē cuicúmque rei propinquauerit, siue illa saxo alba sit, seu fruteto virens, siue quem alium præferat colorem.
Aelianus li. 2. c. 16. Plin. lib. 10. c. 1. Struthio camelus. Quod mirabilius vide debet in Tarando, quàm in homine aliisve bestiis minime villosis & cutem mollem habentibus, cum Tarando villus sit Vrsinus, & tergus impenetrabile. Is tamen se ipsum cum villis suis commutat milleque colorum species cum summo videntium stupore reddit. Schythicum animal facit Aelianus, dorso & magnitudine tauri, corio ne spiculis quidem penetrabili. 27 TRVTHIO- 71
CAMELVS. Animal hoc Africum vel Aethiopicum est, altitudinem equitis insidientis equo excedens, celeritatemque vincens ad hoc demum datis pennis vt currentem adiuuent: ceterum non sunt volucres, nec à terra tolluntur. His vngulæ sunt ceruinis similes, bisulcæ, comprehendendis lapidibus vtiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. Concoquendi sine delectu deuorata, mira natura: sed non minor stoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultauerint, latere se existimātium. Præmia ex iis, oua, propter amplitudinem quibusdam habita pro vasis, conosque bellicos & galeas adornantes pennæ.

28 TRAGELAPHVS animal speciei cerui, barba tantum & armorũ villo distans, ob idque nominatus Tragelaphus: nec alibi quàm iuxta Phasim amnem nascens ait Plinius libro octauo capite trige-
72 simo tertio. 29 HIPPELAPHVS. 30 HIPPARDIVM. De his duobus animalibus ad hunc modum scribit Aristoteles: Hippelaphus satis iubæ summis continet armis, qui à forma equi & cerui, quam habet, composita, nomen accepit, quasi equiceruus dici meruisset. Nec non fera, quæ & ipsa ab equo Hippardium nominata est, Caprõnas parte gerit eadem. Sed vtrumque id genus tenuissimo iubæ ordine à capite ad summos armos crinescit. Propriũ Equiceruo vilus qui eius gutturi, modo barbæ dependet. Gerit cornua vtrumque excepta fœmina equi ceruini generis: & bisulcos pedes habet. Magnitudo Equicerui non dissidet à ceruo: gignitur apud Arachotas. 31 ASINVS vnicornis. De hoc Aristoteles: Idem animal, inquit & solipes & bicorne, nullum adhuc notum nobis est. at Solipes idemque vnicorne est, quamquam rarum vt asinus Indicus,
73 qui etiam talum solus in solipedum genere possidet. 32 Sardi quoddam animal MVFLO vocant, negántque alia quàm Sardiniæ in regione reperiri. Cerui est & pilo & magnitudine similis. Cursu item valens. Cornibus arietinis retro curuis ita vt circum aures subeant. Caro esculenta, aspera colit loca. Non est idem cum Musimone aut cum Ibice.

Arist. lib. 2. de Histo. animalium c. 1. Hippelaphus.

Arist. lib. 2. de histo. animal. c. 1. Asinus vnicornis.

Scaliger exercitat. 206. Muflo.

74 33 ANIMAL vulgo dictum MAGNVM animal. *Sub Boreali polo animal nascitur Ceruo simile, cruribus anterioribus longioribus, carneam habens promuscidem, breuem tamen: cuius vngula si collo appendatur, comitiales morbos sanare, si quid aliud, posse creditur. Quoniam dum hoc morbo laborat animal ipsum (nam comitiali morbo laborat) nõ prius excitatur, quàm vngue posterioris pedis auri intulerit: tunc enim protinus excitatus à morbo. Timidum est & imbecille supra quàm credi possit, & ex quocũque minimo vulnere moritur. Est enim cordis frigidissimi, ac cerebri non solum frigidi, sed pituita redundantis. Habet autem cornua peculiari quadam forma prædita, & nulli ferè animali similia: nam crassa ab imo vbi ascendunt, latiora palmo sunt. Abundat apud Dacos finitimasq; regiones, vulgariq; nomine Magnum vocant animal. Ceterùm ab Alce plurimum differt. Alces enim, vt Cæsar eam describit. Capro similis est & maculosa pelle, & crura sine iunctura habet: Huius verò iunctũras videmus, & pellem Cerno similem.* Hæc Cardanus.

Cardan. lib. 10. de subtilitate. Magnũ animal.

Cæs. lib. 6. de Bel. Gallico.

75 34 INTER quadrupedes nullum animal mirabilius videtur esse eo boue quem vulgus Hispanorum CORCOVADO: id est, Gibbosum appellat, nascitur in Quiuira regione, Nouæ Hispaniæ proxima: gregatim viuens, tauris nostri magnitudine fermè par, sed cornibus breuioribus, pilo, corore simili, sed parte anteriori, velut Leoni, longiore: in dorso etiam ad modum iubæ equarum, infra genua longissimo, densóque: in fronte crispi pili in modum crinium: videntur & barbari, adeo multus sub collo pilus extat. Vituli collum habet longum, & in capite velut floccum gibbam

Cardanus li. 7. de varietate, li. 33. Corcouado.

gibbam habet in dorso è directo pedum anteriorum, vt Cameli. Tur pe animal in vniuersum, ore & toto corpore: currit, saltat, feritq; cornibus, vt ipsum formident equi fugiantq; : quos ille, dum irasci-; tur, insequitur & occidit. Incredibile dictum est, quod vsus indigenis præbeat. Sanguinem eius recentē hauriunt vice potus, eoq; sicco & concreto vtuntur, aqua diluentes, tamquam lacte, carnem crudam edunt, quæ illis loco panis & carnis est, cornibus vtuntur ad pocula, vesica & ventriculo pro vasis, pelle pro vtribus: corio domos, funes, calceos ac vestes, ossibus arma conficiunt: neruis fila crassiora, pilis tenuiora. nam pilus tenuis est ad modum lane in quibusdam corporis partibus: stercore ignem nutriunt ad flammam. Itaque hoc vnum animal ad omnes ferme vsus vitæ indigenis cōducit. Has ego reperi apud bonos auctores quatuor & triginta animalium non carniuororum & magnitudine corporis insignium species. Sed quia credibile est nonnullas alias à nobis & ab auctoribus quos secuti sumus, aut ignoratione, aut obliuione esse prætermissas, addamus supradictis alias sex, eorumq; numerum vsque ad quadraginta species producamus, faciamusq; omnia huius generis animalia, quantum ad magnitudinem corporis & spatium loci quod in arca postulabant, æqualia bobus: nam etsi quædam eorum animalium sunt illis grandiora, pleraque tamen minora sunt. Ponamus igitur omnia huius ordinis animalia fuisse instar quadraginta pariumboum.

DECIMA DISPVTATIO.

De non carniuoris, & minoribus animalibus.

RESTAT tertium genus animaliam terrestrium & quadrupedum, quod vt superiora non est carniuorum, sed est tamen multò infra ea & corporis magnitudine & robore. Quorum animalium hæ numerantur species. 76

Plin. lib 8. c. 35. 1 HERINACIVS. 2 HYSTRIX hanc generāt India & Africa, spina contectam, herinacei simílem: sed hystrici longiores aculei, & cum intendit cutem, missiles, ora vrgentium figit canum, & paulò longiùs iaculatur. Hibernis se mensibus condit. 3 CVNICVLVS domesticus. 4 CVNICVLVS ferus. 5. MELIS. appellatur autem melis, quod animal sit mellis auidissimum, & alueariis semper infestum, in cauernis, viuens asperum, mordax, vulpis magnitudine dolore felis. 6 GLIS. 7 SCIVRVS. *Alia sobertia in metu melibus*, inquit Plinius, *sufflatæ cutis distentu ictus hominū & morsus canum arcent. Præuident tempestatem & Sciuri: obturatisq; qua spiraturus est ventus cauernis, ex alia parte apertiunt fores. De cætero ipsis villosior cauda pro tegumento est.* Sciurum, ait etiam Iulius Scaliger, Glirémque temerè quidam confudêre. *Sciurus cauda tegit se, fuluo colore est mansue-*

Melis.
Plin. c 18. lib. eiusdem.
Sciurus.
77
Scaliger exercit. 210.

scit

scit, scurriliter & gannit & ludit. Glis cinereus est & esculentus ἐλειὸν ab Aristotele dici, quem nos: Sciurum, non quod caudam inuertat aut flectat, sed quia in cauis arborum inuoluat sese, vbi dormiens pingueſcat, vt est in octauo Historiarum. Hæc Scaliger. *Aristotel.*

78 9 MACLIS. *Alcæ*, inquit Plinius, *ni proceritas aurium & ceruicis distingueret, iumento esset planè similis. Item nota in Scādania insula, nec vt quam visa in hoc orbe, multis tamē narrata Machlis, haud dissimilis illi, sed nulli suffraginum flexu: ideoq; non cubans, sed accliuis arbori in somno: eáque incisa, ad insidias capitur, aliàs velocitatis memorandæ.* Quod autem subdit Plinius esse labrum ei superius prægrande, ob idque retrogradi eam in pascendo, ne in priora tendens inuoluatur. Hoc Solinus Alci, nō Machli tribuit. Pliniana descriptio Machlis, simillima est Cęsarianæ descriptionis Alces, vt optima coniectura putauerit Scaliger idem 79 esse genus bestię, Alcen Cæsari, atque Machlin Plinio. Cæsar enim ad hunc modum describit Alcen: *Sunt item quæ appellantur Alces. Harū est consimilis capri figura & varietas pellium. Sed magnitudine paulò antecedunt, mutilæq; sunt cornibus, & crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causa procūbunt, neque si quo afflicta casu cōciderunt, erigere sese aut subleuare possunt. His sunt arbores pro cubilibus, ad eas se applicant, atque ita paulùm modò reclinatæ quietem capiunt: quarum ex vestigijs cum est animaduersum à venatoribus, quo se recipere consueuerint, omnes eo loco, aut à radicibus subruunt, aut abscindunt arbores, tantùm, vt summa species earum stantium reliquatur: huc cum se consuetudine reclinauerint, infimas arbores pondere affligunt, atque vna ipsæ concidunt,* Hæc Cæsar. *Pli. li. 8. c. 21. Machlis. Scaliger exercitat. 206. Cæsar lib. 6. de bello Gallico.*

80 10, 11, 12, 13. OVIVM & ARIETVM tam de mansuetis, quam de feris & agrestibus, quatuor species leguntur. In Adimayn Libyæ solitudinibus animal est formæ arietinæ, & aselli magnitudinis, sessoris patiens, tametsi non eum ad vsum, sed propter lac habetur. Contra quàm nostratibus, feminis cornua sunt, maribus nulla. Si videbitur hoc esse specie diuersum ab aliis, numeretur hæc 14. species. 15. MVS. Cuius variæ sunt species. Plura murium genera, inquit Plinius, sunt in Cyrenaica regione, alij enim lata fronte, alij 81 acuta, alij herinaceorum genere pungentibus pilis. Idem: Conduntur hyeme, & Pontici mures, hi duntaxat albi. Conduntur & Alpini, quibus magnitudo melium est. Sunt his pares & in Ægyptio: similiterque resident in Clunes, & binis pedibus gradiuntur, prioribúsque vt manibus vtuntur. Sed ferè omnes citra discrimen ex sui similibus, & ex putri materia generari possunt, quamobrem id 82 genus animalis in arca conseruari necessarium non fuit. 16 LEPVS. 17 LEPVS candidus in Alpibus degens. 18. DASYPVS. Ex leporum genere. De his Plinius ad hunc modum scribit, leporum plura sunt genera: *In Alpibus candidi, quibus hibernis mensibus pro cibatu niuem creduni esse, certè liquescente ea rutilescunt annis omnibus, est aliquando animal intolerandi rigoris alummium. Leporum generis sunt & quos Hispania Cuniculos appellat, fœcunditatis innumeræ, famemq; Balearibus* *Scaliger exercitat. 117. Pli. li. 8. c. 57 Idem cap. 7. eiusdem libr. Pli. li. 8. c. 75 Dasypus.*

insulis, populatis messibus, afferentes. Benigna circa hoc natura, innocua & esculenta animalia fœcunda generauit. Lepus omniũ prædæ nascens, solus præter Dasypedem superfœtat, aliud educans, aliud in vtero pilis vestitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens pariter.

Simiarũ quatuor genera. Aris. li. 2. de Historia animal. cap. 8. Scaliger exercitat. 213.

19 SIMIA. 20 CÆBVS. 21 CYNOCEPHALVS, siue CANICEPS. 22 CERCOPITECVS, hæ sunt quatuor simiarum 83
species. Vide Aristotelem in libro de Historia animalium. Lubet ad illustriorem huius generis animalium expositionem & lectoris oblectationem commemorare hoc loco quæ scripta reliquit Scaliger. *Hominis magnitudinem (alloquitur Cardanum) attribuis Cercopitheco, tantum neque vidi, neque legi, neque audiui: nisi tu Conopam fortasse, cum hæc scriberes, memoria repetitum metiebare. Sine cauda simias plures vidimus, quantum puer est, annorum octo, marem quoque ac feminam cum prole. Filiolus si quid videretur desiderare, manu pugnoq; feminam à marito, tanquam malæ tractationis ream, etiam addita vultus acerbitate castigari, nempe supercilio, rictu, murmure, irati patris atque reprehensoris mariti animum præ se ferre. Multa leguntur in libris itinerarijs sic enim inscribuntur. In India mediterranea ingentes corpore, audacia ciuiles, vtro citroq; non solum per agros, sed etiam per oppida, in mercatibus, sine maleficio, aut offensione ciuium commeare. Tot earum sunt species forma, colore, cauda, iubis, magnitudine differentes, vt non parum negotij facessat historiæ ordinem meditanti. Hoc tamen in Aristotelicis libris, vt opinor, satis scitè præstitimus. In Troglodytica subolescunt Leonum modo, maximi veruecis proceritate. Cynocephalum vnũ barbatum vidimus, fœdum aspectu, nigrum, maleficum, moribus infamem. Mazor genus illud maximum Galli vocant. In aula regis vnus fuit qui duobus pedibus deambulabat, amictus sagulo militari, ensiculo accinctus. In sella iussus desinuit sese pernox: aut perditus publico spectaculo, ita vt non deessent qui hominem esse putarent verum. Simiam Mauri Bugiam vocant, nos Monam. Cercopithecorum tanta varietas est, vt memoriam confundat. Catos, Maimones appellamus subuirides, malignos. Hos vidimus sibiipsis caudarum exedere extremas partes. Hoc aiebant ab ijs solis committi, qui gustassent aliquando carnes. Alibi dicuntur esse alicubi. Nos nigros cum maculis albis vidimus sono vocis grauiore, croceos, fuluos, paruos, magnos, mediocres, agiles omnes atque maleficos. Imitatores maximi, ingeniosissimi q; omnium ij qui bene olent. De eorũ natura media, qua bipes quadrupedi cõmistus sit, satis apud Aristotelem.* Hæc Scaliger. Non est omittendum hoc loco, quod de 84
CERCOPITECO tradit Cardanus: *Est*, inquit, *forma rara Cercopitecus, magnitudine & forma hominis: siquidem cruribus, virili membro, facieq; hominem dixeris egregiem, quia totus est pilo obsitus. Omnium maximè animalium præter hominem stando perseuerat, amat pueros & mulieres more hominum, eorumq; amplexus & concubitus appetit, vt nos vidimus. Attamen ferum est animal: sed tanta industria, vt multi de barbaris hominibus minus ingenio valere videantur.* Ita Cardanus.

Cardanus li. 10. de subtilitate.

Cardanus li. item 10. de subtilitate.

23 ALLOPECOPITICON Græci vocant animal in Æthiopia 85
nascens anteriore parte vulpi cauda & posteriore parte Cercopitheco, pe

co, pedibus anterioribus, humanis, auribus vespertilioni simile, quasi crumenam habens sub ventre, qua catulos gerit, nec dimittit nisi dū lactare vult, 24 CHIVRCA, fert India Occidētalis Chiurcam è mustelino genere, est viuerræ facie ac magnitudine, capite vulpino. Sub terra habitat: miræ fœcunditatis, duodenos parit exiguos, cauda tenuis, penè glabra ipsa pilo atro, catulos in bursa sub aluo obtensa se-
86 cum fert. 25 TATO. In Brasilia vocatur porcellus, rostrò paulò contractiore & latiore. Testis scutulatus Loricatus ad ventrē vsque, quæ integmina retrahens sese componit in orbem, sicut Herinaceus, cauda est longissima, ac veluti lacertacea, tesellis item incrustata.

Allopecopitirecon.
Scaliger exercitat. 206
Cardanus li. 10 de subtilitate.
Chiurca.
Cardanus & Scaliger ibi.
Tato.
Plin. li. 8. cap. 53.

SEQVVNTVR octo aut etiam plures Caprarum species. Vt 26 sit CAPRA domestica, 27 ex feris, quæ communiter dicitur Caprea. 28 RVPICAPREA. 29 IBEX. 30 ORIX. 31 DAMA.
87 32 PYGARGVS. 33 STREPSICEROS. De his Plinius: Capræ, inquit, in plurimas similitudines transfigurantur. Sunt capreæ, sunt Rupicapræ, sunt Ibices pernicitatis mirandæ, quanquam onerato capite vastis cornibus gladiorumque vaginis: in hæc se librāt, vt tormento aliquo torati in petras, porissimum è monte aliquo in alium transilire quærentes, atque recussu perniciùs quò libuerit exultant. Sunt & Oryges, soli quibusdam dicti cōtrario pilo vestiti, & ad caput verso. Sunt & Damæ & Pygargi, & Strepsicerotes, multaq; alia haud dissimilia, sed illa Alpes, hæc transmarini situs mittunt. Verum hanc Plinij narrationem, vt nimia breuitate plus æquo restrictam & exilem ac ieiunam Scaliger amplificat atque illustrat, multiplex caprarum genus subtiliùs ac distinctiùs enarrans: cuius orationem, & minimè prolixam, eruditáque ac iucunda varietate conditam, lectorique placituram, libitum mihi est hoc loco adscribere.

Octo species caprarū quarum cōplures admirandæ.

88 PLINIVS inquit ille, *dum studet nihil intactum relinquere, importuna festinatione praceps, pro epulis apponit titulos conuiuis, vel de caprarum pecore quæ perstringit, non tam rerum desiderium, quam confusi iudicij fastidium relinquunt. Id nos vt potuimus, ita digessimus. Capra à Barbaris Syluestris Capricornus dicitur, apud Latinos generis nomen est: & Rupicapra, cuius species duæ: Ibex, & quæ dicitur caprea, vulgus camuciā vocat. Varro appellat Rotas, quod audaciores corrupere, auctis elementis, dum legi iubēt Platycerotas. Est in Ibicum hystoria & multiplex & iucūda subtilitas. Prima, nisi habitet loca frigida, occæcari. Altera: Vetulorū cornu pependisse pondo duo de viginti. In quibusdam numerati nodi sunt quatuor & viginti, totidem annorum coniectura. Quod ceruo non contingit. Etenim post annum sextum nihilo numerosius ramificāt. Quin senibus ij desunt rami, qui prima statim prodeunt ætate. Tertia subtilitas: Deprehensas Ibices aperto atque libero loco capacique cursu, in venatorem irruere, eumque deijcere de rupe. Quare operam dant, vt obiectu scopulorum tecti de improuiso appareant. Tum ibi cum impetendi non sit locus, animum despondent, ac facile cedunt. Quarta: Cum eæ incredibili corporis librātione atque iaculatione superent altissimas rupes: interualla vel solo aspectu formidabilia securō transmittunt saltu.*

Scaliger exercitat. 207.

Mira de Ibicibus.

Capreæ. CAPREÆ *longè minores, æstate pilo fuluo, hyeme cinereo, Non sunt eæ* 89
Cemades, vt putarunt quidam vocum vmbratilium sectatores. Cemas est in
Ceruis, sicut in Bubus Iunix & Iuuencus, siue Bucula, siue vitulus. Franci Faones vocant. Capreis quoque saltus incredibiles. Mira earum comperta nobis
prudentia. Vbi errabundæ quærunt nouas sedes aut pascua, perspecta proxima
rupe, proiecto pede sæpe periclitantur eius fidem, nẽpe mobilis ne sit, an fortasse lubrica. Illud festiuum. In aula patrui Bonifacij vidimus cicures assilire ad
aulæa pendentia, in quibus similes essent intextæ feræ. Aiunt cornuũ mucronibus id quod capras quoque facere videmus, tergũ scabere. Creditum est tanta eas illo in proritu perfundi voluptate, vt extremum cornu fastigium in corium eo vsque adigatur, vnde retrahi nequeat. Quocirca aut ex altissimis
ruere locis atque afflictari, aut à venatoribus fortè deprehensas, procúlve obseruatas capi, aut interire fame. Ab hac parum distat Dama, quippe solo cornuum flexu, antrorsum enim spectam huic. Quibus aminiculis tanquam vnco
apprehendere prominentes rupes: neque aliter in accessas verucas montiũ superare. Toto genere diuersi Strepsicerotes ouilis generis, surrectis cornibus da-
Tragelaph. *uiculatim torosis. Nec Tragelaphus fabula est, quippe Hircus facie & cornibus: Ceruus magnitudine, pilo, cauda, clunibus. Pectus villorum frequentia* 90
tectum, vt & hinc hircus sit, quasi in eos abierit Arunchus. Si Philosophus
Aristot. lib. 2. de hist. anim. c. 1. *Hippelaphi sui cornua describeret, intelligeremus an idem esset cum Tragelapho aut Tarando.* Sic Scaliger

Cardan. lib. 10. de subtilitate. 34 FERTVR esse animal varij generis, incertæque naturæ, nec 91
dum certo aliquo nomine appellatum, quod se oculis suis spectasse
Animalia certæ, sed mirę admodũ naturę. & considerasse testatur Cardanus, quocirca descriptionem eius animalis ex Cardano sumptam hic apposui: *Animal*, inquit, *vidimus*
Papiæ varij admodum generis incertæq; naturæ, vulpis magnitudine aliquanto longius, ore & recto leporino cum pillis longis, duobúsque dentibus prælongis: siquidem digiti humani longitudine prominentibus ad modum Sciuri,
oculis serpentinis, quippe qui angulis carerent & nigri essent. Pileus inerat
capiti hircinæ barbæ simillimus, sed non aliter quam crista Pauoni. Pilus mustellinus & pulcher, nisi quod super collum velut lana candida videbatur,
anteriores pedes vt Taxi, aures & posteriores pedes nihilo differentes ab humanis, nisi quod pedibus vngula vrsi pro humana erat. In dorso postremáque parte, spinæ circiter centum instar Hystricis, quarum quædã in apice curuabantur, prominebant alioquim immobiles: nec vt de Hystrice ferunt, emissariæ: cum moueretur, strepitum dum se colliderent, edebant. Cauda anserina, sed
in spinas pluma finiebantur. Si reliqua non videres, anserem diceres: cãdidis
ac cinereis plumarum sedibus, latóque lumine anserem æmulantibus: vox subobscura, & rauca quasi latrantis canis, Iracundum animal, sed quod facilè tamẽ à circulatore tractaretur. Canes odio prosequabatur maximo, sexus erat
quod vidi, feminei, ætate iuuenili. Potus ei nullus: cibus panis aqua madefactus. Animal hoc sui generis vix esse crediderim, sed ex Hystrice, alióque ve- 92
lut vrso generatum. Hæc Cardanus.

Scaliger exercitat. 202. 35 MARMOTA *est Melis magnitudine & pilo cauda: item nulla penè,*
Similiter & crura breuia, aures breuissimæ auriculis curtissimis atq; ad aspectum

ctũ nullis. Vngues longi, acuti, firmi, vnci, robusti, nigri. Hoc tãtum cũ muribus commune habent, quod, vt Sciuri, sedentes pedibus anterioribus vtuntur ad officia manuum. Capite leporum non dissimiles, diuturnitate summi cum gliribus conuenientes: namque hybernos panè totos menses transigunt sopore. Murium, & Leporum dentes æmulantur: non nisi irritatę sæuiunt. Earum vox à Leporina recidit in Soricinam, aut potius in Cercopithecinam. Hæc Scaliger. *Marmota.*

93 36 EST in Iaponicis insulis animal mihi quidem de nomine ignotum, admirandi ingenij & naturæ. Terrestre est, corporisque magnitudine ac figura non dissimile canis, molissimo pilo, & suauissimis ad edendum carnibus. Hoc animal certo quoddam tempore mira incessit cupido mare adeundi atque frequentandi: in quo identidẽ natans, & sese mersans, paulatim per partes & membratim, piscis efficitur: quoad exuta prorsus terrestris animantis figura, totus tandem in piscis similitudinem & naturam commutatur. Diximus de hoc in libro quinto nostrorum commentariorum in Danielem, in disputatione de transmutatione regis Nabuchodonosoris in bestiam. Vidimus nos hoc animal, sed mortuum, Pontificatu Gregorij XIII. Romam allatum, necdum ex toto, sed aliquod tantùm partibus piscem factum: ceterò natiuam terrestris animantis figuram habitumque corporis retinens. *Iaponicũ animal.* *Dan. 4.*

94 17 *AIOTOCHELI. In noua Hispania iuxta Aluaradum flumen nascitur hoc animal quadrupes, nec fele maius, rostrum habens anatis, pedes Hericij, collum longum: tegitur instar phalerati equi corticibus inuicem insertis, non vna, vt testudines: collum & caput eisdem testis contectum habens, vt solæ aures promineant: vnde Hispanis, Armatum, siue Contectum appellatur. Sunt qui referant grunire, vt suem, rostroque suis esse, & vngula bisida, sed quasi equina. Significat id nominis indorum lingua, Cuniculum Cucurbitalem.* Hæc Cardanus *Cardanus li. 7. de varietate rerũ. c. 33. Aiotocheis.*

HACTENVS septem & triginta species animalium neque Carniuororum, nec magni corporis collegimus. Sed proprer aliquas fortasse hic pretermissas augeamus eum numerum vsque ad quadraginta: atque omnium quæ sunt huius generis, magnitudinem redigamus ad mensuram magnitudinis ouium, nimirum pauciſſima huius generis paria sunt ouibus, nedum maiora, minora verò pleraque, censeantur igitur omnes huius generis species quasi quadraginta paria ouium.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Vtrũ in arca Noë fuerit auis illa quæ appellatur Phœnix.

95 SED non est hic prætermittenda illa quæstio, num in arca Noë fuerit auis nominata Phœnix, multorum scriptorum prædicatione vel vsque ad miraculum, & super fidem celebrata. Si quis enim reputet secum quæ prodita sunt de

Phœnice, talia esse reperiet, vt contrarias super ea quæstione sententias generare posse videantur. Fertur enim Phœnicem, vnicum esse in omni terrarum orbe, nec plures vno fuisse vllo tempore in terris. Est igitur auis singularis & solitaria, sine coniuge aut mare aut femina: quæcumque autem in arcam ingressa sunt animalia, ea distinctionem sexus in marem & feminam habuerunt. Si quidem ex omni specie animalium iussit Deus bina summi, id est, marem & feminam. Phœnix igitur, in quo nulla sexus distinctio est, in arca non fuit. Contrà verò, fuisse eum in arca fateri cogimur ea ratione, quod Phœnicem perhibent non aliter quàm ex Phœnicis demortui fauillis aut cineribus generari. Ergo Phœnix non nisi à Phœnice, licet nisi immediatè, attamen mediatè, generari potest: quocirca si non fuisset in arca, species eius diluuio periisset.

Genes. 6.

Auctoris sententia.

Mea sententia (vt paucis eam indicem lectori) hæc est: mihi omnia quæ narrantur de Phœnice, videri dubiæ admodum veritatis: dicerem quid amplius, nisi me ea de re loqui parcè ac verecundè cogeret auctoritas B. Ambrosij, qui in Oratione quam scripsit de Fide resurrectionis, historiam Phœnicis crebra relatione, & scripturarum auctoritate cognitam & probatam esse ait. Tenet me præterea reuerentia veterum Patrum, qui futuram mortuorum resurrectionem, Phœnicis exemplo simul & argumento comprobarunt: quanquam illi, proditis de Phœnice & concessis ab Ethnicorum sapientibus, ad firmandã resurrectionis fidem aduersus eos ipsos sapienter vsi sunt. Verùm alij sentiant, vt lubet, ego fateor ingenuè, vix ac ne vix quidem adduci possum, vt historiæ Phœnicis assensum & fidem accommodem. Neminem adhuc audiui, neminem legi (cui sit credendum) qui se dicat Phœnicem vidisse: nisi forte in pictura, in qua etiam Hippocentauros, Chimæras, & quæ nullo modo esse possunt, expressa cernimus. Sanè historiam Phœnicis ex Ægyptiis tam Græci quàm Latini acceperunt: quis autem nescit Ægyptum fuisse quondam nouorum semper figmentorum ac mendaciorum, vt Africam nouorum animalium atque monstrorum fœcundissimum? Plinius certè non dissimulat, sibi quæ de Phœnice tradita sunt, non esse verisimilia. *Ante omnes*, inquit, *aues nobilẽ fert Arabia Phœnicẽ: haud scio an fabulosè, vnum in toto orbe, nec visum magnopere: aquilæ magnitudine, auri fulgure circa colla, cetera purpureum, cæruleis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem caputq; plumeo apice cohonestantibus.* Tacitus item incerta esse testatur fabulosis aucta miraculis, quæ de Phœnice diuulgata sunt, quo loco affirmat, principe Tiberio & Coss. Paulo Fabio & L. Vitellio Anno ab vrbe condita 787. percrebuisse, in Ægypto visum esse Phœnicem post longum sæculorum ambitum, præbuisseque materiam doctissimis indigenarum & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi. Sed quia in eo neque ætas, neque solum natale, neque multa alia congruebant cũ his quæ vetus memoria de Phœnice firmauerat, propterea existimasse multos falsum eum fuisse Phœnicem. Cornelius quoque

Ambros.

96

Plin. lib. 10. cap. 2.

Tacitus li. 6. Annalium.

quoque Valerianus Phænicem deuolasse in Ægyptũ tradit Q. Plautio & Sex. Papinio Coss. alatusq; est & in vrbem, Claudij principis censura, anno vrbis 800. & in Comitio propositus, quod actis testatum est, sed quem falsum esse Phœnicem nemo dubitaret. Quid autem recentiores, quibus curæ fuit ista curiosè & diligenter inuestigare? Nihile sanè minus ista putarunt fabulosa. *Phœnicem prædicarunt multi auem*, inquit Cardanus, *fabulæ quam veritati propiorem. Referunt tamen quidam, in interiore India auem esse nomine Semendam, quæ rostrum habet triplici ordine, atque vt in ellychnys, vndequaq; perforatum, quæ moritura dulce canat Cygnorum more: inde collectis sarmentis motu alarum accendat ea, vraturq; : ex cuius cinere vermis, tum ex verme auis denuo renascatur.* Scaliger autem, *Phœnicem*, inquit, *non esse penitus fabulosum legimus in Cõmentarijs nauigationum, in mediterraneis Indiæ reperiri. Semenda vocatur ab incolis, Ceterum huius historia fidem eleuat additum mendacium. Aiunt enim ei rostrum trifistulare, vnde musicum edat sonum, cuius ad imitationem pastores instrumentum composuerint haud insuaue.*

Plinius loco citato.

Cardanus li. 10. de Subtilitate.

Scaliger exer citat. 223.

97 NEC deest nobis ratio philosophica, ad euertendum eius historiæ fidem, minimè infirma. Etenim nulla species est rerum corruptibilium, quæ non omni tempore multa simul habeat indiuidua. Perlustret lector atque cogitatione percurrat species animalium, stirpium, metallorum, lapidum, rerum denique omnium, in quas ortus cadit atque interitus, & verum esse quod dixi planè cognoscet. Et verò, rectissimè id promissum & comparatum à natura est, vel (quod verius dictu est) ab ipso Deo omnis naturæ effectore ac rectore: scilicet, ne, si species aliqua vno tantum indiuiduo corruptibili contineretur, eo corrupto ante generationem alterius (posset autem multis de causis corrumpi) simul etiam species ipsa periret. Quocirca species rerum incorruptibilium vnum habent tantummodo indiuiduum vnus est Sol, vna item Luna, ceteriq́ue Planetæ, in sua quisque specie vnus est. Nimirum tota speciei natura in vno indiuiduo incorruptibili expresse representatur, eiusque æternitas optimè conseruatur. Quod si octaui cœli sidera quæ nominantur inerrantia, aut omnia sunt eiusdem speciei, aut certè multa: id factum est propter longissimam eius orbis à terris distantiam. Si quidem cum orbis ille sit nobilissimus, præcipuamque in res sublunares habeat efficientiam, siue (vt in scholis loqui mos est) causalitatem, quo vis & efficacitas eius amplior, & copiosior ac potentior esset, multis eiusdem speciei astris instructus & confertus est. Hæc si vera sunt, vt verissima esse videntur, quis credat speciem Phœnicis ante omnes auium species nobilem, vno tantum contineri indiuiduo, eoque ante generationem alterius variis obnoxio mortis casibus? Cum enim Phœnix mortalis sit, & per quingentos annos quibus viuere dicitur, possit ei variis ex rebus multiplex interitus accidere, necesse esset eam speciem auis in summo interitus sui discrimine perpetuo versari. Vnum igitur in terris tantum esse Phœnicem, simile figmento, &

Ratio quæ ostenditur, non esse vnũ duntaxat in terris Phœnicẽ.

planè

plane incredibile videtur.

CETERVM si fortè arrideat lectori vetus & peruulgata Phœnicis historia nec is prorsus fidem eius respuat, facilè nobis fuit respondere: posita eius historiæ veritate, necessario fatendum esse, Phœnicem non secus ac cetera animalia de quibus supra explicatum est, fuisse in Arca. Hoc planum faciam ex singularis & admirabili generationis eius auis ratione, quam ab auctoribus descriptam accepimus. 98

Qualis sit generatio Phœnicis.

Pomponius Mela. l. 3. c. 9.

De Volucribus, inquit Pomponius Mela, *præcipuè referenda Phœnix, semper vnica, non enim coitu concipitur, partu-ve generatur: sed vbi quingentorum annorum æuo perpetua duranit, super exaggeratam variis odorib. struem sibi ipsa incubat, soluiturque: deinde putrescentium membrorum tabe concrescens, ipsa se concipit, atque ex se rursus renascitur, cum adoleuit, ossa pristini corporis inclusa myrrha Ægyptium exportat, atque in vrbem quem Solis appellant, fragrantibus nardo bustis inferens, memorando funere consecrat.* Plinius ait iam senescentem, exactisque annis vitæ sexcentis sexaginta, casia thurísque surculis construere nidum replere odoribus, & super emori. Ex ossibus deinde & medullis eius nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum. Principioque iusta funeri priori reddere, & totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis vrbem, & in ara ibi deponere. Scitissimè igitur S. Ambrosius dixit, Phœnicem coitus ignorare corporeos, libidinis nescire illecebras, sed de suo surgere rogo, auem sibi superstitem, ipsam & sui hæredem corporis, & cineris sui fœtum. Alibi verò ait, Phœnicem rediuiuo suæ carnis humore reparari, & cum mortua fuerit, reuiuiscere. Thecam enim thure, myrrha ceteríque odoribus sibi à se adornatam, completo quingentorum annorum æuo sibi ad viuendum præfinito, intrare atque emori: Ex cuius mox humore oriri vermem, palatimque eum in eius auis figurã concrescere, vsumque formari.

Plin. lib. 10. cap. 2.

Ambr. super Psal. 118. Idẽ in Oratione de Fide resurrectionis.

ET hæc quidem ab antiquis auctoribus de generatione Phœnicis consignata litteris accepimus. Si Phœnix igitur non alia ratione generari potest, quàm ex prioris demortui Phœnicis vel tabe vel fauillis aut cineribus aliísque reliquiis, constat profecto Phœnicem non nisi à Phœnice, si non immediatè, certè mediatè generari posse. Quapropter si nullus fuerit Phœnix, nullus etiam Phœnix generari poterit, cum nascens morienti necessario succedat. Hinc licet concludere: si nullus fuit in arca Noë Phœnix, speciem eius diluuio penitus atque in perpetuum extinctam fuisse, nisi quis velit fingere, quemadmodum in exordio mundi, ita post diluuium speciem Phœnicis præter ordinem cursumque naturæ per solius Dei omnipotentiam esse denuo procreatam. Verum dicet aliquis, animalia omnia quæ fuerũt in arca, distinctionem habuisse sexus in marem & feminam: quæ distinctio cùm non sit in Phœnice, hinc effici non fuisse eum in arca. Sed hoc facile soluitur. Nam quia in ceteris omnium animalium speciebus (vno excepto Phœnice) bina de qualibet specie sumpta sunt, id est, mas & femina: propterea Moses simpliciter, absolute ac gene- 99

Dubitatio.

Solutio.

rabiter

raliter dixit bina de qualibet specie, id est marem & feminam in arcam esse ingressa. Illa igitur Mosis sententia, vt aliæ complures in sacris litteris, licet generaliter dicta est, non tamen de omnibus simpliciter & omnino, sed ferè, id est, Phœnice excepto, interpretanda est. At enim distinctio maris & feminæ propterea ibi requisita & a Deo imperata est, quod per commixtionem vtriusque sexus species animalium post diluuium perpetuandæ ac multiplicandæ essent. Phœnix autem non per commixtionem sexus, sed peculiari quadam ac singulari ratione generatur & propagatur: quamobrem distinctio sexus in eo locum habere non debuit, verum de hac quæstione satis.

DVODECIMA DISPVTATIO.

An omnibus supradictis animalibus capiendis & per vnum annum conseruandis sufficiens in Arca locus esse potuerit.

SVPERIORIBVS quatuor disputationibus recensitæ sunt à nobis de quatuor generibus animalium terrestrium quæ ingressa sunt in arcam, centum quinquaginta species, hoc est, reptilium, triginta, quadrupedum Carniuororum, quadraginta. Non Carniuororum & magni corporis, etiam quadraginta, denique neque Carniuororum, neque magni corporis etiam quadraginta. Singulis autem prædictis speciebus vnum per animalium, id est, marem & feminam assignauimus. Et Reptilia quidem nihil facessunt negocij, quod pleraque aut perquam paululum loci occupabant in Arca, aut etiam nihil, cùm in foraminibus & quasi cauernis in ipsis trabibus & materia lignea excauatis contineri potuerint. Carniuora autem redegimus ad mensuram quadraginta parium luporum, non carniuora & magni corporis, ad mensuram quadraginta parium boum: & item non carniuora & magni corporis, ad mensuram quadraginta parium ouium. Verùm his addere insuper oportet alia vigintiquinque paria mundorum animalium. Si quidem iussit Deus ex qualibet specie mundorum animalium sumi septena: nos autem supra cuilibet speciei bina tantùm tribuimus. *Gen. 6. & 7.*

101 SED quæ sunt munda animalia; Hoc declarauit Deus in Deuteronomio, definiens mundum esse animal quod ruminat, & vngulam habet diuisam. Non satis erat habere alterutrum, sed vtroque prædictum esse oportebat. Nam licet Camelus, lepus, & Cherodryllus ruminent, tamen quia non diuidunt vngulam. Sus verò licet vngulam diuisam habeat, quia tamen non ruminat hæc omnia censebantur. *Quæ fuerint olim munda animalia. Deut. 14.*

Arist. immunda. Quæ autem animalia ruminent, breuiter indicat Aristo-
Quæ animalia ruminent. teles extremo libro nono de historia animalium: *Animalia*, inquit, *quibus ruminare in more est, proficiunt, delectanturq́, non minus in ruminando quàm edendo. Ruminant quę superiore dentium ordine carent, vt boues, oues, capræ, ex feris nullum adhuc ruminare constat, præterquam ea quæ aliquando cum hominibus exigunt, vt ceruus, hunc enim ruminare planũ est. Iacent potissimum, cum ruminant, omnia, & hybernis præcipuè mẽsibus solent ruminare. Septem ferè mensibus hoc faciunt, quæ intra tecta aluntur. Gregales leuius minúsque tempus ruminant, quoniam foris pascuntur. Sunt etiam ex dentatis vtrinque nonnulla quæ ruminant, vt mures Pontici, & pisces quẽ ab ea Ruminalem quidam appellarunt.* Hæc Aristoteles. Quæ verò fuerint & quod mundorum animalium terrestrium species, nullus est ambigendi locus. Siquidem in Deuteronomij capite decimo quarto has Deus mundorum animalium terrestrium decem species definiuit atque constituit, Bouem, Ouem, Capram, Ceruum, Capream, Bubalum, Tragelaphum, Pygargum, Orygem, & Camelopardalum. Ex harum decem vnaquaque specie, septena iussu Dei recepta sunt in Arcam. Cum igitur nos supra singulis earum decem specierum bina tantum animalia tribuerimus, addere illis oportet insuper alia quinque: decies autem quinque, sunt quinquaginta, id est viginti-quinque paria: quæ adiuncta supradictis centum quinquaginta, numerum omnium animalium ingressorum in arcam, efficiunt centum septuagintaquinque parium. Sed quò prolixiùs & liberaliùs agamus, eum numerum amplificemus & extendamus vsque ad ducenta paria animalium: ex hoc numero si detrahantur triginta paria reptilium, quibus intra spatium Arcæ, aut nullo, aut perexiguo loco, vt supradictum est, opus fuit: totum interiùs spacium Arcæ pertinens ad habitationem animalium, capax esse debuit centum & sexaginta parium animalium, hoc est, verbi gratia, quinquaginta parium luporum, sexaginta parium boum, & sexaginta parium ouium: hæc enim posita sunt à nobis pro omnibus carniuoris, & pro non carniuoris magni corporis, & pro non carniuoris minoti corpore præditis.

Arcã Noẽ capacẽ fuisse omniũ animaliũ quæ in eã recepta dicũtur. 102

Sequitvr deinceps vt ostendamus horum omninm animalium abundè capacem fuisse Arcam. Supra lib. 10. in ea parte Arcæ, quàm habitatione animalium destinauimus, trecentas mansiones dimensi sumus: quarum quælibet alta erat octo vel nouem cubitis, longa sex, totidémque lata, quo nimirùm loco pauciſſima sunt animalia, quorum par vnum ampliorem desideret, quamplurima verò longè minori contineri possunt. Assignando igitur supradictis centum septuaginta paribus animalium totidem mansiones, superetunt centum triginta mansiones de quibus sumere licet quantumcumque opus fuerit, si vel plures supradictis inueniantur species animalium vel pluribus laxiora spatia assignare oporteat. Tantum igitur abest vt animalibus quæ ingressa sunt in Arcam continendis defuerit in

sit in Arca locus, vt multus etiam locus in ea superfuerit.

VERVM hic vsu venit, quod etiam contingit multis numerum stellarum suspicientibus, easque confusè ac sine artificio vllo Astronomico contemplantibus. Videntur enim primo aspectu innumerabiles,& incredibile accidit quod à Mathematicis proditum est,stellas visu insignes non plures duabus & viginti, milleque in cœlo esse. Si quis tamen hunc stellarum numerum à Mathematicis traditum, in globo aliquo depictum habeat, & singulas earum stellarum distinctè ac proprie comparet cum iis quæ cernuntur in cœlo nullam planè reperiet in cœlo visu notabilem,quam in globo expressam non habeat: quin etiam minimas in globo notatas, ægrè in cœlo visu discernet, quemadmodum à nobis disputatū est priori tomo nostrorum Commentariorum in Genes. in libro 2.quæst.8.Similiter accidit multis circa Arcam Noë,quæ non bene cognitam eius capacitatem nec animalium quæ in eam sunt ingressa species,certo digestas ordine,certóque aliquo numero comprehensas habentibus, tot tantorúmque animalium minimè capax fuisse videtur: cùm tamen manifesta ratione demóstratum sit,eam fuisse non eorum modo animalium, verùm etiam longè plurium satis superque capacem.

De escis ad victum annuum animalium in Arcam illatis.

TAM numerosæ animalium multitudini & varietati necessario prouidendum & comparandum erat genus escarum, quo cuique animantium speciei opus futurum erat:idque non in vnum aut alterum diem,sed in vnum integrum annum. De huiusmodi autem cibariis animalium in area condendis,hoc tantum legimus præcepisse Deum Noë: *Tolles*,inquit,*tecum ex omnibus escis quæ mãdi possunt,& comportabis apud te,& erunt tam tibi quàm illis in escam.* Hinc verò licet intelligere, Noë vel tam longo sexcẽtorum annorum vsu & obseruatione,vel doctum ab auo suo Mathusalem, qui plus ducentis quinquaginta annis cum Adamo versatus plurima ex eo didicerat ad posteritatis vtilitatẽ,quasi per manus posteris suis tradenda, vel etiam singulari aliqua Dei reuelatione bene perspectum & cognitum habuisse, quod genus cibatus cuique animantium speciei conueniens esset,quantoque ad vnius anni victum opus foret. *Genes. 6. vers. 21.*

ILLVD: *Tolles ex omnibus escis*,redarguit vanã quorundam opinionẽ aientium inuenisse Noe vnum quoddam genus alimenti omnibus animantibus conueniens. Etenim planè dictum est, ex omnibus escis sumpsisse Noe ad cibatum animalium. Illud: *quæ mandi possunt*,dictum est pro *comedi*,nam mandi propriè dicitur quod dentibus teritur. Non est autem commune omnium animantium, contritu dentium conficere cibum. Illud, *& comportabis apud te*, non significat cibaria esse

debere in eadem parte Arcæ, vbi habitaturi erant homines, siquidem cibaria erãt in tertia parte Arcæ, homines verò in quarta & suprema. Sed illud, *apud te*, significat, vel in Arca in qua tu futurus es, vel vt sint tibi in promptu, quo possit ea quoties opus fuerit in cibatum singulorum animantium dispẽsare. Illud denique: *Et erunt tam tibi quam illis in escam*, non significat quodlibet genus escæ indifferenter idoneum fore victui cuiuslibet animalis, vel hominis, sed in vniuersa illa cibariorum copia fore quod ad cibatum hominis & quorumlibet animalium conduceret.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

De victu animalium carniuororum, dum ea fuerunt in Arca.

SED illud hoc loco non extra controuersiam est, animalia quæ tantũ sunt carniuora, quo cibo vsa sint, dum in Arca fuerunt: nam nec alio cibo quàm carnibus aliorum animaliũ vesci & ali potuisse, nec alia tamen animalia, præter numerũ à Deo definitum fuisse videntur in Arcam introducta. Hanc ipsam quæstionem ponit ac breuissimè 103
August. soluit Beatus Augustinus libro primo Quæstionum super Genesim, quæstione sexta: *Quæritur*, inquit, *quomodo in Arca leones & aquilæ quæ consueuerunt carnibus viuere, pasci potuerint. Vtrum & animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa: an aliqua præter canes (quod magis credendum est) à Noë viro sapiente, vel Deo demonstrante, prouisa sint quæ talium animãtium escis conuenirent.* Sic ibi. Sed idem paulò distinctiùs ac dilucidiùs hanc ipsam quæstionem enodat in libr. 15. de Ciuit. Dei, cap. vltimo: *Solet*, inquit, *mouere nonnullos, genera escarum quæ illic habere poterant animalia, quæ non nisi carnibus vesci putantur, vtrum præter illum numerorum ibi fuerint sine transgressione mandati, quæ aliorum alẽdorum necessitas illic coëgisset includi: an verò, quod potiùs est credendum, præter carnes aliqua alimenta esse potuerint quæ omnibus conuenirent. Nouimus enim quam multa animalia, quibus caro cibus est frugibus promiscuè vescãtur, & maximè ficis atque castaneis. Quid ergo mirùm sic vir ille sapiens & iustus, etiam diuinitùs admonitus, quid cuique congrueret, sine carnibus, aptam cuique generi alimoniam præparauit & recondidit? quid est autẽ quo vesci non cogeret fames? aut, quid non suaue & salubre facere posset Deus, qui etiam vt sine cibo viuerent, diuina facilitate donaret, nisi vt pascerentur, etiam hoc implenda figuræ tanti mysterij conueniret?* Hæc August. Quibus verbis quatuor ille tangit propositæ quæstionis solutiones. Vnam: etiam animalia quæ dicuntur carniuora, aliquãdo etiam vesci frugibus, maximè verò ficis & castaneis, hęc. n. multum explent simul & alunt. Alteram: Noë per scientiam rerum naturalium quàm eximiè callebat,

callebat vel per singularē Dei reuelationē nouisse aliqua genera escarum nobis minimè nota, quibus etiā carniuora animalia libenter vescerentur, & salubriter nutrirentur: Tertiam: licet carniuora libentius vescantur carnibus: sed his tamen cùm deficiunt, etiam frugibus ac fructibus cogente fame vesci solere. Quartam: Dei omnipotentia factum esse, vt carniuora sine esu carnium, & victu aliarum rerum, quoad in Arca fuerunt, vitam sustentare potuerint. Ergo, vt conuentus omnium animalium ad Arcam, & placida eorum in Arca commoratio, obsequiumque erga Noé, sic & hoc miraculi loco haberi debere. Hæc sententia Augustini communis fermè est omnium Doctorum etiam eorum qui arbitrantur animalia quæ nunc sunt carniuora, ante diluuium quoque & in exordio mundi fuisse carniuora. Negant tamen isti ea, dum fuerunt in Arca edisse carnes, sed vel cogente fame, vel speciali Dei prouidentia, cibatu aliarum escarum esse vsa. Caietanus certè, ratus carniuora animalia etiam ante diluuium solita esse carnibus vesci, explanans verba Mosis, quæ paulò supra exposuimus: *Vel necessitatis*, inquit, *tempus, vel specialis tunc diuinæ gubernationis efficacia effecit, vt etiam animalia carniuora vescerentur vegetabilibus.* *Caietanus in Genesis c. 6.*

Origenes.

104 At enim contra sensit Origenes affirmatè scribens in hom. 2. super sextum Caput Geneseos, animalibus carniuoris comparasse Noë cibum conuenientem, id est, carnes aliorum animalium, introducendo in Arcam magnum numerum animalium pertinentium ad cibatum & victum carniuororum. Origeni assensus est & subscripsit Buteo: Firmamentum huius opinionis illud vnum est: naturale esse quibusdam animalibus esse tantum carniuora: nemo enim leonem, aquilam, vel accipitrem alio cibo atque carnibus vti vidit: quod autem naturale est alicui generi animalium, id ei semper conuenit. Quæ igitur nunc tantùm sunt carniuora, vbique atque omni tempore carniuora fuerunt. Verùm ad hanc rationem triplex datur responsum. Quidam respondent, licet naturale sit carniuoris vesci carnibus, Dei tamen omnipotentia factum esse, vt quoad ea fuerunt in Arca, sine carnibus viuerent, & aliis cibis pascerentur. Nam si alia quædam miracula circa illa animalia, & circa ipsum Arcam facta esse à Deo credimus, cur non hoc etiam tunc à Deo factum esse credendum putemus? Alij respondent, cibum carnium propterea dici naturalem carniuoris, quod sit is omnium maximè conueniens eorum naturæ, & idcirco auidè & salubriter ab illis capiatur: non autem eo dici naturalem, quod simpliciter & omnino sit eis necessarius: quemadmodum respirantibus animalibus dicitur respiratio naturalis, non tantùm quod sit eis maximè conueniens & vtilis, sed etiam quia sit planè necessaria, vt sine ea vitam ducere non possint. Ergo carniuora cum habere possunt carnes, his tantum vescuntur, posthabitis aliis cibis sed si habere eas non possint, etiam quibusdam aliis cibis ad explendam famem vescuntur. *Ioan. Buteo in li. de arca Noe.*

105 Sed mihi præter cetera tertium illud responsum placet: natura-

le aliquid dici dupliciter, vel quod per se consequitur naturam specificam, & fluit ex principiis eius essentialibus, & hoc semper conuenit rei, nec vllo tempore mutati potest: quemadmodum naturale homini est esse risibilem. Vel naturale appellatur, quod naturam indiuidualem, & corporis temperamentum consequitur. Et quia temperamentum corporis tum variata ætate, tum alias ob causas variatur: hinc accidit, vt, quod vna aliqua ætate naturale est homini, id ei alia in ætate non sit naturale. Naturale enim homini est in infantia non vesci carnibus, sed materno lacte ali: contrà tamen euenit adulta iam ætate. Cum igitur vis & præstantia plantarum & ratio temperamenti animalium dissimilis admodum fuerit ante atque post diluuium, nulli debet mirum videri, animalibus quæ nunc sunt naturaliter carniuora, ante diluuium ex frugibus, herbis & arborum fructibus naturalem fuisse cibum.

Basilius. Ego igitur in opinionem Augustini (eandem autem fuit etiam Basilij (homil 11. in Genesim) toto feror assensu. Videor autem mihi tripliciter posse argumentari, nullum fuisse in Arca Noë carniuorum animal. Primò, quia nullum ante diluuium fuit animal carniuorum: esúsque carnium tam hominibus, quàm animalibus non nisi post diluuium in vsu esse cœptus est. Verùm quia hoc non indiligenter dispu- 106
Genes. 9. tatum & tractatum à nobis est priori Tomo horum Commentariorum in Genesim, sub finem quarti libri, semel dicta superuacaneum fuerit iterare. Deinde numerũ omnium animalium quæ ingressa sunt
Gen. 6. & 7. in Arcam, habemus expressè, nec semel, à Deo præscriptum ac definitum, bina dico ex qualibet specie immundorum, septena verò mundorum, videlicet tum ad conseruationem cuiusq; speciei, tum ad vsum sacrificiorum. De animalibus verò ad cibatum carniuororum pertinentibus, nulla vsquam mentio facta est. Nam quod huic rationi oc-
Buteo. currens Buteo ait, eiusmodi animalia comprehensa esse illo generali mandato Dei de omnibus escis in Arcam importandis, cũ dixit Noë:
Genes. 6. *Tolles ex omnibus escis quæ mandi possunt, & cõportabis apud te, & erunt tam tibi quàm illis in escam*, hoc inquam, necfidem facit, nec rationẽ nostram eneruat. Multo enim conuenientius erat de animalibus ad cibatum carniuororum comparandis mentionem facere, cùm præfiniebatur numerus omnium animalium, quæ introducenda erant in Arcam: præsertim verò cùm sequenti Capite 7. sæpius fiat mentio & repetatur numerus omnium animalium quæ fuerint in Arca, nec vsquam tamen vllum sit verbum, de istis animalibus. His accidi quod tantus animalium quæ alendis omnibus carniuoris in vnum annum sufficerent numerus plus nimio oppleſſet & grauasset Arcã, ingénsque fuisset paucorum illorum hominum idémque molestissimus, maximéque fœdus & sordibus labor, instar lanionum quotidie tot animalia in cibatum carniuororũ laniantium, & in singulorum mansiones deferentium ac dispẽsantium: præsertim in Arca per vnum annum omnibus ex partibus clausa.

DE

DECIMA QVARTA DISPVTATIO.

An capax fuerit Arca omnium cibariorum & escarum quæ ad annuum victum animalium satis essent.

RESTAT earum omnium quæstionum, quas de iis quæ fuerunt in Arca hoc libro vndecimo tractare institui, extrema illa quæstio paucis explicãda, num Arca Noë continẽdis omnib. cibariis, quæ in vnum annũ alendis cunctis animalibus satis essent, sufficiens fuerit. Verùm sine
107 dubitatione dixerim, tertiam partem Arcæ cibariis animaliũ capiẽdis & conseruandis supra destinatam & assignatam, omnium earũ escarum abundè capacem fuisse: idque breuiter ad hunc modum demonstrari potest. Terrestium & quadrupedum animalium, quantum ad copiam cibatus propter eorum magnitudinem & voracitatem, pręcipuè ratio habenda est: namque auibus & reptilib. in cõparatione illorum, parum cibatus, & cibatui parũ in Arca loci satis fuit. Terrestria verò animalia in Arcam ingressa, supra constituimus quasi centum lupos, centumque ac viginti boues, & iterum centũ & viginti oues. Verùm planioris doctrinæ gratia, hæc omnia (quantum ad indigentiã cibariorum) ad mensuram boum redigamus, & vnum quemlibet lupum (quantum ad indigentiã & consumptionem cibi) vno boue æstimemus: de ouibus autem, quatuor æstimemus vno boue: sic fiet, vt numerus omnium illorum terrestrium animalium reducatur ad ducentos & quinquaginta boues. Videamus an huic numero boum, tantum cibariorum illa pars Arcæ capere potuerit, quantum illis satis esset in vnum annum. Et quia inter cibaria, fœnum loci plurimum occupat, ad huius mensuram & rationẽ cetera cibaria redigantur. Singulis bobus, cùm illi copiosissimo indigent cibatu, quadraginta pondo, siue libras fœni esse satis superque in victum quotidianum, auctor est Columella lib. 6. de Re rustica, cap. 3. Hæc fœni mẽsura in fœniculi benè cõpressi vix implet vnũ cubitũ solitũ: ducentis igitur quinquaginta bobus in quotidianum victũ assignentur ducẽta & quinquaginta cubita fœni, quæ per trecentos sexagintaquinque dies anni multiplicata, efficiunt vnum & nonaginta millia superque ducenta quinquaginta cubita. *Columella.*

EXPENDAMVS nunc capacitatem illius tertię partis Arcę quę fœnum istud continere debebat: tota Arca (vt supra dictum est) lõga erat trecentis cubitis, lata quinquaginta, alta verò triginta: tota verò eius capacitas erat quadringentorum quinquaginta mille cubitorum. Illa verò tertia pars Arcæ æque longa & lata erat atquè tota Arca, alta verò tantùm octo cubitis: quapropter capacitas eius continebat solidorum cubitorum centũ viginti millia, plus videlicet quàm erat totum illud fœnum viginti septẽ mille & insuper septingentis quinquaginta cubi

cubitis, Viden' igitur lector, quantò plus Cibariorũ cõtineri potuerit quàm opus erat? Atque hæc quidem ratiocinatio & computatio procedit, si ponamus animalia illa toto eo tẽpore quo fuere in Arca, non alio cibo vsa esse quàm fœno, quod plurimum loci occupat. Verùm cùm quæcumque pabulis vtũtur, multo auidius salubriusque vescantur frugibus, vt hordeo, farre, vicia aliisque similibus: credibilius est ex his comparatum fuisse animalibus cibatum à Noë: vt quæ, quanto liberius eduntur ab illis, tanto minori loco continentur.

SED quia fortasse non deerunt qui præfractè contendant, animalia carniuora, dum fuerunt in Arca, nõ alio cibo quàm carnibus vesci & ali potuisse: age, dissimulata interim veritate, quam supra secuti & tutati sumus, & hoc demus istis, quo manifestior sit Arcæ capacitas: ostendentibus nobis etiamsi Carniuororum in Arca victus ex carnibus fuisset, non tamen animalibus ad cibatum eorũ necessariis locum in Arca defuisse. Omnia carniuora animalia supra redegimus ad rationem & numerum centum luporum. Cuilibet lupo octaua pars ouis in quotidianum alimentum satis est: ad quotidianum igitur centum luporum cibatum, ouibus duodecim, & dimidia opus fuit: qui numerus per vnius anni trecentos sexagintaquinque dies multiplicatus, oues quater mille quingentas, sexagintaduas & dimidiam continet. Quarum ouium, præter centum septuaginta paria animalium quæ supradiximus in arcam esse ingressa capacẽ fuisse Arcam, eo licet intelligere quòd de trecentis mansionib. habitationi animalium comparatis, vacuæ relictæ sunt centum triginta, in quibus magna pars istarum cibariarum ouium stabulari potuit: cùm quælibet earũ mansionum alta nouem cubitis, longa sex, totidemque lata, multarum ouium capax esset. Quæ autem supererent oues, eas in variis Arcæ locis vacantibus, quæ multa erant, collocare licuit, maximè verò in habitatione hominum, vt quæ amplissima esset & expeditissima. Nec est illud non hoc loco animaduertendum, numerum illarum cibariarum ouium multum in dies singulos diminutum iri, quotidie scilicet deficientib. plus duodecim ouibus quæ quotidiano Carniuororum animalium cibatu absumebantur. Atque hæc nobis de iis quæ fuerunt in Arca Noë disputanda & explicanda visa sunt. 77

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM,

LIBER DVODECIMVS,

QVI EST DE DILVVII GENERATIONE, incremento & statu.

Ex capite sexto libri Geneseos.

ANNO sexcentesimo vitæ Noë mẽse secũdo, septimo die mẽsis rupti VERS. 11.
sũt omnes fontes abyssi magnæ & cataractæ cœli apertæ sunt. Et fa- 12.
cta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In articulo diei illius in- 13.
gressus est Noë & Sem & Cham & Iaphet & filij eius, & vxor eius, & vxores filiorum eius cum eis in arcam, ipsi & omne animal secundum genus suum, vniuersaque iu- 14.
menta in genere suo & omne quod mouetur super terram in genere suo cunctúmque volatile secundum genus suum, vniuersæ aues cunctæque volucres ingressæ sunt Noë in arcam, bina & bina ex omni carne in qua erat spiritus 15.
vitæ. Et quæ ingressa sunt, masculus & femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: Et 16.
inclusit eum Dominus deforis. Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram, & multiplicatæ 17.
sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. Ve-

18 *hementer enim inundauerunt, & omnia repleuerũt in fu-*
19 *perficie terræ: porrò arca ferebatur ſuper aquas. Et aquæ*
prævaluerãt nimis ſuper terra, opertíque ſunt omnes mon-
20 *tes excelſi ſub vniverſo cœlo. Quindecim cubitis altior*
21 *fuit aqua ſuper omnes montes quos operuerat. Conſum-*
ptáque eſt omnis caro quæ mouebatur ſuper terram, vo-
lucrum, animantium, beſtiarũ, omniumque reptilium quę
22 *reptant ſuper terram, vniverſi homines, & cuncta, in qui-*
23 *bus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt. Et deleuit*
omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram, ab homine vſ-
que ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli, & deleta
24 *ſunt de terra, remanſit autem ſolus Noë & qui cum eo*
erant in arca, obtinueruntque aquæ terram centum quin-
quaginta diebus.

PRÆFATIO.

HISTORIAM diluuij Noëtici tam ſubtiliter & diſtinctè atque enucleatè expoſuit Moſes, vt nihil ferè ad eam rem pertinens & dignum cognitu, etiam à curioſo lectore requiri poſſit, quod non ab eo vel expreſſum ſit vel indicatum, vel non ex his quæ ab eo prodita ſunt, facilè coniici & comprehendi queat. Declarauit enim Moſes, quando inceptũ ſit diluuium, quo modo factum, quibus ex cauſis profectum, quàm latè patens, quámq; ſuper terram elatũ in ſublime, quantum damni & exitij importauerit, quãto tẽpore terram aquis obrutam tenuerit, quando diminui, & qua ex cauſa cœperit: quo primum in loco, & quanto tempore ab initio diluuij arca conſederit: quemadmodum Noë diminutionẽ & ceſſationem diluuij explorauerit, atque perſpexerit, quando finitum diluuium, & Noe cum ſuis atque cum animalibus arca egreſſus, quemadmodũ Deo gratiſſi

gratissimum offerens sacrificium lætissimis ab eo promissis recreatus sit atque confirmatus.

COEPTVM est fieri diluuium anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, decimo septimo die mensis. Causæ diluuij præter Deum fuere, ruptio omnium fontium abyssi magnæ, & reseratio cataractarum cœli, & quadraginta dierum atque noxium continua densissimáque pluuia. Amplitudo diluuij tanta fuit, vt omnem terrarum orbem operiret, altitudo verò tanta, vt celsissimos terræ montes quindecim cubitis transcenderet. Obtinuit porrò diluuium terram priùs quàm diminui cœperit, centum quinquaginta diebus. Exinde cœpit diminui diluuium partim immisso vento siccante & vrente, partim clausis fontibus abyssi, cœlíque cataractis, & prohibita pluuia. Arca requieuit super montes Armeniæ mense septimo, & decimoseptimo die mensis: cacumina montium apparuerunt primo die mensis decimi. Ad explorandã autem cessationem diluuij, emisit Noë coruum & bis columbam, quæ secundo reuersa, ferénsque ramum oliuæ virentibus frondibus, significauit cessasse diluuium. Anno sexcentesimo primo, primo mense, die prima mensis terra exsiccata est, & mense secundo ac vigesimo septimo die eius mensis penitùs arefacta est terra, & Noë egressus est cum familia sua, & cum animalibus. Qui quamplurimum: ædificato altari, de cunctis pecoribus & volucribus mundis, holocaustum obtulit acceptissimum Deo, à quo promissum accepit, nunquam deinceps vastatam & perditam iri diluuio vniuersam terram. Atque hæc est summa narrationis Mosaicæ, in qua consummatur duo capita libri Geneseos, septimum & octauum, quę sunt à nobis hoc duodecimo, & hoc proximè sequenti decimotertio libro explananda. In septimo capite describitur initium & incrementum diluuij, in octauo diminutio & cessatio eius.

Quas res de Diluuio tradas Moses.

PRIMA DISPVTATIO.

De anno quo factum est Diluuium super illis verbis.

VERS. 11. Anno sexcentesimo vitæ Noë, in mense secundo, septimo die mensis, &c.

NOTATVR his verbis tempus quo Noëticum diluuium fieri cæptum est, sicut infrà signatur tempus quo finitum est, vt principio eius finéque notatis, quãta eius fuerit diuturnitas, & quàm longinqua Noë in Arca commoratio, liquidò notum esset. Sed cur Noë septem diebus ante initium diluuij iussus à Deo est, vt docet Moses capite 7. in arcam ingredi? Hic nugantur more suo Hebræi, septem illos dies consumptos esse à Noë in luctu propter mortem aui sui Mathusalem: quem quidem etsi constat ipso diluuij anno excessisse, an is tamen septem tantum diebus, an multò pluribus diebus aut etiam mensibus ante diluuium decesserit incertum est. Illud profectò credibile fit, Noë per illos septem dies omnia quæ in arca erant, priùs quàm procellis diluuij iactaretur & diuexaretur Arca, dispositisse atque ordinasse, suo quæque loco aptè collocando, vt omnia essent ad hominum & animalium habitationem atque vsum, ita vt opus futurum erat, maximè accomodata.

Cur Noë septẽ dieb. ante diluuium ingressus fuerit in arcam. Gen. 5.

2

NEC non & illa probabilis causa est quam Beatus Ambrosius attigit, propterea Noë per illos septem dies inclusum in arcam expectasse diluuium, vt cæteri cernentes Noë metu imminentis diluuij sese in arcam inclusisse, saltem illo extremo tempore commouerentur pauore instantis exitij, & conuerterentur ad agendam pœnitentiam: neque enim si voluissent illo paucorũ dierum spatio & pœnitentiam: ritè agere, & iram Dei placare non potuissent: *Non est otiosum*, inquit Ambrosius, *quod nec plures nec pauciores quã septem interpositi sint dies, tot scilicet quod in constitutione mundi fuerunt. Sex enim diebus factus est mundus: septimo autem die, requieuit Deus ab operibus suis. Quo declarauit indicio, ipsum se auctorem esse mundi atque diluuij. Mundum propter bonitatem suam condidit, diluuium fecit nostrorum merito delictorum. Admoniti sunt igitur homines vel ex numero dierum quibus mundus est conditus, quod conditorem suum non lachrymis solùm & precatione, sed correctione morum reconsiliare debuerant. Ergo spatium dedit ad pœnitentiam Dominus, magis volens ignoscere quàm punire, vt imminentis diluuij terrore suspensos ad veniam cogeret postulandam, quo cum periculum futuræ mortis horrescunt, impietati atque iniustitiæ renunciarent.* Sic Ambrosius.

Ambros. lib. de Noë, & arca cap. 13. Gen. 1. Infra. 2.

SED illud hoc loco quæstionem affert, An cum incepit diluuium, Noë sexcentesimum vitæ annum expleuerat, an inierat tantum. 3

An cũ fieri cœptũ est diluuium.

Cum

Cum dicitur diluuium cœpisse sexcentesimo anno vitæ Noë, quæritur vtrum intelligere oporteat illum sexcentesimum annum fuisse expletum, an tantummodo inchoatum. Vtroque enim modo potest intelligi. Ac debere intelligi non completum, sed inchoatum, multi sunt auctores, Lyranus, Tostatus, Caietanus, Oleaster aliique cùm in suis Commentariis hunc locum Mosis interpretantur. Adiuuat sanè hanc interpretationem vsitata computandi ratio & olim hodiéque. Sic enim mos est cõputari annos Principũ, vt si quid illi initio tertij vel quarti anni principatus sui faciant, id fecisse eos anno tertio vel quarto sui principatus vulgò vsurpetur, & in publica monumẽta vel acta referatur.

Noe inchoauerat, tãtum an iam expleuerat annum sexcẽtesimũ.
Lyranus.
Tostatus.
Caietanus.
Oleaster.

At enim verò mihi quidem contra videtur sentiendum: arbitror enim sexcentesimum illum annum non tantum fuisse inchoatum, sed planè completum, exactis præterea quadraginta septem diebus anni sexcentesimi primi. Et hanc meam interpretationem atque sententiam tribus argumentis firmare possum. Principio, si annus ille sexcentesimus tantum inchoatus erat per vnum mẽsem, & paulò plus dimidio, ergo Arca fuisset fabricata vno & dimidio mense: siquidem Noë quingentorum annorum fuisse dicitur prius quàm mandatum à Deo accepit de fabricanda Arca. Sed nec est credibile tanta breuitate temporis potuisse tantum opus absolui, & reclamant plerique doctores à quibus proditum est annos circiter centum in fabricanda Arca esse transactos. Illud præterea sequitur, inter denunciationẽ diluuij & eius aduentum minus duobus mensibus interceßisse: siquidem denuntiatio diluuij facta est à Deo post quingentesimum annũ Noë, vt Moses supra narrauit. Atqui Deus post denũciationem diluuij vsque ad eius aduentum, tempus centum viginti annorum ad agẽdam pœnitentiam mortalibus indulsit.

Genes. 6.

Verum huic rationi occurrerent isti: Cùm supradictum est fuisse Noë quingentorum annorum, similiter intelligi debere de quingentesimo anno tantùm inchoato non autem expleto: quamobrem à denũciatione diluuij & Dei mandato de Arca fabricãda, vsque ad ipsum diluuium, centum anni præterierunt. Sed istis aduersatur B. Augustinus, affirmans Noë, cum ei præcepit Deus de fabricanda Arca, fuisse quadringentorum & octoginta annorum. Deinde, si cum cœpit diluuium, erat inchoatus tantùm sexcentesimus annus Noe & non impletus, ergo ab exordio mundi vsque ad diluuium, non fluxissent mille sexcenti quinquaginta sex anni, tot nempe recensentur ab optimis quibusque Chronographis: sed numerari oportere secundum istos, mille quingentos quinquaginta sex.

Augustin. libr. 15. de Ciuitate Dei c. 24.

Illvd denique hoc ipsum euidenter demonstrat, quod infra Capite nono scriptum est, Noë post diluuium vixisse trecentos quinquaginta annos, omnes autem dies vitę Noë fuisse nongentorum & quinquaginta annorum: At enim si, vt isti aiunt, Noë cùm cœptum est diluuium, tantùm per duos menses inchoauerat sexcentesimum an-

num fieri non potuit, vt si post diluuium vixit trecentos quinquaginta annos, cum mortuus est fuerit nongentorum quinquaginta annorum, sed fuisse eum tantummodo octingentorum & quinquaginta annorum necesse est.

SECVNDA DISPVTATIO.

Cum dicitur factum esse diluuium mense secundo, cuius anni fuisse mensem illum secundum, intelligere oporteat.

DIXIT Moses diluuium fieri cœptum esse decimo septimo die mensis secundi. Sed quæritur cuius anni mensis ille fuerit secundus? an fuerit secundus mensis anni sexcentesimi vitæ Noë, quem proximè antè nominauit Moses, an verò fuerit secundus mensis anni communis & vsitati qui tunc agebatur. Duplex est Doctorum sententia: plerique omnes putant mensem illum fuisse secundum anni qui tunc agebatur & vt vulgò loquimur anni tunc currentis. Anni verò, id temporis, computabantur ab exordio mundi: namque vt Romani supputabant annos ab vrbe condita, & nos Christiani ab ortu Saluatoris nostri: ita simillimum vero est homines qui fuere ante diluuiū, annos ab exordio mundi conditi numerare consueuisse. Ab initio autem mundi vsquead diluuium, recensentur anni mille sexcenti quinquaginta sex: quapropter mensis ille quo cœptum est diluuium, erat secundus mensis anni ab orbe condito millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti.

VERVM vt de hoc inter istos conuenit, ita de qualitate huius mensis variant illi sententias, quibusdam affirmantibus illum mensem fuisse verni temporis & respondentem nostro Maio: aliis verò contendentibus incidisse eum mensem in tempus Autumnale, atque concurrisse cum nostro Nouembri: idque argumentantibus ex eo, quod licet diluuium Noeticum sine supernaturali omnipotentia Dei fieri non potuerit, non esse tamen negandum, multas res naturales ad efficiendum aliqua ex parte diluuium, à Deo esse adhibitas: qualis fuit ruptio omnium fontium abyssi magnæ, reseruatio cataractarum cœli, & continuatio pluuiæ per quadraginta dies. Similiter igitur par est credere, Deum opportunissimum delegisse tempus anni efficiendo diluuio, eidémque finiendo. Tempus autē idoneum inundationibus, est hyemale, non autem æstiuum: sicut contra, siccandæ terræ & prohibendis pluuiis, æstiuum opportunius est quàm hyemale. Ergo consentaneum est diluuium incæpisse ineunte hyeme, id est, circa Nouembrem, durasse autem per totam hyemem: denique æstiuo tempore siccatam esse terram finitúmque diluuium. At verò

si di

si diluuium incepisset mense Maio, auctum fuisse & roboratum æstiuo tempore, finitum autem media propemodum hyeme: Omnia verò hæc alienissima maximéque contraria anni tempestate essent facta. Et hęc quidem est sententia ferè Hebręorum, cui subscribunt Lyranus, Tostatus, & Oleaster, hoc loco.

5 ALTERA est sententia propè omniũ scriptorũ Ecclesiasticorum, mundum esse conditũ verno tẽpore & circa mensem Martium: secundum autẽ mensem quo factum est diluuium, incidisse aliqua ex parte in nostrũ Maium. Confirmat autẽ Rupertus, mensem illum secundum fuisse verni temporis, argumento columbę, quæ reuersa ad arcam, tulit ramusculum oleæ virentibus frondibus. Sic enim scribit Rupertus: *& ne illud scrupulum moueat, quod secundum natiuitatẽ Noë possint hic annorum vel mẽsium principia, vel fines computari: reuocetur ad memoriã, quod ante exactum annum diluuij mense plus minus integro, columba quam emisit Noë, reuersa est portans ramum oliuæ virẽtib. foliis in ore suo. Itaque quocumque anni tempore natiuitas Noë extiterit, verno tempore hunc annum impletum fuisse, illud quoque indicio est.* Sic Rupertus.

Lyranus. Tostatus. Oleaster.

Rupertus li. 4. Comm. in Genes. ca. 25.

6 CVR autem voluerit Deus verno tempore potius, quàm alio anni tempore fieri diluuium, duas causas eodem loci affert Rupertus. Et altera quidem causa fuit, quo nequissimi homines illi acriori cum doloris sensu in diluuio perirent, scilicet acerbissimè dolentes se per id tempus ex mũdo & vita tam diro mortis supplicio extrudi, quo tempore mundus ipse pulcherrimus & amœnissimus ac iucũdissimus est, hominesque inuitãs & illiciens ad delicias & voluptates perfruendas, quarum voluptatum maxima est id temporis copia & varietas.

Cur diluuiũ factũ verno tẽpore causa duplex.

SECVNDVM *mensem*, inquit Ambrosius, *verni tẽporis fuisse non ambigitur, quãdo augentur nascentia, ager parturit, terrarũ pariter atque animantiũ fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluuiũ, quãdo dolor eorũ maior foret, qui in sua abundãtia puniebantur: tũc vltio terribilior tanquã dicentis Dei: Ecce omnia secundum liberalitatis diuinæ prouidentiæ gratiam diues natura generauit, omnia in vsum hominum germinauit terra fœcũdior, segetes spectãtur, tritico & hordeo campi replentur, coma arborum venturi fructus floribus vestiuntur: non deest terra obsequijs suis, non bestiæ desunt munerib. suis, quæ solennes soluuntur in partus, vt homini nihil desit: homo solus partub. suis deest, nescit auctorẽ suum à quo ei omnia ministrantur, negligit cõditorem. Pereãt igitur cum homine omnia propter quem nata sunt omnia. In suis diuitijs consummatur homo, cum sua dote moriatur.* Sic Ambrosius.

Ambros. lib. de Arca, & Noë cap. 14.

7 ALTERA causa cur verno tempore factum sit diluuium, eam putat fuisse Rupertus, quo apertius cognosceretur, & sine vlla dubitatione crederetur diluuium illud Noëticum non ex solis naturalibus causis, sed maximè per supernaturalem Dei omnipotentiam esse factum. huius rei illud clarissimũ erat futurum iudicium, æstiuo tẽpore diluuium esse factum, hyemali autem tempore esse sublatum: vtroque scilicet tempore tam creando, quam abolendo diluuio maxime aduerso. *Vnde magis*, inquit Rupertus, *miranda tempestas illius diluuij, quam*

quem non adiuuit vlla natura temporis, sed contra, Maio, quo mense iam Sol altius incedit, & cœlum naturaliter candescit, immensa erupit imbrium & aquarum vis. Circa tempus autem hyemis, id est, mense Nouembri, iam imminutis aquis Arca requieuit, tantis tamque diutinis destecta procellis. Decimo tandem mense diluuij qui est apud nos Februarius, primo die mensis apparuerunt cacumina montium. Hæc Rupertus.

HACTENVS ostensum est, mensem quo factum est diluuiũ appellari à Mose secundum (vt plurimis visum est) respectu anni, qui tũc agebatur, ob orbe condito millesimi quinquagesimi sexti: eum verò mensem alij dixerunt respondisse Maio, alij autem, Nouembri, prout diuersa est Doctorum sententia de origine Mundi, vel in Vere vel in Autumno conditi: quam controuersiam nos primo libro nostrorum Commentariorum in Genesim, cùm explanaremus opus tertij diei, diligenter & accuratè tractauimus. Quantum autem ad præsentem quæstionem attinet, equidem supradictam interpretationem & Sententiam tam multis & magnis auctoribus probatam, damnare nec ausim, nec velim. Non dissimulabo tamen, mihi quidem videri probabilem admodum Caietani interpretationem, qui mensem secundum appellatum esse censet, respectu anni sexcentesimi vitæ Noë, vt significetur diluuium incœpisse anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo eius anni: id est, mense secundo post exactum annum sexcentesimum Noë, initium diluuij esse factum. Caietan.

PERPLACET mihi hæc interpretatio, quod secũdum eam plana est & facilis nullísque implicata difficultatibus verborum Mosis constructio. Nam si mensem secundum disiungas à sexcentesimo anno vitæ Noë, & ad alium annum, scilicet mundi contendas referri oportere: negare non potes Mosem obscurè locutum esse, ne dicam, ambiguè, aliò annos & aliò menses referentem ne verbo quidem eius rei varietate indicata: præsertim cùm id sit contra morem & vsum computandi. Cum enim dicimus aliquid esse factum anno tertio & mense secundo alicuius Principis, semper ad idem refertur annus & mensis, id est, vel ad vitam vel ad principatum illius Principis: Vt autem annus referatur ad vitam aut principatum, mensis verò ad annum communem tunc currentem, nouum, insolitum & inauditum est. Nec mirandum cuiquam accidat computari tempora ab ipso Noë cum ille noui sæculi & renascentis mundi pater fuerit.

FER.

TERTIA DISPVTATIO.

Ex quibus rebus & causis naturalibus factum sit diluuium Noëticum.

9 CVM Moses dixit hoc loco: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnę, & cataractę cœli apertę sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta dieb. & quadraginta noctibus*, satis indicauit his verbis duas res naturales, aut solas aut principales fuisse causas diluuij: alterā quidem, ruptionem fontium abyssi magnæ: alteram verò, apertionem cataractarum cœli, vt altera quidem subter, vel in terra vel intra terram fuerit, altera verò suprà, in ipso cœlo fuerit, id est, vel in aëre, vel in astris, vel in vtroque. Continuatio autem pluuiæ per quadraginta dies, non fuit tertia causa diluuij à prioribus duabus diuersa, sed fuit potiùs velut quidam effectus reserationis cataractarum cœli. *Cap. 7. Gen. Vers. 12.*

10 PHILO in lib. 2. de vita Mosis, tres, causas attingit Noëtici diluuij vnam maris tumorem & ob id effusionem in terras, alteram, ingens fluminum omnium incrementum: tertiam, longam imbrium continuationem: *Siquidem*, inquit Philo, *maria tumentia, fluuijq; aucti, torrentes simul & perennes, ciuitates cunctas in campestribus regionibus sitas inundauerunt & subuerterunt: quæ autem in editioribus locis habitabantur, continuati imbres nec interdiu, nec noctu intermissi fundiùs subruerunt.* Verùm, vt hoc de causis effectricibus diluuij, quod Moses tanta breuitate perstrinxit, explicatiùs ac dilucidiùs expositum meliùs intelligatur, paulò altiùs repetita disputatione breuiter commemorandum est quid ab Ethnicis philosophis de origine & generatione diluuij proditum sit. *Philo tres causa facit diluuij.* *Quid Ethnici de causis diluuij, cōtulerint.*

SENECA libro tertio Natural. quæstionū, cap. 27. ac duobus sequentibus multa disputat de causis efficientibus diluuium: *Quæritur*, inquit, *cum fatalis dies diluuij venerit quemadmodum orbis terrarum vndis obruatur. Virum Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exurgat, an crebri sine intermissione imbres & elisa æstate hyems pertinax immensam vim aquarum ruptis nubibus deiciat, an flumina tellus largiùs fundat, aperiátque fontes nouos: an potiùs vna non sit tanto malo causa, sed omnis ratio consentiat, & simul imbres cadant, & flumina increscant, & maria sedibus suis excita percurrant, & omnia vno agmine ad exitium humani generis incumbant. Ita est: Nihil difficile est natura, vtique vbi in finem properant. Ad originem rerum parcè vtitur viribus, dispensátque se incrementis fallentibus: subitò ad ruinam toto impetu venit. Quicquid ex hoc statu & ordine rerum natura flexerit, in exitium mortalium satis est. Ergo cum affuerit illa necessitas temporis, multa simul fata causas mouent: nec sine concussione mundi tanta mutatio erit.* *Seneca.*

Quinque causæ effectrices diluuij secũdũ Senecam.

POST hæc autem Seneca copiosè disserit de variis causis diluuij, 11 quas in disputatione eius variè dispersas si quis colligere, & ad certum aliquem numerum redigere studuerit, quinque præcipuas diluuij causas ab eo tradi comperiet. Prima causa, est longinqua continuatio densissimorum imbrium. *Primo enim immodici cadunt imbres, & sine vllis solibus triste nubilo cœlum est: nebulaq; continua ex humida, spissaq; caligine, nunquam exsiccantibus ventis. Postquam magis magisq; nimbi ingruunt, & congestæ sæculis tabuerũt niues, deuolutus torrens altissimis montibus rapit syluas, & saxa reuolutis remissa compagibus rotat. Vrbes, & implicitos trahit mœnibus suis populos, ruinam, an naufragium querantur, incertos: adeò simul, & quod opprimeret, & quod mergeret venit.*

ALTERA causa est, nimius fluminum auctus ex crebritate & densitate imbrium. *Flumina enim plus nimio aucta & redundantia, relicto naturali alueo superfluentias terras innundat, & stagnant, & fit quod pulchrè dixit Poëta:*

Ouid. lib. 1. Metamorph. *Exspatiata ruunt per apertos flumina campos.*

Tunc immensa vbique terrarum est aquæ altitudo: tantum in summis montium iugis vada sunt. Illud igitur cum liberis & coniugibus fugient homines, actis ante se gregibus, diremptо inter miseros commercio ac transitu: quoniam quicquid submissius est, id vnda compleuit. Editissimis quibusque adhærebunt reliquiæ generis humani, quibus ad extrema perductis, hoc vnum erit solatiũ, quod transibit in stuporem metus, nec dolor habebit locum. Quippe vim suam dolor perdit in eo qui vltrà sensum mali miser est.

TERTIA causa, supra modum tumescentis maris in terris effusio. Non enim potest torrentium, aut imbrium, aut fluminum iniuria fieri tam grande naufragium: *Vbi instat illa pernicies, fluere assiduos imbres, & non esse modum pluuijs cõcesserim, & suppressis Aquilonibus nubes & imbres & amnes abũdare. Verùm cùm per ista proluium est, crescunt maria supra solitum, & fluctus vltra extremum tempestatis maximæ vestigium mittunt. Deinde in miram altitudinem erigitur mare, & tuta illa hominum receptacula supergredientur. Nec id aquis arduum est, quoniam æquo terris fastigio ascendunt. Siquis enim excelsa perlibret, maria paria sunt. Sed quẽadmodum campos intuentem, quæ paulatim deuexa sunt, fallunt: sic non intelligimus curuaturas maris, & videtur planũ quicquid apparet, ac illud æquale terris est. Ideoq; vt effluat, non magna mole se tollet: dum satis est illi vt suprà paria veniat leuiter exurgere: nec à littore vbi inferius est, sed à medio, vbi ille cumulus est defluet.*

QVARTA causa cœlestis est, & in cõuentu & coitione omnium siderum, quæ vim habent imbriferam ac diluuiferam, posita est. Berosus sanè qui Belum interpretatus est, certũ & conflagrationi orbis, & diluuio tempus assignat, vtriusque ad astra causam referens: *Arsura enim terrena censet, quando omnia sydera quæ nunc diuersos agunt cursus in Cancrum cõuenient, sic sub eodem posita vestigio, vt recta linea exire per orbes eorum possit: inundationem autem futuram, cùm eadem siderum turba in Capricornum conuenerit. Illic Solstitium, hic bruma conficitur.*

QVINTA

QVINTA causa, resolutio terræ magna ex parte in aquam. *Etenim maximam, causã ad se inundandam, terra ipsa præstabit: quam diximus esse mutabilem, & solui in humorem. Incipiet ergo terra putrescere, dehinc laxata ire in humorem, & assidua tabe defluere. Tunc exilient sub montibus flumina, ipsoque impetu quatient. Solũ omne aquas reddet, summi scaturient montes: & quemadmodũ in morbum transeunt sana, & ulceri vicina consentiunt: ita vt quæque proxima terris fluentibus fuerint, eluẽtur, stillabunt & deinde current & hiante pluribus locis saxo, per fretum salient, & maria inter se component.* Hactenus ex Seneca. Cuius disputationem propriis fermè verbis eius commemorauimus: sed ne longiores essemus, multis quæ ad rem nostram minimè pertinebant, consulto amputatis & circunciſis.

12 CÆTERVM in hac disputatione Senecæ quædam non sunt improbanda, nonnulla verò reiicienda sunt: Namque illæ quinque causæ effectrices diluuij quæ traduntur à Seneca, nequaquam contemnendæ sunt, nec eas concurrisse ad efficiendum Noëticum diluuium, à ratione fidéque remotum est. Sed alia tria quæ dixit Seneca, nullo modo probanda sunt. Primùm dixit diluuium ex solis causis naturalibus effici, & quidem necessaria quadam & immutabili lege naturæ, à qua certum diluuio tempus fixum sit, quod vbi venerit, necesse sit fieri diluuium. Hoc falsum est. Etenim nec vlla necessitate, sed Dei tantum voluntate nec solius naturæ potentia, nec nisi supernaturali omnipotentia Dei diluuium potest effici, vt paulò infra ostendemus. Ait præterea non modò futurum aliquando diluuium, sed ante hac sæpiùs esse factum, & sæpiùs posthac futurum. Suorum enim Stoicorum disciplinam secutus, opinatur Seneca mundum sepe numero oriri & interire, longissimis tamẽ temporum interuallis, & interire quidem alternis vicibus vel incendio vel diluuio.

Examinatur opinio Senecæ de causis diluuij.

Stoicorum error de origine mundi.

SED hoc non tantùm diuinæ Scripturæ contrarium est, neganti plus vno diluuio aut fuisse, aut futurum vnquam: verùm etiam duorum Philosophiæ Principum Platonis & Aristotellis doctrinæ ac decretis planè aduersatur. Illud denique falsum est ab eodem Seneca eo ipso loco proditum, diluuio omnia animalia omnésque homines penitùs deleri, eadémque renascente mundo, per solas causas naturales regenerari. Nõ enim fert natura, vt perfecta animalia, præsertim autem homines, alia ratione quàm ex causis efficientibus eiusdem speciei, suique similibus parentibus naturaliter procreari queant. Quocirca si diluuio perirent omnia, non possent naturaliter iterum regenerari. Verùm dimittamus Senecam

13 OVIDIVS libro primo Metamorphoseos, etsi nominatim enarrat diluuium Deucalionis (quod non fuit generale totius orbis, sed in vna tantum regione Græciæ quæ appellatur Thessalia contigit: ipse tamen descripsit diluuium illud perinde ac si ge-

Ouidius quid scripserit de causis diluuij.

neralis fuisset eluuio aquarum omnem terrarum orbem, excepto Parnasso monte inundans & obruens. Eius verò diluuij duas principes causas apertis verbis fuisse indicat, immensam vim imbrium, & immoderata fluminum & terrestrium aquarum incrementa. His videtur adiungere tertiam causam, maris supra modum intumescentis effusionem in terras. Et has quidem causas exposuit illis versibus.

Prima causa diluuij ex imbribus.

Pœna placet diuersa, genus mortale sub vndis
Perdere, & ex omni nimbos demittere cœlo,
FIT *fragor, & densi funduntur ab æthere nimbi,*
Nuntia Iunonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaq; nubibus affert.
Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota iacent, longiq; perit labor irritus anni.
Nec cœlo contenta suo est Iouis ira, sed illum
Cœruleus frater iuuat auxiliaribus vndis,
Conuocat hic amnes, qui postquam tecta tyranni.
Intrauere sui, non est hortamine longo
Nunc, ait, vtendum, vires effundite vestras,
Sic opus est.

Altera causa diluuij ex aquarum terrestrium.

APERITE *domos ac mole remota*
Fluminibus vestris totas immittite habenas.
Iusserat, hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et de frenato voluuntur in æquora cursu,
Ipse tridente suo terram percussit, at illa
Intremuit, motuq; vias patefecit aquarum.
Exspatiata ruunt per apertos flumina campos
Cumq; satis arbusta simul pecudesque virosque,
Tectaque cum suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, pressaque latent sub gurgite turres:
Iamq; mare & tellus nullum discrimen habebant,
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.

Significat effusionem maris in terra.

HÆC ab Ethnicis de causis diluuij prodita sunt. Verùm nos eadere verba Mosis expendamus.

QVARTA

QVARTA DISPVTATIO,

Quænam illa fuerit abyssus magna, cuius fontes dixit Moses fuisse ruptos ad efficiendum diluuium.

ABYSSVS Græca vox est, de qua Suidas ita scribit: *Abyssus. ædes fuit Proserpinæ, in qua multum auri omni æuo intacti seruabatur. Nomen ex eo factum ex, quòd id aurum vulgo non cerneretur, humi absconditum.* Sacræ litterę naturam aqueam dicunt abyssum. S. Basilius homilia secunda in Genesim, *Abyssus*, inquit, *significat copiosam aquã, ad cuius fun-*
14 *dum non facilè penetrari possit deorsum versus.* Beatus Augustinus super Psalmum quadragesimum primum sic definit: *Abyssus, est profunditas quædam impenetrabilis & incomprehensibilis: & maximè solet dici in aquarũ multitudine. Vbi enim altitudo, ibi profunditas est, quæ penetrari vsque ad fundum non potest.* Hebræa vox, *thelom*, qua vtitur hoc loco Moses, pro priè significat voraginem siue aquam magnæ profunditatis: Vt illa profunditas aquarum quæ sunt sub terra, videatur significari à Mose, vnde per certos meatus terræ profluunt fontes & flumina. Tempore autem diluuij, terra multis & magnis hiatibus disrupta, tanta illinc effluxit vis aquarum, vt vniuersam terram operuerit.

Suidas.

Quid significet vocabulũ Abyssi.

Basilius.

August.

SED quæ sit illa aqua subterranea, quam Moses nominauit abys-
15 sum, inquirendum & declarandum est. Vetus fuit opinio, eaque vulgo diu multumque celebrata, de multis terræ hiatibus vnum esse intra terram maximum, perque vniuersam terram traiectum & patentem: quem Homerus & Poëtæ Baratrum & Tartarum appellarunt, & hic esse immensam vim & molem aquæ circa ipsum centrũ agitatę. Nam quia fundamentum & firmamentum quo nitatur ac firmetur ea vis aquæ nullum habet, propterea huc illuc fluctuat & agitatur: qua fluctuatione prout varias in partes incubuerit, variis quoque ex partibus terræ sursum emittit flumina. Atque hic Tartarus origo est & finis omnium aquarum terrestrium, & maris & fluminũ & quarumlibet aquarum. Illinc enim amnes effluunt, & rursus illuc peractis cursibus suis tandem refluunt. Non igitur mare, non Occeanus principiũ est aquarum, sed Tartarus, ex quo & ipsum mare & Occeanus ortum ducunt. Hanc veterunt opinionem commemorat apud Platonem in Phœdone Socrates, & secundum eam nonnulli putant hinc locutum esse Mosem, vt quem illi Tartarum nominarũt, hic appellauerit abyssum. Certè ab ea opinione aut nihil, aut proximè videntur abesse Vatablus & Oleaster hoc loco, & Franciscus Georgius in primo tomo Problematum, problemate 88.

Quid Tartarus apud pœtas. Homerus.

Plato.

Vatablus. Oleaster. Franciscus. Georgius.

Non esse Tartarum originem aquarū.

VERVM quia opinio illa falsa est, nullo modo sit credibile. Mo- 16
sem in tam graui historia abuti voluisse falsa vulgi opinione ad de-
scribendum diluuium. Et falsam quidem esse illam opinionem, Ari-
stoteles libro secundo Meteorologicorum argumentatur ad hunc
modum: Si omnia flumina, omnésque super terram fluentes aquæ
originem trahunt ac profluunt ex Tartaro qui est circa centrum: ergo
flumina à centro mundi ascendunt ad superficiem terræ, altitudinem
scilicet trium millium & quingentorum milliarium. At contra natu-
ram aquæ est altius origine sua ascendere, nedum in tantam altitudi-
nem suos cursus extollere. Itaque secundum istam opinionem verum
Prouerb. esset, inquit Aristoteles vulgare: illud & trium sermone prouerbiū?
SVRSVM FLVMINA: quod prouerbium in eos dicitur, qui dicunt
faciúntve aliquid, quod quia contra naturam rei est, fieri non potest.
Huiusmodi est: Flumina sursum ascendere: nam quia contra naturam
fluminum est ascēdere: nec id fieri potest, & qui fieri posse opinantur,
falsò, ridiculè & absurdè opinantur. Ad diluuium autem Noëticum
efficiendum, necesse fuisset aquas non solum ex centro ad superficiem
terræ, sed præterea super altissimos terræ montes quindecim cubitis
attolli.

Virum Abyssus aquarum, sit Oceanus.

AEET putant vocabulo Abyssi Mosem significasse mare, vel Ocea- 17
num, sic appellatum, propter immensam eius profunditatem morta-
libus impenetrabilem. Omnino, negari non potest vti sæpenumero
diuinam Scripturam, cùm de mari loquitur, nomine abyssi: Id quod
perspicere licet ex capite decimoquinto Exodi, & Psal. 103. & 106.
Prouerbiorum 8. Ionę 2. Lucæ 8. Verùm quo modo ex mari, vel Ocea-
no profectum sit diluuium, dupliciter exponitur. Quidam arbitran-
tur, mare longè maius & altius esse quàm terram: nam licet iuxta lit-
tora humilius videatur terris, paulatim tamen intumescens, in tantam
surgit altitudinem, vt in medio, celsissimorum terræ montium ver-
tices vel excedat vel adæquet: Dei autem præcepto seu voluntate
prohiberi ne terras inundet: sicut non obscurè indicat Iob cap. 38.
Dauid Psalmo 103. Salomon Proueib. 8. Hieremias capite 5. tempo-
re autem diluuij mare permissu Dei, quasi refractis catceribus qui-
bus coërcebatur, effusum esse in terras, etiam montes quoslibet al-
tissimè supergressum. Sed hanc ego interpretationem tribus argu-
mentis possum refellere. Primò quidem falsum est quod isti sumunt,
mare esse maius & altius terra. Sed quia hoc multis argumentis con-
futatum à nobis est in primo libro nostrorum Commentariorum in
Genesim, cum enarraremus opus tertiæ diei, nihil attinet in præsentia
de eo dicere.

An effusio maris in terras fecerit diluuium.

DEINDE si mare in terras effusum effecit diluuium, ipsum fuis-
set causa diluuij non solum principalis, sed etiam vnica & sola: ne-
que opus fuisset præterea reserare cataractas cæli, & pluere per totos
quadraginta dies. Siquidem mare cùm sit multo altius altissimis qui-
busque montibus terræ (vt isti putant) sola effusio maris in terras,

efficien

efficiendo diluuio fuisset sufficiens.

AD hoc: Cur Moses causa diluuij effectrices commemorans, nullum de mari, quod secũdum istos præcipua diluuij causa fuit, verbum fecit? Dicent illi, mare significatum esse à Mose vocabulo abyssi. Verùm in promptu est hoc refellere. Namque isti volunt, mare immensam aquæ suæ molem exonerãs & effundens in terra feciſſe diluuium, at Moses ait sciſſos esse fontes abyssi, & per illas sciſſuras fontiũ emanasse ex abysso aquam quæ terras inundauerit. Denique Rupertus præcisè negat, ex maris inundatione & effusione in terras factum esse diluuium. *Rupert. li. 1. Cõmentariorum in Genesim, cap. 34. Eccles. 1.*

18 ALII existimant, eò profectum esse diluuium ex mari, quod per multos terræ meatus nunc occultos, tunc apertos, plurimum aquæ ex mari redundarit in terras: quemadmodum enim aquæ terrestres desinunt in mare, sic ex mari ortum ducunt: vt scriptum est in exordio Ecclesiastæ. Et hoc indicare videtur B. Hieronymus in Quæstionibus in Genesim, & Rupertus libro quarto Commentariorum in Genesim, capite vigesimo. *Hieronymus. Rupertus.*

19 CAIETANVS autem explanans verba illa Mosis de sciſſis fontibus abyssi, & reseratis cataractis cœli, scribit, vtrumque non propriè sed metaphoricè dictum à Mose. *Metaphoricus est*, inquit, *sermo vtrobique: describitur enim ex parte terræ eruptio aquarum, tanquam si amplissima aquarum multitudo occultata in terra detineretur, paruis meatibus fontium non permittentibus illam exire: Secundum hanc enim metaphoram describuntur sciſſi fontes omnes amplissimæ abyssi, vt sic per sciſſos meatus ingens copia aquarum erumperet. Et similiter ex parte cœli describuntur aquæ tanquam detentæ claustris feneſtrarum, & apertis feneſtris præcipites ruisse: quorum neutrum est verum secundum proprietatem, sed tantum secundum similitudinem. Significatur enim, tam ex parte cœli quàm terræ concurrisse duo ad faciendum diluuium: alterum, vt causam secundam, alterum, vt actionem eius causæ. Ex parte quidem terræ describitur abyssus magna vt causa, in qua intelligitur causa proxima generatiua fluminum & fontium in terris existens. Actio autem describitur tantus effluxus, vt fuerit ad similitudinem sciſſorum meatuũ immensæ aquæ. Vbi nota quod non dicitur, Ruptæ sunt viæ abyssi, sed, Rupti sunt fontes: ad significandum non esse sciſſas vias Oceani ad eluendam terram, sed esse sciſſos fontes aquarum dulcium, fluminum videlicet, stagnorum, & huiusmodi.* Sic Caietanus. *Caietanus in cap. 7. Gen.*

20 EGO CREDIDERIM, vocabulo Abyssi hoc loco significari subteraneas cauernas, præcipuè ampliſſimas & profundiſsimas. Vt positum hic fuerit singulare pro plurali, vt aliàs frequenter in sacris litteris. Cauernas dico plenas aquarum vel stantium vel fluentium: quas aquas illæ accipiunt aut ex mari per occultos meatus, vel ipsæ generant intra se, vapores quos intra se continent plurimos, frigore suo denſatos ac refrigeratos in aquam vertentes, perenni eiuſmodi vaporum & aquarum commutatione: qualem esse fontium & fluminum originem senſit Aristoteles. In terra igitur vt supra & extra ita subter *Quid hoc loco significat Abyssus secũdum Auctorem. Aristoteles in secundo Meteorum.*

subter & intra lacus & flumina & maria esse, intimis terræ visceribus concluſa, non est dubitandum : hoc enim à veridicis cosmographis & historicis proditum est, & manifestis compertũ indiciis, præsertim autem argumento terræ motus, quo quassata terra & latissimè dehiscens, sæpè tãtam aquarum vim euomuit, vt vbi prius non fuerant, noui fontes, flumina, & lacus existerent. Hæc subterranea aqua vel non exit supra terram, vel per exiguos tantùm fontes, & tenues meatus: tempore autem diluuij & prioribus meatibus multum dilatatis, nouisque factis, & terra multifariam in vastissimos hiatus discissa, immensa vis aquarum ad obruendam terram erupit. Atque hoc esse reor quod dixit Moses fontes abyssi magnæ ruptos esse ad efficiendum diluuium.

QVNTA DISPVTATIO.

Quæ fuerint illæ cœli cataractæ, quas Moses ait apertas esse efficiendum diluuium.

Cataracta quòd Græcè significat.

SI quis huius Græcæ vocis, cataracta, omnem significationem vsumque, tam proprium quàm metaphoricum, animo comprehẽdat atque perpendat, ea voce significari cõperiet, id quod magna vi & impetu vel aliquid aliud deorsum deiicit, vel ipsummet ruit ac præcipitatur deorsum : nam & loca edita ac prærupta è quibus aquæ magno sonitu & fragore ruunt deorsum, & ipsæ aquæ per ea loca ruentes ac præcipitantes, vocabulo cataractarum, appellari solent Et locis quidem id nominis sæpe attribui, multa sunt exempla : illud celebre de cataractis Nili, de quibus Plinius: *Postremò*, inquit, *Nilus incluſus montibus, nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Æthiopum, qui Catadupi vocãtur, nouissimo cataractæ inter occurſantes ſcopulos nõ fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere.* Strabo de eodem Nilo loquens, *Paullo ſupra Elephantinã*, ait, *eſt paruus catarectes, in quo ſcapharij ſpectaculum quoddam principibus exibent. Cataractos eſt ad mediũ ferè flumen, petroſum quoddam ſupercilium in ſuperiore parte planum, vt flumen recipere poſſit, deſinens verò in præcipitium, ex quo aqua præcipitatur. Vtrinque ſecus terram alueus eſt qui facilè adnauigari poteſt. Hæc itaque adnauigantes defluunt in cataractem, & cum ſcaphis in præcipitium detruduntur, & ipſi & ſcaphæ illæſi.*

Plin. lib. ca. 9.

Strabo li. 9. 37. Geograp.

SVIDAS *Cataractæ*, inquit, *rupes ſunt in Iſtro flumine montis inſtar, quam latus is eſt, ſub aqua enatæ: in quas fluuius incidens, maximo ſtrepitu regurgitat, & in rupibus morãs eaſque ſuperãs, vortices & æſtus & charybdes in orbẽ agitato fluxu efficit. Denique fluuius illis locis nõ multũ freto Siculo diſſimilis eſt.* Quod autẽ ipſa etiã aqua magno impetu deorsum ruẽs, cataractæ nomen habeat, eo patet, quo quidam Pamphiliæ fluuius quia ſe-

21

præ

præcipitat, cataractes sit appellatus, vt scribit Mela. De quo flumine Strabo ita loquitur: *Postea est is qui cataractes appellatur amnis multus & torrentis more vehemens, ex alta petra ruens, adeo vt longissimè strepitus exaudiatur.* Quin etiam portas ex funibus vel catenis pendentes, quæ attolli & demiti possunt, cuiusmodi in vrbium portis videmus ad subitam hostium irruptionem propulsandam accommodatus, Liuius cataractas appellauit. *Pompo. Mela lib. 1. ca. 14. Strabo li. 14. Liuius lib. 7. belli Punici.*

22 ATQVE hæc est significatio & vsus apud bonos scriptores illius vocabuli cataracta. Secundum hanc igitur significationem illorum verborum Mosis: *Cataractæ cœli apertæ sunt*, hæc videtur esse sententia: Mediam regionem aëris, in qua ex densatis refrigeratisque nubibus generantur imbres & in terram cadunt, hanc dico mediam regionem aëris, Deum tempore diluuij quasi discidisse & aperuisse, vt non per partes, sicut alias fieri solet, nec modicè ac parcè, sed incredibili copia & horrifico sonitu ac fragore immensam vim aquarum in terras profunderet: vnde generale totius orbis diluuium existeret. Ego vocabulum *cœli*, hoc loco, non astriferum cœlum, sed aëreum significat. Et vocabulum *cataractarum* significat, vel mediam regionem aëris multis locis velut discissam ac patefactam, vel ipsas nubes quæ imbres fundunt. Consentaneum enim est credere, diluuij tempore fuisse mediam illam regionem aëris infinitis vaporibus densissimisque nubibus oppletam: ad significandam autem maximam aquarum effusionem, vsus est Moses oratione metaphorica & hyperbolica, dicens omnem illam regionē aëris fuisse quasi apertā, vt omnem quam continebat aquam deorsum profunderet.

23 CÆTERVM scire conuenit pro Græca voce *Cataractæ*, legi hoc loco, Hebraicè (*arubbah*,) quæ vox significat fistulas vel fenestras. Quo planiùs autem intelligatur quid significare voluerit Moses dicens, Deum aperuisse fenestras cœli, disquirendum est de quo cœlo loquatur Moses, de cœlo ne astrifero, an de aëreo. Non enim defuerunt aliqui, tum recentiorum, tum veterum qui putauerint & scriptis prodiderint, Mosem hic loqui de cœlo astrifero, & de aquis quæ super firmamentum sunt, quas aiunt aperto illo cœlo, velut per fistulas siue fenestras in eo factas ad efficiendum diluuium fuisse in terram profusas. Audi Eugubinum nostri sæculi scriptorem: *Verisimile est, diluuij tempore cœlum multis locis patuisse, aquarumq; vasta flumina inde maximo fragore delapsa esse. Inter aquas enim positum esse firmamētum, traditur in sacris litteris, in quibus etiam super cœlestes aquæ celebrātur. Cum igitur etiam supra cœlum sint aquæ, quæ à nonnullis cœlum chrystallinum vocantur, has credendum est patefacto cœlo horribiliter erupisse breuiq; totum orbem inundasse: nam his quoque aquis erat opus ad efficiendum generale diluuium. Alioqui si imbribus tantùm res acta esset, non modo quadraginta dierum & noctium pluuia, sed nec quadraginta quidem annorum tanto diluuio efficiendo satis fuisset.* Sic Eugubinus. Cui assensus quoque Oleaster: *Non aliter possum*, inquit, *quàm vt littera habet intelligere.* Supponit enim

Quod nam si illud cœlū, cuius cataractæ vel fenestræ apertæ sunt ad efficiendū diluuium.

Augustin. Eugubinus in Annotat. in Genesim.

Oleaster super 6. c. Gen.

Basilius. Chrysostom. veras & elementares aquas super firmamentum esse, vt tam Basilius quàm Chrysostomus sentiunt. Non igitur mirum, si Deus fenestras in firmamento ruperit vt aquæ ille descenderent, neque ego hic locum esse metaphoris puto. Quare taxandi sunt, qui potiùs volunt sacram scripturam philosophiæ legibus subdere, quàm vt magis decet, philosophiam tanquam ancillam illi deseruire.

Tostatus. TOSTATVS quoque qui superiore sæculo floruit, hanc ipsam 24
opinionem attribuit cuidam doctori solenni. Nam explanans verba illa Mosis: *Cataractæ cœli apertæ sunt. Quidam*, inquit, *doctor solennis dixit quod cœlũ stellarũ & omnes inferiores orbes aperti sunt, & magna pars aquarum super cœlestium, id est, chrystallinarum, decidit in terram, vnde factum sit diluuium. Sed hoc non habet saltem aliquam apparentiã, quia aquæ illæ chrystallinæ non sunt de specie aquarũ elementarium, non enim sunt fluxibiles sed velut congelatæ & solidæ, & idcircò non possunt suffocare vel cruciare homines, cum non habeant aliquam de qualitatibus actiuis & passiuis, quæ sunt instrumenta eiusmodi actionum. Adde quod cum illæ aquæ sint ex natura cœlesti, nec dicantur aquæ nisi propter quandam similitudinem. Si illæ defluxissent in terras, plurimùm sanè perisset de veritate substantiæ cœlestis.* Hoc fermè modo Tostatus. Cæterùm longè antiquiorem fuisse illam sententiam

Beda lib. de Natura rerum. ex eo liquet, quod eius meminit Beda scribens quibusdam esse visum, aquas supra cœlum ad eum finem & vsum fuisse à Deo positas, vt earum immensa copia è cœlis præcipitata in terras, generale totius orbis diluuium, quod aliquando Dei voluntate ac decreto erat futurum, effici posset.

Non fuisse aperiũ cœlũ astriferum. SED eam opinionem ab omni ratione veróque remotissimã esse, 25
duobus argumentis ostendi potest. Etenim vt aquæ illæ defluerunt in terram, necesse fuisset octo cœlos, id est, septem planetarum & octauum inerrantium syderum, super quod isti credunt aquas illas esse locatas, disrumpi, vt illis aquis descensus in terrã pateret, & rursus eosdem omnes cœlos occludi & redintegrari, quod valdè alienum est incorruptibili naturæ cœli. Deinde aut tota illa aqua defluxisset in terras, quare locus cœlestis quem antea implebat, totus remansisset vacuus: aut pars tantùm illius aquæ defluxisset, reliqua igitur aqua quæ remansisset, frustra & superuacanea fuisset, cùm nullo tẽpore amplius futurum sit diluiuum, sicut Deus promisit. Ex his quæ dicta sunt, ap-

Genes. 9. paret, cùm Moses dixit fenestras cœli esse apertas, eum non esse locutum de cœlo astrifero: relinquitur igitur locutum esse eum de cœlo aëreo. Sed qua ratione dictum eius accipiendum & interpretandum sit, deinceps exponamus.

MOSEM, cùm dixit, apertas esse fenestras cœli, vsum esse sermone 26
Quomodo intelligendũ sit apertas esse cœli cataractas. metaphorico & hyperbolico, minimè dubitandum est: neque enim vlla sunt in cœlo vel sidereo, vel aëreo fenestræ quæ aperiri & claudi possint: sed Moses ita loquens, haud dubiè accommodauit orationem ad communem sensum & opinionẽ hominum imaginantium & existimantium in cœlo siue in superis aëris regionibus immensam aqua-

rum

rum vim contineri, quam Deus quando vult & quantum vult, vel emittit, vel retinet, nimiaque retentione earum, terras siccitate, contrà verò nimia profusione, diluuio vastat ac perdit. Hoc ipsum spectans Iob de Deo dixit: *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpat pariter deorsum. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: si omiserit eas, subuertent terram.* Quo fit, vt cùm magna est imbrium penuria, dicatur cœlum esse clausum: rursus, cùm redditur imbrium abundantia, dicatur esse apertum. Et hoc frequens est in sacris litteris. *Iob.12.& 26*

QVIN etiam cùm diuina scriptura significare vult Deum hominibus vel dedisse, vel daturum magnam aliquorum bonorum vel malorum copiam, dicere solet Deum aperuisse, vel aperturum cataractas cœli, ad significandum largissimam illorum bonorum vel malorum
27 effusionem. Legimus cùm Eliseus prædixisset fore, vt postridie modius similæ vno statere væniret, & duo modij hordei statere vno, respondisse vnum de ducibus regis Israël minimè credentem Eliseo: *Si Dominus fecerit etiã cataractas in cœlo, nũquid poterit esse quod loqueris?* Legimus item apud Malachiam, Deum ingentem bonorum abundantiam Iudæis promittentem, sic esse locutum: *Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effundero vobis benedictionẽ vsque ad abundantiam.* Accipitur quoque interdum malam in partem vocabulum Cataracta, velut in Psal. 41. *Abyssus*, inquit, *abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum.* Id est, calamitas, qua velut abysso & voragine profundissima vrgeor & absorbeor, continuò alteram abyssum calamitatũ velut aduocat & attrahit, & hæc aliam, ita vt nullus mearum calamitatum sit finis, nullaque meorũ dolorum & cruciatuum intermissio, dum tu Domine sic me malis & calamitatibus obruis vt soles nonnunquam immensam vim aquarum velut apertis cœli fenestris horrifico sonitu ac fragore in terras præcipitare. Apparet igitur apertionem fenestrarum cœli ad pluendum tempore diluuij, per metaphoram significare immensam vim imbrium, horribili sonitu & impetu in terras ruentium. *Vocabulum Cataractæ pro abundantia bonorum vel malorum* *4. Reg. 7.* *Malach. 3.* *Locus Psalmi 41.*

SIMILITER intellexit hunc locum Chrysostomus: *Vide*, inquit, *quanta orationis temperatione vtitur hic diuina scriptura. Omnia enim iuxtà consuetudinem humanam loquitur: non quod cataractæ & fenestræ sint in cœlo, sed quasi diceret: Præcepit tantùm Dominus, & statim aquarum natura*
28 *mandato Conditoris obediuit, & vt confluxit, totũ orbem inundauit.* Similia scribit Rupertus quod ait: *Cataractæ cœli apertæ sunt, accipiendum est* (inquit Rupertus) *per hyperbolem, & sic esse dictum, ad insinuandam inundationis magnitudinem, quæ tanta fuit, vt firmamentum inter aquas cœlestes & terrestres à Deo positum, dissipatum esse videretur secũdum vulgi opinionem. Dicimus quidẽ cataractas cœli, occultas esse vias, per quas de cœlo vtique aëreo pluuia descendit. Verùm hoc dicendo vulgi magis more quàm scripturarũ sensu loquimur, Neque enim solidum quid, aut durum est cœlũ, vt rectè possit intelligi fenestris in modum parietis interciſum, quibus apertis aquæ fundatur deorsum, quæ eisdem clausis continebantur sursum.* Sic Rupertus. *Chrys. hom. 25. in Genes.* *Rupert. li. 4. Comment. in Genes. c. 7.*

Tropologia huius loci Ambros. lib. de Noe, & Arca, c. 14.

SED concludamus hanc de cœli cataractis disputationem adie- 29
cto morali huius loci intellectu & tractatu qui est apud Ambrosium: *Et rupti sunt*, inquit, *omnes fontes abyssi, cataractæ cœli apertæ sunt. Vim diluuij conuenienter scriptura expressit, dicens cœlum & terram pariter esse cõmota: è quibus elementis constat huius mundi omne principium. Vndique ergo influentibus aquarum molibus conclusum genus hominum perurgetur. Hæc secundum litterã. Quod autem ad altiorem pertinet sensum, cœli symbolo mens humana significatur: terræ autem appellatione, corpus & sensus. Magna igitur naufragia, quando mentis pariter & corporis sensuumq; omnium turbo & procella miscentur. Diligenter dicta pensemus, plerumque fraus mentis & dolus suum exercent venenum, sed tamen sobrietas corporis & cõtinentia obtĕbrant montis improbitatem.*

FREQVENTER *incerto fidei atque opinionis suæ mens lubrica est, sed tamen caro delicijs & luxuriæ non vacat, vt frugalitas errorẽ mentis excuset: sicut multi sunt hæreticorum, qui prætendere volunt corporis continentiam, vt assertionis suæ fidem testimonio suæ carnis acquirant, & si sensu lubrici, tamen quo minus turpes, aliquantò excusabiliores habentur. Cum autem venena mentis & contagia corporeæ obscœnitatis sensum omnem vigorémq; confunduni, atque animus in certo lubricus motu: malitiæ fœdus atramento, crudelitatis furore succensus, etiam corporalibus flagitijs incitatur, auarus quoque affectus impatiens mediocrium facultatum, luxuriæ cupiditate effundendique libidine præcipitatur in facinus appetendæ salutis alienæ: tunc magnum est diluuium omnibus pariter ingruentibus passionibus: tunc se insipientia, iniustitia, temeritas, improbitas, perfidia, de superiori parte tanquam cataractæ mentis videntur effundere. Inde erumpunt de corporis fonte terreni libido, temulẽtia, luxuria, postremò diuersorum criminum prolapsiones, quæ penitùs & corporis robur & vigorem mentis effeminant.* Hæc Ambrosius.

SEXTA DISPVTATIO.

De pluuia quadraginta dierum, ex qua præcipuè factum est diluuium.

Genes. 7. Vers. 12. Facta est, *inquit Moses*, pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

DICE tibi cur Moses dixerit apertas fuisse cataractas cœli: nempe vt indicaret, immensam vim aquarum è cœlo profusam esse in terras: id quod manifestè declarat continua & densissima quadraginta dierum pluuia. *Caietanus.* Nec malè hoc loco monet Caietanus, quod dictum est à Mose de pluuia quadraginta dierum, idem esse intelligendum de eruptione aquarum super terras ex fontibus abyssi: pari enim tempore

& ex

& ex cœlo defluxit, & ex terra scaturiuit, & erupit aqua.

30 SED ex his verbis exiſtunt quatuor dubitationes. Prima: Cur diſtinctè nominauit Moſes dies ac noctes: ſatis enim fuiſſet dicere, *quadraginta diebus*. An ita locutus eſt, ne, ſi precisè dixiſſet quadraginta dies, aliquis fortaſſe putaret fuiſſe illos dies artificiales, interdiu quidem pluuiſſe, non autem noctu? Dixit igitur dies & noctes, vt ſigni ficaret diem naturalem, qui viginti quatuor horis conſtat, & illam pluuiam continenter tam die, quàm nocte, factam eſſe. Verùm quia & alibi ſæpè in ſcriptura, & hoc ipſo capite paulò infrà, nomen diei præcisè ponitur ad ſignificandum diem naturalem, cùm ſine probabilitate dici poſſet, hanc diſtinctam commemorationem dierum & noctium interdum vſurpari in ſacris litteris, vbi aliquid perquàm inſigne & admirabile traditur: idque fieri propter emphaſim, ad maiorem ſcilicet tum rei quæ narratur exaggerationem, tum legentium & audientium admirationem. Exempli cauſa: ſuper humanam poteſtatem & fidem eſt, aliquem mortalium nullo cibo potuque per quadraginta dies eſſe vſum. Hoc tamen cùm diuina Scriptura narrat de Moſe, de Elia, de Domino noſtro Saluatore, dicit eos ieiunaſſe quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Similiter igitur quia permirum erat totos quadraginta dies continenter pluiſſe, idcirco Moſes Emphaticos dixit, pluiſſe quadraginta dies & quadraginta noctes.

QVATVOR DVBITATIONES.

Cur diſtinctè nominauit Moſes dies & noctes?

Deuter. 9. 3. Reg 19. Math. 4.

31 ALTERA dubitatio. Vnde Noë perſpectum & cognitum habuit, tranſiſſe quadraginta illos dies & quadraginta noctes, dum facta eſt illa pluuia? ſi quidem incluſus in Arcam, nec præſentiam, nec abſentiam Solis videre poterat, nec, ſi extra Arcam illo tempore fuiſſet, cœlo omni ex parte denſiſſimis vaporibus obducto & quaſi obcœcato, Solem videre potuiſſet. An id cognouit Noe, aut Moſes qui hanc hiſtoriam ſcripſit, ſingulari aliqua reuelatione Dei? An habuit Noe intra Arcam horologium aliquod, quod ſuo motu & ſonitu omnes & ſingulas diei & noctis horas indicaret?

Secunda dubitatio vnde cognouit Noë tranſiſſe illos quadraginta dies.

32 TERTIA dubitatio. Vnde tanta fuerit vaporum è quibus generaretur pluuia quadraginta dierum, ſuppeditatio? An exiſtimare conuenit, eo tempore plurimum terræ tenuarum & reſolutum eſſe in vapores aqueos, & omnes vapores qui erant in aëre, tunc commutatos eſſe in aquam: Nec hoc tantum? ſed præterea credibile ſit magnam partem aëris in pluuialem aquam commutatam eſſe: nam cùm diluuium totam terram tam altè operuerit, vt altiſſimos montes quindecim cubitis exceſſerit, credendum eſt, aërem qui prius obſidebat totum illud ſpatium circum terram, quod poſteà completum eſt aquis, fuiſſe verſum in aquam.

Tertia dubitatio Vnde fuerit tãta vaporum ſuppeditatio è quibus generare tur pluuia. 40. dierum.

33 QVARTA dubitatio. Vtra fuerit principalior cauſa diluuij, aqua ne erumpens ex fontibus abyſſi, vel quæ effuſa eſt ex mari, an pluuia quæ per quadraginta dies è cœlo defluxit? Equidem crediderim, principem diluuij cauſam fuiſſe in pluuia quadraginta dierũ. Neque enim

4. Dubitatio Vtra fuerit efficacior diluuij cauſa, terreſtris ne & marina aqua an cæleſtis ſiue pluuialis.

aqua vel ex subterraneis locis exiliens, vel per terram fluens, vel ex mari æstuante terram inundans, in tantum excrescere & extumescere, & ad tantum vsque altitudinem ascendere potuit, vt quindecim cubitis omnium montium vertices transcenderet: cùm altitudo illa longissimo interuallo maior esset origine omnium aquarum, terrestrium, & quantocũque tumore & exaggeratione maris. Excessus igitur ille diluuij super omnes montes, non aliundè quàm ex cœlesti pluuia accidere potuit: quippe huius origo, altior erat eo loco, ad quem peruenerit diluuium. Altitudo quippe diluuij, etsi permagna fuit, infra tamen fuit mediam regionem aëris vbi pluuia generatur.

Morale documentum. NEC illa pluuiæ in quadraginta dies productio & extensio, non illustre tulit argumentum diuinæ longanimitatis ac benignitatis, tam lenta vindictæ & exitij dilatione homines illos ad pœnitentiam expectantis atque incitantis. Audi Chrysostomum, *Iam*, inquit, *quod quadraginta diebus inductum est diluuium, & istud ipsum bonitatis maximæ genus est. Volebat enim propter magnam misericordiam etiam aliquos ex eis castigatos generalem illam internecionem effugere, cum viderent ante oculos suos perire proximos suos & imminere sibi communem interitum. Verisimile enim est, primo die diluuij bonam aliquam partem hominum periisse, & secundo die aliam, & similiter die tertio & quarto & reliquis, atque ita in quadraginta dies produxit, vt omnem defensiones prætextum illis adimeret. Nam si voluisset atque imperasset, vno momento potuisset omnia perdere diluuio: sed pro sua misericordia diuturna productione vsus est.* Sic B. Chrysostomus. *chryſ. homil. 25. in Geneſ.* 34

Sapientiæ 12. ITAQVE, quod in sacris literis proditum est de Chananææ regionis habitatoribus, quibus expulsis, eam regionem Deus Hebræis dedit, idem in eos, qui diluuio interierunt, verissimè dici potest. Sic autem in libro sapientiæ scriptum est: *Non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, bestijs seuis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus iudicãs dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quia nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: & veniam dabas peccatis illorum. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam iudicans das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos seruorum tuorum, vt debitos morti cum tanta attentione cruciasti dans tempus & locum per quæ possunt mutari a malitia, &c.*

SEP

SEPTIMA DISPVTATIO,

Quid sit vult illud quod dixit Moses, In articulo diei illius, Noë ingressum esse in Arcam?

35 VERBA hæc Mosis non facilem habent intellectum, propter obscuram illius vocabulis (*articulus*) notionem: nam quid significet hoc loco articulus diei, non cuilibet notum est. Lyranus ait, articulum significare rem distinctam & manifestam, & hic significare tempus diei clarum & conspicuum omnibus. Vt sensus sit: Iussu Dei Noë ingressum esse in arcam die clara, vt alij videntes eum tam fidenter ingredi, intelligerent diuina protectione custodiri eum ab his qui decreuerant per insidias eum interimere, & sic eum ingressu in arcam prohiberi. Sed hanc interpretationem Tostatus non probat, ratus ipse, vocabulo articuli significari rem quandam paruam & distinctam, & hoc loco denotari ea voce paruam temporis partem qua nox à die secernitur: & hanc esse diluculum seu auroram. Hanc igitur esse illorum verborum sententiam: Noë iussu Dei in ipsa aurora ingressum esse in arcam. Et huius interpretationis Tostatus auctores laudat duos Rabbinorū doctissimos, Abraham & Auen-Esram.

Genes. ca. 7. VERS. 13.

Lyranus in c. 7. Geneseos.

Tostatus in c. 7. Geneseos.

36 EGO apud Latinos scriptores varias eius vocis significationes in vsu esse animaduerto. Propriè articulus apud Philosophos & Medicos ponitur pro iunctura siue nodo membris corporis: Illud enim quo vnum membrum ab alio discretum est, & cum eo nihilominus cohæresci articulo dicitur. Per metaphoram, in vite dicuntur articuli, nodi è quibus gemma erumpit. Plinius item in calce operis sui, articulos montium appellasse videtur colliculos & cliuos moliter surgentes. Ouidius autem libro secundo de Ponto dixit supputare articulis, pro, supputare digitis, Auctor ad Herennium libro quarto, articulum nominauit membrum periodi, quod à Græcis, κῶλον appellatur, & apud Grammaticos articuli dicuntur, qui in declinandis nominibus discernendi generis causa præponuntur, vti sunt, hic, hæc, hoc, Denique ponitur sæpè pro momento quodam & tempestiuo opportunoque agendi aliquid tempore. Vnde Cicero pro Quinctio: *Vt hominem,* inquit, *suis conditionibus in ipso articulo tẽporis astringeret.* Et B. Hieroymus in epistola ad Iulianum: *Filius meus,* ait, *frater tuus Ausonius in ipso iam profectionis articulo, atque in punctõ temporis vacuũ se redire arbitratus est,* &c. Ergo Latinus articulus temporis significat punctum, & quasi extremitatem temporis, vel id quod in tempore ad agendum quippiam est maximè opportunum, maximeque eligendum. Noë igitur ingressus dicitur in arcam in articulo illius diei, id est, certo aliquo tempore illius diei ad ingrediẽdum opportunissimo maximeque idoneo.

Latinæ vocis, articulus, variæ acceptiones.

Plinius.

Ouidius.

Auctor ad Herennium.

Tullius.

Hieronymus.

SED

SED enim pro vocabulo illo, *articulus*, Hebraicè est *hesèm*, à verbo 37
haſam, quod ſignificat roborare. Vt ad verbum ſignificetur (ſicut ex-
Oleaſter. ponit Oleaſter) Noë ingreſſum eſſe in robore illius diei, id eſt, inter
mane & veſpere, & prope meridiem: tunc enim lux maior & robu-
ſtior eſt. Quamquam fatetur ipſe, hic non aliud ſignificari, quàm eo-
dem illo die ingreſſum eſſe Noë, ſic enim verterunt Septuaginta, ſic
Caietan. ex Hebreo ad verbum Pagninus & alij tranſtulerunt. Caietanus legit
iuxta Hebraicam veritatem: *In proprietate iſtius diei*: & ad hũc modum
explanat: Illud pronomen, *iſtius*, demonſtrat diem ante dictum, id eſt,
pridie illius diei quo factũ eſt diluuium, qui fuit decimus ſextus dies
illius menſis, nam die decimo ſeptimo incœpit diluuium. Quod au-
tem dicitur, *in proprietate illius diei*: ſignificat quod illo ſolo die ingreſ-
ſus ſit, non autem in illo, & in aliis diebus: quaſi eo die ipſe ingreſſus
eſſet, antecedentibus verò diebus familiam ſuam præmiſerit.

Quo die ingreſſus Noë ſit in Arcam. VERVM Ex narratione Moſis quæſtio exiſtit, quo die reuera 38
Noë ſit ingreſſus in Arcam. Tres enim ſuper hoc video eſſe opiniones.
Vna eſt Caietani, qui, (vt proximè ante commemorauimus) ingreſſum
eſſe eum putat decimo ſexto die menſis, pridie ſcilicet eius die, quo
cœptum fieri eſt diluuium. Sed hęc opinio nullam ex ſacris litteris, vel
Caietan. ex aliqua probabili coniectura fidem habet, ſed proprio tantum Caie
tani ſenſu & arbitrio nititur.

ALTERA eſt opinio, ingreſſum eſſe Noë in Arcam eodem ipſo
die quo cœpit diluuium: ſicut videtur hic ſatis apertè ſignificari. Nam
cum dixiſſet Moſes ſeptimo decimo die menſis ſecundi cœptum eſ-
ſe diluuium, ſubiunxit: *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë*, Idem vide-
chryſoſtom. tur ſenſiſſe Chryſoſtomus. *Quãdo*, inquit, *cœpit diluuium, tunc ſecundum*
hom. 25. in *præceptũ Domini, intrauit Noë in Arcã cum ſuis, & cum animalibus*. Eiuſ-
Geneſim. dem ſententiæ eſt Toſtatus. Moſes autem paulò ſupra dixit, ſeptem
diebus ante principium diluuij Noë ingreſſum eſſe in Arcam: id nem-
pe narrans per anticipationem, hoc eſt prius commemorans, quod
poſterius factum eſt.

Toſtatus. TERTIA opinio eſt, ingreſſum eſſe Noë ſeptem diebus ante di-
luuium, hoc eſt decimo die illius menſis ſecundi. Hoc enim videtur
perſpicuè indicare Moſes, narrans in exordio ſeptimi capitis Deum
Noë dixiſſe: *Ingredere tu, & omnis domus tua in Arcã: adhuc enim & poſt*
ſeptem dies ego pluam ſuper terram, &c. & paulò infrà: *Ingreſſus eſt*, inquit,
Noe in Arcam: cúmque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij innundauerũ ſu-
Ambroſ. *per terram*: Et hæc ſententia placuit B. Ambroſio: quam ille diſertis
verbis explicat & illuſtrat in libro de Noë & Arca, capite decimo ter-
tio. Ergo, quod hic dicitur: *In articulo illius diei*, accipiendum eſt quaſi
dictum per recapitulationem, & referri oportet non ad diem quo in-
cœpit diluuium, ſed ad eum diem, quo ingreſſus fuerat Noe, qui fue-
rat ſeptimus ante initium diluuij, vt ſupra dixerat Moſes. Vel ſi illud:
In articulo eius diei, referatur ad diem diluuij, verbum illud: *Ingreſſus*
eſt, præteriti temporis, interpretandum eſt, vt quidam cenſent, per

ver

verbum præteriti pluſquam perfecti, *Ingreſſus fuerat*. Vt ſic ſenſus: In principio eius diei quo cœpit diluuium iam ante per ſeptem dies ingreſſus fuerat Noe. Mihi prima opinio nihil probabilitatis habere videtur: reliquas probabiles iudico, ita tamen, vt tertiam præferam. *Vatablus.* cur autem Noe ſeptem dies ante diluuium ingreſſus fuerit in Arcam ſupra in exordio primæ diſputationis tres cauſæ ſunt expoſitæ.

OCTAVA DISPVTATIO.

Quid ſit illud: quod ait Moſes. Et incluſit eum Dominus deforis.

37 SIGNIFICATVR his verbis, oſtium Arcæ fuiſſe à Deo extrinſecus clauſum: hoc enim clauſo, erat Noë planè incluſus in Arcam. Sic enim oſtiũ Arcæ deſignatum & fabricatũ fuerat, vt non ab his qui intra Arcam erant, ſed extrinſecus ab aliis aperiri, & claudi poſſet. Quod propterea factum eſt, vt melius clauderetur oſtium: eóque bitumine extrinſecus oblito, omnibuſque rimis occluſis aduerſus penetrabilem tantæ ac tam diuturnæ aquarum eluuionis humorem munitior eſſet ac tutior Arca.

38 Ac licet oſtium clauſum ſit miniſterio & opera Angelorum: dicitur tamen clauſum à Deo, quia ſingulari quodam mandato Dei clauſum eſt ab Angelis, & quo indicaretur præcipua quædam, & eximiæ plena beneuolentiæ cura quam Deus ipſius Noe protegendi & ab illo diluuij exitio ſeruandi gerebat. Quamobrem Chaldaice pro eo quod nos habemus: *Et incluſit eum Dominus deforis*: Sic eſt ad verbum: *Et protexit eum Dominus verbo ſuo*. At vero Hebraicè hoc loco eſt: *Clauſit ſuper eum Dominus* vt vertit Pagninus, vel vt legit Caietanus, *Clauſit pro eo Dominus*. Nam quia intra Arcam conſtitutus Noe, oſtium eius claudere non poterat, idcirco Dominus pro eo, id eſt, ſupplens vicem eius, clauſit oſtium, Alij legunt: *Clauſit poſt eum* & in his omnibus verſionibus intelligi debet vocabulum oſtij. Græca hanc reddunt ſententiam: *Et clauſit Dominus Arcam deforis eius*, quanquã aliqui non legant illud, *eius* ſed præcisè tãtùm, *deforis*, vel vt legit Ambroſius. *aforis*, *Clauſit*, inquit Ambroſius, *Dominus aforis Arcam. Claudẽda enim erat, & tuto ſepienda munimine, ne eam vaga diluuij fluẽta penetrarent. Altioris quoque ſenſus non incongrua interpretatio eſt. ſi corpus humanum (quod Arca illa figuratum eſt) ſeptem corio, dicamus à frigore æſtuque defendi, quod artifex Deus ad omnium membrorum protectionem naturalibus veſtimẽt exuuijs, & quodam circumfuſo induit operimento, vt neque frigore congeleſcat, nec æſtuo calore ſoluatur*. Sic Ambroſius. *Pagninus. Caietan. Ambr. lib. de Noë & Arca cap. 15.*

39 CHRYSOSTOMVS verò ſuper ea ipſa verba: *Animaduerte*, in- *Chryſ. homil. 25. in Gen.*

quit, *etiam hoc loco diuinæ Scripturæ ad nostram infirmitatem accommodationem. Clausit*, inquit, *Dominus, arcam forinsecus, vt doceret quod securũ fecerit Noë: quem ob id quoque deforis clausit, ne is videns generalem omnium interitum, maximo dolore conficeretur. Namque si vidisset atrocissimam illam tempestatem, & humani generis perditionem, brutorumque interitum atque ipsius terræ abolitionem, incredibili tristitia & dolore correptus animoque conturbatus fuisset. Bonorum enim virorum animæ magnam compassione habere solent, si quãdo vident puniri homines, etiam si mali sint qui pereunt: quocirca & pro illis Deo supplicare solent sicut Abrahã pro Sodomitis, & Prophetæ pro sceleratis & impijs Iudæis. Noluit itaque Deus tam horribilis spectaculi aspectu animum Noë vehementius perturbari & cruciari, & ne ipse tantum perspiciens diluuium, metu corriperetur. Verisimile enim est, si vidisset tantam inundationem aquarum, auxium futurum fuisse, ne & ipse aquis periret. Eius igitur curam gerens misericors Deus, non permisit ipsum vel aquarum spectare sæuitiam, vel hominum videre excidium, & communem orbis internecionem.*

Genes. 18.

chrys. ibid. DEINDE secum reputans Chrysostomus quantis incommodis 41
molestiis & ærumnis toto eo anno quo fuit in Arca obsessus & conflictatus sit Noë, excellentem eius viri fidem cum incredibili patientia & constantia coniunctam vehementer admiratur. Neque humanis viribus, sed diuinæ gratiæ attribuit, qua ille adiutus tot & tãta mala superauit: nam nisi illa confirmasset eius mentem, & quæ valdè difficilia erant fecisset leuia, quomodo ille viuere tamdiu incluſus tanquam in carcere & custodia, & aduersus tanto fluctuum impetus obsistere potuisset? Nam qui in naui sunt & velis vtuntur, & gubernatorem ad clauum sedentem vident, & sua arte ventorum viribus obnitentem, si quando fluctuum vident insaniam, saluti suæ timentes propemodum exanimantur metu. Quid igitur de Noe dicemus, qui velut detrusus in carcerẽ huc illuc iactabatur, neque cœlum, neque terram videre poterat, neque aliquid quod afferret consolationem? Quod si vel ferrea, vel adamantina illis hominibus fuissent corpora, vix tamdiu potuissent durare: quippe qui neque aëre fruebantur neque vento, qui non minus quàm aër ad refocillanda corpora nostra factus est; neque oculos pascere poterant aut cœli aut terræ spectaculo aliquo. Quomodo non excœcati sunt oculi eorum, in illo tam tetro carcere? quomodo conuersationem cum feris, earumque fœtorem ferre poterant, quomodo ipsa bruta non perierunt, quæ neque aërem trahere, neque loco sese commouere poterant? Constat enim hanc esse & hominum & animalium naturam, vt quamuis aperto & libero aëre fruatur, multisque commodis abundet, si perpetuò tamen sit in vno eodemque loco, diu sine vitio aliquo & corruptione non queat permanere. Quod si nos post tot annorum millia audientes Scripturam narrantem illius diluuij atrocitatem, metu & stupore corripimur, & quodammodo contremiscimus: Quid credere par est fuisse passurum Noe, si oculis suis vidisset profundissimã illam abyssum

sum aquas vndequaque eructantem,& veluti reseratis cœlis immensam aquarum vim per quadraginta dies continenter in terram præcipitantium?

42 ILLVD quoque magna admiratione dignum est,quemadmodum Noë tam diu cum sæuissimis feris innoxiè potuerit versari. Nimirum dominatum animalium quem perdiderat Adam propter peccatum, recuperauit Noë,iterumque animalia hominem agnouere dominum suum, eique subiecta & obedientia fuerunt Et sicut Daniel à Leonibus circundatus,quasi stipatus esset ab hominibus,intrepidè viuebat, virtute prophetæ naturalem ferarum frenante sęuitiam:ita Noë non solum innocuè,sed etiam cum auctoritate & imperio,vt volebat,tractabat animalia. Ergo tam diuturnus ille carcer non grauis fuit Noë, sed ita amœnus & iucundus, vt nobis prata & horti esse solent. Præceptum enim Domini,quæ per se odiosissima erant, reddebat iucunda. Talis enim iustorum mos est, vt quando aliquid propter Deum perferunt, non res ipsas quę fiunt spectent,sed causam secum expendentes facilè omnia tollerent. *Gen.9. Dan. 6. & 14.*

NONA DISPVTATIO.

De magnitudine diluuij. Vtrum cum dixit Moses tempore diluuij omnes montes qui sub vniuerso cœlo sunt fuisse aquis opertos,intelligendum id sit de cœlo sidereo, an de aëreo & de cũctis mõtibus nullo prorsus excepto.

43 NON potuit expressus declarari magnitudo diluuij Noëticis,quàm est à Mose declarata illis verbis: *Et aquę prævaluerũt nimis super terrã: Operuitq; sunt omnes mõtes excelsi sub vniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* *Non sine causa*,inquit Chrysostomus,*hęc de magnitudine & altitudine illius diluuij narrat diuina scriptura, sed vt discamus, non solum homines & reptilia submersa esse diluuio, sed & volucres cœli,& quæcũque in mõtibus degunt animalia:vt quod Deus multo ante facturum se interminatus fuerat,id feciisse eum postea,nec quicquam prętermisisse intelligeretur.* Ob hanc igitur causam describit tantam diluuij super omnes montes terræ altitudinem, quò scilicet nullum animal euasisse sciatur,sed omnia cum homine propter quem facta erant deleta esse. *Gen. 7. ver. 19. & 20* *Chrys. hom. 25.* *Gen. 6.*

44 VERVM illa verba Mosis quibus ait,*Omnes mõtes qui sub vniuerso cœlo sunt, opertos esse diluuio*: nonnullas habent dubitationes. Et primo quidem loco in dubium vocari potest,cùm dixit Moses,omnes mon-

tes qui sub cœlo sunt, fuisse sub aquis, de quo cœlo loquatur, vtrum de sydereo, an de aëreo. Caietanus arbitratur locutũ esse Mosem non de sydereo, sed de aëreo cœlo, vel potius de ea parte aëris, quam Philosophi mediam regionem aëris appellant, vbi generantur imbres. Loquendo enim de cœlo sydereo, vanè atque ineptè diceretur, omnes montes qui sub cœlo sunt: quis enim de hoc posset ambigere? Neque enim mons aliquis esse potest qui nõ sit sub cœlo astrifero, quin etiam intra lunæ orbis ambitum contineatur. De cœlo autem aëreo non ita est, sunt enim aliqui montes altiores media regione aëris, quos fuisse diluuij aquis opertos, non est necesse fateri. Certè à multis creditur, montem Paradisi terrestris intactum fuisse diluuio. Nec propterea tamen vel homines vel animalia in illis montibus seruari potuerunt à diluuio: homines enim illius temporis nec ante crediderunt venturum esse diluuium: Et vbi venit, breui cessaturum speratunt. Postea verò perdurante diluuio, cùm effugium eius, petendo montes quærere voluerunt, aquis supra modum auctis oppressi & suffocati sunt: Idemque de animalibus existimare consentaneum est, quæ initio diluuij in latebras se abdiderunt: in quibus maiorum in modum augescentibus aquis obruta interierunt.

Caiet. putat vertices aliquorũ mõtiũ non esse opertos aquis diluuij

VERVM præstat vt hanc sententiam Caietani ex verbis eius hic adscriptis clarissimè lector perspiciat. *Apparet*, inquit, *quod Moses non loquitur de omnibus montibus excelsis simpliciter & absolutè, sed de illis tantùm qui sunt sub cœlo, hoc est, sub regione aëris in qua generantur pluuię & reliqua huiusmodi. Constat enim, appellatione cœlorum in sacra scriptura intelligi quandoque aërem, iuxta illud: Volucres cœli: cõstat etiam quod Moses non vanè, adiũxit de montibus illuc qui sunt sub vniuerso cœlo. Sciebat enim nullos esse montes qui non sint sub corporibus cœlestibus: sed hoc adiecit, ad differentiam montium qui sunt non tantùm supra aliquam partem cœli, sed supra totum cœlum, hoc est, supra totum cœlum aëreum tegẽs nos nubibus. Quo fit vt non aduersetur sacræ Scriptura exceptio cacuminum montium supereminentium vniuerso cœlo, in quo generantur pluuiæ & alia huiusmodi. Attestatur quoque huic sensui communis exceptio montis in quo est paradisus terrestris, vbi Henoc erat tempore diluuij, adhuc ibidem viuens. Nec propterea saluati sunt homines aliqui in cacuminibus talium montiũ: quoniã vt Dominus dixit in Euangelio, homines illius temporis non credebant diluuium futurũ: & ingruentibus repente tam ingentibus aquis subter & supra, ruentibúsque ex montibus immensis aquis in præceps, impediebatur accessus ad tantam illorum montium celsitudinem. Et eo magis, quod illi nõ credentes diluuium, expectabant multos dies serenitatem, infra quos dies tanta exuberantia aquarũ multiplicata est, vt impossibilis fuerit accessus ad cacumina illorum montium: & multo minus potuerunt adire cacumina illa, animalia, quoniam commune est eis secundum præsentium dispositionem moueri. Ac per hoc in principio tantæ pluuiæ, credibile est quæsisse ea latebras protegentes: postea verò continuatis maximis pluuijs, prohibita esse ab egressu.* Sic Caietanus.

Gen. 3. Matth. 14. Luc. 17.

Refellitur Caietanus

SED in Caietani verbis quædam sunt nec vera, nec similia veris. 45

Verum

Veruntamen aliorum, falsitas, ex sequentium quæstionem explicatione notescet: nunc satis fuerit illud vnum refellere, quod est quasi fundamentum, ceterorum. Ait Caietanus, illud: *Sub vniuerso cœlo*, interpretandum esse de cœlo aëre, id est, de media regione aëris. Hoc nempe nullam habet verisimilitudinem. Scio, non solum in sacris litteris, verum etiam apud Latinos scriptores, & in sermone vulgari cœlum sæpè dici pro aëre: verum pro aëre simpliciter & indefinitè sumpto, non autem definitè ac signatè pro media regione aëris, præsertim cum dicitur, *Omnia quæ sub cœlo sunt.* Quis enim de cælo aëreo *Iob. 41.* & non potius de sydereo intelligat quod Dominus dixit apud Iob: *Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt:* & quod dixit Lucas in die Pentecostes fuisse Hierosolymis homines ex omni natione quæ sub cœlo est, & quod dixit Paulus fuisse iam illo tempore prædicatum euangelium in *Coloss. 4.* vniuersa creatura quæ sub cœlo est: Idem enim est dicere. Omnia quæ sub cœlo sunt, atque dicere. Omnia quæ intra cœli ambitū continentur: hoc autem quis de ambitu cœli aërei seu mediæ regionis aëris, & non potius de ambitu cœli syderei interpretetur? Nam quod dicit Caietanus de quibusdam montibus mediam regionem aëris excedentibus, deinceps examinandum est.

46 VTRVM IGITVR montes aliqui siue loca aliqua in omni terrarum orbe fuerint quæ diluuij aquis non sint operta, inquirendum est. Non defuerunt qui dicerent, nonnullos montes, quorum scilicet altitudo excedit locum generationis imbrium siue mediam regio- *Solin. cap.* nem aëris (quales esse Olympum, Athon, & Atlantem, à multis pro- *14. 10. & 27.* ditum est) non fuisse opertos diluuio. Idque sic ille argumentabantur: Diluuium præcipuè factum est propter pluuias, non igitur potuisse diluuium increscere & ascendere supra locum vbi generantur pluuiæ: quem locum cum illorum montium vertices transcendant, eos montes non fuisse diluuio tactos necesse est. Tradunt autem veteres in tantum vertice suo extolli Olympum, vt summa eius cœlum accolæ vocent: in cacumine eius reliquias sacrificiorum nec difflari venti, nec diluuij pluuiis, sed voluente altero anno vt relictæ fuerunt, ita planè reperiri. *Olympi altitudo.*

SIMILIA traduntur de Atho monte Macedoniæ, cuius celsitudinis illud præterea est argumentum, quod de Macedonia, Solstitij tempore, vmbram aiciat vsque in forum Myrini, quod est oppidum in Lemno, distans nempe sex & octoginta millibus passuum. Iam verò Atlantem fuerunt vltra nubila caput efferre, & vsque in vicinam Lunaris circuli attollit. Plutarchus certè in Paulo Æmilio scribit, Zinagoram vi ac ratione atque instrumentis Mathematicis summam Olympi montis altitudinem ad perpendiculum esse mensum, & decem stadiorum reperiisse, hoc est, mille ducentorum & quinquaginta passuum. addit inibi Plutarchus multos existimare, nec vllius montis altitudinem, nec vllius maris profunditatem decem stadiis *Plin. lib. 5.* maiorem esse. At enim Plinius affirmatè scribit altitudinem mon- *cap. 22.* *Atho mōtis sublimitas & Atlantis.* *Plutarchus.*

Casius mons. tis Casij qui est in Syria Antiochena, per directum esse quatuor mille passuum.

Augustinus. HANC istorum argumentationem & obiectionem qua volunt efficere, Noëticum diluuium non fuisse omninò generale, & commemorat B. Augustinus, & obiter diluit. Sic enim scribit libro decimo quinto de Ciuitate Dei. capite vigesimo septimo. *Opinantur quidam tam magnum fieri non potuisse diluuiũ, vt altissimos mõtes quindecim cubitis aqua crescendo transcenderet propter Olympi verticem montis, supra quem perhibentur nubes nõ posse conscendere, vt non ibi sit aër iste crassior, vbi venti nebulæ imbresque gignuntur: nec attendunt omnium elementorum crassissimam terram ibi esse potuisse. An fortè negent esse hanc terram verticem montis? Cur igitur vsque ad illa cœli spatia terris exaltari licuisse, & aquis exaltari non licuisse contendunt? cum isti mensores & pensores elementorum aquas terris perhibeant superiores atque leuiores? Quid itaque rationis afferunt, quare terra grauior & inferior locum cœli tranquillioris inuaserit per volumina tot annorum: & aqua leuior ac superior non permissa sit hoc facere saltem ad tempus exiguum?* Sic Augustinus. 47

ERGO B. Augustini aduersus istos ratio & argumentatio hãc vim habet: Si terra quæ est in vertice montis Olympi, potuit extolli supra locum vbi generantur, & vnde cadunt imbres: cur nõ similiter supra eum locum euehi potuit aqua diluuij quæ sua natura leuior est quàm terra, & supra eam collocari debet? Sed illi responderent, propriam esse causam, quare id non potuerit euenire in aqua diluuij: quippe quod precipuè factum & auctum sit ex imbribus: quamobrem nullo modo potuisse ipsum supra locum aëris vbi generantur imbres attolli.

Nullum esse montem qui mediã aëris regionẽ transcendat. PROMPTA igitur meo iudicio atque firma refellendi istos ratio est, negare verum esse quod de illis montibus traditum est: Sed primùm ex fabulosis Poëtarum figmentis id profectum esse, tum vt alia multa, temerè vulgo creditum, cui ea quæ mirabiliora videntur, facilora creditu sunt. Ludouicus Viues ciuis meus explanans eum locum B. Augustini quem proximè posui, fabulosum esse quod de celsitudine montis Olympi traditum est, firmat testimonio Philadelphij qui se eum montem ascendisse dixit, vt rem tantam exploraret, & falsum esse comperisse. Deinde quę de istiusmodi montibus scribunt veteres, minimè cohærent inter se, sed sunt planè contraria. Aiunt enim vertices illorum montium celsiores esse media regione aëris, ergo supremam illi regionem aëris attingunt: at eam regionem quinquaginta milliaribus à terris distare, Mathematicorum demõstrationibus constat, nullius porrò montis altitudo per directum, quatuor milliaria excedit. 48

Ludouicus Viues apud S. Augustin. supra dicto loco.

Solin. c. 16. DICVNT præterea, suprema montis Athos incolere homines saluberrimam & longissimam vitam degentes. *In summo*, inquit Solinus (montis Atho) *oppidum Acroton fuit, in quo dimidio longior quàm in aliis terris incolentium ætas prorogabatur. Et hoc verum esse, alio argumento patet.* 49

Narrat

Narrat Ælianus, Platonem medicis consulentibus, vt relicto insalubri Academiæ loco, valetudinis causa in Lycæum trãsmigraret, recusasse, dicentem: Ego, ne ad superiora quidem Atho loca quæ saluberrima sunt, transmigrarẽ, vt diutius viuerẽ. Erat igitur in fastigio montis Atho aër saluberrimus. At verò si mons ille attigisset mediã regionem aëris, vel etiam supremam, fuisset non solum insalubris, sed etiam inhabitabilis homini: siquidem media regio valdè frigida, humida & nebulosa est: suprema verò propter viciniam elementi ignis, & propter cœli vertiginem, est admodum calens & sicca atque volubilis: quamobrem ne breui quidem tempore illic viuere homines, ne dum salubriter & diu viuere potuissent. Illud quoque affirmant, apicẽ Atlantis semper niue opertum esse: est igitur vertex Atlantis infra locum vbi generantur & vnde cadunt niues: hanc autem esse mediam regionem aëris, qui locus etiam natalis est imbrium, ex primo libro Meteorologicorum manifestum est.

Aelianus li. de varia histo ria.

Egregiũ cõtenendæ vitæ Platonis exẽplum.

50 QVID plura? Cum diuina scriptura, adhibito duplici signo vniuersalitatis, dicat omnes montes qui sunt sub vniuerso cœlo, opertos esse aquis diluuij, quis ausit excipere aliquos montes? Generales enim diuinæ Scripturę sententias non licet restringere, nec diminuere earum veritatem adhibitis exceptionibus, nisi illæ ipsę exceptiones ex aliis eiusdem Scripturæ locis colligi possint: aut nisi eas adhibere, necessaria & euidens ratio cogat. Alioquin omnium generalium sententiarum diuinæ Scripturæ veritas, dubia & incerta redderetur, cùm pro cuiuslibet arbitrio, variis illæ exceptionibus essent obnoxię. Ecce tibi, si ex illa generali sententia de montibus diluuio opertis, excipere velis aliquos mõtes, similiter alius exciperet insulas dicens: cùm Scriptura inquit vniuersam terram esse inundatã, id tantùm de continente terra esse intelligendum: & alius diceret, nec de vniuersa terra continente accipiendum esse: sed de ea tantum quæ ante diluuium habitabatur ab hominibus: & sic efficeretur, diluuium illud Noëticum non fuisse generale totius orbis terræ.

Aristoteles.

DECIMA DISPVTATIO.

An diluuium peruenerit ad mediam regionem aëris.

51 VERVM hoc loco existit quæstio: Si diluuium transcẽdit quindecim cubitis altissimos terræ montes, ergo vsque ad mediam regionẽ aëris elatum est. Videmus enim non raro, circum vertices sublimium montium cogi nubes, & imbres generari: quasi eo loco sit media regio aëris, quæ est naturalis locus generationis imbrium, quod si diluuium mediam regionem aëris impleuit, non potiut illas aquas habere ex imbribus, quippe cùm locum generationis imbrium superaret. Vnde igitur

igitur aquas habuit, quibus in tantum excreuit?

RESPONDERI potest dupliciter. Primùm negando, diluuium peruenisse ad mediam regionẽ aëris, quæ longius distat à terra, quàm ascendit diluuium. Generatio autem pluuiæ circa vertices mótium fit per accidens, quando scilicet nubes multis & crassis vaporib. conferta, reperto ibi multo frigore, densantur ac resoluuntur in pluuiam, aut à ventis illuc compulsæ & compressæ, similiter vertuntur in aquam. Deinde responderi potest, diluuium attigisse mediam quidam regionem aëris, sed quantum tamen pertinet ad eius tantum regionis infimam & terris proximam partem. Altera verò eius regionis pars superior, supra diluuiũ fuit, siquidem ea tam amplè patet, vt finis eius longissimè distet à terris: tertiam enim regionẽ aëris Mathematici quinquaginta milliaribus faciunt à terris distare. Ergo ex aquis generatis in superiori mediæ regionis parte, potuit accidere diluuio, vsque ad infimam mediæ regionis aëris partem, incrementum.

VERVM. Ex occasione huius loci quem tractamus, explanandus 52
obiter est locus ille qui est apud B. Petrum de cœlis qui diluuio perierunt, habet enim non paruam cum hoc loco Mosis cognationem.

Locus B. Petri. 2. Epist. cap. vltimo.

Qui cœli perierunt in diluuio secundũ B. Petrũ.

Beatus Petrus capite vltimo posterioris Epistolæ significat cœlos periisse diluuio: & rursum eos post diluuium refectos, incendio reseruari in diem iudicij. Sed quæritur de quibus cœlis loquatur? Omnino, de cœlis sidereis non est locutus B. Petrus: tum quod diluuium non nisi ad quindecim cubitos super terræ montes in sublime elatum est, vnde vsque ad astra, immensa propemodum distantia est: tum etiam, quia licet diluuium vsque ad cœlum peruenisset, cùm tamen incorruptibile sit cœlum, nihil ex eo detrimenti potuisset capere. Relinquitur itaque, B. Petrum locutum esse de cœlis aëris: nec de toto aëre, quippe cùm supra eum locum quo diluuium ascendit, amplissima sit regio aëris, diluuij aquis prorsus intacta. Ergo sententia B. Petri de infirma & terris proxima aeris parte interpretnada est. Nam cum diluuium vsque eo super omnem terram sublatum fit, vt quindecim cubitis editissimos montes exuperaret, necesse fuit, aërem qui totum illud spatium circum terram à diluuio oppletum prorsus obsidebat, aut corruptum esse, & mutatum in aquam ad incrementum diluuij profecisse: aut cedentem aquis, sursum sese recepisse, cœlis ei locum concedentibus. Sed extremum hoc absurdum & incredibile est. Situs enim, dispositio & motus orbium cœlestium naturaliter planè immutabilis est: nec ratio vlla erat cur tempore diluuij mutaretur. Quocirca illud verius dictu est, totum illum aërem in aquam esse conuersum. Nec non & illud simillimum vero est, quantum aëris spatium obtinuit diluuium, tantum quoque in consummatione sæculi occupaturum incendium.

SED lubet hanc sententiam nostram firmare atque adornare au- 53
ctoritate & verbis B. Augustini. Sic autem ille scribit libro tertio de Genesi ad litteram, capite secũdo: *Cœlos aëreos quoddam periisse diluuio,*

Augustin.

in

in quadam earum quæ canonicæ appellantur, Epistola legimus. Neque enim humida illa natura, quæ ita excreuerat, vt cubitis quindecim altissimorũ montium transcenderet vertices, potuit ad sidera peruenire: Sed quia huius aëris humidioris in quo aues volitant, tota, vel prope tota spatia compleuerat, periisse qui fuerant cœlos, in illa Epistola scribitur: quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris huius aëris qualitate conuersa. Alioqui non periissent tunc isti cœli, sed sublimius erecti essent, cùm locum eorum aqua occupasset. Itaque facilius eos secundum illius Epistolæ autoritatem credimus periisse: & alios, sicut ibi scribitur, repositos, extenuatis videlicet exhalationibus: quam sic erectos, vt eis cœli superioris natura loco suo crederet. Est enim huic aëri ita similis aqua vt eius exhalationibus pingue fieri probetur, vt & spiritum procellæ faciat, id est, ventum & nubila contrahat, & possit volatus auium sustinere. 2. Pet. vltimo

Quapropter etiamsi verum dixit quidam sæcularium poëtarum: Lucan. lib. 2.

nubes excedit Olympus,

& Pacem summa tenent:

54 *quia perhibetur in Olympi vertice aër esse tam tenuis, vt neque nubibus obumbretur, neque turbetur ventis, neque volatus auiũ possit sustinere, neque eos qui forte ascẽderint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aëre cõsueuerunt: & tamen & ipse aër est, vnde aquis vicina qualitate diffunditur, & propterea ipse quoque in humidam naturam conuersus diluuij tempore creditur: Neque enim arbitrãdum est aliquid de spatiis siderei cœli vsurpasse, cum omnes etiam altissimos montes aqua transcenderit.* Sic Augustinus. Vtrum autem Paradisum terrestrem inundauerit, vastauerit ac destruxerit diluuium, in priori tomo Commentariorum nostrorum in Genesim duobus locis disputatũ à nobis est, tum lib. 3. quæstione quinta, tum maximè libro septimo quæstione vltima: vbi & hunc locum Geneseos de quo nunc disputamus, enucleatè ac diligenter tractauimus.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Quanto tempore duraverit diluuium terram obtinens.

55 MOSES extremis verbis septimi capitis ita scribit: *Obtinuerunt que aquæ terram centum quinquaginta diebus.* Incertum est, tempus hoc centum quinquaginta dierum vnde numeri debeat, & vnde initiũ capiat: vtrũ ab initio diluuij, i. à die decima septima mensis secũdi, quo die diluuiũ fieri cœptum est, an verò à fine quadragenariæ pluuiæ, postquã scilicet aqua tam altè operuit terrã, vt etiam altissimos montes quindecim cubitis superaret: ita vt tempus quo diluuium mansit in eo statu tam altè obtegens vniuersam terram, fue-

August. libr. quæstionū in Gen. quæs. 12

rit centum quinquaginta dierum. S. Augustinus attigit hanc quæstionē, sed eius solutionem in medio reliquit, quasi arbitrio lectoris eam permittens. Sic enim ait in libro Quæstionum super Genesim: Quod scriptum est: *Exaltata est aqua super terram centum quinquaginta dies: quæritur vtrum vsque ad hunc diem creuerit, an per tot dies in altitudine qua creuerat manserit: quoniam alij interpretes planius videntur hoc dicere: nam Aquila dixit, Obtinuit: Symmachus, prævaluerunt aquæ.* Sic Augustinus.

Hist. Scholastica in Genesim cap. 14. Lyranus. Ambros. Gen. 8. ver. 3 Hugo S. Victoris.

HISTORIA Scholastica & Lyranus computant hos centum quinquaginta dies ab initio diluuij. Idemque videtur innuere S. Ambrosius libro de Noe & Arca, capite decimo septimo. Idque eo fit credibile, quod paulò infra Moses dicit, aquas diluuij post centum quinquaginta dies cœpisse diminui & decrescere. Videtur autem tempus diminutionis aquarum ex eo tempore spectari debere, quo tempore aquæ cœperunt crescere & inundare terram: non autem ex eo tempore, quo diluuium finito iam incremento suo mansit in eodem statu. Huius etiam sententiæ fuit Hugo in Annotationibus in Genesim. 56

Chrys. hom. 25. in Genes. Tostatus. Caietanus Rabbi Salomon.

EX aduerso autem, initium horum centum quinquaquinta dierum ducunt multi auctores à fine quadragenariæ pluuiæ, & putant à Mose denotari totum illud tempus quo diluuium mansit in sua maxima altitudine super terras, quindecim cubitis sublimius celsissimis terræ montibus. Et hæc quidem sententia est Iosephi 1. lib. Antiquitatum, & Chrysostomi, qui explanans hæc ipsa verba Mosis de centum quinquaginta diebus, quibus durauit diluuium: *Tot*, inquit, *dies mansit sublimis illa aquarum altitudo.* Eiusdem sententiæ probatores & sectatores sunt Tostatus & Caietanus, & ex Hebræis Rabbi Salomon hoc loco. Cui opinioni valdè suffragatur verbum illud: *Obtinuerunt aquæ superterram*, vel vt est Hebraicè ad verbum: *Roborauerunt se super terram*: aut, vt habet Græca translatio: *exaltata est aqua super terram*: Neque enim primo aut secundo die, quo cœpit fieri diluuium, verum fuisset dicere, iam tunc aquam obtinuisse terram, vel exaltatam esse super terram. 57

ITAQVE secundum hanc opinionem existimare oportet incrementum diluuij fuisse per quadraginta dies, quibus durauit pluuia & eruptio fontium abyssi: qua finita, diluuium ad summum incrementum perductum est, vt quindecim cubitis excederet altissimos terræ montes. In hac autem tanta altitudine permansit centum quinquaginta dies, qui complectuntur tempus medium inter finem incrementi, & initium decrementi aquarum.

Iudicium auctoris.

EGO VTRAMQVE opinionem probabilem censeo. Diiudicatio autem quæstionis propositæ in eo potissimum est, & ex eo maximè pendet, vt statuatur quid significent illa verba Mosis: *Obtinuerunt aquæ terram.* si enim illud, *terram*, intelligatur vniuersè, id est, tam campestrem, quàm montanam, proculdubio verior erit secunda opinio, & necesse erit distinguere hos centum quinquaginta dies ab illis q

quadra

quadraginta diebus pluuiæ, per quos dies aquæ ceperũt paulatim crescere, primum inundando terram campestrem, deinde mõtanam. Sin autem illud: *Obtinuerunt terram*, intelligatur confusè ac indeterminatè, de quacumque terra quomodocumque ab aquis inũdata, probabilior erit prior sententia: nam ex quo cœpit pluere, & abyssus euomere aquas suas super terram, verè dici potuit aquam obtinuisse aliquo modo terram. Mihi quidem secunda illa sententia quia facilior est intellectu, & verbis Mosis cõgruentior videtur, verisimilior quoque esset, nisi ei valdè officeret, quod menses, partim septimo capite, partim octauo memoratos à Mose, secundum hanc opinionem, variè & ambiguè accipi & computari necesse est, aliquos ad initio anni, alios à principio diluuij: cum eos tamen Moses sine vlla distinctione ponens, eodem omnes modo accipi debere non obscurè significauerit. Verùm hac de re infra disputabitur libro 13. Disputatione tertia.

59 SED me diuturnitatem illius diluuij cogitantem magna subit admiratio, cur Deus per centum quinquaginta dies diluuium in tanta super omnes terras altitudine immutabiliter manere voluerit, cùm ad delẽdum vniuersum genus hominum & animalium, quod diluuio perdere Deus decreuerat, breuius vno die diluuiũ satis esse potuisset. Verùm credo equidem ũita fact esse, quò & immanitas scelerum humani generis, & magnitudo diuinæ offensæ, iræq; ac vindictæ vel ex hoc ipso manifestior & illustrior existeret: nec non & quò magis Deus ipsius Noë patientiam atque cõstantiam, fideique ac fiduciæ virtutem tentaret probarétque, atque omni posteritati commendaret. *Cur tandiu manere diluuiũ super terram voluerit Deus.*

DVODECIMA DISPVTATIO.

Vtrum Noëticum diluuiũ ex solis causis naturalibus profectum sit: an verò ad id efficiendum, etiam supernaturali potentia Dei opus fuerit.

60 STOICI, generale totius orbis terræ, tã incendiũ quàm diluuium, ex solis causis naturalibus fieri, & iam sæpe adhuc esse factum, & in posterũ sæpè factum iri arbitrantur. Quinque autem causas effectrices diluuij à Seneca expositas supra commemorauimus, cùm tertiam disputationem tractaremus. Laudat præterea Berosum Seneca huius ipsius sententiæ auctorem, à quo proditum sit, ex certa quadam stellarum inter se comparatione atque compositione, generale mundi tam diluuium quàm incendium proficisci. Berosus certè Annianus id non obscurè indicat affirmans, Noë ex inspectione & obseruatione astrorum præsensisse venturum diluuium, & quò id effugeret, nauem sibi ad similitudinem Arcæ fabricasse, octauo & septua- *Stoici.* *Seneca li. 2. Naturalium quæst. ca. 27. & sequẽtib.* *Berosus.* *Berosus.* *Annianus.*

gesimo anno ante diluuium, fabricam eius Arcæ aggressum. 61

Henricus Mechliniēs. NEC displicuit hæc opinio etiam scriptoribus Christianis. Henricus quidam Mechliniēsis Magni Alberti discipulus, in commentariis quos edidit in magnas Albumazaris coniunctiones, non dubitauit dicere sibi ex Astronomicis supputationibus cōpertum esse, ante Noëticum diluuium fuisse coniunctionem quandam astrorum, quæ vim habuit generalem aquarum eluuionē efficiendi: Fuit autem hæc coniunctio Iouis & Saturni in fine Cancri, è regione Argolicæ nauis, per quam etiam Noe Arca figurabatur atque significabatur.

Petrus ab Aliaco. PETRVS Aliacus constans huius sententiæ propugnator & defensor fuit, si quidem is, in Quæstionib. suis in Genes. disputans super illa sententia Mosis: *Cataractæ Cœli apertæ sunt*, asseueranter dixit: Licet Noe venturum diluuium diuina reuelatione cognouerit, idem tamen potuisse ei ex regulis Astronomicis innotescere. Præcesserunt enim diluuium certæ quædam cœli constellationes, quæ non modo generalem illum cataclysmum præsignarunt, sed etiam effecerunt: non quidem vt primæ causæ, sed vt secundæ, id est, tanquam ministræ & famulæ Dei, ad eius obsequium, suas omnes quas ab eo acceperant vires & facultates imbriferas atque diluuiferas ad inundandum & obruendum orbem terrę conferentes. Et has quidem Constellationes putat ille appellari à Mose *Cataractas cœli*: & per earum apertionem significari tempus illud quo Deus omnes inundatrices vires atque influentias eiusmodi constellationibus virtute contentas & concluſas, velut reseratis clauſtris, ad totius terræ alluuionem emisit. Idem porrò Aliacus in volumine De sectis & legibus, & in libro de Concordia Theologiæ & Astrologiæ hoc ipsum confirmat exemplo Iridis: quam sicut Deus ad hominum securitatem, signum esse voluit generalis diluuij nunquam deinde futuri, ita credere par est Deum per prognostica astrorum signa præmonstrasse diluuium futurum, vt multo ante homines ad scelerum suorum agnitionem detestationem, agēdamque vt oportebat, pœnitentiam commouerentur. 62

Genes. 7.

Genes. 9.

Guliermus Parisiensis. NEC desunt qui eam sententiam assignent etiam Gulielmo Parisiensi Episcopo, sanè magni ingenij, nec vulgaris doctrinæ viro: propterea quod is in Prima Parte Operis de Vniuerso, vbi disputat de Firmamento, & de aquis quæ sunt super firmamentum, tractans illam sententiam Mosis de apertis cœli cataractis, ait Mosen vocasse cataractas cœli, eas cœli partes quæ sunt generatrices pluuiarum, & inundationum aquarum: qualia sunt signa aquatica, vt cancer, Pisces, Pleiades, Hyades & Orion: inter Planetas autem, Mars, Venus & Luna. Cataractas igitur cœli apertas esse intelligimus, quia cœlestes illæ virtutes ad operationem & pluuiarum & inundationum iussu Dei relaxatæ & quasi reseratæ sunt. 63

Diluuiū Noë nō esse factū ex solis causis naturalibus. VERVM enim, verò, falsam esse eam opinionem, & sacra scriptura non obscurè indicat, & philosophica doctrina ratioque apertè demonstrat. Etenim Mosaica narratio diluuij, quæ tribus huius libri capiti 64

pitibus sexto septimo & octauo continetur, perspicuè ostendit, præter ordinem cursumque naturæ, præterque seriem atque textum naturalium causarum singulari quadam voluntate & mandato Dei in hominum eius temporis vindictam diluuium esse factum. Non quod nullæ res naturales ad affectionem diluuij conuenerint, sed quod earum rerum conuentus generando diluuio per se sufficiens non fuerit, & quia modus, quo res illę ad creandum diluuiū adhibitę sunt à Deo non fuit naturalis & vsitatus. Quapropter solum Deum sacra scriptura auctorem & effectorem diluuij nominat. *Genes. 6.*

Hoc nempè declarant illa verba Dei: *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum, & vniuersa quæ in terra sunt consumentur.* & rursus: *Adhuc & post dies septem, ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ.* Hoc *Genes. 7.* item declarauit Moses cum exponens modum quo factum est diluuium, dixit, ruptos esse fontes abyssi magnæ, & apertas esse cataractas *Ibidem.* cœli: illa enim ruptio fontium & apertio cataractarum denotat violentum quiddam atque insolitum prætérque ordinem ac vim naturæ, & quod ex principio aliquo externo potentiori quàm natura sit, profectum fuerit.

65 Iam verò si cessatio & finis diluuij non fuit naturalis, ergo similiter principium & generationem diluuij non fuisse naturalem existimare conuenit. Sed non fuisse naturalem cessationem & finem diluuij nemini dubitare licet qui verba Mosis paulò attentius legerit: sic enim scribit: *Adduxit spiritum Dominus super terram & imminutæ sunt aquæ, Et clausi sunt fontes abyssi & cataractæ cœli, & prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo.* *Genes. 8.* Quis non videt, quod dicitur de occlusione abyssi, & cataractarum cœli, & de prohibitione pluuiæ, id euidenter arguere, cessationem diluuij non ex causis naturalibus, sed ex voluntate Dei per ministerium Angelorum supra vires ac præter ordinem naturalem causarum operantis esse profectam? Neque hoc non demonstrat spiritus ille siue ventus missus à Deo ad tollendum diluuium. Neque enim ventus ille siccissimus atque calidissimus, in tanta super terram omnem aquarum altitudine generari ex causis naturalibus potuisset: ne si generatus esset, vim tamen naturalem ad tantam aquarum molem tam breui tempore siccandam & consumendam habuisset. Ergo qui conuenienter doctrinæ sacrarum litterarum sentire ac loqui vult, is negare omnino debet, Noëticum diluuium ex solis causis naturalibus, & secundum vsitatum naturæ ordinem atque cursum esse factum. Mirus quoque hac de re Patrum omnium ac Theologorum est cōsensus, concorsque sententia. *Nec secundū Platonē nec Aristotelē diluuium generale posse fieri.*

66 Nec tantum illi sententiæ diuina scriptura contradicit, sed repugnat etiam Philosophia. Duo enim principes Philosophorum, Plato & Aristoteles ei planè aduersantur, Cùm enim Plato fecerit in Timeo incorruptibilem mundum, & mundi ordinem prorsus inuaria- *Plato.*

bilem, non quidem natura sua, sed voluntate Dei quæ omni tamen necessitate naturæ fortior & immutabilior est, huic sententiæ eius necessario consequens est generale vel incendum vel diluuium quod vniuerso terrarum orbi afferat interitū, esse non posse. Idem quoque, atque ob eandem causam sensisse Aristotelem, manifestum est. Quin etiam perspicuis ille verbis extremo libro primo Meteorologicorum affirmat, particularia diluuia quæ huic vel illi regioni cōtingant (quale fuit Deucalionis in Thessalia, & Ogygis in Attica) posse effici: at verò generale diluuium omnem terrarum orbem vsquequaque inundans & obruem, nullo modo posse.

Aristoteles.

Quatuor rationibus probatur Diluuium Noëticum non esse factum ex solis causis naturalibus.

VERVM AGE, quo magis hoc lectori probetur ac persuadeatur, nonnullis argumentis confirmemus. Ac primo quidem licet ad hunc modum argumentari: Moses narrat, Deum flagitiis hominum illius temporis vehementer offensum, misisse diluuium ad eorum hominum vindictam: at si diluuium ex solis causis naturalibus & secundum naturæ ordinem factum esset, necessario euenisset, siue homines illius temporis boni sine mali fuissent, quod enim naturalites fit, id necessario fit, & sine discretione bonorum atque malorum euenit. Sterilitas enim terræ, aut pestilentia, quæ ex causis omnino naturalibus accidunt, bonis æquè contingunt atque malis. Verùm responderi posset, Deum ex omni æternitate nouisse, eo tempore quo fuit diluuium, nequissimos fore homines & extremis dignos supliciis, simulque decreuisse punire eos homines per diluuium: quamobrem in condendo mundo ita disposuisse siderum motus, & sic ordinasse constellationes cœli, vt eo tempore quo illi homines futuri erant, vigeret ac regnaret in cœlo effectrix diluuij constellatio. Nihil igitur prohibet diluuium factum esse voluntate Dei, & nihilominus tamen per solas causas naturales esse factum: Sed enim non solet diuina scriptura, quæ per solas causas naturales fiunt, vti est naturalis sterilitas vel abundantia, copia, vel penuria imbrium morbus vel sanitas & alia huiusmodi, miraculi loco habere, & velut testimonia diuinæ iustitiæ ac vindictæ commemorare, & tāquam ea quę supra vim & præter modum atque ordinem naturæ facta fuerit, solum earum rerum auctorem & effectorē Deum agnoscere ac nominare: quemadmodum vbicumque de diluuio loquitur, facere solet. 67

Prima ratio.

Secunda ratio.

DEINDE, si aliqua cœli constellatio fecit Noëticum diluuium, cùm verisimile sit eam ipsam constellationem iterum futuram aut etiam fortasse iam fuisse intra hoc tempus quatuor millium annorum, quod post diluuium Noëticum ad hodiernam vsque diem effluxit: hinc sequeretur generale diluuium totius orbis aut iam bis vel etiam sæpius esse factum, aut certè aliquando futurum: quod tamen est contra promissionem Dei, qui promisit Noe nunquam deinceps venturum generale diluuium. 68

Genes. 9.

VERVM huic rationi dupliciter occurri posset: primum negādo eandem omnino cœli constellationem quæ semel fuit iterū futuram.

Censent

Censent enim Astronomorum doctissimi, motus cœlorum & siderum esse prorsus incommensurabiles, ita vt omnia sidera ad eandem inter se comparationem & compositionem quam semel habuerunt, nullo tempore iterum reuerti possint. Sed esto, possit iterum eadem constellatio redire: Respondebitur tamen, constellationem illam effectricem Noëtici diluuij non fuisse redituram ante finem mundi. Quoniam igitur Deus sciebat ante interiturum esse mundum, aut certè in alium statum commutatum iri, quàm iterum rediret illa constellatio diluuifera: propterea asseueranter & verè dixit nunquam in omne posterum tempus futurum esse diluuium.

69 ILLVD quoque facit ad huius rei confirmationem, mundum optimè secundum omnes partes suas à Deo fuisse constitutum, & vt maximè opus erat ad mundi firmitatem ac stabilitatem & ad ornatum eius atque decorem, ita fuisse compositum & ordinatum. Nam licet multæ eius partes priuatim inter se discordent ac pugnent: ad publicum tamen & commune bonum mundi tuendum & conseruandum, præsertim autem ad eius incolumitatem diuturnitatemque continendam, admirabili consensu omnes inter se conspirãt atque concordant. At enim, si aliqua pars cœli siue constellatio vim haberet gignendi diluuium vniuersam terram perdens, omneque genus animalium è medio tollens, conuinceretur profecto, Mundum non fuisse benè constitutum & ordinatum, cùm vna pars mundi vim haberet pulchritudinem, plenitudinem, & perfectionem ipsius mundi dissipandi, ac penitus delendi. *Tertia ratio.*

70 VERVM hæc ratio secundum doctrinam Platonis & Aristotelis qui hunc mundi statum, qui in perpetuo cœlorum motu & rerum sublunarium ortu & interitu versatur, sempiternum faciunt, validissima est: non similiter tamen secundum fidem nostram & doctrinam sacrarum literarum, è quibus didicimus mundum hunc aliquando interiturum, aut certè commutatum iri in alium statum, in quo cœlum à motu vacabit, nec aget in hunc mundum inferiorem per motum & lumen. Quemadmodum igitur humanum corpus optimè constitutum esse dicitur à natura, quod omnes partes eius licet inter se admodum diuersæ, quædam verò etiam contrariæ, omnes tamen ad eius salutem temperatæ & accommodatæ sint: hinc tamen non licet concludere, corpus humanum fore immortale: namque illa temperies partium non in perpetuum firma est, sed ad certum quoddam tempus, post quod tempus soluitur illa temperies, & vna pars prævalens aliasque corrumpens, interitum affert homini. Similiter Deus quia mundum fecerat aliquando interiturum, ita partes eius disposuit, vt vim haberent conseruandi mundi integritatem vsque ad aliquod tempus, quo exacto, aliæ partes corrumperent alias: vti eueniet in consummatione sæculi. In diluuio autem Noëtico etsi destructus est orbis terræ, Deus tamen in Arca seruauit seminarium hominum & animalium, & post vnum annum, diluuium sustulit terramque

terramque in priorem statum restituit.

Quarta ratio.

Argumentatio physiol. qua ostenditur ex astris generale diluuium non posse effici.

CETERVM illa mihi firmior ceteris videtur ratio, & ad hoc persuadendum valentior. Aiunt isti, habere vim astra efficiendi generale diluuium. Sed quærendum ex istis esse, quemadmodum ipsi putẽt ex astris generale diluuium effici, vtrum priuatiuè, an positiuè, sic enim in scholis loquimur. Dicent fortasse fieri priuatiuè, hoc est, fieri ob luminis & caloris eorum astrorum quibus tubuitur efficientia diluuij priuationem, scilicet propter longinquum eorum siderum digressum: quemadmodum propter Solis à nobis discessum existit hyems, & imbrium crebritas atque abundantia. Verum si ea ratione fieret diluuium, fieret quidem in iis locis terræ, à quibus astra illa procul discessissent: ea verò terræ loca, ad quæ sidera illa proximè accessissent, quæque directo illis astris subiecta essent, non modo diluuium non sentirent, verum etiam calore & siccitate maiorem in modum afficerentur. Namque vt solis digressus à nobis, in regione nostra hyemem efficit, & crebros imbres excitat, ita eiusdem solis ad alias gentes appulsus & accessus, calidã & siccam in illis regionibus facit æstatem. Non igitur fieri potest vt hac ratione generale diluuium ex astris existat. Nimirum cùm multæ sint regiones inter duos Tropicos, præsertim autem sub Æquinoctiali, quæ perpetuo solis ardore vehementer arescant & ardescant, has necesse est & steriles esse vaporum, & inopes imbrium, & magnarum inundationum expertes. 71

SIN autem dicant isti, diluuium fieri ex astri non priuatiuè, sed positiuè, hoc est, astra mittere in terras singularem quandam virtutem cœlestem (hanc virtutem vulgato iam pridem vocabulo appellamus influentiam) quæ virtus & influentia, siue vna siue multiplex fuerit, naturaliter potens & efficax sit creandi generale diluuium, hoc etiam simili ratione falsum esse conuinci potest. Astra enim singulares istas virtutes & influentias non indifferenter in omnia terræ loca mittunt, sed in eas tantum partes terræ quas respiciũt & quas sibi habent subiectas: quæ autem extra has sunt, maximè verò quę illius directò sunt oppositæ, cœlestes illas influẽtias & effectus nequaquam accipiunt. Scilicet hanc causam reddunt Astronomi, cur astrorum singulares quidam & notabiles effectus, in omnibus terræ partib. aut nullo modo, aut non æquè recipiantur. Aiunt, enim, quæ loca terrę, sunt extra respectum illorum siderum, ad ea loca defluxus eorum siderũ minime pertinere. Cum igitur nulla sit constellatio, quæ omnem terram vsquequaque respicere queat, nullius constellationis effectus ad vniuersam terram pertinere poterit: quapropter generale diluuium vniuersam terram inundans, ex astris aliisve causis naturalibus accidere nunquam poterit.

Obiectio.

Obiectionis solutio.

DICET fortasse quispiam, posse astra ex ea parte terræ quam respiciunt, & in quam agunt, tantam extrahere vaporum copiam, vt ea sufficiens sit generando diluuio, quod primo quidem eam partem operiat, deinde ad alias omnes terræ partes operiendas redundet. Sed 73

hoc

hoc nullo modo probabile est. Ex nulla enim parte terræ tanta vaporum abundantia elici potest, vnde generari queat diluuium, non modo inundans omnem terram, verum etiam in tantam excrescens altitudinem, vt altissimos omnium montium quindecim cubitis excederet, quale fuit Noëticum diluuium. Ad tantam enim aquarum molem generandam, non tantum, vnius aut aliquot partium, verum omnium etiam partium terræ, vapores satis non fuissent: sed præterea (sicut accidit in diluuio Noëtico) necesse esset magnam partem aëris in aquam conuerti. Maneat igitur, ex solis causis naturalibus: siue cœlestibus, siue sublunaribus, siue vtrisque simul, Noëticum diluuium nec esse factum, nec fieri potuisse.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Vtrum apud Ethnicos aliqua fuerit huius Noëtici diluuij notitia & commemoratio.

74 BEATVS Augustinus libro 18. de Ciuitate Dei, cap. 8. significat hoc diluuium Noëticum Gentium historiam tam Græcam quàm Latinam ignorasse: & Varronem excitat testem, à quo proditum sit, in monumentis litterarum ac veteris memoriæ, nihil Ogygis diluuio, quod multis sæculis post Noëticum accidit, reperiri vetustius. Verba B. Augustini hæc sunt: *Inter scriptores historiæ non conuenit, quando fuerit ipse Ogygius, cuius temporibus etiam diluuium magnum factum est, non illud maximum, in quo nulli homines euaserunt, nisi qui in Arca esse potuerunt, quod Gentium neque Græca, neque Latina nouit historia: sed tamen maius quàm postea tempore Deucalionis fuit. Et Varro quidem ab Ogygis diluuio exorsus est librum, cuius mentionem superius feci, & nihil ex quo perueniat ad res Romanas, proponit antiquius quam Ogygis diluuium.* Sic Augustinus. *Augustin. Varro.*

75 AT enim verò apud multos scriptorum Ethnicorum Noëtici diluuij memoriam inueniri, adeo multis veterum scriptorum testimoniis firmatū est, vt negari sine contumacia non possit. Audi Iosephum primo libro Antiquitatum ita scribentem: *Huius diluuij & Arcæ meminerūt omnes Barbaricæ historiæ scriptores, & in his Berosus Chaldæus. Narrans enim de hoc diluuio, sic ferme scribit. Fertur & nauigij huius pars in Armenia apud montem Corutæorum supereſſe, & quosdam bitumē inde abrasum secum deportare, quo vice amuletī homines eius loci vti solent. Meminit horū & Hieronymus qui Antiquitates Phœnicum scripsit, & Mnaseas & alij plures. Quin etiam Nicolaus Damascenus libro nonagesimo sexto de his rebus narrat in hæc verba: Est super regionem Minyarum mons in Armenia nomine Baris, in quo multos profugos diluuij tēpore seruatos fuerūt, & quendam arca vectum in montis huius vertice hæsisse, ac reliquias lignorum eius* *Diluuiū Noëticū fuisse nōtiū Ethnicis. Iosephus. Berosus. Chaldæus. Hieronymus. Mnaseas. Nicolaus Damascenus.*

longo tempore durauisse. Qui fortasse is fuit, de quo etiam legislator Iudæorum Moses scribit, Sic Nicolaus. Et hactenus quidem ex Iosepho.

Eusebius. EVSEBIVS verò libro nono de Præparatione Euangelica cùm 76
sub initium quarti capitis commemorasset eadem verba Iosephi quæ nos proximè ante posuimus, ipse subiungit hæc: Ego inquit, *ab Abydeno historico nonnulla tibi transcribam. Sisithrus*, inquit, *principatum deinde accepit, cui Saturnus magnam vim aquarum futuram significauit. Quare seruare se cupiens, ad Armeniam nauigio confugiebat, sed aquæ ipsum in via oppresserunt. Tertio autem die, postquam aquæ cessarunt, aues emisit, vt per eas sciret siccubi terra extaret. quæ, cũ omnia pelagi facie tegerẽtur, ad Sisithrum (nullibi enim consistere poterant) reuersæ sunt. Post aliquot dies similiter factum fuit. Tertio emissæ, reuersæ ad eum fuerũt limo pedes referta, & tunc dij ab hominibus Sisithrum rapuerũt. Nauis autem adhuc inuenitur in Armenia, cuius ligna remedium hominibus aduersus multos morbos mirabiliter afferunt.* Hactenus ex Abydeno, ipso referente Eusebio.

Sisithrus.

Cyrillus. Plato. CYRILLVS quoque primo libro contra Iulianum, ad idem pro 77
bandum, testimonium profert Alexandri Polyhistoris. Nec ipse Plato obscuram eius diluuij significationem dedit, cùm in Timæo sacerdotem quendam Ægyptium inducit ex sacris Ægyptiorum libris referentem Soloni, ante particularia diluuia Græcis nota & celebrata, fuisse antiquitus maximam quandam aquarum inundationem, terræque vastationem hæc autem non videtur alia quàm Noëticum diluuium esse potuisse. Huc etiam pertinet quod Pomponius Mela, Plinius & Solinus prodiderunt, Ioppen, vrbem Iudææ maritimam, prædicari omnium terræ vrbium vetustissimam, credique fuisse ante diluuium. Id quod non potest referri ad diluuium Ogygis, aut Deucalionis: hæc enim diluuia Græciæ terminis circumscripta, terram Syrię aut Iudææ non attingerunt: nec mirum esset, fuisse Ioppẽ ante illa diluuia quibus plurimæ vrbes antiquiores celebrantur.

Mela. lib. 1. cap. 11. Plin. l. 5. c. 13 Solin. c. 37.

Plutarch. AD extremum, Plutarchus in libro de Solertia animalium, tradit 78
proditum esse ab iis qui de diluuio Deucalionis scripserunt, columbam emissam ex arca à Deucalione, cùm regressa esset, tempestatis, cùm iterum auolans non reuertisset, serenitatis fuisse indicem: quod sanè ex Mosaica historia Noëtici diluuij sumptum est. Ex qua etiam hausta sunt quæ cecinit Ouidius de diluuio Deucalionis: vniuersa enim descriptio eius diluuij non tam Deucalioneo diluuio quàm Noëtico conueniens est, vt paucis detractis, videatur Poëta aliquis Iudæus vel Christianus historiam Mosis de Noëtico diluuio versibus explicare voluisse.

Ouid. lib. 1. Metamorph.

Ex his apparet non posse negari, diluuium Noëticũ fuisse notum Ethnicis, vel sacrarum litterarum lectione, vel auditione & fama, vel Chaldæorum & Ægyptiorum relatione monumentisve, apud quas gentes diutina quondam fuit Hebræorum habitatio. Ergo, dicet aliquis, sanctus Augustinus qui contra sensit, lapsus est historiæ & antiquitatis aut inscitia, aut obliuione? Minimè verò. Namque Augusti-

nus

nus non præcisè dixit, nullis historicis notum fuisse diluuium Noë, sed tantùm dixit fuisse ignoratum à Græcis & Romanis historiis nihil de Barbaricis historicis locutus: quod sanè verum est. Nam à quibus supra diximus proditum esse de Noëtico diluuio, eos fuisse Barbaros, aut certè Barbaricarum historiarum & rerum scriptores, licet animaduertere.

DECIMA QVARTA DISPVTATIO.

De diluuio Ogygis & Deucalionis.

79 DVM fuere diluuia, & vtrumque in Græcia, alterũ Ogygis in regione Attica, alterum Deucalionis in Thessalia, à Græcis & Romanis scriptoribus commemorata & celebrata. Quapropter non erit alienũ, hoc loco de vtriusque diluuij tempore breuiter dicere, quò intelligatur quantò illa diluuia recentiora & posteriora fuerint Noëtico diluuio. Diluuium Ogygis quod euenit tempore Ogygis regnantis in Artica regione & regnantibus apud Argiuos Inacho atque Phoroneo, sic inundauit vastauitque vniuersam regionem Atticam, vt eam reddiderit per ducentos annos incultam atque inhabitatam. Fuisse autem hoc diluuium viginti & mille annis ante primam Olympiadem, Eusebius libro decimo de præparatione Euangelica, capite vltimo tradit, auctoritate Iulij Africani id ipsum libro tertio Annalium confirmantis testimonio Hellanici & Philocori, qui Athenienſium Annales eõscripserunt. Castoricis item & Thalli, qui Syriacam historiam diligenter tractarunt, nec non & Diodori Siculi, qui orbis historiam in Bibliotecas contulit: Nec diuersæ sententiæ fuisse putandus est 80 Orosius, affirmans Ogygis diluuium quadraginta & mille annis fuisse ante Romam conditam: siquidem Roma condita est quatuor & viginti annis post primam Olympiadem. Orosij verba hæc sunt: *Ante annos vrbis conditæ mille quadraginta in Achaia secuum diluuium, vastatione plurima totius ferè prouinciæ fuit. Quod quia Ogygij qui tunc Eleusinæ conditor & rex erat, temporibus effusum est, nomen loco ac tempori dedit.* Hęc Orosius.

Diluuium Ogygis fuit 1100. annis ante primam Olympiadẽ.

81 SED quando fuit secundum sacram Chronologiam prima Olympias? Fuit nempe in anno octauo regni Achaz regis Iuda, hoc est, ducentis octoginta tribus annis post inceptam templi Salomonis ædificationem: vt patet ex Chronologia regum Iuda, quæ describitur libro tertio & quarto Regum. Fuit item prima Olympias septingentis sexaginta tribus annis post egressum Hebræorum ex Aegypto: siquidem ab eo egressu vsque ad ædificationem templi Salomonis numerantur in tertio libro Regum, capite sexto anni octoginta & quadringenti. Ex his efficitur, diluuium Ogygis præcessisse egressum Hebræorum ex Ægypto annis ducentis sexaginta tribus, & incidisse in

Quo tempore secundum sacram Chronologiã, locanda sit prima olympias.

annum ætatis Iacob patriarchæ circiter nonagesimum : fuisse autem post Noëticum diluuium annis ferme quingentis quadraginta. Verùm de huiusmodi supputationibus annorum consulat lector quę plenius & diligentius à nobis disputata sunt libro vndecimo nostrorum Commentariorum in Danielem, quæstione secunda.

Ioã. Annius refellitur.

SI igitur vera sunt quæ diximus de Ogygis diluuio, ridendus profecto est Ioannes Annius, qui non est veritus dicere, quem Ethnici scriptores nominauit Ogygem, fuisse eum ipsum quem sacræ litteræ appellant Noe: idemque fuisse Ogygianum diluuium atque Noëticum, cùm tamen, vt dudum ostendimus, Ogygis diluuium plus quingentis annis fuerit post Noëticum. Non est quoque probanda opinio quorundam veterum scriptorum, quos memorant & sequuntur Iustinus martyr in Sermone exhortatorio ad Gentes, Clemens Alexandrinus primo libro Stromatum, & Eusebius libro decimo, cap. vltimo de Præparatione Euangelica, à quibus proditum est, quo tempore contigit diluuiũ Ogygis, eo tempore Mosen eduxisse populum Hebræum ex Aegypto. At enim ex supradictis palam est egressum Hebræorum ex Aegypto, plus ducentis annis posteriorem fuisse diluuio Ogygis. Quin ipsemet Eusebius in Chronicis, duobus sæculis Ogygem facit Mose antiquiorem. 82

Iustinus martyr.
Clemens. Alexand.
Eusebius.
Eusebius.

De diluuio Deucalionis.

SEQVITVR vt dicamus de diluuio Deucalionis ab Ethnicorum poëtis & historicis iuxta celebrato. Ac multa quidem de Deucalionis genere, moribus factisque, multa etiam de causis, magnitudine duratione effectuque diluuij quod ex eo nomen inuenit, dici hoc loco possent: sed ea vt instituto nostro aliena, & magna ex parte vel fabulosa, vel incerta, consultò prætermittimus. Nec ad præsens aliud quàm de tẽpore Deucalionei diluuij explicare instituimus, vt, quanto tempore, vel Ogygiano diluuio, vel Noëtico recentius fuerit, manifestum lectori faciamus. De rege Atticæ, sub quo factum est diluuium Deucalionis, variè traditur. Eusebius in libro de Præparatione Euangelica, capite vltimo tantùm ait Cecropem anteceſſisse quadringentis fermè annis Troianum bellum: & medio illo tempore inter Cecropem & bellum Troianum contigisse diluuium Deucalionis & incendium Phaëtontis. At idem in Chronicis, regnante Cecrope signat diluuium Deucalionis. Varro, vt refert S. Augustinus libro decimo octauo de Ciuitate Dei, capite 10. annotauit, diluuium Deucalionis sub rege Cranao qui Cecropi proximè succeſſit. Iustinus autem historicus libro secundo, & Orosius libro primo capite nono, diluuium Deucalionis accidisse scribunt regnante Amphitrione, qui tertius à Cecrope fuit. Sic enim eo loco quem anteposui, ait Orosius: *Anno octingentesimo decimo ante Romam conditam Amphiction Athenis tertius à Cecrope regnauit, cuius temporibus aquarum illuuies maiorem partem populorum Thessaliæ absumptis, paucis per refugia montium liberatis, maxime in monte Parnasso in cuius circuitu tunc Deucalion regno potiebatur: qui ad se ratibus confugientes, susceptos, per gemina Parnassi iuga fouit aluitq;: à quo* 83

Sub quo rege Atticæ factũ sit Deucalionis diluuium.
Eusebius.

Varro apud S. Augustinũ
Iustinus historicus.
Orosius.

à quo propterea genus humanum reparatum ferunt. Ea quoque tempestate subactam Indiã Liber pater sanguine madefecit, cædibus oppleuit, libidinibus polluit, gentem vtique nulli vnquam hominum obnoxiam, vernacula tantùm quiete contentam. Sic Orosius.

De tempore Deucalionis diluuij. Solinus.

84 NEC inter auctores conuenit de tempore huius diluuij. Solinus quidem cap. 18. sexcentis annis hoc diluuium facit posterius Ogygis diluuio, *Meminisse hoc loco par est*, inquit Solinus, *post primum diluuium Ogygij temporibus notatum, cùm nouem & amplius mensibus diem continua nox inumbrasset, Delon ante omnes terras radijs Solis illuminatam: sortitámque ex eo nomen, quòd prima reddita foret visibus: Inter Ogygiũ sanè, & Deucalionem medium ætũ sexcentis annis datur.* Ita Solinus. Sed eum historiæ & Chronologiæ ignoratione aut obliuione lapsum esse, vel eo patet argumento, quod isti opinioni consequens est, Deucalionis diluuium vicinum fuisse temporibus belli Troiani: at multis sæculis bellum Troianum fuisse post Deucalionis diluuium, constat inter probatos veteris memoriæ scriptores.

Clemens Alexand.

85 ECONTRARIO autem Clemens Alexandrinus in primo libro Stromatum, Deucalionis diluuium centum triginta quatuor annis signat post Ogygianum. Verum non rectè: sic enim haud paucis annis fuisset ante Cecropẽ, quod nulli placet. Nos igitur, vt probabiliorem, sequamur sententiam Eusebij in Chronicis, & Orosij in primo libro: qui Deucalionis diluuium posterius faciunt Ogygiano ducentis triginta annis hoc est, circa annum ætatis Mosis quinquagesimum: Licet Eusebius inibi signet septuagesimum, haud scio an vera vsus annorum supputatione à qua tamen proximè abest Cyrillus primo libro contra Iulianum, ad sexagesimum septimum annum Mosis referẽs diluuium Deucalionis. Hinc liquet, hoc Deucalioneum diluuium septingentis ferè & septuaginta annis fuisse post Noëticum.

Eusebius.

Cyrillus. Alexand.

Eodem sæculo cõtigisse de cẽ plagas Aegypti, diluuiũ Deucalionis, & Phaëtontis incendium. Orosius.

86 NEC est hic omittendum, quod prudenter obseruauit Orosius, tres eodem sęculo valdè insignes ac memorabiles calamitates accidisse: Decem plagas Ægypti, diluuium Deucalionis, & incendium Phaëtontis. Námque plagas Ægypti signat Orosius octingentis quinque annis ante Romam conditam: Deucalionis autem diluuium octingentis decem annis. De incendio autem Phaëtontis ita scribit capite decimo: *His etiam temporibus ædeo ingis & grauis æstus incaduit, vt Sol per deuia transuectus vniuersum orbem non calore affecisse, sed igne torruisse dicatur: impressumque feruorem & Aethiops plus solito, & insolitum Scytha non tulerit. Ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam suam, manes ratiunculas conquirentes ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt.* Hæc Orosius, cum quo etiã in Chronicis cõsentit Eusebius.

Eusebius.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM, LIBER DECIMVS TERTIVS.

DE IMMINVTIONE ET cessatione diluuij.

Caput octauum libri Geneseos.

VERS. 1. 

ECORDATVS autem Deus Noë cunctorúmque animantium & omniũ iumentorũ quæ erant cum eo in Arca, adduxit ſpiritũ ſuper terrã & imminutæ ſunt aquæ. 2 *Et clauſi ſũt fontes abyſſi & cataractæ cœli & prohibitæ* 3 *ſunt pluuiæ de cœlo. Reuerſæque ſunt aquæ de terra eũtes & redeuntes, & cœperũt minui poſt centũ quinquaginta* 4 *dies. Requieuitque Arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo* 5 *die menſis ſuper mõtes Armeniæ. At verò aquæ ibant & decreſcebãt vſque ad decimũ mẽſem: decimo autem men-* 6 *ſe prima die menſis apparuerunt cacumina montium. Cumque trãſiſſent quadraginta dies, aperiẽs Noë feneſtrã arcæ quã fecerat, dimiſit coruũ: qui egrediebatur & non re-* 7 8 *uertebatur, donec ſiccarẽtur aquę ſuper terrã. Emiſit quoque columbã poſt eum, vt videret ſi iam ceſſaſſent aquæ.*

Quæ:

Quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius: reuersa 9
est ad eum in arcã, aquæ enim erãt super vniuersã terrã:
extẽditque manum suã, & apprehensam intulit in Arcã.
Expectatis autẽ vltra septem diebus alijs, rursum dimisit 10
columbã ex Arca. At illa venit ad eũ ad vesperã portãs 11
ramũ oliuæ virentib. foliis in ore suo. Intellexit ergo Noë
quod cessassẽt aquæ super terram. Expectauitque nihilo- 12
minus septem alios dies, & emisit colũbam quæ non est re
uersa vltra ad eum. Igitur sexcẽtesimo primo anno, primo 13
mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terrã:
& aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, viditque quod sic-
cata esset superficies terræ. Mense secundo, septimo & vi-
cesimo die mensis arefacta est terra. Locutus est autẽ Deus 14
ad Noë, dicens. Egredere de arca tu & vxor tua, filij tui
& vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animãtia quæ 15
sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quàm in 16 17
bestijs, & vniuersis reptilibus quæ reptant super terram,
educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & mul
tiplicamini super eam. Egressus est ergo Noë & filij eius, 18
& vxor illius & vxores filiorum eius cum eo. Sed & om- 19
nia animantia, iumenta & reptilia quæ reptant super ter
ram, secundum genus suum, egressa sunt de arca: Ædifica- 20
uit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis peco-
ribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super alta-
re. Odoratusque est Dominus odorem suauitatis, & ait ad 21
eum, Nequaquam vltra maledicã terræ propter homines:
sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona
sunt ab adolescentia sua: non igitur vltra percutiam om-
nem animam viuentem sicut feci. Cunctis diebus terræ, se- 22
mentis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox &
dies non requiescent.

PRÆ

PRÆFATIO.

SEPTEM res hoc capite octauo præcipuè narrãtur à Moſe: primò quãdo cœpta eſt fieri diminutio aquarũ diluuij, & quib. ex cauſis facta it: Secũdò, quo in loco de creſcẽtibus aquis reſederit arca Noë: Tertiò, quãdo primũ apparuerint cacumina mõtium: Quartò, qua ratione diminutionẽ & ceſſationẽ diluuij exploauerit & cognouerit Noë, Quintò, quãdo finitũ omnino ſit diluuiũ & arefacta terra, egreſſuſq; Arca Noë cum ſuis & animalibus: Sextò, Noë, ſtatim vt arca egreſſus eſt, ſacrificium Deo de cunctis animalib. mundis obtuliſſe: Septimo denique, Deũ inſigni pietate ac religione ipſius Noë vehementer placatũ ac delectatum, promiſiſſe, nunquam ſe in poſterum generali diluuio perditurũ orbem terræ.

Gene. 8. VERS. 1. *Recordatus eſt Deus Noë cunctorumque animantium & omnium iumentorum quæ erant cum eo in arca.*

NEc obliuio, nec recordatio propriè cadũt in Deũ: quippè cui omnia quę fuerunt, ſunt, eruntq; ex omni æternitate præſentia ſunt, & vt eius ſubſtantia, ſic & ſcientia planè immutabilis eſt, cùm apud eum nulla ſit trãſmutatio, nec viciſſitudinis abũbratio. Figuratè igitur obli-

Iacob. 1. Theod. quæſt. 52 in Geneſ. uiſci & recordari Deus dicitur: ſcilicet ad ſimilitudinem hominum, qui quos non curant & in periculis deſerunt, nec iuuant cùm poſſint: obliuiſci eorum dicuntur, Contra verò recordari, cùm eis auxilium præbent, & malis quibus detinentur, eripere nituntur. Videbatur igitur Deus quodammodo oblitus Noë, quem in Arcam illam velut in carcerem detruſum, tot menſes in illa horribili abyſſo diluuij dereliquerat: at cùm incepit diluuium tollere, Arcamque ſiſtere, terram arefacere, & Noë ex Arca educere, recordari eius videbatur.

AVDI Theodoretũ: *Loquitur*, inquit, *diuina Scriptura prout hominibus expedit, & pro captu auditorũ varias habet loquẽdi formas. Quemad-*

modum

modum ergo pœnitentiæ in Deo, est administrationis diuersitas: Pœnitet enim me, aut quod constituerim Saul regem: pro eo quod est: Decreui alium in eius locum substituere, & rursus, Pœnitet me fecisse hominem: pro eo quod est, statui hominibus inferre exitiũ. Sic quod hic dicitur, Recordatus est dominus Noë: non pristinam obliuionem designat, sed maximam ipsius erga Noë humanitatem denotat, quod summo erga eum amore iusserit immensam illam copiam aquarum quàm cutissimè exhaurire: Sic Theodoretus. 1. *Reg* 35. *Gene.* 6.

2 DICITVR porrò Deus in sacris litteris & obliuisci & recordari, tam in bonum quàm in malum, tàm de personis quàm de aliis rebus. Dicitur obliuisci Deus bonorum hominum, cùm eos ad tempus in laboribus & periculis derelinquit, non statim eos liberans cùm possit. Dicitur etiam obliuisci malorum hominum, cùm eis diuturnam impunitatem aut etiam prosperitatem concedit. Contrà verò dicitur recordari bonorum, cùm aliquandiu afflictos liberat ac recreat, eorumque mala in maiora bona conuertit. Dicitur item recordari malorum, cùm dissimulatam aliquandiu eorum improbitatem meritis plectit suppliciis. Nec modo in personis, sed etiam in rebus, vt in virtutibus & vitiis, hæc loquendi ratio vsurpari solet. Dicitur enim Deus obliuisci alicuius virtutum & benefactorum, cùm ea non statim & manifestè remunerat nec honorat, quinimo sinit malè euenire bonis apud homines propter bona eorum facta. Dicitur etiam obliuisci peccatorum, cùm ea non punit, sed potius sinit flagitia ad tẽpus benè ac prosperè succedere peccatoribus. Ex aduerso item recordari Deus dicitur tam virtutum quàm vitiorum, cùm vtrumque debitis vel præmiis vel suppliciis etiam in hoc mundo afficit. Hinc est illud quod vidua dixit Eliæ: *Ingressus es ad me vir Dei, vt rememorarentur iniquitates meæ*: mortuus enim fuerat ei vnicus filius. Et in Psalmo 108. scriptum est: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini.* *Quid sit Deũ obliuisci aut recordari tam bonorum quã malorum.* 3. *Reg.* 17.

3 QVOD autem Deus non solùm Noë, verum etiam animalium, quæ cum ipso erant in arca, recordatus esse dicitur: indicat, sicut animalia propter hominum peccata simul cum hominibus perierant, similiter ea propter hominem vna cum viro iusto esse à Deo seruata. Quo maiorem, inquit Theodoretus, immensæ bonitatis suæ significationem præberet Deus, recordari voluit non solum Noë, sed etiam omnium animalium: nostra enim causa etiam illis consulere dignatus est. Quod & magnus ille Dauid clamat, dicens, *Qui producit fœnum iumentis & herbam seruituti hominum*, & iterum, *Homines & iumenta saluabis Domine*, propter nos enim nostra curat. *Theod. ibid* *Psal.* 103. *Psal.* 30.

4 VERVM dicet aliquis, Quomodo Deus recordari dicitur animalium, cùm B. Paulus dixerit, *non esse Deo curam de bobus?* par autem ratio est aliorum animalium. Sed in promptu est responsio. Quantũ enim ad naturalem & generalem prouidentiam curamque quam Deus gerit omnium rerum quas ipse condidit, proculdubio curæ Deo sunt & boues, cunctaque animalia. Nam si aliter, quomodo dixisset Dauid: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.* & rursus: *Aperis tu ma-* *Locus Pauli* 1. *Corint.* 9. *Quomodo Deus & curet, & nõ curet nanimalia.*

Psal.144 *rum tuam: & imples omnes animal benedictione?* Quomodo Saluator no-
Matth.6. ster dixisset in Euangelio: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt ne-*
Infra.10. *que metunt, neque cõgregant in horrea: & Pater vester cœlestis pascit illas?* &
Luc.12. iterũ, *Non ne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super ter-*
ram sine Patre vestro? vel vt refert Lucas, *Vnus ex illis non est in obliuione*
coram Deo? Non dicitur autem Deus habere curam boum vel animalium, quantum ad præcipuam & singularem quandam prouidentiam & curam? qualem nempe Deus habet hominum quos non tantũ mouet & regit per naturales causas aut per instinctus naturales, sed præcipuè per leges, vt vocant, positiuas, præcipiendo quid facere, quidve fugere debeant. Neque hoc tantum, sed præterea variè docendo, & commonendo, exhortandoque, & tum ad bona propositis præmiis incitando, tum à malis comminatione suppliciorum deterrendo. Hoc dico genus curæ & prouidentiæ, quod per legem, vt dixi, declaratur, non exercet Deus erga animalia, quod eiusmodi prouidentiæ sola rationalis natura capax sit.

Exod.23. 5 Ac licet in lege Mosaica quædam præcepta fuerint de animalibus, velut de subleuandis iumentis in foueam lapsis, & de aliis eiusmodi: ea tamen non propter ipsa animalia, verùm propter homines præcepta sunt. Vel quia cùm animalia sint aliquid hominum qui ea possident, si quid benè aut malè animalibus euenit, id etiam ad eorum hominum vtilitatem aut detrimentum pertinet: Vel vt ex eo quod præcipitur de animalibus, cognoscatur id ipsum multò magis erga homi-
Deut.25. nes seruari oportere. Exempli causa, Præceperat lex Mosis non esse
1.Cor.9 boui triturãti os alligandum, non quidem propter bouem, sed propter hominem. Nam si inhumanum est boui hominis causa laboranti os alligare, quanto inhumanius atque iniquius censeri debet, homini tua causa operanti ac laboranti, dignam mercedem non retribuere? Verum pergamus ad alia.

Genes.8.v.2 *Adduxit Dominus Spiritum super terram & imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyssi & cataractæ cœli, & prohibitæ sunt pluuiæ de cœlo. Reuersæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centum quinquaginta dies.*

INDICAT Moses his verbis & quomodo & quando 6
diminui cœperint aquæ diluuij. Duas autem causas diminutionis diluuij tangit, vnam (vt vocant) positiuam, hæc est, spiritus vehemẽs maximaque pollens vi siccandi & absumendi aquas. Altera causa est negatiua, id est,

occlu

occlusio fontium abyssi & cataractarum cœli, itemque prohibitio pluuiæ: Nam si ex fontium abyssi & cataractarũ cœli apertione diluuium extitit, ex earum ipsarum rerum occlusione cessatio diluuij proficisci debuit. *His enim causis*, ait Ambrosius, *minuitur diluuium, quibus creuit. Erupti erant fontes aquarum, apertæ fuerant cataractæ cœli vt vndique influentibus aquis terra inundaretur: debuerunt claudi ea, ex quibus diluuij origo manuit, vt eius inciperet esse defectus.* Sic Ambrosius. *Ambros. lib. de Noe & Arca. c. 17.*

7 QVOMODO autem per istas causas tam breui, immensa illa aquarum moles diminui potuerit, putat Chrysostomus ratione humana esse incomprehensibile. *Quæ ratio* inquit, *poterit hoc vnquam comprehendere? Aqua tanta quomodo desiit? omnia abyssus erant. Quomodo igitur tantus aquarum impetus subito minor factus est? quis hoc humana ratione inuenire potuit vnquam? Quid igitur est? Dei præceptum est quod facit omnia. Ne igitur nos curiosius exploremus, Quomodo: sed tantum credamus quod iussit: & exaltata est abyssus: & præcepit, & iterum suum continuit impetum, & ad proprium concessit locum, quem solus ipse Dominus scit qui condidit.* Hæc Chrysostomus. *Chrys. ho. 25 in Genesim.*

8 PRO eo quod nos legimus: *Adduxit spiritum super terram*: Hebraicè ad verbum est: *Transire fecit spiritum super terram*: quod magnum emphasim habet, & incredibilem vim illius spiritus demonstrat, Nam illud: *Super terram.* intelligi vult Caietanus de terra vsquequaque & altissimè cooperta aquis: & illud: *transire*, significat spiritum illum seu ventum, per totam profunditatem aquarum penetrasse ac permeasse. Quis portò fuerit hic spiritus, quemadmodum generatus, quantamque & qualem vim habuerit, mox disputabitur in Disputatione quæ super hoc caput octauũ infra tractabitur. Pro illo: *Imminutæ sunt aquæ*, Græce est. *Cessauit aqua.* Hebræum verbum hoc loco *sachah*, Cessare, quiescere, & remitti significat. Pro illo: *Clausi sunt fontes abyssi*, Hieronymus legit *Reuelati sunt*: sic enim scribit: *Et quieuit aqua, & reuelati sunt fontes abyssi.* Pro reuelatis fontibus clausos & obturatos omnes interpretes transtulerunt. Chrysostomus quoque videtur legisse, reuelatos esse fontes. *Caietanus in Genes.* *Hieron. in li. de Traditionibus in Genesim.* *Chrys. ho. 26. in Genesim.*

9 SED quo modo reuelatio seu reclusio fontium, ad minuendum & tollendum diluuium conduxerit & non potius ad conseruandum & augendum (nam & supra, quo diluuium fieret, legimus ruptos fuisse abyssi fontes) haud equidem intelligo. Nisi propterea reuelati dicantur, vt resorberent aquas quas euomerant super terram, innuente id Chrysostomo: qui interpretans illud, *Reuelatis fontibus* ait, placuisse Deo vt iterum in sua regione manerent aquæ, neque vltra redundarent, sed paulatim desinerent. An verò, quod nic dicitur de occlusione fontium abyssi & cataractarum cœli, & de prohibitione pluuiæ, intelligendum sit esse factum post illos centum quinquaginta dies diluuij, vt hic significatur, an potius ante illos dies, videlicet statim post quadraginta illos dies pluuiæ, & hic à Mose memoratum sit per recapitulationem, satis dubium & controuersum est. Verùm *chryso. ibid.*

hoc infrà disputabitur in quadam disputatione super hoc caput.

SEQVITVR: *Reuersæ sunt aquæ de terra euntes & redeuntes.* Id est, Cœperunt aquę deserere terram, & non stare in tanta altitudine super terram. Illud: *Euntes & redeuntes*: Vel Hebraismus est significans idem quod paulatim & magis magisque decrescentes: vel significat, propter vehementer illius venti flatum cœpisse coagitari & fluctuare aquas, cùm antea immobiles stetissent. Tanta enim fuerat (inquit Caietanus) aquarum diluuij copia & altitudo, vt priuauerit aquas officio fluxus & refluxus: primusque effectus clausorum fontium & cataractarum cœli & illius venti à Deo missi, fuerit reuersio aquarum ad fluendum & refluendum super terram. Vel dicuntur aquæ reuersæ ad sua loca natiua, vnde præter naturam exierant ad inundandam terram, hoc est, vel in abyssum, vel in Oceanum, vel in proprios alueos fluminum, lacuum & paludum. Nota, inquit Hieronymus, secundum Ecclesiasten, quod omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricem habyssum reuertãtur. Pro illo: *Euntes & reuertẽtes* Septuaginta habent: *Cedebat aqua vadens de terra*: Illud denique: *Cœperunt minui post centum quinquaginta dies*, denotat tempus quo diminutio aquarum diluuij primum geri cœpta est. Vnde autem istorum centum quinquaginta dierum sumendum sit initium vtrum à principio diluuij, an post quadraginta dies pluuiæ, in controuersia est: quam nos supra explicauimus, cùm tractaremus quandam hac ipsa de re disputationem super cap. 7.

Caietanus in ca. 8. Genes.

Hier. loco citato. Eccles. 1.

PRIMA DISPVTATIO.

Quis fuerit ille spiritus quem adduxit Dominus super terram ad siccandas diluuij aquas.

Prima interpretatio spiritũ hic sumi pro Spiritu sancto, Ambrosij & Theodoreti opinio.

QVID hoc loco propriè significetur vocabulo *spiritus*, triplex interptetatio est. Quidam arbitrantur ea voce significari spiritum sanctum. Aut enim, inquiunt, significatur vẽtus aut spiritus sanctus: vtrumque enim eo nomine exprimi solet in sacris literis, neque huic loco nisi alterutrum cõuenire potest: sed non significatur ventus, siquidem incredibile est vllius venti naturalem vim tãti diluuij exiccandi esse potuisse, ergo significatur Spiritus sanctus: cui sanè cessatio diluuij commodè attribuitur. Sicut enim effectio diluuij opus fuit diuinæ iræ ac iustitiæ scelerũ vltricis & vindicis: ita diluuij cessatio & remotio, opus fuit diuinæ clementiæ & misericordię. Solent autem opera clementię & misericordiæ diuinæ Spiritui sancto attribui, vel vt loquimur in scholis appropiari.

DVOS autem in primis graues ac nobiles huius sentẽtiæ auctores habeo,

habeo, Ambrosium & Theodoretum, Ambrosius quidem tractans ea ipsa verba Mosis super quibus nunc disputatur: *Et induxit Dominus spiritum super terram, & cessauit aqua*, ad hunc modum scribit: *Non puto hoc ita dictum, vt spiritus nomine ventum accipiamus: neque enim ventus poterat siccare diluuium. Alioquin cùm mare ventis exagitetur quotidie, exinaniretur profectò. Nam quomodo non euacuaretur mare ventorum vi, cui cessisset toto diffusum orbe diluuium, vsque ad Herculis vt aiunt, columnas, & mare magnum tectis montium excelsorum verticibus exæstuans? Spiritus igitur diuini virtute inuisibili diluuium illud repressum esse, dubium non est, cœlestique operatione, non flatu. Vnde scriptum est: Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Est ergo Spiritus, cuius operationi cedunt vniuersa: in quo cœli ipsius virtus sit, sicut scriptura est: Verbo Domini cœli firmati sunt: & Spiritu oris eius omnis virtus eorũ. Qui Spiritus est creator vniuersorũ, sicut Iob dixit. Spiritus diuinus qui fecit me:* Hęc Ambrosius. Theodoretus verò (vti citatur in Catena in Genesim) in eandem sententiam breuiter ita scribit: *Non solent:* inquit, *aquæ vētis imminui, sed potius fluctuare atque turbari. Iam enim hoc pacto amplissimi maris sinus essent exhausti, Spiritum ergo diuinum innuit Moses: quo sanè omnia fiunt, & agitata quiescunt.* Sic Theodoretus.

Amb. lib. de Noë & Arca, cap. 16.

Psal. 103.

Psal. 32. Iob. 33. Theodoretus.

12 ALTERA interpretatio est, hic significari spiritus vocabulo ipsum Solem, qui ardentissimus cùm est, incredibilem vim habet siccandi & consumendi humorem. Credibile enim est, diluuium æstiuo tempore (vt supra dictum est libro duodecimo (finitum esse. Adiungerent alij tanquam adiutrices Solis ad id efficiendum constellationes aliquas cœlestes exsiccandi humoris efficacissimas. Omnino, Rupertus hunc locum Mosis strictim interpretans: *Quem*, inquit, *Moses spiritum appellat, iuxta litteram, aut calidum vētum, aut etiam ipsum Solem qui hactenus sub dēsis nubibus latuerat, intelligimus. Dixit enim de illo Ecclesiastes. Lustrans vniuersa per circuitum pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Sic Rupertus. Quæ verba Salomonis etiam B. Hieronymus in commentario eius loci, de Sole interpretatur, affirmãs eum nominatum esse spiritum, aut quia spiritu ipse viuifico animetur ac vigeat, vt Philosophis & Poëtis placet: aut quia vitalem rebus vim & motum inspiret atque infundat.

Secunda interpertatio Spiritum qui siccauit diluuium, fuisse Solem.

Rupertus li. 4. Commētariorum in Genesim, ca. 22.

Eccles. 1. Hieronymus.

13 CERTE Aristoteli (vt legere apud eum licet in libro secundo Meteorologicorum) visum est, immēsam aquæ copiam, quę ex innumeris fluminibus in mare influentibus accedit mari, nec tamē ipsum plenius & redundātius facit virtute Solis exsiccari & consumi. Quod his concinnis versibus etiam Lucretius expressit libro sexto.

Aristoteles.

Lucretius.

Præterea magnam Sol partem detrahit æstu:
Quippe videmus enim vestes humore madentes
Exsiccare suis radijs ardentibus Solem.
At pelage multa & latè substrata videmus:
Proinde licet quamuis ex vno quoque loco Sol
Humoris paruam, delibet ab æquore partem:

Largiter in tanto ſpatio tamen auferet vndis.

Sic Lucretius. In cuius quarto verſu eorum quos memorauimus, poſui *pelage*, non autem, vt vulgo legitur, *pelago*, ſecutus emendationem Lambini, qui optimo iudicio vſus ſic reſtituit, & legendum edidit: Eſt enim, *pelage*, accuſatinus, à Græco.

Tertia interpretatio nomine ſpiritus ſignificari ventum.

14 TERTIA eſt interpretatio, quæ ſimplicior & planior, magiſque huic loco Moſis apta & accommodata videtur, vocabulo *ſpiritus*, ſignificari ventum quem Deus miſerit ad ſiccandas & conſumendas diluuij aquas. Similiter enim in libro Exodi, capite decimo quarto legimus: cum percuſſu virgæ Moſis, aquæ maris rubri diuiſæ vtraque ex parte inſtar muri ſtetiſſent, locumque medium Hebræis ad tranſeundum conceſſiſſent, ad fundum eius loci maris ſiccandum, quo ſcilicet inoffenſis ſicciſque veſtigiis tranſmitterent Hebræi, miſſum eſſe ventũ vehementem atque vrentem: *Cùm extendiſſet Moſes manum ſuam ſuper mare* (inquit ſcriptura) *abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij Iſrael per mediũ ſicci: erat enim aqua quaſi murus à dextra eorũ & læua.*

Prouerb. 25.

15 CERTE, eſſe quoſdam ventos incredibili efficacia ſiccandi humoris prædítos, manifeſtis experimentis notiſſimum eſt. Aquilo, diſſipans pluuias, appellatur à Salomone. Et verò, cùm is perquam vehemens & pertinax eſt, ſerenat cœlum, imbres & imbriferas nubes profligat: terram quãuis humidam aut etiam cœnoſam, celerrimè ſiccat, & ipſam aquam vehementer conglaciat, & in duritiam lapidis gelat, tribuens ei vim herbas aliaque terræ virentia non ſiccandi modo, verùm etiam vrendi, vt in libro Eccleſiaſtici capite 43. ſcriptũ eſt, Lucretius, cur mare tot tantiſque fluminibus in ipſum decurrentibus nunquam redundet, cauſam refert tum ad alia tum etiam ad ventos qui totam illam aquam in mare infuſam velut euerrentes abſumat. Sic enim ait:

Lucr. lib. 6.

Tum porrò venti magnam quoque tollere partem
Humoris poſſunt, verrentes æquora Ponti:
Vna nocte vias quoniam perſæpe videmus
Siccari, molliſque luti concreſcere cruſtas.

Generationẽ illius ventinõ fuiſſe naturalem.

16 VERVM roget me fortaſſe quiſpiam, num ventus ille naturalis fuerit, an præter ordinem & ſupra vim naturæ, aliquid habuerit? equidem ſine dubitatione dixerim generationem illius venti non fuiſſe naturalem. Cùm enim diluuium totam indique terram aquis obrutam etiam quindecim cubitis ſuper altiſſimos montes tot menſes obtinuerit, vnde quæſo naturaliter extrahi è terra, & in ſublimè ſupra diluuij altitudinem extolli potuit exhalatio calida & ſicca, quæ generando illi vento calidiſſimo & ſicciſſimo materia eſſet idonea? Non igitur generatio illius venti, naturalis fuit, ſed per omnipotentiam Dei ſuprà vim & poteſtatem naturę facta. Et ad hoc indicãdum, ſignatè dixit Moſes adduxiſſe Dominum ventum ſuper terram, vel vt habent Hebræa, *tranſire feciſſe*, ventum ſuper terram.

NVM

NVM autem virtus illius venti, qua ſiccauit aquas diluuij, fuerit naturalis, id eſt, talis qualem natura ferre, & ventis tribuere poſſit, non ſine cauſa dubitari poteſt. Sed ne longum faciam, ego ſic ſentio. Si ventus ille vim habuit ſiccandi & conſumendi totam illam diluuij aquarum molem, reor equidem vim illam non fuiſſe naturalem: non videtur enim tanta illa vis proficiſci poſſe ex vllis cauſis naturalibus: ſed credendum eſt, ſicut Deus ventum illum præter ordinem naturæ creauit, ita dediſſe ei longè maiores vires quàm natura tribuere potuiſſet: vt ventus ille miraculi loco haberi debeat, tam propter generationem eius, quàm propter vim & efficacitatem. *An potentia illius venti fuerit naturalis.*

SIN autē ventus ille non tam miſſus eſt ad ſiccandas & conſumendas diluuij aquas (licet ad id etiā ille non parū contulerit) quàm vt penitus ſiccaret terram, quæ etiam aquis nudata, remanſerat valdè humida & cœnoſa, taliſque, vt niſi ſiccaretur, nec homines nec animalia per eam inoffensè cōmodéque poſſent ingredi: Si ad hoc inquā præcipuè ventus ille miſſus eſt, non ibo inficias, virtutē eius naturalem eſſe potuiſſe. Neque enim effectus ille, id eſt, ſiccatio terræ, talis aut tantus fuit, vt quantamlibet vim cuiuſuis venti naturalem excederet.

SECVNDA DISPVTATIO.

Quando facta ſit occluſio fontium abyſſi.

18 ILLVD porrò in hac Moſis narratione difficultatem habet vtrum, quod Moſes dixit de clauſis fontibus abyſſi & cataractis cœli, & de prohibitione pluuiæ, intelligere oporteat id eſſe factum poſt centum quinquaginta dies quibus ſtetit diluuium: an verò ſtatim poſt quadraginta illos dies pluuiæ ſupra capite ſeptimo memoratos à Moſe. Vidit hanc difficultatem B. Auguſtinus: namque eandem quæſtionem ponit ipſe in quæſtionibus in Geneſim, quæſtione duodecima: quam licet ibi apertè non ſoluat, apparet tamen vtram in partem propēſior ipſe fuerit. Sic enim ait: *Quod ſcriptum eſt, exaltatam eſſe aquam, legi opinor, debet, imminutam eſſe aquam, vel ceſſaſſe aquam poſt cētum quinquaginta dies, & adductum eſſe ſpiritum ſuper terram, & deſyſſe aquam, & cōcluſos fontes abyſſi, & cataractas cœli & detentā pluuiam de cœlo: Quæritur vtrum poſt centū quinquaginta dies hæc facta ſint, an per recapitulationē omnia commemorata ſint quæ poſt quadragima dies pluuia fieri cœperunt: vt hoc ſolum ad centū quinquaginta dies pertineat, quod vſque ad ipſos aqua exaltata eſt, aut de fontibus abyſſi ceſſante iam pluuia, aut quia manſit in altitudine ſua, dum per illum ſpiritum ſiccaretur. Cetera verò quæ dicta ſunt, non poſt centum quinquaginta dies omnia facta ſint, ſed commemorata ſint omnia quæ ex fine quadraginta dierum fieri cœperunt.* Sic Auguſtinus. Apparet igitur, Auguſtinum propendiſſe in eam ſententiam, vt illa facta ſint poſt quadraginta *Auguſt.*

draginta dies pluuiæ, & posteriùs narrata sint à Mose per recapitulationem. Atque hæc ipsa est Tostati sententia.

Tostatus in cap 8s Geneseos.

Oleaster ibidem.

Opinio Oleastri, refellitur.

OLEASTER omni asseueratione dicit nec eruptionem fontium 19
abyssi, nec pluuiam de cœlo cessasse nisi post centum quinquaginta dies. Verum pro Tostato, & contra Oleastrum multa faciunt. Primò supra capite septimo dixit Moses factam esse pluuiam quadraginta diebus & quadraginta noctibus: at si pluuia durasset cētum quinquaginta diebus, hoc vtique dixisset Moses, nō illud: cùm hoc tum ad declarandam veritatem historiæ, tum ad indicandam diluuij magnitudinem magis accommodatū esset. Deinde Moses eodem loco dixit, diluuium esse factum quadraginta diebus: significans auctum & incrementum aquarum vsque ad summum: si autem semper aquæ diluuij per cētum quinquaginta dies creuissent, verius dictu fuisset, diluuium esse factum centū quinquaginta diebus, non tantum quadraginta diebus. Nam quod respondet Oleaster, illos quadraginta dies pluuiæ & diluuij, tātum intelligi debere de diluuio, priusquam subleuari posset Arca super terram, non autem quod per illos dies totum diluuij incrementum consummatum sit, quis non videt simile figmento esse, magisque dictum ne nihil diceretur, quàm quò aliquid vel in speciem probabile diceretur? Ad hæc postquam aquæ diluuij operuerunt terram vsque ad vertices montium, quo modo ex fontib. abyssi, hoc est, ex profundissimis terræ cauernis poterat erūpere aqua, & supra vertices montium exilire, vt reliquum diluuij incremētum, videlicet vsque ad quindecim cubitos super vertices montium, adderet?

POSTREMO, si per totos illos centum quinquaginta dies perpetuò creuerunt aquæ, cùm statim post illos dies Moses dicat diminutas esse aquas, sequeretur, qua die aquæ ad summum incrementum peruenerunt, eo ipso die continuò diminui ac deficere cœpisse, nec aliquandiu in suo robore, siue incremento mansisse: quod videtur contrarium diuinæ scripturæ, quæ sub finem septmi capitis dixit: 20

aquas obtinuisse terram, siue præualuisse super terram: siue roboratas esse super terram (est enim varia eius loci lectio) centum quinquaginta diebus. Et hoc dixit scriptura, cùm iam paulò antè dixisset, aquas quindecim cubitis altissimos terræ montes excessisse.

TER-

TERTIA DISPVTATIO.

Quo mense, & quoto die mensis cœperit fieri decrementum diluuij.

21 QVO autē mense, & quoto die mensis diminutio aquarum diluuij cœpta sit fieri, variè dicendum est, secūdum varias sententias auctorum de illis cētum quinquaginta diebus, post quos ait Moses diminutas esse aquas diluuij. Namq; Hugo Sancti victoris in Annotationibus suis in Genesim (Hugonem autem secuti sunt Historia Scholastica & Lyranus vt supra in libro duodecimo diximus) auspicatur istos centum quinquaginta dies ab ingressu Noë in Arcam, siue ab initio diluuij: & hac ratione cùm centum quinquaginta dies impleāt quinque menses Solares, singulis mensibus assignando triginta dies, necesse est dicere, diluuium cœpisse diminui exactis quinque mensibus ab eius initio, & primo die sexti mensis. Quod si loquamur de mensibus non respectu diluuij inchoati sed respectu anni tunc currentis, vel anni sexcentesimi vitæ Noë, dicendum est, diluuium cœpisse decrescere septimo anni illius mense, & die decimo octauo eius mensis. Patet hoc: si quidem diluuium cœptum est die decima septima mensis secundi illius anni, id est quadraginta septem diebus ab initio anni: quibus, si addas centum quinquaginta dies diluuij vsque ad eius decrementum, id est, quinque menses integros, verum esse quod diximus, facilè intelliges. *Hugo de S. Victore.*

22 AT verò secundum alteram sententiam eorum qui istos centum quinquaginta dies exordiuntur non ab initio diluuij, sed à fine quadragenariæ pluuiæ, iam scilicet quadraginta diebus ab initio diluuij transactis (& hæc est sententia Iosephi primo libro Antiquitatum, & B. Chrysostomi, Tostati quoque atque Caietani vt supra diximus) secundum hanc dico sententiam multo secus dicendum est. Quippè si quæratur quoto mense ab initio diluuij cœperint aquæ eius diminui? Respondebimus cœpisse diminui mense septimo & die vndecimo eius mensis: id quod perspicuè intelligitur, si ab initio diluuij computentur primo quadraginta dies pluuiæ, & post hos, alij centum quinquaginta dies quibus stetit diluuiū: ex vtraque enim summa existunt centum nonaginta dies, qui efficiunt sex menses Solares integros, & præterea decem dies septimi mensis.

SIN autem quæratur quoto mense respectu eius anni tunc currentis, vel respectu anni sexcentesimi vitæ Noe deficere cœperit diluuium: Respondendum est cœpisse deficere die vigesima septima mensis octaui. Nec dubium hoc esse potest, si quidem cùm incœpit diluuium, iam illius anni præterierant primus mensis, & sexdecim

dies secundi mensis cœptũ enim est diluuiũ die decima septima mensis secundi. deinde vsque ad decrementum diluuij transierunt centum nonaginta dies, id est, quadraginta pluuiæ, & centum quinquaginta status diluuij, centum autem nonaginta dies continent sex menses, & insuper decẽ dies. Hinc necessario efficitur quod diximus, cœpisse diminui aquas diluuij, die vigesima septima mensis octaui illius anni.

Animaduersio in Iosephum.

VERVM nescio equidem cur Iosephus loco paulò superius me- 23
morato scriptum reliquerit, cœpisse aquas sidere, id est, diminui ac deficere mense septimo, vigesimo septimo die eius mẽsis. Nam cùm ipse ab initio diluuij vsque ad eius decrementum recenseat centum nonaginta dies, nullo modo sententia eius cohærere potest. Nam si loquatur de mense respectu diluuij, dicere debuit cœpisse deficere diluuium die vndecimo mensis septimi: sin autẽ de mense respectu anni, dicendum ei fuit, diminutionem diluuij fieri cœpisse die vigesima septima mensis octaui. Itaque eius sententia nullum habet exitum. Aut igitur locus hic apud Iosephum mendosus est, vt pro mense octauo mẽdose scriptum sit, mense septimo: vel ibi Iosephus per incuriam & incogitantiam lapsus est. Nam quod Moses dixit de Arca, ipsam quieuisse super montes Armeniæ mense septimo, die vigesimo septimo mensis, hoc ipse Iosephus applicuit ad id quod proximè antecesserat de initio decrementi diluuij post centum quinquaginta dies.

BREVIS DIGRESSIO MORALIS super verba octaui capitis hactenus explicata.

AD moralem tractatum pertinet nonnulla quę supra di- 24
ximus, cùm explanaremus prima illa verba Capitis octaui: *Recordatus Dominus Noë cunctorũque animantium & cætera.* Verùm præter illa, libet nunc quædam moralia documenta ex iisdem verbis sumpta carptim exponere. Aç primò quidem, exemplo Noë discendum nobis est quemadmodum Deus vitam iustorum hominum ex rebus secundi & aduersis admirabili quadam maximéque salutari alternatione & vicissitudine misceat ac temperet, vt illos ea ratione nec sibi fidentes, Deique protectione ac præsidio confisos, inter spem & metum (quæ cautissima & tutissima est Deo seruiendi ratio) perpetuò ingredi faciat. Itaque experiendo potius quàm legendo, verũ esse illi cognoscunt quod scriptum est: *Dominus mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit:* & quod legitur apud Tobiam: *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: Et si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem tranquillum facis.*

Primum documentum.

1. *Reg.* 2. *Tobiæ.* 3

facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuũ Deum Israël benedictum in sæcula.

25 ILLVD quoque obseruandum est, Deum non ante dici hoc loco recordatum esse ipsius Noë, quàm periissent peccatores diluuio: id quod non vacat mysterio. Tunc enim verè Deus memor nostri est nobisque benefacit, cùm vetus Adam cum vitiis suis in nobis per diluuium contritionis & pœnitentiæ velut submersus interiit. Illorum porrò hominum qui periere diluuio, dupliciter vtilis fuit interitus paucis illis qui per Arcam seruati sunt: tum quod, omnib. improbis è medio sublatis, neminem habuere post diluuium qui posset obsistere quo minus illi rectè viuerent, vel eos infectando atque infestando, vel exemplo suæ improbitatis ad flagitia incitando, tum quod recordatio interitus illorum, instar fræni simul & calcaris esse illis debuit, quo scilicet & retraherentur ab impietate & iniquitate, & ad percolendam aduersus Deum pietatem, iustitiamque erga homines impellerentur: & illorum mores factàque imitari perhorrescerent, quorum tam atrocem exitum & interitum recordarentur. *Malorum hominum interitus dupliciter vtilis est bonis.*

26 QVOD autem Deus non solum Noë recordatus esse dicitur, sed etiam animalium, non tantùm indicat eximium erga hominem Dei amorem curamque, cuius causa, diluuij exitio animalia seruare voluit: verùm enim est illud vetus apud Hispanos prouerbium: *Quien ama Beltran, ama su can*, id est: Qui amat Beltranum (est id nomen proprium hominis) amat quoq; eius canem: Verum præterea ostendit incredibilem Dei bonitatem, quę non modo pertinet ad homines, sed in animalia quoq; effunditur. Quamobrem sępe Deum laudat scriptura à liberalitate & beneficentia quam exercet erga animalia: & apud Salomonem vir iustus laudatur, quod non solum misericors sit erga homines, sed etiam erga animalia. *Nouit iustus*, inquit Salomon, *iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Vbi animaduertere oportet, Salomonem pulchra vsum esse antitheti: Siquidem viscera Hebraicè nomen habent à miseratione: appellantur enim *rechamim*, id est, miserationes. Vt execrandi videantur illi quorum viscera, quæ vt nomen eorum fert, propensissima esse deberent ad miserandum, sint erga homines inhumana atque credulia. B. Franciscum sæpenumero erga animalia misericordem ac benignũ fuisse non secus atque erga homines, legimus in eius historia. *Alterum documentum.* *Locus prouerbiorum. ca. 12.*

27 NEC tãtùm in Christianis hominibus hęc humanitas & misericordia erga animalia cõmendabilis ac prædicabilis fuit, verũ etiam apud Ethnicos. Audi quid Aelianus de Xenocrate scribat, vt eius humanitatẽ & misericordiã laudibus in cœlũ efferat: *Xenocrates*, inquit, *Platonis familiaris, adeo misericors & humanus erat, vt sæpe brutorum miseratione commoueretur. Cum in huius aliquando sub sidio considentis sinũ, passer quem accipiter insectabatur, deuolasset, eum libẽtissimè admisit, seruauitque tãtisper, dum is qui insectabatur abijsset. Vbi verò ipsum timore omni liberasset, statim aperto sinu eum dimisit, dicens se supplicem non prodidisse.* *Aelianus li. 13. de varia historia. Xenocratis humanitas erga animalia.*

Tertium documentum.

NEC est non dignum animaduersione, Deum, etsi possit ipse per 28
se omnia quæ fieri velit, perficere: quæcumque tamen per creaturas commodè fieri possunt, ad ea perficienda, earum ministerio vti solere. Poterat Deus sola voluntate sua, puncto temporis, omnem terrarum orbem aquis obruere: ad id tamen efficiendum rupit fontes abyssi, aperuit cataractas cœli: pluuiamque per quadraginta dies è cœlo effudit cumque libuit diluuium tollere, poterat solo nutu aquas omnes ad sua loca reuocare, terramque subito penitus exsiccare: attamen & flatu venti, & occlusione fontium abyssi & cataractarum cœli vti voluit. Nimirum Deum vti rerum à se creatarum opera ad id efficiendum, quod illæ possunt efficere, eximiam Dei bonitatem ac beneficentiam demonstrat, simul & rerum ipsarum dignitatem commendat & ornat.

HOC sequi per imitationem reges ac principes oporteret, vt qui 29
multos regendi & tractandi imperij sui adiutores & ministros habent, si eos nacti sunt fideles prudentesque ac diligentes, ipsos munia sibi iniuncta liberè exequi sinant: & quibus partem aliquam potestatis suæ tribuerunt, eis muneris sui integram & expeditam administrationem permittant. Hoc nempe maiorem Principum maiestatem & prudentiam declarat: gratiusque accidit eorum ministris, qui ea libertate sibi concessa alacriores & attentiores ad munus suum obeundum existunt: idemque ad rectam & stabilem quietamque & suauem gubernandi rationem apprimè conducit.

Quartũ documentum.

NON est hoc loco prætermittendum omnes creaturas prom- 30
ptissimè Creatori suo deseruire, siue ad vltionem improborum, siue ad bonorum conseruationem, liberationem, & consolationem. Ecce tibi, cùm placuit Deo, propter peccata hominum, vniuersum terrarum orbem diluuio perdere, continuò omnem aquæ subterraneæ ac terrestres cælestesque, quasi coniuratæ ad internecionem hominum ad inundandum & obruendum orbem, omnes suas vires contulerunt. Contrà verò, ad misericordiam flexo iam Deo, & ad consolationem Noë reparationem quæ mundi conuerso, confestim vires suas à destruendo mundo cohibuerunt: præsto fuit ventus exsiccans & consumens aquas: abyssus aquas quas emiserat, reuocauit atque resorbuit & apud se continuit: Oceanus qui terras amplissimè altissimèque inundauerat, intra priores sedis suę terminos rediit: denique quę prius Deo ad efficiendum diluuium inseruierant, eadem ad eius remotionem & abolitionem iubenti Deo deseruiunt. Præclarè igitur scriptum illud est in libro Sapiētiæ: *Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt,*

Sapiētiæ 16.

Rupert. li. 4. in Gen. c. 22. Allegoria de Christo Domino.

RVPERTVS locum hunc Mosis per allegoriam pulchrè applicat ad Christum Saluatorem nostrum sic enim scribit: *Recordatus est Deus Pater Christi filij sui, postquã intrauerunt aquæ vsque ad animam eius, postquam tribulationes mortis pertransierunt animam suam, cùm teneretur in sepu-*

in sepulchro conclusus, Et adduxit Spiritum super terram. Spiritū inquam, id est, reducem vitam adduxit super terram exanimi corporis: suscitauit enim illum à mortuis. Sed & supra omnem terram per vnius resurrectionē adduxit Deus spiritum: dedit enim ex tunc hominibus Spiritum sanctum in remissionem peccatorum: qui ita nebulas cordium dissipat, tentationumque fluctus exsiccat: quemadmodum Spiritus ille quem Deus super terram adduxit, humidum frigidumque aërem calefaciendo, aquas imminuit, & vsque ad siccum paulatim eliminauit. Sic Rupertus

Requieuitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniæ.

PRo vocabulo illo, *Armeniæ*, Legitur Hebraica *Ararath*, quā vocem septuaginta interpretes nō sunt interpretati, sed eam ipsam vt legitur Hebraicè posuerūt in sua translatione. Vocem autem Ararath omnes interpretantur Armeniam: fuisse autem locum: vbi resedit
32 Arca, in Armenia, vel ei proximum, non leue argumentum est, Armenos id vetusta traditione persuasum & certum habuisse. Quapropter locum illum egressionis Noë ex Arca, illi Armenica voce appellarunt Aprobatherion, id est, Egressorium. Quis autem mons Armeniæ fuerit is super quem resedit Arca, variè traditur.

33 BEROSVS Chaldæus apud Iosephum primo libro Antiquitatum appellat montem Cordyeorum: in quo etiam suo tempore superat pars illius Arcæ, vnde bitumen abradebatur in remedium morborum. Apud eundem Iosephum Nicolaus Damascenus eum montem nominat Barim. Cur autem eum montem B. Ambrosius appellauerit montem Quadrati, equidem nulla coniectura vel suspitione possum attingere. Sunt qui putent Mosen per Ararath intellexisse Araxem fluuium, & aquis, & scriptorum prædicatione nobilem, qui magna vndarum mole ex monte Tauro effusus, & per Armenię campos spatiatus, in mare Hyrcanum aquas exonerat. Est igitur hæc sententia verborum Mosis, atcam resedisse in Tauri montis vertice, vbi Araxari fluuio affinis est.

Berosus Chaldæus apud Iosephum.
Nicolaus Damascenus apud eundem.
Ambros. de Arca Noë cap. 17.
Hamerus in Genes.

34 DIRIMIT quoque Taurus mons Armeniam minorem à Cilicia: vt credibile sit arcam in ea Tauri parte quieuisse qua Ciliciæ incubat: idque verisimile facit Tarsus ante omnes Cilicæ vrbes nobilis, olim appellata Tersus à verbo τερσαίνω, quod significat, arefacio. Fertur enim, post diluuium, vt scribit Stephanus de Vrbibus, loca Cilicæ primò apparuisse aquis exsiccata, & idcircò Tarsum vrbem vocatam à tali exsiccatione, quasi in argumentum exsiccatæ primum ibi terræ, Tarsus posteà sit condita. Neque verò existimare necesse est, quia resedit arca super illum montem Armeniæ, eum fuisse omnium orbis montium altissimum: fieri enim potuit, vt multi aliis locis essent

Stephanus.

altiores, sed satis est, in iis locis, per quæ loca tum ferebatur Arca, eum montem fuisse altissimum.

Ex hoc item loco licet intelligere, basim siue fundum illius Arcæ 35
non fuisse angustum, & ad modum carinæ nauis acuminatum: si enim talis fuisset, non potuisset Arca super montem residere: sed necesse est fuisse latum & planum. Ex quo manifestum fit, Arcam non supernatasse aquis, sed magnam partem inferiorem demersam aquis habuisse. Significat enim Moses hoc loco, multis diebus priusquam montium cacumina extra aquas extarent & apparerent, Arcam requieuisse super montes Armeniæ.

QVARTA DISPVTATIO.

Vnde computandus sit mensis ille septimus, quo mense dixit Moses Arcam requieuisse super montes Armeniæ.

HIc quæritur, vtrum dicatur mensis ille septimus ab ini- 36
tio anni sexcentesimi, an ab initio diluuij, & ex quo Noë ingressus est in Arcam. Duæ sunt sententiæ auctorum: vna est eorum qui illos centum quinquaginta dies quibus aquæ obtinuerunt terram, & post quos aquæ diluuij cœperunt imminui, vt suprà dixit Moses, auspicantur post quadraginta illos dies pluuiæ: ita vt ab initio diluuij, vsque ad id temporis quo cœperunt aquæ diminui, numerent centum nonaginta dies: & huius sententiæ suprà libro duodecimo diximus esse Iosephum, B. Chrysostomum, Tostatum & Caietanum. Secundum hos igitur non potest intelligi, mensem quo requieuit Arca, fuisse septimum ab initio anni sexcentesimi: Nam (vt eisdem visum est) cùm ab initio diluuij vsque ad initium diminutionis aquarum transierint centum nonaginta dies, & iam ab initio anni transierant quadraginta sex dies vsque ad principium diluuij, siquidem die decimo septimo mensis secundi incœpit diluuium: ergo ab initio anni vsque ad principium diminutionis aquarum transiuissent ducenti triginta sex dies, hoc est, ferè octo menses. Si igitur Arca requieuisset super montes vigesima septima die mensis septimi ab initio anni, sequeretur, Arcam triginta diebus requieuisse super montes, priusquam aquæ cœpissent diminui: quod est per se absurdum & narrationi Mosis manifestè contrarium. Necesse igitur est, istos auctores septimum mensem quo requieuit Arca, computare non ab initio anni sexcentesimi, sed ab initio diluuij.

SED quemadmodum eam computationem ipsi declarent dein- 37
ceps

ceps videndum est. Catetanus quidem hoc loco sic eam computationem explicat: *Si supputaueris*, inquit, *à die qua cœpit diluuium, vsque ad diem decimum septimum mensis septimi quo requieuit Arca* (Sic enim legit Caietanus, Scripturam Hebraicam secutus, cùm nostra lectio Latina habeat diem vigesimum septimũ, de qua varietate & discrepãtia lectionis, quæstione proximè sequenti disputabitur) *Si, inquam supputaueris à die quo cœpit diluuium, vsque ad diem decimum septimum mensis septimi quo requieuit arca, numerabis vnum & nonaginta centumque dies qui conficiunt menses sex & dies decem & septem, deputando secundum Hebræos, cuilibet mensi viginti nouem dies: ita quod decimus septimus dies mensis septimi fuit centesimus nonagesimus primus dies à principio diluuij. Et hinc patet quod numerus ille centum quinquaginta dierum æstimari debet post quadraginta dies pluuiæ.* Hæc Caietanus. *Caietanus.*

38 SED in Caietani computatione duo sunt minimè probanda. Primùm enim contra sententiam omniũ, & contra Hebræorũ atque omnium gentium consuetudinem, cuilibet mensi Lunari (tales autẽ erant menses Hebræorum) non assignat nisi viginti nouem dies, cùm manifestum sit vnumquemlibet mensem Lunarẽ continere viginti nouem dies & insuper dimidium diem. Quamobrem Hebræi, alternis, vnum mensem faciebant viginti nouem dierum, alterum verò triginta. Hinc fit, vt sex menses Lunares vnà cum decem & septem diebus efficiant dies cẽtum nonaginta quatuor, non autẽ centum nonaginta & vnum sicut existimauit Caietanus. Deinde, secundum cõputationem Caietani, sequeretur vt eo ipso die quo cœperunt diminui aquæ, etiam Arca resederit super montes, quod est improbabile: præsertim cùm, ex quo resedit Arca donec apparuerunt cacumina mõtium, præterierint secundum ipsum Caietanum septuaginta dies. Quo licet intelligere, illa diminutio aquarum diluuij quàm lentè ac paulatim facta sit. *Refellitur Caietanus.*

39 TOSTATVS autem eandem cõputationem sic explanat: Si quis, inquit, ab initio diluuij numeret septem menses Lunares, inueniet septem & ducentos dies: cùm autem ab initio diluuij quoad cœperunt imminui aquæ, præterierint centum nonaginta dies, vt supra ostendimus, supererunt decem & septem dies, quibus dicemus, Arcam post initium decrementi aquarum fluitasse huc illud priusquam resideret super montes Armeniæ. Verùm in hac sua Computatione lapsus est Tostatus, numerans septè menses integros ab initio diluuij, quousque resedit Arca, cùm illi non fuerint integri, sed defuerint tres dies ad complementũ septimi mensis, siquidem Arca resedit vigesimo septimo die mensis septimi, quocirca tres dies ad eius septimi mensis consummationem deerant. Non igitur à principio diminutionis aquarum vsque ad diem qua resedit Arca, excurrerunt decem & septem dies, vt vult Tostatus, sed quatuordecim tantum. *Tostatus refellitur.*

40 ALTERA sententia est eorum auctorum, qui illos centum quinquaginta dies numerant ab initio diluuij. Hanc autem sententiam tribuimus supra historiæ scholasticæ & Lyrano. Isti septimum mensem

quietis

quietis Arcæ numerant ab initio anni non autem diluuij. Et huic sententiæ consequens est, inter eum diem quo cœperunt imminui aquæ diluuij, & eum diem quo resedit Arca, interfluxisse octo dies, quibus diebus eatenus imminutæ sunt aquæ, quæ altissimos montes quindecim cubitis supergressæ fuerant, vt Arca basi vel fundo suo verticem vnius montiũ Armenię contingens super eum resederit. Huius autem computationis ratio facilè iniri & subduci ad hũc modum potest. Ab initio anni sexcentesimi vsque ad initium diluuij, quod factum est decimo septimo die mensis secundi præterierũt quadraginta sex dies: Et hoc consecuti sunt centũ quinquaginta dies quib. duravit incrementum diluuij. Ex vtroque autẽ hoc numero existit summa centũ nonaginta sex dierũ. Restant igitur octo dies vsque ad quatuor & ducẽtos: qui quidem efficiũt sex menses Lunares, & insuper viginti septẽ dies, quo die vigesimo septimo mensis septimi dicitur requieuisse Arca.

HANC opinionẽ illud facit mihi quidem valdè probabilem, quod 41
eodem modo secundum eam computantur omnes menses qui in hac narratione numerãtur à Mose, scilicet ab initio anni: at secundũ priorem sententiam necesse est eos variè computari: quosdam quidem à principio anni, alios verò ab initio diluuij. Nãque sectatores eius opinionis mensem secundum quo factum est diluuium, & mensem decimum quo apparuerunt cacumina montium, & mensem primum sexcentesimi primi anni quo dicitur Noë tectũ Arcæ aperuisse, & menses omnes, illi computant ab initio anni: solum autem mensem septimum quo requieuit Arca super montes, volunt illi esse computandum non ab initio anni, vt ceteros, sed ab initio diluuij. Quis autẽ inducat in animum credere Mosen in hac sua tam breui narratione, variè & ambiguè posuisse mẽses, nulla eius varietatis facta significatione? Secunda igitur sententia computans illum septimum mensem quo requieuit Arca, ab initio anni, primæ videtur præferenda.

QVINTA DISPVTATIO.

De discrepantia lectionis Latinæ ab Hebraica, quæ est hoc loco super diem quo Arca dicitur requieuisse in montibus Armeniæ.

ET Latina translatio, & Græca Septuaginta Interpretum, ha- 42
bent hoc loco, Arcã requieuisse vigesimo septimo dies mẽsis septimi: Scriptura verò Hebraica & Paraphrasis Chaldaica habent

habent eam requieuisse die decimoseptimo eiusdem mensis, nec apparet quemadmodum hæ duæ lectiones inuicem consiliari queant. Cum igitur vtraque lectio non videatur vera esse posse, quæritur vtra iudicanda sit mendosa & falsa, & vtra præferri debeat. Equidē nefas duxerim mendosam esse dicere Latinam trāslationem, quam omnes ad vnum Latini codices & nunc habent, semperque habuerunt, nulla cùm sit mendi suspicio: præsertim cùm Græci omnes Septuaginta Interpretum libri eandem lectionem habeant, habuerintque semper, omnesque Patres, tam Græci quam Latini, eam ipsam lectionem hoc loco secuti sint.

43 Nec propterea tamen ausim pronunciare falsam esse, atque omnino damnare lectionem Hebraicam, cum qua etiam consentit paraphrasis Chaldaica: quippe eam lectionem omnes Hebræi libri constanter habent. Difficile autem creditu est omnes Hebræos libros ab Hebræis esse corruptos. Non enim casu aliquo corrupti sunt, siquidē casus nec omnib. libris, nec omni æuo accidisset. Nec consultò voluisse Iudæos corrumpere omnes suos libros credibile est, cùm nulla esset ratio cur potissimum hunc Mosis locum deprauare vellent. Similiter enim & simili in re argumentatur B. Augustinus libro decimoquinto de Ciuitate Dei, capite decimotertio vbi, quod ipse scripsit de auctoritate Hebræorum codicum, me quidem certè vehementer deterret, ne communem omnium Hebræorum librorum inueteratāque lectionem repudiare audeam, Sic enim ille scribit: *Rectè fieri nullo modo dubitauerim vt cum diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur* (loquitur ibi Augustinus de Græcis & Hebræis codicibus, idemque de Latinis existimandum videtur) *quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumq; esse non potest verum ei linguæ potius credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio.* Sic Augustinus. *Augustinus.* *Notabilis sententia Augusti.*

44 Ergo alij, maiore quàm nō sumus ingenio & iudicio, vberioreque sacrarum litterarum doctrina præditi, ad viam aliquam & rationem eas duas lectiones inter se consiliandi atque concordandi reperiendam, incumbant. Dummodo illud ratum & fixum sit, si Hebræa lectio contradicat omnino Latinę, nec vtraque simul cohęrere queat, standum esse potius Latinæ quàm Hebrææ: quippè cùm illa Tridentini Concilij auctoritate tantopere commendata & communita sit. Nos tamen vtranque lectionem hic ponemus, & quemadmodū numerus illorum dierum qui est in vtraque lectione variè computari & verè constare queat, breuiter ac dilucidè ostendemus.

Secvndvm lectionem igitur Hebraicam quæ habet, Arcam resedisse decimoseptimo die mensis septimi, quadruplex Computatio fieri potest. Sed illud ante ponatur sex menses Lunares insuperque dies decem & septem continere centum nonaginta quatuor dies. Prima Computatio est. Si septimus mensis quo requieuit Arca numeretur ab initio diluuij, & quadragiuta dies pluuiæ separentur ab aliis centum quinquaginta diebus (de quibus supradictum est) tunc reliqui *Explanatur lectio Hebraica.*

erunt quatuor dies ab initio diminutionis aquarum, vsque ad diem quo resedit Arca. Secunda Computatio. Si mensem septimum auspicemur ab initio diluuij, dies tamen illos quadraginta pluuiæ includamus in illos centum quinquaginta dies, relinquentur quadraginta quatuor dies ab initio decrementi aquarum, vsque ad quietem Arcæ. Atque hæ duæ Computationes satis sunt probabiles. Secunda tamen multis videtur probabilior, propter causam à nobis paulò suprà expositam.

TERTIA Computatio si numeretur septimus ille mensis, non 45
ab initio diluuij, sed ab initio anni, & quadraginta dies pluuiæ separentur ab aliis centum quinquaginta diebus, sic efficientur ab initio anni vsque ad finem illorum centum quinquaginta dierum post quos cœpit diminui diluuium ducenti & triginta sex dies, hoc est, octo menses. Hinc autem sequeretur, Arcam duobus & quadraginta diebus ante diminutionem diluuij super montes resedisse, siquidem ab initio anni vsque ad decimum septimum diem mensis septimi quo requieuit Arca, numerantur centum nonaginta quatuor dies. sed hoc & absurdum est, & diuinæ scripturæ contrarium. Quarta Computatio. Si septimus mensis recensetur ab initio anni, & illi quadraginta dies pluuiæ includantur in alios centum quinquaginta, ab initio anni vsque ad principium decrementi aquarum, centum nonaginta sex dies extitissent, quapropter duobus ante diminutionem aquarum diebus Arca resedisset: quod licet minus absurdum sit, quàm quod paulò ante ex tertia Computatione concludebatur, absurdum tamen est, & narrationi Mosi contrarium. Et hactenus quidem de lectione Hebraica.

Explicantur Græca & Latina lectio.

LATINA porrò & Græca lectio, quæ habet, Arcam requieuisse 46
vigesimo septimo die mensis septimi, similiter quatuor & ipsa Computationem est capax. Sed ponamus, id quod certum est, ab initio anni vsque ad vigesimum septimum diem mensis septimi, secundum rationem mensium Lunarium numerari dies quatuor & ducentos. Prima igitur Computatio sit, supputando mensem septimum quo requieuit Arca, ab initio diluuij, & separando quadraginta dies pluuiæ ab aliis centum quinquaginta, restant dies quatuordecim, quibus post initium decrementi aquarum Arca fluctuabat, donec tandem super montibus subsisteret. Secunda Computatio. Numerando mensem septimum ab initio diluuij, nec tamen separando quadraginta dies pluuiæ, ab aliis centum quinquaginta, reliqui fiunt quinquaginta quatuor dies, inter principium diminutionis aquarum & quietem Arcæ interiecti. Vtraque Computatio hæc probabilis est, sed propter causam suprà dictam probabilior videtur secunda quàm prima: Tertia Computatio. Incipiendo mensem septimum ab initio anni, & separando quadraginta illos dies ab aliis centum quinquaginta, efficitur Arcam duobus & triginta diebus priusquàm diminuerentur aquæ, resedisse. Quarta computatio. Incipiendo

simili

similiter septimum mensem ab initio anni, non tamen separando quadraginta dies pluuiæ ab aliis centum quinquaginta, relinquentur octo dies, quibus post initium diminutionis aquarum Arca fluctuauit, tandemque requieuit. Harum autem duarum Computationum, vt tertia est omnino reiicienda, sic quarta & vltima, multorum sententia, ceteris probabilior habenda est. Verum de his satis.

SEXTA DISPVTATIO.

Super illa verba:

Decimo autem mense prima die mensis apparuerunt cacumina montium. VERS. 15

47 AIT Moses aquas diluuij decreuisse vsque ad decimum mensem: nō quod tunc fuerit omnino finitum aquarum decrementum, siquidem paulò infrà dixit Moses sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutas fuisse aquas super terram, sed cùm ante decimum mensem licet aquæ multis diebus decreuissent, nihilominus tamen vniuersam terram etiam super omnes montes operirent, tunc primum, id est, ineunte decimo mense, in tantum diminutæ sunt aquæ, vt extare & apparere inciperent & cacumina montium.

CAIETANVS decimum hunc mensem computat ab initio diluuij, censetque ab ea die qua requieuit Arca, id est, à decima septima die mensis septimi vsque ad primam diem decimi mensis quo primum apparuerunt cacumina montium, præteriisse septuaginta dies: videlicet tam altè Diluuium operuerat montes, vt postquàm cœpit decrescere, septuaginta dies decrementi eius transierint, priusquàm altissimorum montium vertices aquis nudati apparerent. Audi Caietanum: *Ibant* inquit, *aquæ, & decrescebant vsque ad decimum mensem, proculdubio ab initio diluuij, septuaginta igitur dies præteriisse describuntur à quiete Arcæ super montes, vsque ad mensem decimum. Fluxerūt namque duodecim dies septimi mensis & quinquaginta octo dies integrantes octauum & nonum mensem: die autem immediatè sequenti supradictos septuaginta dies apparuisse dicūtur cacumina, vel, quod significat vox Hebræa, capita mōtium. Igitur quando Arca quieuit super montes, adhuc capita mōtium tam altè cooperta erāt aquis, vt septuaginta dierū spatio opus fuerit vt ea detegerētur aquis & tota Arca libera esset ab aquis, quæ per dies illos septuaginta secundum non paruam partē cingebatur aquis sensim deficientibus. Neque obstat quod Hebraicè dicitur visa fuisse capita montiū. Non enim significatur fuisse tecta visa ab aliquo, sed fuisse aquis detecta & nudata, quamobrē facta sunt aspectabilia & conspicua, qualia prius non erant, aquis tecta.* Hactenus ex Caietano.

Caietanus in 8. caput Geneseos.

Refellitur Caietanus. VERVM non esse probabilem Caietani sententiam, licet ad hunc 48
modum argumentari: Si mensis hic decimus computatur ab initio diluuij, cùm ante principium diluuij præteriissent vnus mensis & sexdecim dies anni sexcentesimi, ergo cacumina montium apparuissent decimo octauo die vndecimi mensis anni sexcentesimi, & reliqui essent ad complendum eum annum vnus mensis integer & insuper duodecim dies, id est, dies duo & quadraginta. At verò Moses post apparitionem montium vsque ad initium anni sexcentesimi primi recenset primò quadraginta dies, deinde bis septem dies qui iuncti illis faciunt quinquaginta quatuor, post quos auspicatur annum sexcentesimum primum, dicens primo die anni sexcentesimi primi Noë apperuisse tectum Arcæ: atqui secundum superiorem supputationem Caietani, fuisset id factum non primo die, sed decimo tertio de anni sexcentesimi. Præterea Noë non fuisset egressus Arca anno sexcentesimo primo, mense secundo, die vigesima septima vt narrat Moses, sed mense tertio, & die duodecimo quod ex suprà dictis facile erit lectori colligere.

AD hæc, sequeretur Noë fuisse in Arca non tantum vno anno integro Solari, vt plerique omnes censent, sed vltra vnum annum Solarem mansisse in Arca duos menses, & dies decem, Non igitur decimus ille mensis computandus est ab initio diluuij, sed ab initio anni sexcentesimi: quemadmodum etiam de septimo mense quo requieuit Arca, paulò suprà dictum est. Quocirca inter diem vigesimã septimam mensis septimi quo requieuit Arca, & inter diem primum mensis decimi quo apparuerunt cacumina montium, interfluxerunt tres & sexaginta dies.

CETERVM super eadem verba Mosis quibus dicitur, primo die 49
mensis decimi primum apparuisse cacumina montium ardua existit hoc loco quæstio. Moses enim ait, prima die decimi mensis apparuisse cacumina montium: exinde numerat quadraginta dies, post quos dies Noë aperiens fenestram, emisit coruum & columbam: post hos autem recenset bis septem dies, per quos columbã bis emisit: Et hi quidem omnes dies cõficiunt numerum dierum quinquaginta quatuor. Posthæc subdit Moses, anno sexcentesimo primo, mense primo, & prima die mensis arefactam esse terram: atqui à primo die decimi mensis anni sexcentesimi, vsque ad primum diem primi mensis anni sexcentesimi primi, præterierunt tres menses Lunares, hoc est, non quinquaginta quatuor dies, vt indicat Moses, sed octoginta octo. Non igitur sibi cõstat in Chronologia, Mosis narratio, quinimo se ipsa planè destruit.

Opinio Caietani. CAIETANVS, qui vt supra diximus, illos quadraginta dies pluuiæ separat ab aliis centum quinquaginta quibus diluuium stetit, & septimum atque decimum mensem nominatos à Mose, auspicatur ab initio diluuij: nunc ait: *cùm Moses scripsit anno sexcentesimo primo, mense primo, & die primo arefactam esse terram, significasse tunc completum*

fuisse

fuisse integrum annum sexcentesimum Noë, Huius enim anni dies omnes dinumerauit Moses per partes: nam primo commemorauit quadraginta sex dies, cùm dixit ingressum fuisse Noë in Arcam anno sexcentesimo, mense secundo die decimo septimo: deinde recensuit quadraginta dies pluuiæ, post hos autem commemorauit alios centum quinquaginta dies vsque ad diminutionem aquarum, adhæc septuaginta, alios videlicet à decima septima die mensis septimi, vsque ad primum diem mensis decimi: præter hos verò nominauit quadraginta dies, & insuper alios bis septem dies: ex prædictis autẽ omnibus diebus cõficitur summa dierum trecentorum sexaginta, assignando cuilibet mensi Lunari viginti nouem dies.

51 ANNVS *porrò apud veteres constabat trecentis sexaginta diebus iuxta numerum graduum signorum in Zodiaco, vnicuique gradui diem vnum assignando: taliſque fuit annus solaris apud Græcos & Romanos, & vt creditur, etiam apud Aegyptios, eundemque fuisse tempore Mosis & Noë licet colligere ex hac Chronologia diluuij. Verum quia Sol non ante trecentos sexaginta quinque dies superque quadrantem, conficit spatium suum: vt annus congrueret cum motu Solis, cuique mensium anni tribuebantur triginta dies, & sexto quoque anno adiungebant mensem intercalarem, vt supplerent illos quinque dies, qui singulis mensibus superabant. Hanc tamen rationem anni & intercalationis correxit Iulius Cæsar, & ita vt nunc est, descripsit atque constituit. In illum autem diluuij annum non incidit mensis intercalaris: quocirca non habuit annus ille nisi trecentos sexaginta dies.* Et Caietani quidem opinio ita se habet. *Qualis fuerit annus apud veteres secundum Caietanum.*

52 VERVM in hac opinione & interpretatione Caietani multa sunt minime probanda. Principio, separat Caietanus quadraginta dies pluuiæ ab aliis centum quinquaginta: sed eos non debere separari, suprà ostendimus esse probabilius. Tum septimum & decimum mensem computat ab initio diluuij: verùm hoc quoque minus probabile esse, paulò suprà dictum est. Assignat præterea cuilibet mensi Lunari tantum viginti nouem dies: cùm assignare oporteat viginti nouem & insuper dimidium diem, quinimo secundum ipsum Caietanum, cuilibet mensi Lunari viginti nouem dies tantummodo assignantem, necesse esset annum ex duodecim mensibus Lunaribus compositum, trecentis duntaxat & quadraginta octo diebus constare, quem tamen ille facit trecentorum sexaginta dierum.

53 AD hæc quod Caietanus dixit, apud veteres Romanos, Græcos & Ægyptios fuisse annum trecentorum sexaginta dierum, & sexto quoque anno mensem vnum intercalari solitum: eamque rationem anni fuisse in vsu tempore Noë, & in historia diluuij hoc loco à Mose connumerari: nonnihil habet veri, sed plus tamen falsi. Etenim Censorinus in libro primo de Die natali Romanorum, de ratione apud varias gentes scribens: *Minimè*, inquit, *videtur errare, qui ad Lunæ cursum menses ciuiles accommodarunt: vt in Græcia plerique, apud quos alterni menses ad triginta dies facti sunt. Maiores quoque Romani idem sunt æmulati, cùm annum dierum trecentorum sexaginta haberent,* Apud Macrobium verò sic *Censorinus.* *Macrob.*

Aegyptij trecenum dierum omnes habent menſes, trecentorum ſexaginta tantum dierum annum habent, hinc explicitis duodecim ſuis menſibus, id eſt, trecentis ſexaginta diebus exactis inter Auguſtũ & Septembrem, vel vt Aegyptiace dicitur, inter Mezori & Toth, ſcilicet nouiſſimum anni menſem, primumque ſequentis anni: reliquos quinque dies ſolaris circuitus anno inſerunt: quarto inſuper quoque anno diem eodem loco intercalarem qui ex quadrantibus conſit, annectunt. Hæc apud Macrobium.

Herodot. li 2. MACROBIO conſona ſcribunt Herodotus, Diodorus, & Strabo. *Omnium hominum* (inquit Herodotus) *primos Aegyptios conſtat annum comperiſſe, diſtinguentes eum in duodecim temporum menſes: idque comperiſſe ex aſtris, eo ſcientius (vt mihi videtur) hoc agentes, quam Graeci: quod Graeci tertio quoque anno intercalarem menſem inducunt temporis gratia: Aegyptij verò trecentis diebus ſingulos menſes taxãtes, adiciunt huic numero quo tannis quinos dies: Vnde eis ratio circuli temporum conſtat eodem reuertentis.* 54

Dio. Siculus lib. 2. IDEM obſeruatum à Thebeis tradit Diodorus Siculus in hunc modum ſcribens: *Thebei ſe antiquiſſimos hominum profitentur, primumque philoſophiam & aſtronomiam à ſe repertas, ſeque regionis ſitu ad cognoſcendos Orientium & Occidentium motus aſtrorum eſſe aditos: Menſes inſuper & annos à ſe inſtitutos eſſe. Dies autem non ſecundum Lunam, ſed ſecundum Solem illi metiebantur, triginta dierum menſem facientes. Quinque verò dies & quadrantem diei, duodecim menſibus adiungentes, anni curſum perficiunt, intercalares menſes non interponunt, neque dies ſubducunt, ſicut & Graecorum quidam.* Hactenus ex Diodoro. 55

EX his apparet, apud veteres Ægyptios annum fuiſſe trecentorum ſexaginta quinque dierum: quanquam extremi quinque dies non vt partes ab illis numeratentur, ſed vt adiectitij cenſerentur. Non igitur verum eſt quod dixit Caietanus, annum tempore Noë, fuiſſe trecentorum ſexaginta dierum, talem ſcilicet, qualis erat apud veteres Ægyptios. Quid quod Hebræi vtebantur annis Lunaribus, quolibet ſcilicet anno trecentorum quinquaginta quatuor dierum, ſed eos tamen ad rationem motus ſolis reuocabant & accommodabant, ferè tertio quoque anno menſem vnum intercalantes. 56

Auctoris ſuper quæſtione propoſita iudicium & ſententia. AD Quæſtionem igitur & difficultatem ſuprà poſitam aliter reſponderi oportet. Mihi quidem veriſimile admodum fit Moſen in hac hiſtoria diluuij non omnes menſes dies eius anni quo diluuium factum eſt, dinumeraſſe, ſed multos prætereundo tacitos, enumeraſſe tantum eos quibus aliquid euenit, vel à Noë factum eſt, quod inſigne eſſet & commemorabile, atque ad hanc hiſtoriam diluuij illuſtrandam conferret. Nominauit ille decimum ſeptimum diem ſecundi menſis: quia eo die fieri cœptum eſt diluuium. Recenſuit quadraginta dies pluuiæ: vnde incrementum diluuij accidit. Commemorauit centum quinquaginta dies: quod per eos diluuium ſtetit, & poſt eos cœperunt diminui aquæ diluuij. Nominauit vigeſimam ſeptimam diem ſeptimi menſis: quia tunc primum Arca reſedit ſuper montes. Mentionem fecit primi diei decimi menſis: quod 57

eo die primuum apparuerunt cacumina montium. Posthæc supputauit quadraginta dies, quod illis transactis Noë aperiens fenestram Arcæ, dimisit coruum & columbam ad explorandum vtrum diluuium cessasset. Adiecit deinde quatuordecim dies, in quibus columba primo reuertens ad Arcam, ramum oleæ vitētibus, frondibus ore tulit: iterum autem emissa nec regressa tamen, siccatæ iam ab aquis terræ indicium fecit. Quoniam autem aliis diebus & mensibus nihil horum simile, id est, nihil memorabile acciderat, propterea Moses putauit ea tempora non esse percensenda.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Quanta pars Arcæ demersa fuerit aquis, cùm aquæ in summo erant incremento, id est, cùm altissimos montes quindecim cubitis excedebant.

HANC quæstionem à nullo memini Patrum attingi. Primum qui eam videtur attigisse, reperi Hugonem Sancti Victoris: posteà verò satis curiosè & subtiliter eam exagitarunt ex Hebræis Rabbi Salomon. de nostris autem Lyranus, Paulus Burgensis, Tostatus, Carthusianus, aliique. Nobis eam quæstionem nec omnino intactam præteriri, nec nisi strictim & quasi obiter tractari oportere visum est. *Ruperius. Salomon. Paul. Burgen sis.*

QVID ergo de posita quæstione tradit Hugo? Is libro primo de Arca morali, capite tertio cùm diuisisset Arcā in quinque māsiones, infimam, quæ appellatur Stercoraria: & huic proximam, quæ nominatur Cibaria: significat eas duas mansiones fuisse aquis demersas: primam verò aquis superstantem facit, tertiam Arcæ mansionem in qua fera & indomita animalia collocat: infimæ porrò mansioni, quatuor cubitos altitudinis: alteri verò quæ super hanc proxima erat, quinque cubitos assignat. Ex quo intelligitur, Hugonem sensisse, ex triginta cubitis altitudinis totius Arcæ, nouem inferiores fuisse aquis demersos: ita vt Arca nouem cubitis intra aquam esset, vno autem & viginti cubitis extra & supra aquas. Sic ex Hugone. *Hugo.* *Genesi 6.*

VERVM diuersa est Lyrani sententia. Siquidem is in octauum caput Geneseos super illa verba: *Prima die mensis decimi apparuerunt cacumina montium:* de suprà dicta quæstione disputans, primò sumit & ponit quædam, iudicio ipsius certa sibique (vt putat ipse) ab omnibus concedenda. Et primo quidem ait, Arcam non intrasse quindecim cubitis aquas diluuij, cùm erant aquæ in summo incremento: cùm enim aquæ non excederent montes plus quindecim cubitis, si totidem *Lyranus.*

totidem cubitis Arca intrasset aquas, vtique fundo suo contigisset montes: non igitur mota fuisset, sed in illis semper resedisset.

DEINDE affirmat, tantum præcisè Arcã demersam fuisse aquis, 60
quantum aqua excedebat montes, quando Arca primò requieuit super montes. Tertio loco sumit, decremẽtum aquarum, ex quo primum illæ cœperunt decrescere, vsque ad id temporis quo apparuerunt cacumina montium, esse factum septuaginta diebus: tot enim dies inter cessisse, eò patet, quòd aquæ cœperunt diminui post cẽtum quinquaginta dies ab initio diluuij, vt supra dictũ est, id est, vigesimo die mensis septimi: hinc autem vsque ad primum die mensis decimi, numerantur dies septuaginta.

QVARTO loco sumit, diminutionem aquarum quotidie factam 61
esse æqualiter, ita vt per singulos dies tantundem aquæ decreuerit. Et hoc fit verisimile, quia causæ decrementi aquarum eodem modo & æqualiter per omnes eos dies sese habuerunt: Causas dico, & ventum à Deo missum, & occlusionem fontium abyssi, & cataractarum cœli, atque prohibitionem pluuiæ.

EX his concluditur, si per septuaginta dies diminutæ sunt aquæ quindecim cubitis, si illos septuaginta dies distribuas per quindecim cubitos, fore, vt cuilibet cubito decrementi obueniant dies quatuor & dimidium diei superque sexta pars diei, vt aquæ vno fermè cubito decreuerint singulis quatuor diebus. Quoniam autem à vigesimo die septimi mensis quo cœperunt diminui aquæ (vt dictum est) vsque ad vigesimam septimam diem eiusdem mensis quo Arca requieuit super montes, fluxerunt octo dies, efficitur ex supra dicta computatione per 62
octo illos dies decreuisse aquas duobus fermè cubitis. Sit igitur tunc Arca fundo suo contingens montes requieuit: necesse est eam fuisse intra aquas paulò plus tredecim cubitis. Tanta igitur fuit demersio Arcæ in aquas diluuij, cùm ille summum habuerunt incrementum, & cùm per illas ferebatur Arca.

Arca tredecim fermè cubitis (auctore Lyrano) demersa erat aquis.

HÆC ferè Lyranus, cuius supputatio procedit secundũ lectionem Latinam & Græcam, quæ habet Arcam requieuisse super montes vigesimo septimo die septimi mensis. Quo modo autem respondendum sit quæstioni propositæ secundũ lectionem Hebraicam, quę habet requieuisse Aream decimo septimo die mensis septimi, & quid præterea dicendum sit secundum eos qui centum quinquaginta dies post quos incœpit decrementũ aquarum, separant à quadraginta diebus pluuiæ, & septimum mensem quo requieuit Arca, computant ab initio diluuij, non autẽ ab initio anni, videre licet apud Lyranum & Tostatum: nam mihi vtilia consectanti, rebus isti magis curiosis quàm vtilibus tractandi immorari nec libet nec licet.

Tostatus

Refellitur Lyranus.

AC Supradicta quidem Lyrani ratiocinatio & argumentatio, vt 63
quæ rebus maximè dubiis & incertis nitatur, nec vera est, nec verisimilis: ponit enim tria Lyranus, quæ sunt obscuræ veritatis, aut etiam manifestæ falsitatis. Etenim primò sumit: quacumque mota

est

est Arca, semper esse motã super montes altissimos totius orbis, id est, per aquam, quæ quindecim tãtum cubitis excederet terram: at id nec verum est, nec simile vero. Credibile enim admodum fit Arcã motam esse & super loca plana, & super valles, & colles & montes, tam excelsos quàm humiles: quocirca aquæ per quas ferebatur Arca, nonnumquam quindecim tantũ cubitis, plerumque tamen pluribus, id est, viginti, quinquaginta, centum, & eo amplius terram excedebant. Hoc posito, rationem Lyrani labescere & corruere necesse est.

64 DEINDE ponit Lyranus, montem Armeniæ super quem requieuit Arca fuisse altissimum totius orbis, saltem negatiuè, vt altiorem habuerit nullum. Sed enim Geographi montes Armeniæ, celsissimos omnium minimè faciunt: nam etsi mons Taurus longitudine & amplitudine aliisque nonnullis rebus ceteros montes antecellat, altitudine tamen non paucis habetur inferior. Quid quod non constat, Arcam resedisse super celsissimo eius montis iugo? fortasse enim in aliqua eius parte humiliori resedit.

65 ILLVD præterea non modo incertũ est, verùm etiam opinionem Lyrani demolitur & funditus euertit. ait ille, decrementum aquarum quotidie factum esse æqualiter. Hoc incertũ est, quin etiam verisimilius est decrementum aquarum inæqualiter esse factum. Quãto enim plus aquæ erat ab initio, tanto plus in ea fuit resistentiæ aduersus causam siccãtem & consumentẽ: magis verò ac magis procedente aquarum decremẽto, pariter etiam magis magisque debilitabatur resistentia aquæ, & vis causæ siccantis valentior & efficacior erat.

66 DEINDE si quarto quoque die (secundum Lyranum) decrescebat vno cubito aqua, ergo non decrescebat æqualiter quantum ad quantitatem aquæ, siquidem extremus, ac supremus cubitus aquæ, id est, decimus quintus altitudinis super montes, plus aquæ continebat quàm decimus quartus, & hic quàm decimus tertius, & sic deinceps vsque ad vltimum: & hoc quidem Physiologiæ & Mathematicæ doctrinæ peritus facilè intelliget & credet. Aquæ enim diluuij totã terram operiebant in orbem ac circumdabant: circulus autem corporis globosi quo remotior à centro est, eò amplior & maior est, tantò autem minor, quãtò propinquior. Quapropter supremus cubitus aquarum diluuij in orbem sumptus, multò plus aquæ cõtinebat quàm decimus quartus & deinceps alij, ergo ratio Lyrani se ipsam destruit, contrarium efficiens & concludens eius quod intendit Lyranus. Nam si vno cubito per quatriduũ decrescebant aquæ, cùm illi cubiti, pro vt superiores erant aut inferiores, plus minusve continerent aquæ: necesse est in dies singulos inæquabile fuisse decrementũ aquarum, & quotidie minorem factam esse diminutionem. Sed pergamus ad alia.

Genes. 8. VERS. 5. *Cumque transissent quadraginta dies: aperiens fenestram Noë Arcæ quam fecerat, &c.*

QVADRAGINTA dies, quos hic memorat Moses, cõputandi sunt à primo die decimi mensis quo apparuerunt cacumina montiũ, & finiuntur vndecimo die mensis vndecimi. Ergo quod hic dicitur de apertione fenestræ, & emissione corui, factum est duodecimo die mẽsis vndecimi: licet Caietanus, nescio quam lectionem Hebraicam hoc loco secutus, incertum esse dicat quanto tempore post illos quadraginta dies Noë fecerit quod hic memoratur. 67

Caiet. in c. 6. Geneseos. Chrysostom. Hieronym. in Traditio. Hebr. in Gen. Ambrosius.

VOCABVLVM fenestræ, Græcè θυρίδα habent libri vetustiores Græci, licet in aliis, vt apud Chrysostomũ hom. 27. in Genesim, Græcè sit θύραν, id est, ostium vel ianua. Sanctus Hieronymus cum haberet ipse ostium, monuit Hebraicè legi, fenestram B. Ambrosius cap. 17. libri De Noë & Arca, primò legit ostium, deinde habet fenestram. Caietanus putat hic primum mentionem fieri fenestræ Arcæ quam supra omiserat Moses cap. 6. in descriptione Arcæ: nam pro eo quod ibi Latina translatio habet: *Fenestram in arca facies*, Caietanus legerat eo loco lucernam in arca facies: siquidem Hebræa vox quæ inibi est *Sohar* propriè significat lucem & quidem magnam, vti est meridiana: & inde transfertur ad significandum id quod præbet lucem, siue fundendo eam ex se, vt facit lucerna, siue eam transmittendo, vt fenestra.

Caietanus.

Oleaster. SED hoc loco non est illa vox *Sohar*, sed est vocabulum *chalon*, non significans propriè quamcumque fenestram, sed vt putat, Oleaster, rimulam potius aut fissuram, seu foramen, id quod ille declarat ex aliquot scripturæ locis. Et sanè hoc videtur indicare quod sequitur, *quam fecerat*, quasi de nouo fecerit fissuram vel rimam, per quam prospiceret an diluuium cessasset. Nam portam inferiorem quam Dominus clauserat, non ausus esset Noë aperire, ne aquæ intrarent in Arcam: fenestra verò Arcæ erat in parte superiori, per quam videre non poterat, nisi cœlum versus: nisi fortè ad eam conscenderet. Sic Oleaster, quamuis mox subdat, etiam de fenestra posse intelligi. Et melius sanè: nam frangere tabulam aut partem aliquam Arcæ, non ausus esset Noë, veritus ne tanta illa vis aquarum in Arcam, aperta sibi via, magno impetu irrumperet. 68

Chrys. ho. 26. in Genesim. Toletus.

SED cur per illam fenestram non ipsemet Noë suis oculis prospexit vtrum cessasset diluuium, sed ad id explorandum, dimisit coruum & columbam; Chrysostomus significat, timore illius horrendi diluuij, non esse ausum Noë per fenestram aspicere. Namque ea ipsa verba super quibus disputamus, explanans: *Ecce*, inquit, *iustus ille nondum per se audet videre, sed coruum mittit: & per illum discere vult, an bona aliqua rerum mutatio sit expectanda.* Toletus verò causam refert ad 69

situm

situm feneſtræ, & ad eius paruitatem, Erat enim feneſtra in ſuprema parte Arcæ, & perexigua, ita vt per eam caput & corpus efferre non poſſet, præſertim verò propter curuitatem & craſſitudinem laterum Arcæ: quo fiebat vt ſuperiora id eſt, cœlum & aſtra, ſuſpicere poſſet, inferiora verò, id eſt, aquam & terram, deſpicere non poſſet. Vel quamuis per feneſtram Noë potuiſſet ſupra ſubtuſque proſpicere, non tamen longinqua & remota loca, de quibus, vtrum aquis ſiccata eſſent, per illas aues explorare voluit.

OCTAVA DISPVTATIO.

De coruo: Super illa verba Moſis:

Dimiſit coruum qui egrediebatur & non reuertebatur: donec ſicarentur aquæ ſuper terram. Geneſ. 8. VERS. 7.

70 ILLVD: *donec ſiccarentur aquæ*: ſignificat nunquam fuiſſe reuerſum in Arcam ante finem diluuij: non autem ſignificat, poſt ſiccatas aquas & finitum diluuium, rediiſſe ad Arcam. Eſt enim phraſis Scripturæ familiaris, vt ibi: *Sede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellũ pedum tuorum*, & alibi, *Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Pſal. 109. Matth. 1. Sed cur non eſt reuerſus coruus? Aiunt plerique, inuentis cadaueribus fluitantibus, immoratum eſſe illis comedendis, quippe eiuſmodi paſtu mirificè gaudentem. Audi Chryſoſtomum: *Quare non rediit coruus? fortaſſe, cùm ſit auis immunda, incidens in cadauera hominum & brutorum, illis, tãquam inuento congruo ſibi cibo inſedit: quod ipſum, non paruum bonæ ſpei argumentum fuit Noë. Si enim non hoc fuiſſet, neque coruus paſtum & conſolationem aliàquam inueniſſet, vtique reuerſus eſſet.* Similia ſcribit Auguſtinus in diſputationibus in Geneſim. Cur coruus non ſit reuerſus. Chryſ. hom. 26. in Geneſ.

VERVM hoc, licet multitudo & auctoritas efferentium valdè probabile faciat, reuera tamen difficultate non caret. Nam ex quo tempore homines & animantes perierant diluuio, vſque ad id temporis quo miſſus eſt coruus, iam tranſierant plures decem menſibus; non igitur eorum cadauera tandiu in aquis cõſeruari potuerunt, ſed iam pridem diſſoluta fuerant & à piſcibus deuorata. Cur igitur nõ eſt reuerſus coruus? Videlicet, aut in iugo alicuius montis remanſit: iam enim quadraginta diebus ante vertices montium apparuerant: aut peroſus Arcam, ad eam redire noluit: aut volitando fatigatus, in aquis periit. 71 Aug. lib. quæ in Gen. quæſ. 13.

72 SED hic ardua exiſtit quæſtio diu multumque inter Doctores controuerſa. Etenim lectio Latina & Græca concorditer habet coruum non eſſe reuerſum ad Arcam. Hebræa verò & Chaldaica lectio habet coruum exiſſe & rediſſe. Cum igitur vtrumque verum eſſe non poſſit, id eſt, coruũ rediſſe & nõ rediſſe: alterutrã lectionẽ corruptam Excutitur diuerſitas lectionis Græcæ & Latinæ ab Hebraica ſuper hiſtoria coruj.

esse, & idcirco reiiciendam, fateri necesse est. Hic triumphant, qui corruptos esse libros Hebræos à Iudæis contendunt. Lectio enim quæ habet, coruum non esse reuersum, cùm omnium Latinorum & Græcorum codicum: & auctoritate Patrum omnium quæ sic legerunt, comprobata sit, proculdubio habenda est pro vera: ergo lectio Hebraica quæ huic contraria est, vt mendosa & falsa, reiicienda est. Sanè Hieronymus ipse qui per ceteris magnificat libros Hebræos, in Dialogo contra Luciferianos & in epistola ad Oceanum citat hunc locum cum negatione, similiter vt est Latinè & Græcè.

Hieronymus.

Aug. li. 15 de Ciuitat. Dei, cap. 13. Hier in Præfat. libri 16. Comment. in Esai.

AST ago istis minime assentior. Incredibile enim videtur beato Augustino & S. Hieronimo Iudæos per orbem dispersos aut voluisse, aut potuisse libros omnes suos corrumpere, & dum nobis inuidant auctoritatem Scripturæ, eripuisse sibi veritatem: præsertim cùm nulla ratio afferri possit cur id voluerint facere hoc loco. Dices, inuidia & odio Christianorum. Ad quid quæso iuuabat Hebræos aduersus Christianos, vt legeretur hoc loco, coruum rediisse ad Arcam, potius quàm non rediisse? 73

NEQVE verum est quod isti dicunt, lectionem Hebraicam esse planè contrariam Latinæ & Græcæ. Sic enim ad verbum habet lectio Hebraica: *Exiit egrediens & rediens, seu, egrediendo & reuertendo*: & significatur, coruum paululum recessisse ab Arca, & identidem volando & reuolando extra eam mansisse, vel in tecto vel lateribus eius. Ergo coruus reuersus est ab Arcam extrinsecus, vt est Hebraicè: idemque non est reuersus, scilicet intrinsecus, in Arcam intrando, & hoc significant Latina & Græca lectio. 74

Lyranus Tostatus

QVAMQVAM Hebræi (quos sequuntur Lyranus & Tostatus) alia ratione interpretantur, coruum rediisse & non rediisse: rediisse quidem, quoniam reuera paululum ab Arca recedens, iterum ad eam redit: non rediisse verò, quia non redit obita legatione propter quam eum miserat Noë, videlicet vt petens longinqua loca, aliquod inde cessationis diluuij signum & indicium ipsi afferret: quia igitur hoc non præstitit, perinde sanè fuit quantum ad ipsius Noë consilium ac desiderium ac si nunquam rediisset.

VERVM dicet aliquis, si coruus circum Arcam volitans, extra ipsam mansit vsque ad finem diluuij, vnde tot dies cibum habut? An ex proximus montibus qui iam pridem aquis nudati fuerant? an potius Noë per feneſtram ei cibum præbuit? Illud quoque potest quæri, Si coruus non est reuersus, cur ex eo non agnouit Noë iam cessasse diluuium, sicut posteà ex eo quod non reuersa columba, iudicauit finitum esse diluuium? Sed responderi potest dupliciter: vel Noë dubitasse, ne aliquo casu mortuus esset coruus, aut ne in aliquo iugo mõtium remãsisset: ipse enim scire nesciebat num humiliora loca & plana terræ aquis essent siccata: vel (secundum lectionem Hebræam) cùm cerneret Noë coruum non lõgè ab Arca recedere, ex eo potius existimauit omnia esse adhuc aquis plena. 75

NONA

NONA DISPVTATIO.

De Columba post coruum emissa:

Super illa verba:

Emisit quoque columbam post eum, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cùm non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in Arcam. Genes. 8. Vers. 8. & 9.

CVR potius Noë, ad explorandum diluuij cessationem, coruum & colũbam, quàm alias aues emiserit, difficile est, etiam deuinãdo causam aliquam probabilem afferre. Aiunt multi, aues istas lõginquè violare, diuque perseuerare in volatu, & ex his quæ offendunt, aliquid ro-
76 stro & ore referre. Plutarchus, in libro de solertia Animalium narrat, Plutarch. in his quæ de diluuio Deucalionis prodita sunt, etiam illud contineri, columbam à Deucalione emissam esse: quæ primum regressa, manentis diluuij, iterum autem missa nec regressa, cessantis indicium fecerit: quod affert Plutarchus ad declarandam naturalem columbæ solertiam. Illud, *Emisit columqam post eum*: Illud, inquam, *post eum*, quod Latinus interpres dixit secutus septuaginta Interpres, refertur vtique ad coruum: Hebraicè tamen secus est, sic nimirum (*emisit à se*) & refertur potius ad ipsum Noë. Et sensus est: Columbam emisit à se: nam cùm columba esset in Arca apud Noë, mittens eam extra Arcam, dicitur à se dimisisse.

77 VERVM Illud affert dubitationem, quomodo columba non inuenerit locum vbi pedem poneret, Cum iam quadraginta diebus antè, cacumina montium aquis nudata apparuissent. *Hæc quæstio*, inquit, Augustinus, *videtur per recapitulationem posse dissolui: vt ea posterius narrata intelligantur quæ prius facta sunt: aut potius aquæ nondum siccatæ fuerãt.* Aug. li. quæstionũ in Genes. 9. 14. Quibus verbis Augustinus duplicem aperit solutionem propositæ dubitationis: & posterior quidem de aquis nondum tunc siccatis, vt infrà declarabitur, approbanda est: prior autem, quod hoc de columba ante montium apparitionem factum fuerit, licet posterius per recapitulationem memoratum sit à Mose, non satis videtur cùm Mosis narratione consentire: quippe qui apertè dixit, Noë post quadraginta dies quàm apparuerãt cacumina montiũ, apperuisse fenestram, & emisisse coruum atque columbam: Quare nullus hîc locus videtur esse recapitulationi, cùm rectam seriem rerum gestarum & ordinem temporum ipsa præ se ferat Mosis narratio.

Caiet. in cap. 8. Genes.

CAIETANVS cùm eandem quæstionem posuisset, sic eam solvit. 78
Solutio est, inquit, *quod campestris terra erat operta aquis, vt clarè subiungit littera: montana autem occupata erant ab Arca: & propterea columba non inuenit vbi requiesceret pes eius. Inuenisset quidem, si ad longinquos montes volasset: sed hoc non congruit columbæ, eo quod volatus eius non videtur multum longus, nisi impulsus ab incõmodis loci & aëris & huiusmodi.* Hęc igitur est solutio Caietani: sed parum firma & probabilis. Vnde enim nouit ille monti super quem resedit Arca, non fuisse vicinos alios montes aquis detectos? Quinimo contrarium videtur credibilius, cùm mons Armeniæ super quem resedit Arca, credatur fuisse Taurus aut alius ei cohærens: Taurus autem longissimè & latissimè patet.

Aug. loco. citato.
Chrys. hom. 26. in Genes.

ILLA igitur quam suprà indicauit Augustinus & quam perspicuè 79
tradit Chrysostomus, præferenda est solutio: licet vertices montium detecti essent & super aquas extarent, remansisse nihilominus tamen eos valdè humidos, quin etiam limosos & lutulentos: quamobrem columbam, animal scilicet delicatum & munditiæ amans, refugisse vestigia inibi ponere: aut si posuit (nam Iosephus scribit eam lutulentis pedibus rediisse ad Noë) continuò abscessisse.

Ioseph. lib. 1. Antiquitatũ.

Genes 8. Vers. 10. & 11.
Lyranus.
Tostatus.

SEQVITVR Autem narratio Mosis de eadem columba. *Expectatis autem vltra septem diebus alijs, rursum dimisit columbam ex Arca. At illa venit ad eum ad vesperã, portans ramũ oliuæ virentibus foliis in ore suo.* Quia Moses ait expectasse Noë septem alios dies priusquam iterum mitteret columbam: ex eo significari putant Lyranus & Tostatus, transactis septem diebus post illos quadraginta, esse primùm emissam columbam: alioqui non diceretur, expectatos fuisse alios septem dies. Quocirca secundum istos, ter septem dies numerantur à Mose post illos quadraginta. Etenim primi septem dies significantur post quos primùm missa est columba: secundi autem tertij septem dies expresse hoc loco nominantur à Mose. 80

VERVM hæc ratio non cogit nos isti assentiri. Siquidem dicuntur septem dies alij, non quidem alij à septem diebus qui præcesserint eos, sed alij ab illis quadraginta diebus qui transierant, ex quo apparuerãt cacumina montium. Certè Rupertus in hunc locum Mosis scribens, tantùm numerat bis septem dies. Secundum quam opinionem, dies quo columba tulit folia oleæ virentia, fuit decimus septimus mensis vndecimi: at secundum Lyranum & Tostatum fuit dies vigesimus quartus. Quod autem columba rediit ad vesperam, significat, eam toto die extra Arcam fuisse: cùm enim reperisset arbores virentes, habuit & vbi requiesceret: & quo pasceretur & per totum diem commoraretur. Rediit autem ad Arcam, fugiens obscuritatem & frigus nocturnum: & quia domesticum animal est & familiare homini.

Rupert. li. 4. commẽtariorum in Gen. cap. 25.

Ambros. li. de Arca, &

Noë cap. 17.
Aug. lib. 12. contra Faustum, ca. 20

PRO illo: *Portans ramum oliuæ virentibus foliis*: Græci libri habent 81
κάρφος, ideſt, festucam. Sanctus Ambrosius legit, *ramum*, Augustinus, *sirculum*, Hebraicè est: *Ecce folium oliuæ raptum erat in ore eius.* Vox

(haleh

(*haleh*) propriè significat folium, quod denotat, ascendere: vnde *haleh*. dicitur folium, quia vento ascendit in altum, & licet magis conuenire videatur imbecillitati rostri columbæ, folium ex arbore decerpere quàm ramum, potuit tamen esse ramus ille perquàm paruus & tener, pauculis constans foliis.

Quomodo olea virentib. frõdibus, aut tandiu sub aquis conseruari, aut tã breui tẽpore vire re potuerit.

82 SED quomodo tunc arbor oleæ folia virentia habere potuit, cùm totum ferè annum aquis demersa fuerit? Neque enim aut septem illis diebus quibus arbores extra aquam esse cœperãt, germinare & frondescere potuerunt, neque id fecisse sub aquis credibile est. B. Ambrosius in dubio relinquit, vtrum illud folium virens oleæ natum fuisset ante diluuium, an in ipso diluuio exortum, ita scribens: *Sed vtrum illud folium ante diluuium fuerit exortum, an tempore diluuij, contuendum est tibi. Si ante diluuium: vir iustus gauisus est fructum de veteri semine aliquem reseruatum, & inde collegit misericordiæ insigne diuinæ, quod iam diluuium remouisset, quæ fructum demonstraret, cui non potuissent nocere diluuia. Si diluuij tempore natum est folium, aduertit vtique iustus noua semina misericordiæ frustificasse cœlestis, vt radices arborum viuerent, & quasi resumpta anima fœtus germinarent vetustos, atque in assuetos partus redirent, quorũ indicium præmissa folia demonstrarent.* Hæc ibi.

Ambr. li. de Noë & Arca cap. 19.

Cap. 20.

83 IN proximè tamen sequenti capite pronior videntur Ambrosius ad credendum post diluuium germinasse oleam per Dei omnipotẽtiam. Sic enim scribit sub finem eius capitis. *Ne te autem moueat quod diximus suprà, folium in ramo reperium post diluuium potuisse generari: etsi sub aqua plerumque herba soleat germinare: tamen vt scrupulus omnis tollatur, quid magnum si Deo iubente, vno die quo imminuta fuerit aqua, statim germinauit & terra, cùm idem sit fructuum reparator & conditor, atque operis suis vsũ non fuerit oblitus? Denique habet & in Genesi, quod iusserit, vt terra herbam pabuli germinaret, & lignum fructiferum cum fructu suo: & statim eiecit terra herbam pabuli, habentem semen secundum genus suũ, & lignum fructiferũ: & ille dies vnus fuerit, quo hæc Deus iussit aut fecit, ergo beneficij sui Deus non immemor, memor autem nostræ iniquitatis, opus suum eiusdem qua cœpit temporis quantitate reparauit.* Hucusque Ambrosius.

84 SED illud fit mihi verisimilius, illam oleam ante diluuiũ habuisse folia virentia, eaque sub aquis toto anno conseruasse, est enim olea, vt tradit Plinius, ex genere earum arborum, quæ nunquam frondib. spoliantur, sed earum virorem perpetuò conseruant. Firmare hoc possum auctoritate B. Chrysostomi, qui hæc ipsa verba Mosis tractans, ad hũc modum scribit: *Non temerè dixit Moses columbam redisse ad vesperam: sed vt discamus eam tota die fuisse pastam inuento sibi congruo cibo, ad vesperam eam redisse ferentem ore siccum folium oliuæ. Animal enim est mite & nostra familiaritate gaudens: & idcirco rediit, & sicco oliuæ folio multum solatij iusto attulit. Sed vbi inuenit folium oliuæ? Totum hoc factum est dispensatione diuina, & quod columba inuenerit, & quod ore tulerit ad Noë: quanquam hæc arbor sera er virens est, Vnde verisimile est quod cùm aquæ redierint, arbor hæc adhuc habuerit foliorum comam.* Hoc modo Chrysostomus.

Plin lib. 6. c. 20. Chrys. ho. 20. in Genes.

QVI

Gerardus Mercator in Exordio suorũ Annaliũ

QVIDAM nostri sæculi scriptor annalium ex hoc loco argumentatur, tempore Noë initium anni fuisse, Sole signum Leonis perarante, id est, circa mensem Iulium: eoque tempore mundum fuisse à Deo creatum, Verùm ampliorem huius opinionis expositionem simul & refutationem si nosse auet Lector, quærat eam in priori tomo nostrorum Commentariorum in Genesim, libro primo, in explanatione Operis tertij Diei, & in Disputatione de Tempore quo creatus est mundus.

Genes. 8.

VERS. 13. *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram: Et aperiens Noë tectum Arcæ, aspexit, viditque quòd siccata esset superficies terræ.*

IN C apparet, fenestram, per quam Noë coruũ & columbam emisit, talem fuisse, aut propter situm, aut propter paruitatem, vt per eam Noë non potuerit cernere num terra siccata esset: alioqui non fuisset opus ad id cernendum, aperiri tectum. Neque verò intelligendum est totũ Arcę tectum quod trecentis cubitis longum erat, fuisse apertum, sine vt significat propriè verbum Hebræum, fuisse remotum vel ablatum: nanque id nimis operosum & laboriosum fuisset, minimèque necessarium. Ergo tecti vocabulo intelligere cõuenit partem aliquam tecti, id est, tabulam quampiam, denique tantum quantum esset satis ad id cernendum explorandumque quod intendebat Noë.

VERVM habet difficultatem quod hoc loco dixit Moses, primo 86.
die primi mensis anni sexcentesimi primi exciccatam fuisse terram: etenim proximè post, idem Moses subiungit arefactam fuisse terram
Caietanus. die vigesima septima mensis secundi. Hanc difficultatem Caietanus paruo negotio expedit ratus idem vtrobique tẽpus significari: quod quidem variè relatum, variam haberet computationem. Etenim dies arefactionis seu exsiccationis terræ fuit primus primi mensis respectu anni sexcentesimi primi vitæ Noë: idem fuit dies vigesimus septimus mensis secundi respectu anni vsitati, & vt vocant, currentis. Itaque Moses secundum Caietanum, tripliciter tempus diluuij computauit: primo respectiuè ad initium diluuij: sic nominauit supra septimum decimum mensem: deinde respectiuè ad annos Noe, sic dixit, Primo die primi mensis anni sexcentesimi primi exsiccatam esse superficiem terræ: denique respectiuè ad annum tunc currentem, sic dixit, die vigesima septima mensis secundi arefactam esse terram. Sic Caietanus

AT enim vero mihi non fit verisimile, Mosen in tam breui narra- 87
tione,

tione,tanta vti voluisse computationis varietate & ambiguitate, quæ scilicet narrationem ipsam vehemẽter obscuraret, & lectoris intelligentiam confunderet,multisque occasionem daret erroris.Quocirca mihi magis probatur quod sentit Tostatus, primo die primi mensis exsiccatam fuisse terram exterius tantùm & superficie tenus, hoc est, nudatam esse aquis,eam tamẽ adhuc fuisse interitus plenam humoris, totamque mollem & limosam atque lutulentam : paulatim verò per illos quinquaginta sex dies qui consecuti sunt, ea siccabatur : donec perfectè siccata & solidata est, ita vt homines & animalia per eam commodè ingredi possent. Et hoc est quod totos illos quinquaginta sex dies expectauit Noë priusquam egrederetur Arcam. *Tostatus.*

DECIMA DISPVTATIO.

Quanto tempore durauerit diluuium, & quandiu Noë manserit in Arca: Super illis verbis.

Mense secundo & vigesimo die mensis arefacta est terra. *Genes. 8.* VERS. 14.

88 SATIS perspicuè docet his verbis Moses fuisse diluuiũ omnino finitũ & Noë egressum esse Arca anno sexcentesimo primo, mense secundo, die vigesima septima. Cum igitur suprà capite 7. indicauerit Moses quando inceperit diluuium,anno videlicet sexcẽtesimo,die decima septima,nunc autem ostendat quãdo penitùs desierit : Consentaneum est hoc loco disputare quandiu durauerit diluuiũ,& quandiu Noë manserit in Arca.

XENOPHON Annianus, cuius libe fertur inscriptus de Æquiuocis,quinque facit inundationes aquarum : Primam, generalem totius orbis sub prisco Ogyge, eamque fuisse nouimestrem. Censet autem Annius in eius libri Commentario,priscum illum Ogygem fuisse eundem quem sacræ litteræ appellant Noë : Idemque fuisse Ogygianum illud diluuium atque Noëticum, quod putat ipse fuisse nouimestre, sicut fuit Ogygianum,vt præter istum Xenophontem confirmat Solinus capite decimo septimo. Alterã inundationem, facit Niliacam & menstruam sub Ægyptiis Hercule ac Prometheo: Tertiam, sub Ogyge Attico in Achaia,bimestrem: Quartam,sub Deucalione in Thessalia,trimestrem: Quintam,Pharonicam sub Proteo Ægyptio in raptu Helenæ. Sic Xenophon Annius. *Xenophon Annianus. Ioan. Annius. Solinus.*

89 SED illum librum Xenophontis commentitium esse vel hoc argumento existimari debet. Iste Xenophon facit duos Ogyges,& duo

Ogygiana diluuia: at vnum tantummodo Ogygem, vnumque Ogygis diluuium nouere veteres, tam Græci quàm Latini. Deinde Annius vult diluuium illud sub prisco Ogyge, fuisse Noëticũ: sed apertè beatus Augustinus negat diluuium Noëticũ Græcis aut Romanis historiis fuisse notum. Præterea Iulius Africanus, vt est apud Eusebium Cæsarienſem, multorum scriptorum auctoritate firmat, Ogygis diluuium mille viginti anni prægressum esse primam Olympiadem: at Noëticum diluuium plus mille quingentis annis præcessit Olympiades.

Aug. lib. 17. de ciuit. Dei cap. 8.

Euſ. li. 10. de Præpara. Euãg. c. vltim.

SED illud quod ad præsentem rem facit, Noëticum diluuiũ fuisse nouimestre, euidenter falsum est, vndecumque initium & finem diluuij numerare libeat. Si enim diluuium æstimetur ab initio eius vsque ad id temporis quo cœpit diminui, tantum durauit centum quinquaginta dies, id est, quinque menses Solares, vel secundum aliam computationem, centum nonaginta dies, id est, sex menses & dies decem. Sin autem æstimetur diluuium vsque ad quietem Arcæ super montes, secundum vnam computationem, durauit centum quinquaginta octo dies, id est, quinque menses & octo dies: secundum aliam computationem, sex menses & dies viginti septem. Si verò æstimetur diluuium vsque ad apparitionem cacuminum montium, durauit menses septem dies tredecim: si quo vsque terra fuit detecta aquis, menses decem, & dies tredecim: si denique vsque ad perfectam exsiccationem terræ & egressum Noë ex Arca durauit vnum annum Solarem integrum. Ex his apparet, quod Annius dixit Noëticum diluuium fuisse nouimestre, nullam habere verisimilitudinem, quin etiam narrationi Mosis esse contrarium.

Caiet. in c. 8. Geneſ.

CAIETANVS arbitratur diluuium ex quo tẽpore cœpit, vsque ad id temporis quo planè desiit, terra penitus exsiccata, egressoque ex Arca Noë, durasse decem menses Lunares, & viginti quinque dies, id est, dies trecentos & quatuordecim, quos ex narratione Mosis ad hunc modum colligit: Primo quadraginta dies pluuiæ: tum centum quinquaginta post quos fieri cœpit decrementum diluuij: deinde septuaginta dies vsque ad apparitionem cacuminum montium: ad hæc quadraginta dies post quos aperuit Noë fenestram & dimisit coruum: postremò bis septem dies post quos emisit columbam. Ex his omnibus efficitur summa trecentorum quatuordecim dierum, è quibus putat Caietanus existere decem menses Lunares & insuper viginti quinque dies, tribuendo cuilibet mensi Lunari viginti nouem dies. 90

Refellitur Caietanus.

CETERVM Caietanus in hac sua ratiocinatione seu computatione, quædam sumit dubia, alia falsa. Dubia sunt: quadraginta dies pluuiæ diuersos fuisse ab aliis centum quinquaginta: & septimum mensem quo requieuit Arca, computari debere ab initio diluuij, non autem ab initio anni: namque contrariam sententiam videri probabiliorem supra ostensum est. Falsa sunt, mensem decimum 91

mum quo apparuerunt cacumina mõtium, computandum esse ab initio diluuij: & post quadraginta dies quàm apparuerunt cacumina, vsque ad sexcentesimum primum annum interfluxisse quatuordecim duntaxat dies. Illa quoque falsa sunt, apud veteres Ægyptios annum non fuisse nisi trecentorum sexaginta dierum: & quod cuilibet mensi Lunari dies tantum viginti nouem assignari debeant. Illud denique nullo modo probabile & credibile est, Mosen in hac breui narratione diluuij, computationem mensium quos nominat tripliciter variasse, nec tamen vllam eius variationis dedisse significationem: Primò computando menses ab initio diluuij: tum ab initio annorum vitæ Noë, præterea ab initio anni vsitati & tunc currentis. Nos multa, quæ in hac refutatione Caietani, & in illa Xenophontis Anniani posuimus, nec probauimus, ea superioribus in disputationibus diligenter disputauimus & explicauimus: quapropter ea nunc tantum indicasse, satis esse duximus.

9 2 VERA igitur sententia est, ex quo diluuium cœpit, quo vsque omnino desiit, hoc est, vsque ad perfectam exsiccationem terræ & egressum Noë ex Arca, transisse vnum annum Lunarem & præterea vndecim dies, hoc est, vnum integrum annum Solarem: namque Lunaris annus constat diebus trecentis quinquaginta quatuor, Solaris verò annus trecentis sexaginta quinque. Apud Hebræos autem in vsu fuisse annos Lunares, quia confessione omnium liquet, non eget probatione. Cùm igitur diluuium inceperit anno sexcẽtesimo vitæ Noë, mense secundo, die decimo septimo, vt dixit suprà Moses capite septimo, perfectè autem desierit anno sexcentesimo primo, mense secundo, die vigesimo septimo, vt idem Moses narrat capite octauo: hinc planum est, transisse vnũ annum Lunarem, & insuper decem vel vndecim dies qui est annus Solaris. Tandiu igitur durauit diluuium, & tandiu Noë mansit in Arca. Nisi fortè cuipam placuerit eorum opinio quam suprà indicauimus, Noë ingressum esse in Arcam septem diebus, priusquam diluuium inciperet: secundum hanc enim opinionem dicere necesse est Noë mansisse in Arca dies septem super annum integrum Solarem. Quod si Moses anno Solari vsus esset, mansisse Noë in Arca vno integro Solari anno superque dies decem fateri necesse esset.

***

VNDCIMA DISPVTATIO.

De egressu Noë ex Arca: Super illis verbis:

Genes. 8. VERS. 15. 16. 17. *Locutus est autem Deus ad Noë, dicens. Egredere de Arca tu & vxor tua: filij tui & vxores filiorum tuorum tecum & cuncta animantia quæ sunt apud te, &c.*

QVID opus erat nouo Dei mandato ad egrediendum? 93
Iam finitum erat diluuium, terraque penitùs exsiccata: nullum supererat periculum, nihil denique erat quod ad manendum diutiùs in Arca inuitaret, vel ab egrediendo tardaret, præsertim cùm mansio hominum & animalium in Arca, propter diluuij periculum necessaria fuerit, quo transacto, nulla ratio erat cur vlterius in ea manere deberet aut vellet Noë. Cur igitur non statim sua sponte egressus est? Verum hîc mirificè lucet excellens & perfecta Noë obedientia quippe qui Arcam, nisi iubente Deo, nec ingredi, nec egredi voluerit. *Recente aqua*, inquit, Ambrosius, *& siccata terra, exire potuit Noë de Arca. Sed iussu nihil sibi arrogat, sed totum se diuino committit imperio. Et maximè qui cœlesti fuerat ingressus oraculo, cœleste debuit vt egrederetur, expectare responsum. Verecunda enim iustitia est, quia inuerecunda iniquitas, quæ vsurpat indebita, nec reueretur auctorem.* Sic Ambrosius.

Ambr. lib. de Noë & Arca. c. 21.

INGRESSVS autem ipsius Noë in Arcam & egressus, significant vniuersum humanæ vitæ humanarumque actionum decursum: siquidem etiam phrasi Hebraica introitus & exitus alicuius hominis significat conuersationem & actiones eius. Vnde Dauid: *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum:* & de Dauide scriptum est, *Omnis Israël & Iuda diligebat Dauid: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos:* Et de Saluatore nostro dixit Petrus: *In omni tempore*, inquit, *quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus est à nobis.* Discamus igitur exemplo Noë, actiones nostras & ordiri & terminare conuenienter Dei voluntati ac præceptis: quemadmodum Ecclesia ipsa optat & postulat à Deo dicens: *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.* 94

Psal. 120. 1. Reg 18. Act. 1. Genes. 6.

SED cur suprà præcipiens Deus de ingressu in Arcam dixit ingredi in Arcam viros separatim & separatim vxores? Et hoc quidē modo ingressos esse in Arcam, paulò post narrauit Moses, dicens, intrasse in Arcam Noë & filios eius, vxorem illius & vxores filiorum eius, nunc 95

autem

autem præcipiens de egressu, nominat cum sua quemque virum vxore dicens: *Egredere tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum*, quamuis mox narrans Moses egressum eorum ex Arca, separatim nominet viros & vxores dicens: *Egressus est Noë & filij eius, vxor illius & vxores filiorum eius cum eo.* Verum in promptu est, causam huius rei nec improbabilem reddere, separatim memorantur ingressi in Arcā viri & vxores: quo significaretur, in Arca abstinendum illis fuisse ab vsu coniugij: tempus enim diluuij, mœroris & pœnitentiæ, non voluptatis & lætitiæ tempus fuit. Quoniam autem egressi ex Arca, confestim vacare debebant generationi propter humani generis multiplicationem sicut Deus illis dixit: *Crescite & multiplicamini*: ad hoc significandum, cùm præciperet de egressu, coniunctè nominauit virum cum vxore. Egressi tamen sunt separatim viri ab vxoribus, quo petspicuè intelligeretur, ab ingressu in Arcam, vsque ad egressum, perseuerasse eos in continentia. *Genes. 6.*

SED audiat lector quid hac de re eleganter scribat Ambrosius: *Nunc quæramus*, inquit, *qua ratione, quandiu ingrediebantur in Arcam: hic ordo fuit ingredientium, vt primo ipse ingrederetur & filij eius, inde eius vxor & vxores filiorum eius: quando autem exierunt, commutatum sit. Nam scriptum est: Exiuit ipse & vxor eius, & filij & vxores filiorum eius. Et litera quidem significat, in ingressu, abstinentiam generationis, in egressu, generationis vsum. Tunc enim pater cum filijs prius introiuit & filij cum parente, & postea vxor & filiorum eius vxores: id est, non commiscetur sexus in introitu, commiscetur in egressu. Apertè igitur velut ordine ipso ingressionis vocem quandam iustus emittit, tempus illud non esse concubitus neque delitiarum, quo omnibus immineret interitus. Vnde in Euāgelio Dominus ait, reprehendens quòd temporibus Noë manducarent & biberent, vxores ducerent, & filias nuptum traderent: & ideo propter intemperantiam eorū superuenisse diluuium. Mœroris igitur tempus illud, non lætitiæ erat. Et inde iustus consortio non delectabatur vxoris, nec filij iusti petebant, copulam coniugalem. Quam enim indecorum, vt quo tempore viuentes morerentur, tunc perituri generarentur? Postea autem rectè ad seminarium ceterorum repetitur vsus & cura coniugij, cum diluuium recessit. Itaque non viri cum viris, sed fœminæ cum viris exeunt, vt virilis in se interdicta permixtio, permissa autē virilis & fœmineæ legitima sorte coniugij copula videretur.* Hæc Ambrosius. *Ambr. paulo ante loco citato.* *Luc. 17.*

96 SED enim quærat aliquis, cur Deus nominatim iusserit ex Arca educi animalia? An id non sua sponte fecisset Noë, etiam si Deus non iussisset? Idcirco enim inclusa fuerant in Arcam animalia, vt per eam ex diluuij exitio seruata, finito diluuio rursus in terris suam quæque speciem propagarent. Huius rei causam affert Rupertus petitam ex mystologia. Ait Arcam Noë adumbrasse antiquam Patriarcharum & Prophetarum Ecclesiam, *quam Dominus noster & priusquam homo fieret, condidit: & in ea factus homo viuere & mori voluit. In illam Arcam ingredi iubentur animalia, tam munda quàm immunda: similiter in illam Patrum Ecclesiam, quicumque siue ex mundis Iudais siue ex immundis Gētibus* *Cur nominatim iusserit Deus educi animalia ex Arca.* *Rupertus. lib. 4. Cōmentariorum in Genes. c. 26.*

aggregabantur, ad Arcæ hostium ingredi iubentur, id est, in illorum spem atque expectationem inferri. Veruntamen ex Arca iubentur exire: quia in illius Ecclesiæ corporalibus cæremoniis non sinuntur permanere, videlicet vt corporaliter circuncidantur, vt sabbatizent, vt agnum paschalem immolent, denique vt secundum illas carnales cæremonias Iudaizent. Sic ex Ruperto.

Genes. 6.

SED historica ratio est: sicut Deus ante diluuium iusserat vt Noë 97
animalia induceret in Arcam: sic idem iubet post diluuium, vt ea ex
Arca educat, tam enim introductio quàm eductio animalium, non sine miraculo diuinæ prouidentiæ per Noë facta est, cunctis animalibus promptè obedientibus Noë, tam ad ingressum quàm ad egressum.

DVODECIMA DISPVTATIO.

De Altari & sacrificio quod Noë fecit Deo, & diuina eius sacrificij approbatione:

Super illis verbis:

Genes. 8 VERS. 10. *Ædificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare. Odoratusque est Dominus odorem suauitatis.*

ECCE tibi clarissimum grati & pij erga Deũ animi spe 98
cimen. Statim vt egressus Arca est Noë, ante omnia stu
det exequi quod ad cultum Dei pertinet: memorque quãto Dei beneficio affectus esset, diluuij clade, alioqui ineuitabili, liberatus, quàm primum religionis & cultus diuini officia atque opera amplectitur. Inter ea verò quæ ad exteriorem Dei cultum spectant, primas tenet sacrificium: hoc quippe vni solique Deo competit. Inter sacrificia verò, principatum habet holocaustum, quamobrem Noë ædificato altari, de mundis animalibus holocausta Deo obtulit. Et hoc vt faceret Noë, dignum vtique & iustum erat: qui enim Arcam facere iusserat homini, in qua saluaretur homo, inquit Rupertus, dignum profecto erat vt illi altare faceret homo, in quo saluator hominis adoraretur ab homine. Hoc non tantum scripta, sed naturalis lex æquum esse docuit: hoc ratio naturalis dictat, vt de suis donis in primis honoretur ipse qui dedit.

Genes. 6.

Primum omniũ altare ad cultum Dei excitarum legitur fuisse hoc à Noë.

NOTANDVM est, primum hoc loco mentionẽ fieri altaris exci 99
tati ad cultum Dei: an autem fuerit anteà vsus altarium nec ne, incertum est. Id verò genus diuini cultus cognouit Noë maiorum suorum

rum traditione vel per expreſſam Dei reuelationē, aut tacito Dei inſtinctu. Illud quoque dubium eſt, quale fuerit illud altare, vtrum ex terra, an ex lapidibus impolitis: his enim tantum duobus modis altaria fieri debere à Iudęis, in Exodo præceptum eſt. Hebraicè pro voce illa altare, eſt, *mizbeach*, à rabice *Zabach*, quod eſt mactare, quia victimæ mactatæ ſuper altare offerebantur.

200 SEQVITVR: *De cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocauſta*: An tempore Noë fuerit diſtinctio mundorum & immundorum animalium, vel quantum ad cibum, vel quantum ad ritum ſacrificiorum, vel quantum ad vtrumque: & quatenus fuerit, num circa ea omnia animalia de quibus lege Moſis præceptum eſt, nihil ad præſens diſturi ſumus, quod ea de re ſupra libro vndecimo quantum opus fuit, diſputatum à nobis eſt. Vocabulum holocauſti Græcum eſt, ſignificās totum incenſum ſeu crematum, ad differentiam victimæ pacificæ, & hoſtiæ pro peccato, quæ non ex toto incendebantur, vt ſcriptum eſt in Leuitico. Greca hoc loco habent, *Et obtulit in holocarpoſin*, qua voce ſæpè vſi ſunt Patres. *Leuit. 11. & Deut. 14.*

201 PONIT hîc quęſtionem Ambroſius cur Noë non iuſſus nec monitus à Deo, altare ædificauerit, & obtulerit holocauſta, cùm alia quæ feciſſe eum legimus, non niſi monitu & iuſſu Dei feciſſe eum conſtet? Reſpondet Ambroſius: Non debuit vtique Dominus, quaſi auarus, mercedem gratiæ poſtulare: Et iuſtus eam intellexit veram actionem gratiarum eſſe quæ non iuberetur ſed deferretur: Itaque nec dilationem paſſus eſt. Etenim grati animi virtus, paſſionem dubitationis excludit: qui autem debitum gratiæ vt à ſe exigatur expectat, ingratus eſt. Nec vacat quod ędificaſſe dicitur altare non Domino, ſed Deo, ne coacta videretur illa fuiſſe gratiarum actio quaſi Domino: ſed virtus iuſti morigera & grata quaſi Deo. Ideo quod imperiale eſt, ſequeſtrauit, quod beneficij, nominauit. Exemplo autem Noë qui munda tantum animalia Deo obtulit, diſcamus ea tantum Deo quæ incontaminata ſunt, offerri debere, ſcilicet in quibus affectus eluceat offerentis. *Ambro. lib. de Noë & Arca, c. 2.*

202 BEATVS Chryſoſtomus diſputat hoc loco cur ſibi Deus à ſanctis illis Patriarchis corporalia ſacrificia fieri paſſus ſit, cùm Deus ſpiritus ſit & ab his qui eum verè ac dignè adorant, non corporalib. victimis ſed ſpiritualib. hoſtiis adorandus ſit? *Immola Deo*, inquit Dauid, *hoſtiam laudis*, & rurſus: *Sacrifica ſacrificium iuſtitiæ*, & item. *Holocauſtis non delectaberis: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*. Duas eius rei cauſas B. Chryſoſtomus affert, alteram, quo illis ſacrificiis iuſti ſuam erga Deum grati animi virtutem, pietatemque declararent, alteram, ne vulgus fidelium ad idololatriā delaberetur, cernens alias gentes exquiſitis & magnificis ſacrificiis atque oblationibus deos ſuos colere ac venerari: Propter hāc igitur cauſam ſacrificia illa, etiam à ſanctis viris vſurpabantur, non quod per ſe quicquam prodeſſent, aut vllam animæ vtilitatem afferent. *Chryſ. hic. 27 in Geneſim.* *Ioan. 4. Pſal. 49. Pſal. 4. Pſal. 50.*

Chryſoſt. tent, *Similiter*, inquit, Chryſoſtomus, *legem circunciſionis induxit Deus*
Geneſ.7. *poſteris Abrahæ, non quod circunciſio aliquid proficeret ad ſaluẽ animæ, nihil enim ad iuſtitiam illa conducebat: ſed in teſtimonium iuſtitiæ Abrahæ, & quo per notam circunciſionis, eius poſteri à ceteris gentibus ſeparārentur.* Sic ferè Chryſoſtomus.

SIGNIFICAT igitur hoc loco Chryſoſtomus, Circunciſionis 103
nullum fuiſſe ſpiritualem fructum & effectum, ſed eam fuiſſe nudum ſignum corporale omni vacuum fructu ſpirituali. Nec id Chryſoſtomus hoc tantum loco dixit, ſed idem poſteà repetit homilia vigeſima nona & quadrageſima in Geneſim. Quin etiam ſimilia Chryſoſtomo
Circũciſiõis. de Circunciſione leguntur apud alios Patres in primis graues ac nobiles: cùm tamen communis ſit Theologorum ſententia ab Auguſtino vſque recepta, Circunciſionem ante Chriſti aduentum valuiſſe ad remiſſionem peccati originalis in infantibus: & in adultis, etiam aliorum peccatorum. Sed quemadmodum argumenta quibus communis ſententia vehementer oppugnatur repelli debeant: & verba Patrum, ne communi ſententiæ videantur contraria, exponi poſſint, tractabitur, Deo fauente, infra, cù ventum erit ad caput decimum ſeptimum libri Geneſeos, vbi à Moſe origo & inſtitutio atque neceſſitas Circunciſionis deſcribitur. Verum diuinam Noëtici ſacrificij approbationem deinceps videamus.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

De diuina approbatio Sacrificij Noë:

Super illis verbis:

Geneſ.8. *Odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis.*
VERS.21.

QVAM gratum & acceptum Deo fuerit ſacrificium Noë, 104
luculentè declarauit Moſes illis verbis: *Odoratus eſt Dominus odorẽ ſuauitatis.* Siquidem dupliciter ſolet ſacra ſcriptura declarare ſacrificium aliquod gratũ fuiſſe Deo: primum dicendo Deum reſpexiſſe ad illud ſacrificium: quemadmodum de ſacrificio Abel ſcriptum eſt, *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius:*
Geneſ.4. tum etiam, dicendo Deum odoratum eſſe illud ſacrificium in odorem ſuauitatis, id eſt, tanquam odorẽ ſuauiſſimum. Quemadmodum enim nos plurimum delectamur ſuauiſſimis odoribus, ſic Deus ſacrificiis piorum hominum. Paraphraſis Chaldaica ſic habet, Suſcepit dominus in beneplacito ſub oblationem eius.

SED pro illo: *Odorem ſuauitatis*, Hebraicè ad verbum eſt, *Odorem* 105
quietis, eſt enim hîc vocabulum (*Noach*) ſignificans non ſuaue olere

ſed

sed quiescere. Dicebatur enim fumus adipum seu odor qui cum fumo ascendebat, odor quietis, quod faceret Deum quietum ab indignatione, & placatum offerenti. Significatur igitur, indignationem diuinam, per quam diluuio destructus fuerat orbis terrarũ, sacrificio Noë fuisse mitigatam, placatam, & vt ita loquar, quietatam.

Caiet. in ca. 8. Genes.

106 AD differentiam, inquit Caietanus, odorum sensibilium, dicitur odor quietis, tanquam quietem sine fastidio pariens. Nullus est enim odor sensibilis, qui diu perseuerans non afficiat fastidio: quamobrem nullus odor sensibilis, est odor quietis in ipso. Ad excludendum igitur eiusmodi fastidium, dicitur sæpè in scriptura odor quietis: quia verè nunquam Deus fastidit deuotionem offerentium, Non enim sacrificia propter animalia oblata, sed propter affectum deuotæ mẽtis offerentium placent Deo, tanquam odor suauitatis. Non enim incorpoream Dei substantiam, corporeus odor per se potest delectare: quin etiam licet corporea esset & eiusmodi odoribus afficeretur, non esset tamen odor cæsarum vel incensarum carnium talis, vt verè dici posset odor suauitatis. Diuina igitur approbatio, & oblectatio ad deuotionem vtique offerentium referenda est.

Tertul. lib. 1. aduersus Marcionem.

107 AVDI Tertullianũ: *Legimus Deum ad oblationes Abel aduertisse & holocausta Noë odoratum esse libenter. Verum quæ iucunditas sine viscerum veruecinorum, siue nidoris ardentium victimarum esse potest? Animus igitur simplex & Deum metuens offerentium ea quæ à Deo habebant, & pabuli, & suauis olentiæ gratia apud Deum deputabatur.* Sic Tertullianus. Non igitur numerum magnitudinem aut præstantiam, sed offerentium pietatem ac religionem æstimat Deus.

Artaxerses. Plutarch. lib. Apophthegmatũ initio.

108 APVD magnos etiam principes, dona quæ illis offeruntur, non tam ex rerũ pretio, quàm ex donantium studio commendantur. Præclarum illud est quod de Artaxerse Persarũ rege scripsit Plutarchus. Nihil erat, inquit, tam paruum ei donatum, quod non perhumaniter acciperet. Paupere quodam malum punicum eximiæ magnitudinis ei offerente: Per Solem, inquit, si huic crederetur, hic ex parua, ciuitatem magnam faceret. Alium, dum idem rex iter faceret, aliis alia regi offerentibus, cùm nihil ad manum suppeteret, ad flumen currentẽ, & vtraque manu haustam aquam regi deferentem, vehementer gauisus Artaxerses, aurea phiala & mille daricis donauit.

Plato περὶ τῆς προσλαχῆς.

109 SED non est id prætermittendum quod à Plarone de sacrificiis quæ Deo offeruntur, scriptum est. *Non est*, inquit Plato, *talis Dei natura, vt ducatur muneribus, quemadmodum improbus fœnerator: Etenim graue esset, si Deus ad denaria & sacrificia hominum respiceret potius quàm ad animum. Nihil enim prohibet, eum qui multa in Deum peccauerit, siue priuatus sit, siue Respublica, sumptuosissima dona & magnifica sacrificia Deo frequẽter offerre. Deus autem, vt pote à muneribus incorruptus, spernit hæc omnia, vt ipse Deus, eiusque propheta prædixit.* Sic Plato.

110 LEGIMVS etiam apud Ethnicos scriptores, Gentilium deos induci tanquam suauiter odorantes sacrificia, eorumque nidore gau-

Plato. dentes. Vnde Plato in Alcibiade secundo, refert ex Homero, Troianos cùm suburbanum ædificium molirentur, dicasse diis pretiosa sacrificia boum, nidorem verò ex campo suauem ad cœlum vsque ventis esse sublatum. Lucianus in Timone Iouem inducit sic loquentem: *Obliti sumus eius viri qui tot taurorum & caprarum adipes nobis posuit in aris, vt etiam nunc eorum nidorem in naribus habeam.* Hæc ibi Lucianus. Sic nimirum dæmones qui pro diis colebantur à Gentilibus, simulantes se delectari sacrificiis (id quod proditum de vero Deo nouerant) eos ludificabantur, & variis superstitionum erroribus eorum animos imbuebant atque corrumpebant.

Lucianus.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

De Promissione Dei data Noë.

Super illa verba:

Genes. 8. VERS. 22. *Neque vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua, &c.*

VEHEMENTER placatus Deus ac mirificè delectatus sacrificio Noë, pollicitus est ei atque omni eius posteritati, nunquam fore deinceps propter hominum peccata generale totius orbis terratum excidium, eaque re securum fecit Noë. Quid enim profuisset quod ei Deus dixerat, *Crescite & multiplicamini.* Si iterum omne genus hominũ & animalium diluuio periturum esset? Vt igitur eo pauore & angore animi liberaret Noë, hoc ei promissum dedit. *Nequaquam*, inquit, *vltra maledicam terræ propter homines.* Nam etsi vindicauerat in hominum genus, inquit Ambrosius, *tamen cognouerat quia vindicta legis ad timorem proficit & cognitionem doctrinæ, magis quam ad naturæ commutationem, quæ corrigi in aliquib. potest, in omnibus mutari non potest. Vindicauit ergo Dominus: quo timeremus: pepercit, vt reseruaremur. Et vindicauit semel ad exemplum timoris: pepercit in reliquum, ne dominaretur semper amaritudo peccati. Simulque si quis peccata cupiat sæpius vindicare, asper magis quàm censorius habetur. Quocirca pietatem suam circa vniuersitatem hominum voluit declarare: & tamen quia securitatem & negligentiam mentibus humanis afferre non debuit, in pauco vindicat, plures reseruat.* Hæc Ambrosius. 111

Ambr. lib. de Arca & Noë cap. 22.

Multiplex vexa calamitas & excidium ex diluuio.

PRO illo: *Et ait ad eum.* Hebraicè est, *Dixit ad cor suum*, vel *in corde suo*, Chaldaicè est, *Dixit per verbum suũ*, Græcè est, *Dixit Deus recogitans.* Hisce autem modis loquendi insinuatur deliberata voluntas, ratum- 112

que

que Dei decretum, Pro illo: *propter homines*: Chaldaicè est, *propter peccata hominum*, Græcè: *propter opera hominum*. Quod nos legimus: *Nequa quam vltra maledicam terræ*, Hebraicè & Græcè est: *Non addam adhuc maledicere terræ*.

113 SED quid est, maledicere terræ? Benedictio Dei, significat abundantiam bonorum: Contra verò maledictio, copiam malorum quæ iustè infliguntur à Deo. Deus autem tempore diluuij multis & magnis malis terram deformauerat, & vastauerat: primò quantum ad situm eius, anteà enim supereminebat aquis, tempore autem diluuij, tota erat aquis obruta: tum quantum ad varietatem partium eius, nulla enim apparebat distinctio montium, vallium, camporum, fluminū, lacuum, fontium: deinde quantum ad fertilitatem, siquidem diluuium sterilior ac deterior facta est terra: propterea quantum ad decorem & ornatum qui ei accidit ex plantis & ædificiis: postremò quantum ad plenitudinem, vacuata enim fuerat terra hominibus & animalibus. Verè igitur dictum est, Deum per diluuium maledixisse terræ. *Benedictio Dei & male dictio.*

114 SED quomodo verum est Deum nunquam amplius similiter maledicturum terræ? an non item maledicet ei ante diem iudicij, cùm omnia sic incendio tunc consumenda sint, vt fuerant antè consumpta diluuio? Verū Dominus in his etiam verbis suis differentiam insinuauit. Nam in diluuio destruxit omnia propter homines, in consummatione autem seculi, dissoluentur item omnia, sed non propter peccata hominum, sed propter renouationem & commutationē mundi in meliorem statum, signatè igitur dictum est: *Non maledicam terra propter homines, neque vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci.*

115 SEQVITVR *Sensus enim & cogitatio humani cordis, in malū prona sūt ab adolescentia sua.* Illa particula *enim* causalis est: redditur igitur causa his verbis, cur Deus nolit deinceps vniuersę terrę maledicere. Sed quę est ista causa? Rupertus existimat his verbis significari, Deum in posterum parciturū & terræ & animantibus, quia peccatum & culpa in eas res minimè cadit, sed omne peccatum, ob idque meritum vindictę, in solos homines competit, quippe qui non tantùm frequenter & grauiter peccant, verùm etiam propensissimi sunt ab adolescentia sua ad peccandum. Itaque hac promissione Deus immunem quidem fecit terram à generali excidio, non fecit tamen securos homines nec liberos à generali vindicta. *Rupert. i. 4. Cōmentariorum in Gen. cap. 18.*

116 VERVM mihi non placet hæc interpretatio Ruperti. Hæc enim Dei promissio præcipuè ad homines pertinet: quantum enim bonum est seruari terram cum animantibus, si vniuersum genus hominum pereat? Nimis igitur ieiuna fuisset Dei promissio, & ipsi Noë parum læta & iucunda. Præstat igitur causam quæ his verbis redditur, aliis duobus modis interpretari. Significatur enim, Si quoties maxima pars hominum vitiis & sceleribus addicta est, toties ea diluuij supplicio vindicanda & punienda esset, fore profecto vt sæpissimè, atque omnibus ferè sæculis diluuium mitti oporteret: siquidem propter

naturalem ac vehementem humani animi ad vitia procliuitatem humanum genus maxima parte ac frequentissimè vitia consectatur. Nisi forte putamus Dauidis tempore pauciora minorave fecisse hominum flagitia quo tempore dixit ille: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deũ. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c.* Psalm. 13.

POTEST etiam aliter causa illa explicari, vt significetur, hominem propter naturalem pronitatem ad peccandum, dignum esse quodammodo miseratione, nec semper, quantum supplicij meretur, tanto esse in hac vita plectendum. Instigatur enim ad peccandum homo nõ nunquam ignorantia, interdum vehementi passione aliqua & perturbatione, sæpissimè suasu ac impulsu dæmonis, semper autem naturali ad malum propensione. Nam ex mera malitia peccare, rarum est, nec nisi paucorũ, qui crebritate grauitateque scelerum & assiduitate peccandi, humanum ingenium quasi exuentes, diabolicæ malitiæ æmuli sunt. Peccare enim ex mera libertate, nulla re interius inclinante ad peccandum, nulloque extrinsecus malum suggerente, diabolicum potius quàm humanum est. Quo fit vt peccatum diaboli inemendabile atque irremissibile fuerit, non autem hominis. Cùm ergo dicitur, *Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem*, & subiungitur: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, ratio redditur mitigandæ pœnæ, sumpta ex pronitate hominis ad malum: quasi clementiam mereatur id mali ad quòd nobis vehemens propensio atque incitatio naturaliter indita & innata est. 117

CAVSAM verò cur statim ab ineunte ætate homines ferantur ad flagitia, illam esse constat, quòd homo constitutus est duabus ex partibus, non tantùm diuersis, verùm etiam aduersis & inter se pugnantibus, appetitu videlicet sensitiuo, & voluntate rationali. Ille, ad bonum secundum sensum vtile & delectabile, hæc autem, per se tendit ad bonum secundum rectã rationem honestũ, vtile, & delectabile. Pauciſſimi verò sunt qui totis viribus contendant ad bonũ rationabile: sed prona est multitudo ad bonum sensibile. Cùm enim appetitus sensitiuus statim hominẽ occupet & possideat, nullo per multos ætatis antos aut certè tenuissimo atque infirmissimo rationis vsu, hinc fit vt cùm posteà appetitus sensitiuus in certamen cum ratione descendit, ferè præualeat atque vincat, & ad sese maiores partes animæ sæpè detorqueat. 118

SED quid est illud: *Sensus & cogitatio*? Vocabulo sensus significatur appetitus sensitiuus: vox autem cogitationis significat ipsa rationis consilia, machinationes & artes quas ad malum ipsum confert. Nam cùm ratio appetitum reprimere ac regere deberet, eius delinita & capta blanditiis atque illecebris, obedit cui deberet imperare, & sensuum ministerio vtitur ad potiundas voluptates, à quibus eos ipsa cohibere deberet. Est igitur tanquam naturale homini peccare, id est, 119

proue

proueniens ex propensione naturæ hominis, non vt à Deo ea condita fuerat, scilicet integra & recta, sed vt peccato Adami vitiata & depraua-ta, in omnes eius posteros transfusa & propagata fuit.

PRO hoc: *Sensus & cogitatio hominis.* Hebraicis est, *figmentorum humani cordis malum est*: Sed eandem reddit sententiam: nam quod fingitur & formatur in corde humano, est ipsa cogitatio & appetitio. Quidam tamen Hebræorum interpretantur ipsum fomitem & concupiscentiam. Græca lectio sic expressit hanc sententiam: *Quia permanet meus hominis diligenter super mala à iuuentute sua*: quibus verbis significatur studiosa & accurata & constans vitiorum consectatio.

120 ILLVD: *ab adolescentia sua*, putat Rupertus significare primam hominis ætatem quæ ratione & libero arbitrio vti incipit: nam quæ hanc antecedit ætas, vt nullius affectrix & capax peccati, tam naturali quàm scripta lege libera est: Consequens autem ætas iam boni malique legitimum habet iudicium. Vnde quidam sapientum sęculi, vitam hominis, Y Græcæ litteræ similem dixerunt, quæ ab vno ductu incipiens finditur in biuium. Si enim homo in infantia vel pueritia simplicem graditur viam boni ac mali non perpendens distantiam: vbi autem adolescentiæ metas attigerit, vtriusque discretionem duce ratione percipit. Vnde si dextram elegerit præmium consequitur virtutis, si autem sinistram, pœnas malorum incurrit. Quocirca poëtarum maximus dixit: *Rupert. lib. 4 Commētariorum in Gen. cap. 29.*

Hac iter Elysium nobis: at læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

121 VERVM Tostatus vocabulum adolescentiæ propriè sumit, vt est tertia quædam ætas hominis consequens infantiam & pueritiam. In adolescentia enim naturalis ad malum pronitas vehementer & notabiliter erumpit in flagitia, quæ quidem flagitia in infantia, vt ratiotionis experte, nulla sunt. (Loquimur enim hic de peccatis actualibus: nam peccatum originale, ex ipso matris vtero & in ipsa generatione hominis, ei adhæresci) in pueritia vero tum propter inexperientiam, tum propter ætatis infirmitatem, & pauca & leuia sunt peccata, nisi in nonnullis, in quibus malitia supplet ætatem. *Virg. lib. 6. Æneid. Tostatus.*

122 BEATVS Ambrosius sequens lectionē Græcā legit, *à iuuentute*, & sic exponit: & *à iuuētute*, addidit, *ex illa enim ætate crescit malitia, licet alibi legerimus quod nō sit sine peccato nec vnius diei infans: sed & infantia sine peccato non est propter corporis infirmitatem, diligentia autem & studiū peccandi incipit a iuuentute: vt puer quasi infirmus peccet: iuuenis tanquam improbus, qui studiosè cupiat peccata cōmittere, & in criminibus glorietur. Apud plerosque enim innocentia pro ignauia, & culpa pro laude habetur. Ita se luxuria & delicijs & adulteriorū affectibus iuuenes iactare consueuerunt. Crescit ergo cum ætatibus culpa.* Sic Ambrosius. *Ambr. lib. de Noë & Arcæ. c. 12. Iob. 14. iuxta Septuagin ta Interpretes.*

123 ILLIS Porro extremis verbis capitis octaui: *Cunctis diebus terra sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent*, expressa est promissio Dei ac decretum immutabile pollicentis

& constituentis perpetuas fore deinde vicissitudines temporum, tam anniuersarias, vt hyemis & æstatis, quàm quotidianas, vt diei & noctis: nec non & vicissitudines primarum qualitatum, vt frigoris & caloris: itémque humanarum actionum quæ ad sustentandam vitam pertinent velut sementis & messis. Harum enim rerum omnium tempestiua alternatio & vicissitudo facit ad decorem & ornatum vniuersi: confert & pulchritudinem & fœcūditatem terrę, denique ad hominum & animalium incolumitatem & salutem apprimè vtilis est atque adeo necessaria.

Ambros. libr. de Noë & Arca, ca. 23.

AVDI B. Ambrosium qui hæc ipsa verba explanans, *Secundū lit* 124
teram, inquit, *significatur his verbis, permansura manentibus secundum institutionem Domini, & statum suum incorrupta temporibus animalia. Nā cum corrumpuntur tempora, corrumpuntur etiam illa, quæ suis quæque temporibus generantur. Ergo tempora sunt quæ aut corrumpunt, aut conseruant, prout ipsa sui habuerint qualitatem. Ideoque annus ex contrariis ducitur, Vere, Autumno, Aestate, Hyeme: sicut harmonia cantilenæ permixtis grauibus & acutis videtur consistere. Sic ergo & mundus iste ex contrarijs continetur, Aëre & Terra, Igne & Aqua. Nostra quoque corpora frigore & calore, humore & siccitate, quendam naturæ ordinem seruant: Nam si naturalis ordo ac mensura confunditur, tunc necesse est sequatur interitus. Ergo certum ordinem temporum Dominus, remota confusione diluuij ad perseuerantiam mundi promutit futurum.* Sic Ambrosius.

MAGNVM ergo fuit Dei promissum, cùm dixit, Cunctis diebus 125
terræ vicissitudinem temporum & opportunitatem serendi & metendi, aliáque agendi perpetuò mansuram: quasi diceret: Talis annus qualis hic fuit diluuij, non erit vltra, qui careat vicissitudine temporum, qui totus procellosis expendatur pluuijs, nulloque modificetur beneficio caloris aut temperamento hyemis, quo nusquam iaciatur sementis, nec vlla colligatur messis: sed erunt tempestiuæ & commodæ naturæ vices, nunc æstu, nunc frigore vicissim terras aut sata coquente. Nunquam ita vt factum est diluuio, deformabitur naturę vultus, aut situs mundi confundetur.

Mundus quo modo destruē dus.

ILLVD: *Cunctis diebus terræ*: non significat, Quandiu terra dura- 126
bit: siquidem tales vicissitudines temporum non erunt post diem iudicij: erit tamen terra, sicut scriptum est initio libri Ecclesiastæ: *Terra in æternum stat:* Neque enim mundus destruendus est secundum substantiam, sed manentibus partibus eius principalibus, vti sunt elementa & orbes cœlestes, in meliorem statum commutandus. Ergo illud: *Cunctis diebus terræ*: significat, Donec in terra erit generatio & corruptio: vel, Donec erunt in terris homines & animalia, ad quorum vtilitatem illa temporum varietas instituta est. Non igitur hinc colligi potest præsentem mundi statum fore sempiternum.

MEMORANTVR autem tantùm æstas & hyems: quia hæ sunt 127
præcipuæ partes anni, extremæ atque inter se oppositæ: nam Ver & Autumnus: tanquam earum sunt appendices. Nominantur etiam

tantùm

tantùm frigus & æstus, tacitis humore & siccitate: quod illæ sint primarum qualitatum primariæ, sensu effectuque notabiliores, & ad generationem mixtorum, eorumque operationes præcipuæ. Sementis porrò & messis facta mentio est: quod inter actiones humanas quæ ad tuendam vitam pertinent, hæc primas teneat, quasi maximè generalis & vtilis: sed sub eius commemoratione, reliquarum actionum & officiorum opportunitas intelligenda est.

Nescio cur Septuaginta Interpretes illud, *Omnibus diebus terræ*, iunxerint cum antecedentibus, id est, cum illo: *Non vltra percutiam omnem carnem viuentem*: Cum Hebraica lectio quam secutus est Latinus interpres, planè iungat cum sequentibus, id est: cum illo: *Sementis & messis, & non requiescent*. Nec video cur pro vocabulo hyemis, quod habet scriptura Hebraica, voluerint illi vertere. Ver: aut cur illud, *diem & noctem*, non numerauerint inter ea, quorum vicissitudo perpetuanda erat, vti est in Hebraica & Latina lectione, sed ita verterint: *Semen ac messis, frigus & æstus, æstas & ver, die ac nocte non requiescent*.

Cvm igitur prædicta vicissitudo temporum, immutabilem rationem motus orbium cœlestium ac siderum necessario consequatur & ex ea ipsa pendeat rerum sublunarium, maximè verò animantium, incolumitas & salus, apparet sanè fabulosum esse, vanitatísque atque insciticæ plenum quod dixit Ouidius libro primo Metamorphoseos, hanc temporum inæqualitatem non fuisse aureo Saturni sæculo, sed perpetuum id temporis floruisse Ver: posteà verò degenerante iam sæculo, alternam hanc per vices successionem inductam esse orbi. Sic enim ait: Ouidius.

Iupiter antiqui contraxit tempora Veris,
Perque hyemes æstusque & inæquales Autumnos,
Et breue Ver, spatiis exegit quatuor annum:
Tunc primùm siccis aër feruidus æstus
Canduit, & ventis glacies astricta pependit.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM, LIBER DECIMVSQVARTVS.

In caput nonum libri Geneseos.

De carnium esu hominibus concesso: De præcepto non comedendi sanguinis: De Pœna homicidij: De ebrietate Noë: De filiorum Noë partim maledictione, partim benedictione.

Caput nonum Geneseis.

VERS. 1. BENEDIXIT *Deus Noë & filijs eius, & dixit ad eos, Crescite & multiplicamini & replete terrã.* 2 *Et timor vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* 3 *Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* 4 *Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* 5 *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarũ, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris requirã animam hominis.* 6 *Quicumque effuderit humanũ sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus*

factus est homo. Vos autem crescite & multiplicamini, & 7
ingredimini super terram & implete eam. Hæc quoque di- 8
xit Deus ad Noë & ad filios eius cum eo. Ecce ego sta- 9
tuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post 10
vos, & ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum,
tàm in volucribus quàm in iumentis & pecudibus terræ
cunctisq; quæ egressa sunt de arca & vniuersis bestijs ter-
ræ. Statuam pactum meũ vobiscum, & nequaquam vltra 11
interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps
diluuium dissipans terram. Dixitque Deus, Hoc est signum 12
fœderis quod do inter me & vos & ad omnem animam
viuentem quæ est vobiscum in generationes sempiternas.
Arcum meum ponam in nubibus, & erit signũ fœderis in- 13
ter me & inter terrã. Cumque obduxero nubibus cœlum, 14
apparebit arcus meus in nub. Et recordabor fœderis mei 15
vobiscum & cum omni anima viuente qnæ carnem vege-
tat, & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vni-
uersam carnem. Eritque arcus meus in nubibus & videbo 16
illum, & recordabor fœderis sempiterni quod pactum est
inter Deum & omnem animam viuentem vniuersæ car-
nis quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noë, Hoc est 17
signum fœderis quod cõstituit inter me, & omnem carnem
super terram. Erãt ergo filij Noë, qui egressi sunt de arca, 18
Sem, Cham & Iaphet: porò Cham, ipse & pater Chanaam.
Tres isti filij sunt Noë, & ab his disseminatũ est omne ge- 19
nus hominum super vniuersam terrã. Cœpitq; Noë vir a- 20
gricola exercere terram, & plantauit vineã: Bibensq; vi- 21
num inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo.
Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet 22
patris sui esse nudata, nũciauit duobus fratrib. suis foras.
At verò Sem & Iaphet, pallium imposuerũt humeris suis,
& incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui, 23

facieſque eorũ auerſæ eraut & verenda patris non vide-
24 *runt. Euigilans autẽ Noë ex vino, cum didiciſſet quæ fe-*
25 *cerat ei filius ſuus minor, ait, Maledictus Chanaan. Ser-*
26 *uus ſeruorũ erit fratribus ſuis. Dixitque, Benedictus Do-*
27 *minus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus*
Iaphet & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaã ſer-
28 *uus eius. Vixit autem Noë poſt diluuium trecentis quin-*
29 *quaginta annis. Et impleti ſunt dies eius nongentorum*
quinquaginta annorum: & mortuus eſt.

PRÆFATIO.

QVÆ poſt diluuium contigerunt vſque ad ortum Abrahæ, diligẽter narrat Moſes tribus proximè ſequentibus huius libri capitibus nono & decimo maiorique parte vndecimi. Nec tamen ille perſequitur omnia, id enim & nimis longũ, & minimè neceſſariũ erat, ſed inſigniora tãtùm, vel ad primę illius poſt diluuium ætatis notitiã, vel ad eruditionẽ poſteritatis. Ea verò quę in hoc capite nono à Moſe ſunt prodita ſi in capita quędã colligãtur, hæc fermè ſunt. Primò Deus benedixit Noë & filiis eius, magnã tribuẽs fœcunditatẽ generationis ad celerẽ numeroſamq; generis humani multiplicationẽ. Secundò permiſit eis eorumque poſteris eſũ carniũ, quod ante diluuiũ non fecerat. Tertiò interdixit omnem eſũ ſanguinis. Quarto ſeueriſſimis verbis inſectatus eſt homicidas, pœna talionis aduerſus eos cõſtituta. Quintò promiſſionem ſuã Deus nunquam in poſterum futuri diluuij, firmauit conſpicuo omnibus ſigno arcus cœleſtis vt eius aſpectus mortaliũ animos non vẽturi vnquã diluuij ſecuros faceret. Sextò Noë in ſubſidium humanæ infirmitatis, & in remedium atque ſolaciũ tot malorum, quibus mortalium vita poſt diluuiũ tẽtari & infeſtari cœpta eſt, cùm ex

vitibus

vitibus à se cõsitis vuisque procreatis vinum confeciſſet, ac bibiſſet, imprudens ac nolens in temulentiam incidit & nudus iacuit. Septimò, pudendam Noë nuditatem filius eius Cham nec erubuit aſpicere, & non ſine irriſione atque contumelia patris euulgauit: at verò Sẽ & Iaphet memorabili & pudoris & pietatis exemplo aſpectum nudi patris auerſati, retrogrado ad eum acceſſu iniecto pallio nuditatẽ eius operuerunt. Octauò, De hoc certior factus Noë, vbi ſomno & temulentia ſolutus eſt, maledixit Cham in filio eius Chanaan, poſteros eius ſeruitio poſterorum Sem & Iaphet mancipatum iri prædicens: contra verò benedixit Sem & Iaphet, poſteritatis eorum felicitatem prænũcians. Nonò definitur vniuerſum tempus vitæ Noë nongentis quinquaginta annis: quorum ante diluuium ſexcẽtos vixit, poſt diluuium autem trecentos quinquaginta. *Geneſ. 8.*

1 Ex quo apparet Noë multos annos nato Abrahæ ſuperuixiſſe. Nam ſecundum Hebraicam & Latinam chronologiam, quæ à diluuio ad natalem annum Abrahæ numerat annos ducentos nonaginta duos, poſt ortum Abrahæ vixit Noë octo & quinquaginta annos: at verò ſecundum chronologiam Græcam quæ adiecta generatione Cainam tempus interiectum inter diluuium & ortum Abrahæ extendit in annos trecentos viginti duos (de qua re infra decimo ſexto libro accuratè diſputari ſumus) vixit Noë poſt natum Abraham octo tantum & viginti annos. Si igitur Plinius, vt rem miratus eſt rariſſimi exẽpli, Auguſtum Cæſarem neptis ſuæ vidiſſe nepotem Iunium Sillanũ anno quo exceſſit genitũ: quantò magis demiratus eſſet Noë multos annos ſuperuixiſſe nato Abrahæ, qui poſt decem generationes ex ipſo generatus fuerat? Eorum igitur quæ capite nono huius libri narrantur, præcipua hæc ſunt capita quæ nobis hoc libro non ſolum dilucidis Commentariis explanare, ſed vbicumque fuerit opus, eruditis quoque diſputationibus illuſtrare propoſitum eſt. *Quandiu Noe iã nato Abrahamo ſuperuixérit.*

VERS. 1. & 2. *Benedixit Deus Noë & filijs eius, & dixit ad eos Crescite & multiplicamini & replete terram, Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, &c.*

Homini recēs nato Deus tria bona impertiuit.

LICET animaduertere similia nascentis Mundi & rursus post diluuium quasi renascentis primordia, & Dei beneficia homini tributa. Etenim in exordio Mūdi homini recēs creato, tria Deus bona, eaque magna & prę clara impertiuit, primum, fœcunditatem naturæ ad celerem ac multiplicem humani generis propagationem, cùm benedicens illi dixit: *Crescite & multiplicamini*: alterum, excellentiam principatus & imperij in animalia: *Dominamini*, inquit, *piscibus maris, & volatilibus cœli & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram*: tertiū, copiam cibi ad tuendā sustinendámque vitam: *Ecce dedi vobis omnem herbā & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ*. Eadem hęc tria bona & beneficia, mundo per diluuium purificato ac renouato, in illis octo hominibus qui cladem diluuij euaserāt Deus etiam renouare voluit. Bonum quidem fœcunditatis, tribuit eis cum benedicens Noë ac filiis eius, (vt in exordio huius capitis scriptum est) dixit, *Crescite & multiplicamini*: ius imperandi animalibus, cùm subdidit, *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia*: denique cibū non modò necessarium, sed etiam commodū & optimū ad alendum hominem, cùm adiunxit: *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum*. Similibus igitur beneficiis Deus affecit hominem & cùm primò eum condidit, & cùm ex diluuij exitio seruauit. 2

Genes. 1.

Eadem mundo per diluuium purificato renouauit.

SED enim quamuis ea bona genere similia fuerint in vtroque mundi æuo atque hominis statu: specie tamen & gradibus excellentiæ ac perfectionis fuerunt dissimillima. In statu enim innocentiæ talis fuisset humana fœcunditas, vt non modò numerosa generaretur proles, sed etiam animo pariter atque corpore puerili perfecta, citraque omnem parentum laborem ac molestiam. Imperium autem hominis in animalia fuisset planè quietum ac pacificum, nullo animalium reniſu, nullaque hominis difficultate. Victus porrò ex iis quæ terra sponte naturæ generasset, non tantùm fuisset alendo homini sufficiens, verùm multò saluberrimus, ac iucundissimus omnémque carnium vel indigentiam vel desiderium adimēs homini. At enimuero post diluuium hæc bona variis malis ærumnísque permixta, valdè diminuta & corrupta sunt. Fuit sanè post diluuium fœcunda hominis natura: sed ea fœcunditas vix dici potest quantis cum laboribus, vitiis & calamitatibus sit coniuncta, animalium vix vlli pro arbitrio nostro & sine labore imperamus, præstantiora verò & nobiliora non nisi per artem ac vim perque dolos ac terrores nobis subiicimus. cibus autem homini quò amplior datus est post diluuiū quàm antea, 3

eò

eò clarius indicat maiorem hominis indigentiam ex maiori fragilitate valetudinis & infirmitate corporis quæ post diluuium ei contingit, profectam.

4 QVOD autem narrat Moses hoc capite bis Deũ benedixisse Noë & filiis eius: & dixisse, *Crescite & multiplicamini*: valuit ad certiorem promissæ fœcunditatis fidem faciendam, & vt nullo modo dubitarent fore, vt tanta illorum paucitas in amplissimam posteritatis multitudinem breuissimo tempore multiplicanda esset. quod sanè, vti promiserat Deus, ita planè contigit. Namque eo tempore quod inter diluuium & ortum Abrahæ intercessit, hoc est, intra trecentos annos, tam numerosè propagarum est humanum genus, vt, auctore Ctesia, narret Diodorus libro tertio, Ninum monarchiæ Assyriorum conditorem (cuius imperij quadragesimo tertio anno natum Abraham facit Eusebius) habuisse in exercitu peditum decies septies centena millia, equitum verò ducenta millia, currus autem falcatos paulò minus decem millibus & sexcentis: eodémque tempore Zoroastrem Bactrianorum regem cum Nino præliaturum, quadringentorum millium hominum compatasse exercitum. Ecce, in duorum tantùm regum exercitu erant hominum amplius vicies centena millia supérque trecenta millia. *Diodorus ex Ctesia. Notabile exemplũ simul & argumentũ celerrimæ multiplicationis hominum post diluuiũ. Eusebius in chronico.*

5 ILLVD: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ*, vel vt est Hebraicè, Terror ac tremor vester erit super omnia animalia, facit Noë & filios eius securos, dempto metu quem concipere potuissent ne sibi propter paucitatem exitium vel ingens aliquod detrimentum ex tam multis ac tam sæuis animalibus accideret. Tantum abest, inquit, Deus vt timorem ac terrorem incutere vobis debeant animalia, vt vos potius illis formidabiles ac terribiles futuri sitis; quod non tantum in illos paucos homines dictum est, sed in omnes eorũ posteros: omnia enim animalia reuerentur ac metuunt hominem, etiam vmbram, etiam vestigia eius formidant, vt de piscibus probat Basilius, & Plinius de Elephantis: nec ferè animal vllum quamlibet sæuum ac truculentum inuadit hominem, nisi vel lacessitum, vel fame compulsum, vel metu sui, aut alia quapiam perturbatione occupatum. Sunt multa, & maiora, & robustiora, & velociora, & naturalibus armis vnguium, dentium & cornuum validiùs armata quàm homo: aduersus tamen omnia prævalet ille duabus rebus, ingenio, & manu; his enim fabricatur omnis generis arma & instrumenta, quibus animantes omnes facilè vincit, suóque seruitio, vti libitum fuerit subiicit. *Basilius Plin. lib. 8. cap. 4.*

6 BEATVS Gregorius ex eo quod Noë & filiis eius dixit Deus, *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia*, argumentatur eum qui præest aliis, nequaquam se timeri à subditis suis velle debere. Sic enim scribit libro 21. Moralium cap. 11. super illa verba Iob cap. 31. *Si contempsi iudicium subire cum seruo meo: Omnes homines natura æquales genuit: sed variante meritorum ordine alios aliis distinctio occulta postponit.* *Sententia B. Greg. Prælatis valde obseruanda.*

Ipsa autem diuersitas quæ accessit ex vitio, rectè est diuinis iudiciis ordinata, vt quia omnis homo iter vitæ æque nõ graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cùm præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt: nec præesse gaudent hominibus, sed prodesse. Signatè enim dixit Deus Noë & filijs eius, Terror ac tremor vester sit super omnia animalia terræ: Nõ dixit, super homines qui futuri sunt, sed super animalia: homo quippe animantibus, non autem hominibus natura prælatus est: & idcirco dicitur ei vt ab animalibus non autem ab hominibus timeatur. Contra naturam enim superbire est, ab æqualibus velle timeri: quanquam à non subditis etiam viri sancti timeri cupiunt: sed tunc, cùm ab eis Deũ minime timeri deprehendunt, vt humana saltem formidine peccare metuant qui diuina iudicia non formidant. In eo enim quod metum sibi à peruersè viuentibus exigunt, quasi non hominibus sed brutis animantibus dominantur. Cũ verò deest vitium quod corrigatur, non de excellentia potestatis, sed de æqualitatis conditione gaudent: & non solum ab eis metui, sed etiam plusquã necesse est honorari refugiunt. Neque enim leue se perpeti damnum humilitatis credunt, si ab eis, pro merito fortasse ordinis, pluris æstimantur. Hæc B. Gregorius.

VERS. 3. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia.*

Genes. 6.

HINC apparet, ante diluuium esum carnium vel non fuisse licitum, vel non fuisse in more atque vsu: saltem apud probos & pios viros, & quos Moses supra Dei filios appellauit. Ethnicorum sapientes hanc carnium abstinentiã in primæua Mundi ætate, quam nominarunt illi seculum aureum, etiam subodorati sunt, vel scriptorum Mosis lectione, vel fama & traditione antiqua, Chaldæorum præsertim atque Aegyptiorum, quibus instituta Iudæorum propter diutinam cum illis conuersationem non fuere ignota. Continentiam igitur illius primæuæ ætatis ab esu carnium expressit Ouidius illis versibus. 7 8

Ouid. Metamorpho. libr. 15.

At vetus illa ætas non polluit ora cruore.
Tunc & aues tutè mouere per aëra pennas,
Et lepus impauidus mediis errauit in agris,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo,
Cuncta sine insidijs, nullamque timentia fraudem
Plenaque pacis erant.

Verùm quod abstinentiam illius ætatis ab esu carnium laudat Ouidius, rectè quidẽ fecit: sed quod idem posteà introductum esum carnium quasi magnum scelus execratur dicens.

Heu quantum scelus est in viscere viscera condi?
Congestóque auidum pingue sescere corpore corpus
Alteriusque animantem animantis viuere leto?

Poëtico excessu veritatis lapsus est: nec enim damnari potest, quod

pro

pro magno beneficio Deus homini cõcesſit, & quod fragilitati & infirmitati hominis ſuſtinendæ confirmandæ propè neceſſarium eſt.

VERVM excutiamus cauſas propter quas Deus homini non ante
9 diluuium ſed poſt, indulgere voluit eſum carnium. Equidem tres eius rei cauſas adferre poſſum. Nimirum voluit Deus atrocitatẽ vindictæ, qua omne genus hominũ & animalium, paucis exceptis per diluuij cladem extinxit, illuſtri aliqua ſignificatione benignitatis & indulgẽtiæ ſuæ erga hominem mitigare ac lenire: quocirca tanta diuini ſupplicij ſeueritate tremefactum, metuque conſternatum hominem ſuauiſſimus Dominus ſtatim poſt diluuiũ erexit ac recreauit trium conceſſu ingentium bonorum, numeroſæ fœcunditatis, largioris cibi, & ſecuritatis nunquam in poſterum futuri diluuij: Alteram cauſam fuiſſe reor indigentiam hominis poſt diluuium, vberiori validioreque cibo indigentis.

Tres cauſæ, cur poſt diluuium indultus hominiſi eſus carniũ.

HÆC autem indigentia tribus ex rebus accidit: nam cœleſtium
10 aſtrorum aſpectus & defluxus minus fuit humanæ vitæ propitius ac beneficus quàm fuerat ante diluuiũ: & ipſa tellus ſalſis Oceani aquis per vnum annum tota perfuſa & obruta, multò ſterilior ac deterior facta eſt: quocirca earum rerum quas ex ſe generabat prouentu, non vt antea ſufficiens alendo homini ſubminiſtrare potuit alimentum: fragilior denique fuit poſt diluuium valetudo hominum, pluribuſque incommodis ac morbis obnoxia, quamobrem ad eam ſuſtinendam firmandamque pluribus & validioribus adminiculis & quaſi fulturis opus fuit, id quod ſatis indicat. vita hominum in tantum contracta & reciſa poſt diluuium.

tribus ex re bus maior poſt diluuiũ fuit hominis indigentia.

TERTIAM cauſam tradit quæſtione in Geneſim 55. Theodore-
11 tus ita ſcribens: *Poſt diluuiũ, magis pretioſum Deus homini cibum contulit, iubẽs occidere & comedere ex omni genere animalium, videlicet affectũ repellens affectu, & leuiori curans grauiorem. Præuidens enim Deus in tantam homines lapſuros dementiam, vt animalia pro diis veneraturi eſſent, permiſit illorum eſum, quo impietatem eorum cohiberet. Summa enim eſt inſania adorare quod comeditur. Propterea quoque animaliũ quædam haberi voluit immunda, alia munda, vt immunda eo ipſo quod immunda ſunt, adorare perhorreſcerent: mũda verò quod & ad eſum hominis & ad ſacrificia mactarentur pro diis colere erubeſcerent.*

Theodoretus.

PRIMA DISPVTATIO.

Vtrum licitus homini fuerit ante diluuium eſus carniũ.

12 QVETERVM ex hoc loco Scripturæ quo narratur primo conceſſiſſe homini Deum eſum carnium poſt diluuium, celebris quæſtio exiſtit, vtrum veſci carnibus ante diluuium fuerit homini aut licitum, aut certè in more & in vſu

Prima opinio Lyrani, Tostati, Carthusiani.

in vsu. Tres sunt hac de re auctorum sententiæ Prima est Lyrani, Tostati & Carthusiani in Commentariis suis in Genesim super extrema ferè verba primi capitis, vbi Deus cibum assignauit homini ex omnibus herbis & oleribus terræ arborumque fructibus. Affirmant isti esum carnium nec fuisse in vsu ante diluuium, nec fuisse licitum. Ad hoc probandum satis argumenti esse putant, quod primò Deus post diluuium concessit Noë & filiis eius esum carnium, quasi ante id temporis inusitatus atque illicitus fuisset. *Omne*, inquit, *quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia dedi vobis omnia.* quorum Dei verborum hæc est sententia: Quemadmodum in exordio mundi tradidi vobis in cibum omnia quæ terra nascuntur, ita nunc quia pleniore valentioréque cibatu indigetis, victui vestro destino & assigno omnia animalia.

MERITO sanè id fecit Deus: siquidem post diluuium terra deterior facta est, ob idque alimentum ex herbis & arboribus alendi hominis inefficax futurum erat: ipsum quoque temperamentum humani corporis multò infirmius & fragilius effectum est, id quod vel ex eo apparet, quòd ante diluuium vixere homines vltra nongentesimum annum: post diluuium autem qui primus omnium genitus est Arphaxad, paulò amplius quadringentos annos vixit, & trecentis illis annis qui à diluuio vsque ad ortum Abrahæ decurrerunt, plus septingentis annis vita hominis diminuta est: nullus enim post id tēporis longæuior fuit quàm Isaac, qui octogesimum tamen & centesimum annum minime excessit. Si igitur post diluuium primò concessus est homini carnium esus, ex eo liquet anteà licitum & vsitatum non fuisse: nam si fuisset, quid opus erat nouo tunc mandato id sancire, & quasi nouum quoddam & singulare beneficium homini concedere? 17

Infra. 10.

CAVSA porrò cur ante diluuium non sit à Deo concessus homini esus carnium, non fuit paucitas animalium cuiúsque speciei: non enim putādum est, vt in specie humana duos tantum homines creauit Deus, ita quoque in qualibet animalium specie bina esse à Deo procreata: licet scriptum id reliquerit Iustinus martyr in Responsione ad quæstionem 49. Orthodoxorum, & Theodoretus in libro Quæstionum in Genesim, quæstione 17. & 39. Quin credibilius est cuiusque animalium speciei plurima in exordio mundi esse generata. Non igitur propter animalium paucitatem negatus est homini vsus carnium: nam, vt dixi, ea causa vera non est: & vt vera esset, nōnihil ea fortasse valuisset in exordio mundi, non autem toto eo tempore quod fuit vsque ad diluuium per annos scilicet mille sexcentos quinquaginta sex, quo tempore numerosissimè multiplicata esse cuiusque speciei animalia nequaquam dubitandum est. Adiice quod si ea ratio vim haberet vllam, simili vtique ratione concluderetur non debuisse Deum statim post diluuium edendi carnes homini potestatem facere, cùm id temporis similiter vt in mundi exortu magna 14

Iustin. Mart. Theodoretus.

esset

esset cuiusque speciei animalium paucitas.

15 VERA igitur & germana eius rei causa fuit, quod victus ex terra nascentibus in prima illa ætate quæ præcessit diluuium, propter excellentem recentis terræ bonitatem & vigorem, optimus esset homini: terra namque alimentum homini nutriendo, non sufficiens modo, sed abundè suppetens, maximéque solidum ac iucundum & salubre præbebat, idque magna facilitate, sine graui scilicet labore hominis & cura. Itaque inter esum plantarum & temperamentum hominis naturalis erat eo tempore conuenientia, propter excellentem eorum nutriendi vim, firmissimamque corporis humani constitutionem: qualis nempe conuenientia non erat inter carnes animalium & corpus hominis: namque eo tempore animalium carnes plenius & pinguius ac solidius alimentum dedissent homini quàm eius temperamento conueniebat, vel fortasse præuiderat Deus, si homines vescerentur carnibus, fore eos longioris vitæ quàm ipse eam præfinire volebat & quàm spirituali eorum vtilitati cõducere sciebat: vel etiam quòd eo alimento facti essent multò robustiores, confidentiores, ferociores, & ad quodlibet patrandum scelus audaciores & proiectiores, tales scilicet quales sub finem eius ætatis fuisse gigantes, capite sexto Geneseos narrat Moses.

16 ALTERA est opinio huic planè contraria, esum carnium fuisse hominibus licitum & vsitatum ante diluuium. Hanc sententiam quidam assignant B. Iustino: is enim memorat hanc quæstionẽ sibi obla- tam ab Orthodoxis, quæ in aliarum quæstionum numero est 119. Si nec arborum fructibus, nec animalium carnibus, vescebantur qui fuerunt ante diluuium, vt nonnulli Patrum dixerunt, qui fit vt Abel ex adipibus ouium quas pascebat, itemque Cain ex fructib. terræ quam, colebat, libauerit? Nec verò dubium est quin vtique cibo suo præferens Deum, tali sacrificio sit vsus, nam si inutilia sibi, offerebant Deo, nonne tali libatione illudebant Deum? quippe cùm munus offerrent ridiculum, quod scilicet offerenti nihil detraheret, qui fit igitur vt Caini sacrificium reiectum fuerit, Abelis verò approbatum? Ad hanc quæstionum ita respondet Iustinus: *B. Paulus Patrum Pater, & religionis magister ait: Quis vitem conserit, quin de fructu eius comedat? quis gregem pascit, quin de lacte eius edat? nimirum nullus. Non igitur Abel gregem pascens, gregis lacte non vescebatur: neque Cain terram colens, fructus eius non comedebat. Præterea si inutiles erant Caino fructus terræ, qua de causa deterioribus honorabat Deum, melioribus seipsum ante Deum honorans? quod si antepositi Abel vtilitati suæ Deum, non dubium est quin solius sit vtilitatem ex labore suo percipere.* Hæc Iustinus.

secunda opinio.

Iust. martyr.

Genes. 4.

1. Cor. 9.

17 DEMIROR equidem fuisse nonnullos Patrum, vt refert Iustinus qui negauerint homines ante diluuium vesci solitos fructibus arborum, cùm eum cibum assignauerit Deus primis hominibus statim vt eos creauit. Verum ex supradictis Iustini verbis nõ potest colligi eum sensisse esum carnium fuisse hominibus ante diluuium licitum &

Genes. 1.

vsitatum : tantum enim ille loquitur de esu lactis, quo vult, Abel esse vsum, quod nemo abnuit.

Caietanus. AT enim Caietanus super quartum caput libri Geneseos explanans illa verba: *Fuit Abel pastor ouium, Cain autem agricola.* apertè hanc sententiam approbat, hunc ad modum scribens: *Coniectura est, adeo fuisse tum multiplicatos homines, vt opus esset grege ouiũ, nulla enim scriptura testatur homines ante diluuium, postquã eiecti sunt de Paradiso, solis terræ fructibus vixisse.* *Berosus.* *Berosus namque refert homines ante diluuium etiam humanas carnes comedisse. Et pastorale officium Abelis testatur gregem ouium humanis vsibus seruisse, non solum præbendo lanas & agnos, sed lac & caseum. Nec obstat, diuinam scripturam differre indulgentiam vescendi carnibus post diluuium, quoniã non indulgentia sed necessitatis explicatio fuit illa. Ante peccatum enim explicata est materia necessaria humani cibi in vegetabilibus, post peccatum autem in animalibus. Vnde ibi dicitur animalia data esse homini post diluuium, sicut ante data fuerant ei olera virentia. Cum quibus stat quod medio tempore, scilicet post peccatum & ante diluuium, homines naturali iure vsi fuerint vescendi carnibus animalium, & ob id Abel fuit pastor ouium. Et confirmatur, quia nisi agni tunc fuissent hominibus ad esum, nulla fuisset laus Abel ex eo quod primogenitos pingues elegisset ad diuinum sacrificium, perinde enim fuisset Abeli pingues atque macilẽtos sacrificare, si non propter vsum carnium, sed propter solum pellium vsum gregem pascebat.*

SIC eo loco Caietanus, idemque ab eo repetitur & confirmatur in exordio noni capitis, vbi & illud addit, *post diluuiũ promulgasse Deum esum carnium, non quantum ad esum quasi prius non fuisset in vsu, sed quantum ad necessitatem, quia post diluuium cœpit esus carnium esse homini necessarius, & quia tunc primum necessitas vescendi carnibus promulgabatur, propterea tunc etiam declaratus est naturalis modus vescendi carnibus, non cum sanguine, id est, non vescendi crudis carnibus.* Sic ex Caietano. Placuit hæc opinio etiam Francisco de Victoria, vt apparet ex Relectione eius de Temperantia.

Franciscus de Victoria.

Dominicus de Soto. HVIC sententiæ Dominicus de Soto libro quinto de Iustitia & Iure, quæstione prima articulo primo, suũ quoque adiecit calculum: arbitratur enim statim post peccatum Adami vitiatamque naturam hominis, esum carnis fuisse naturaliter conuenientem cibum homini, ob idque fuisse licitum atque vsitatum. Hoc ille argumentatur ad hunc modum: si esus carnium non erat in vsu apud homines, id accidisse necesse est, aut quia erat prohibitus, aut quia esus carnũ id temporis non erat vtilis homini, aut quia vis carnium nutricandi hominem non fuit eo tempore cognita, aut quia propter abundantiam & præstantiam alimenti quod plantæ suppeditabant homini, esus carnium superuacuus esset, miniméque necessarius: sed nihil horum valet ad fidem astruendam ei opinioni. Namque nulla lege prohibitum legimus esum carnium: non quidem naturali, vt patet, nec positiua, talis enim nusquam reperitur in sacris litteris, nec probabilis causa esse potuit, cur eo tempore cibus ex carnibus non esset conueniens & vti 18

& vtilis homini, cùm Philosophorum & Medicorũ concessu, & quod caput est, experientiæ documento meliorem esse constet ad alendum & roborandum hominem cibum ex carnibus quàm ex plantis. Illud porrò minime fit credibile, toto eo tempore quod præcessit diluuium id est, per annos mille sexcentos quinquaginta sex, vim carnium ad alendum hominem accommodatissimã, nec speculando fuisse homini cognitam, nec experiendo compertam. Quod autem id temporis plantæ sufficiens homini præberent alimentum, nec opus esset carnibus, id non probat non fuisse eis vsos homines. Quàm multis enim nunc vescimur non tanquam necessariis, sed quia melius, delicatius & iucundius alimentum habeant? Neque enim homines contẽti sunt necessariis vel ad vitam vel ad vestitum, sed alia multa curiosè cupidéque consectantur, si meliora & suauiora esse putent. His accedit, omnia animalia esse facta propter vsum hominis, sunt autem multa quæ præter esum nescias cui possint esse vsui hominibus, vt pisces, perdices & complures auium.

19 TERTIA sententia est, esum carnium fuisse quidem licitum homini ante diluuium, non fuisse tamen in vsu apud probos præsertim & pios viros ex laudata illa stirpe Seth generatos, quosque Moses filios Dei appellauit. In hac sententia fuisse videtur Chrysostomus scribens in vigesima septima homilia in Genesim, post diluuium homines edendi carnes initium fecisse. Theodoretus item quæstione 55. in Genesim, cùm posuisset hanc quæstionem, Cur Deus post diluuium de carnibus edendis legem tulerit? ad eam sic ipse respondet: *Mox vbi creauit hominem Deus, dedit ei terræ fructus: post diluuium autem pretiosiorẽ cibum ei cõcessit, iubens Noë occidere & comedere animalia cuiusque generis*, & cetera, quæ sequuntur, & à nobis paulò superiùs commemorata sunt, cùm causas exponeremus cui Deus non ante sed post diluuium esum carnium indulserit homini. *Tertia opinio.* *Genes. 6.* *S. chrysost.* *Theodoretus*

20 ETIAM B. Thomas in hanc sententiam videtur fuisse propensior, vt significat in Commentariis suis in epistolam ad Romanos super illa verba Capitis 14. *Qui autem infirmus est, olus manducet.* affirmans vsum carnium cœpisse post diluuium: sed explicatius id ipsum tradit. in Prima Secundæ, quæstione 102. Articulo 6. in responsione ad secundum: *Esus*, inquit, *plantarum, aliorumque terra nascentiũ, fuit apud homines enim ante diluuium: at esus animaliũ videtur post diluuium esse introductu. dicitur enim Genes. 9. Quasi olera virentia dedi vobis omnem carnem. Et hoc ideo, quia esus terra nascentium magis pertinet ad quandam simplicitatem vitæ, esus verò carnium, ad delicias & curiositatem viuendi. Etenim sponte herbam terra germinat, & cum modico studio quæ generantur ex terra, etiã in magna copia parari possunt: animalia verò necesse est magno cum studio nutrire, & ad esum cõparare: Quocirca volens Deus populũ suum reducere ad simplicitatem, multa Hebræis in genere animalium prohibuit, non autem in genere plantarum.* Hactenus ex B. Thoma. *B. Thomas.* *Leuit. 11. & Deut. 14.*

21 MIHI quoque præ ceteris hæc placet opinio: Etenim cùm ante

diluuium propter excellentem terræ bonitatem præstantemque vim alimenti quod fructus terræ suppeditabant homini, simul & propter firmissimum robustissimumque humani corporis temperamentum, victus ex plantis alēdo homini satis superque sufficiens esset, saluberrimus item ac iucundissimus, nec nō & simplicissimus nulloq; labore parabilis, denique similis victui quem Deus homini assignauerat ante peccatum; simillimum verò sit, libentissime eo tantùm cibo viros ponos. Denique cultores vti voluisse.

Auctoris sententia.

VERVM dicet aliquis, si primùm concessus est homini victus ex carnibus animalium post diluuium, quomodo is ante id temporis licitus erat; Respondendum est, Deum indulgendo esum carnium post diluuium, non fecisse eum ex illicito licitum, sed significasse tunc incepisse indigentiam eius propter fragilitatem vitæ & infirmitatem valetudinis humanæ, & propter malignitatem terræ, & inualidam ad bene alendum hominem vim eorum quæ terra nascuntur, quamobrem concessu carnium Deus bonos & pios viros quasi religione quadam soluit, ne, vt ante diluuium, herbis & fructibus arborum, vt sufficienti alimento contenti, ab esu carnium quasi superuacuo refugerent. Voluit præterea Deus post diluuium potestatem edendi carnes expressiùs tradere, vt ei adiungeret exceptionem edendi carnes cum sanguine, quod cibi genus inuisum & abominatum homini esse volebat, & futuris sæculis lata lege Hebræis erat interdicturus. 22

An esu carnium melioris sit alimēti quàm plātarum.

SED quia de esu carnium disputauimus, nolo ignorare Lectorem fuisse nonnullos qui sunt opinati, plantas melioris & vtilioris hominī esse alimenti, quàm carnes animalium? quod si esset, haud magnum profecto fuisset beneficium esus carnium Dei concessu indultus homini. Pythagoreos quo magis abstinentiam animalium commendarent, ita sensisse ferunt. Sed istam opinationem esse falsam, peruiucit ratio, experientia, & exempla. Ratio docet, vnumquodque rebus maximè similibus ali; siquidem alimentum in id quod alitur commutari debet: inter similia verò facilior est transmutatio; concoctione etiam alimenti id agitur, vt tandem efficiatur alimentum ei quod ali debet quàm simillimum: Carnes autem animalium similiores sunt humani corporis quàm natura plantarum, quemadmodum animalia similiora sunt hominibus quàm plantæ. Deinde optimum est alimentum quod temperatè calidum & humidum est, quale scilicet est humanum corpus: ad hanc autem temperationem calidit & humidi qua constat corpus humanum, propius accedit caro animalium quàm plantarum natura; constat enim ferè plantas vel calore vel frigore, vel humore vel siccitate insigniter ac præter modum excellere. 23

Vide Porphyriū li. 4. de Abstinentia animaliū, & duas Plutarchi Orationes de esu carnium.

AD hæc, vt peruulgatum, ita verū est illud quod sermone omnium iactatur, Quod sapit, nutrit; carnes autem animalium melioris esse saporis, & ad edendum suauiores, quis neget; sicut nec illud negari 24

potest,

potest, ex carnibus, plenius ac solidius salubriusque capi alimentum quàm ex plantis, vel exemplo ægrotorum, quibus frequenter vt conceduntur carnes, ita fructus & olera vetantur. Et illud Philosophi censent haberi debere secundum naturam, quod omnes vel plerique expetunt & sectantur: talis est carnium esus, quo pauci non vtuntur, iique vel propter inopiam, vel morbum, vel ex vitæ instituto. Nec illud non palam est, eos qui bonis carnibus vescuntur, valentiores, pinguiores, speciosiores, & ad omnia vitæ munia habiliores esse, quàm qui solis plantis vtuntur. His accedit, quod abstinentia carnium consultò suscipitur ad macerandum & affligendum corpus, & carnis vires debilitandas: nec in ieiuniis Ecclesiasticis, quæ ad agendam pœnitentiam & affligendam carnem instituta sunt, interdicitur vsus herbarum aut fructuum, cùm planè vetetur vsus carnium. Hæc ideo disputauimus, vt istam opinionem, quemadmodum à doctrina sacræ Scripturæ discrepantem, ita rationi & experientiæ contrariam esse ostenderemus.

25 VELIM etiam illud hoc loco animaduerti, quod dictũ est à Deo Noë & filiis eius de carnibus edendis, non fuisse præceptum quò necessitas eis imponeretur edendi carnes, sed fuisse indulgentiam Dei paterno affectu consulentis infirmitati homines: & propter malignitatem terræ, atque imbecilliorem ad nutricandum hominem plantarum virtutem, beneficè largientis homini cibum, quem ei post diluuium meliorem, iucundiorem & salubriorem esse nouerat.

Potestas edẽdi carnes, per indulgẽtiam permissa, non præcepto diuino imposita est.

NON igitur contra Dei voluntatem & sententiam faciunt qui carnibus abstinent: vel quò viuant castiùs, vel quo interiori animo & ardentiori studio ad diuinarum precationum & meditationum exercitationem incumbant, vel quò pro peccatis suis dignè satisfaciant Deo: vel denique vt susceptam religiosæ vitæ rationem & disciplinam, votoque ab ipsis quasi obsignatam firmatamque sanctè colant, & vsque ad extremum spiritum conseruent. Neque verò, quia hic dicitur Deus omnes terræ marísque animantes in cibum tradidisse homini, existimare conuenit, licitum esse homini & honestum siluas omnes saltusque pererrare, subire montes, peregrare campos, lacus & flumina scrutari, etiam longinqua, nec sine periculo vitæ penetrabilia maria pernauigare, non vt consulatur valetudini, nec vt honestæ seruiatur voluptati, sed ad ostentationem luxus & prodigiosam ventris atquæ gulæ saturitatem. Sic profecto res est, cibus ex animalibus affatim nutriendo homini sufficiens, idemque iucundus ac salubris, haud tanto pretio & periculo comparandus est, non est is operosus neque sumptuosus, sed modico & impendio & labore parabilis.

Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis. Quicúmque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.

QVEMADMODVM in mundi exordio Deus potestatem Adamo fecit edendi fructus omnium arborum præter arborem scientię boni & mali: ita post diluuium concessit Noë esum carnium quorumlibet animalium, excepto sanguinis esu. vtrobique autem facta est prohibitio vnius alicuius rei, quæ per se non erat mala videlicet ad salutarem homini, continentiæ, humilitatis & obedientiæ probationem. *Excepto*, inquit, *quod carnem cum sanguine non comedetis*, quasi dicat, ita vobis esum omnium animalium permitto, vt eorum tamē sanguinem à vobis nolim comedi, siue intra ipsa animalia siue extra & separatim. Quid autem sit carnem cum sanguine comedere, paulò infra dicetur enucleatiùs in disputatione quæ super hoc tractanda est. 26

Prima Dei præcepta post diluuium homini data.

STATIM igitur post diluuium animaduertere licet duo Dei præcepta homini data & vtrúmque negatiuum: vnum quidem de non edendo sanguine, alterum de non fundendo sanguine humano, siue de vitando homicidio, cùm dixit: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu bestiarum & hominum: quicũque enim effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Sed prius quidem præceptum positiuum est & temporarium, aliquando videlicet abrogandum, nec apud omnes gentes vim habens, posterius autem præceptum pars est legis naturalis, omnes vbique terrarum & quocunque tempore homines obligans, neque vnquam abolendum. Nugantur more suo Hebræi, vt videre libet apud Rabinum Salomon in secundum caput Hieremię, & in Seder Olam (quod est Chronicon Hebræorũ) capite quinto: Deum septem præcepta post diluuium dedisse hominibus, quæ illi appellant præcepta filiorum Noë, & præcepta naturæ, quibus adstringi censent etiam Gentiles, hoc ordine digesta: Non colere idola: Benedicere Deum: Cauere ab incestu propinquorum, omnique nefando cõcubitu: Non fundere sanguinem humanum: Non rapere aliena: Non tollere membrum de animali viuenti. 27

Lectio Hebraica.

VERVM pro eo quod habet Latina versio: *Carnem cum sanguine non comedetis*, in Hebręo est: *Carnem in anima sua, in sanguine suo non comedetis.* Frequens est in sacris litteris secundum proprietam linguæ Hebraicæ, vsus figuræ quam nominant Appositionem, apponitur enim 28

enim vox ad prioris vocis expositionem, vt hic illud, in sanguine suo, appositum est ad explicandum id quod dictum fuerat, in anima sua. Vt sit sensus: Non comedetis carnem cum sanguinem qui est anima animalis, vel in quo est anima eius, sicut scriptum est in Leuitico capite decimo septimo. *Anima omnis carnis in sanguine est.*

29 VOCABVLVM porrò Animæ variè sumitur in sactis litteris, sed quatuor potissimum obseruare licet varias eius significationes: primam pro ipso homine, vt ibi: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*, & cùm ait scriptura, septuaginta animas egressas de fœmore Iacob intrasse in Ægyptum: Secundam, pro anima rationali, vt cùm dixit Dominus. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: Tertiam pro inferiore parte animæ, id est, pro anima sentiente & facultatib. eius, vt cum iubemur diligere Deum ex toto corde, anima, & omnibus viribus nostris, & cùm tria hæc enumerantur in homine, corpus anima & spiritus, affinis huic, est vocabuli animæ vsus pro voluntate, desiderio, libidine seu cupiditate, vt cùm dicitur: *Ne tradas eum in animam inimicorum eius*, id est, in voluntatem eorum, ne permittas eum potestati inimicorum suorum, vt quæcúmque aduersus eum facere vellent, pro sua libidine exequi & perficere possint. Postrema huius vocis significatio est pro vita. hinc est illud: *Animam suam ponit pro ouibus suis*, id est, *vitam*: & phrasis illa Hebraica: *Anima mea in manibus meis semper*, id est, in extremo semper versor vitæ discrimine, semperque impendentem mihi mortem video, & hac significatione sumitur hic cùm dicitur: *Carnẽ in anima sua non comedetis*: Id est, Non comedetis carnem viuentem, sicut feræ quæ viuentium tam hominum quàm animalium carnes comedunt? vel. Non comedetis sanguinem quo animalium vita maximè continetur. Septuaginta Interpretes verterunt: *Non comedetis carnes in sanguine animæ*: quæ lectio ad sententiam supra expositam reuocari debet: dicitur enim, sanguis animæ pro eo quod est sanguis qui est anima animalis, vel quo maximè sustinetur, & conseruatur anima.

Quatuor significationes huius vocis, Anima. *Ezech. 18.* *Genes. 40.* *Deut. 10. & Act. 7.* *Matth. 10.* *Deut. 6. & Matth. 22.* *Psal 40.* *Ioan. 10.* *Psal. 118.* *Lectio septuaginta Interpretum.*

30 SEQVITVR: *Sanguinem enim animarum vestrarũ requiram de manu cunctarum bestiarum, &c.* Quæ sit connexio huius sententiæ cùm superiore, & quid faciat ad non edendum sanguinem animalium, non debere fundi sanguinem hominis, & aduersus id pœnam statui capitalem, non facilem habet explicatum: verùm de hoc infra dicetur. Dicit, *Sanguinem animarum vestrarum*, vel sumendo animam pro vita, vel quia per sanguinem præcipuè anima conseruatur in corpore, & in eo viget, siquidem sanguis secundum Philosophos, est sedes ac vehiculum animæ, ac principale instrumentum: ex eo quippe pro varia ipsius temperie spiritus naturales, vitales & animales existunt. Sed fortasse simplicior & planior fuerit interpretatio, vocabulum animæ esse hic positum pro ipso homine, vt sit sensus: *Sanguinem animarum vestrarum*, id est, sanguinem vestrum. Illud autem, requirere sanguinem de manu alicuius, Hebraismus est, significans idem quod,

Sanguis in animali quãtus sit momenti.

extremo

extremo supplicio afficere & pœna capitali plectere eum qui fuderit sanguinem hominis & homicidium fecerit.

Quomodo Deus requirat sanguinẽ hominis de manu bestiarum.

SED quomodo requirit Deus sanguinem hominis de manu bestiarum? num bestias vocat in iudicium, & discussa earum causa pronuntiat sententiam, mortique addicit? Variè hoc exponitur. Rupertus vocabulo bestiarum intelligit malignos spiritus qui de morte spirituali animarum æternum iudicium sunt accepturi. Verùm, vt taceam dæmones pro suis peccatis quæ ante creationem hominis admiserunt, præcipuè damnatos esse ea, certè interpretatio, non modo non est litteralis, verùm in genere ipso mystico perquam dura est minimeque probabilis. Alij per bestias interpretantur homines qui more ferarum truces atque crudeles sitiunt humanum sanguinem. Sed neque hoc placet. Moses enim hoc loco distinguit bestias ab hominibus, dicens, sanguinem hominis requisitum iri de manu bestiarum & de manu hominum: ex quo apparet vocabulum bestiæ hic propriè esse positum. 31

Rupertus

Caietanus.

CAIETANVS significari putat, cùm bestia occidit hominẽ, eam occisionem esse naturaliter iniustam: quoniam homo non est naturale alimentum vllius bestiæ, cùm alimentum sit imperfectius eo quod alitur, cùm ad ipsum ordinetur. Est igitur sensus: *Non ex ordine naturali à me statuto prouenit quod bestiæ occidant homines ad comedendum eos, præter naturale enim est hoc, nec decretum à me sed permissũ, vt pote naturaliter malũ, & idcirco significatur vt à Deo requirendũ.* Sic ille, cuius expositionem valde Metaphysicam esse, nec sententiæ verborum Mosis congruentem, per se animaduertet lector. Quidam referunt ad Martyricidas: Tyrani enim Martyres exponebant feris, vt eorum vnguibus ac dentibus discerperentur ac dilaniarentur. At enim quamuis ipsi non occiderent Martyres sed bestia, culpa tamen & pœna cœdis Martyrum, ipsorum erat Tyrannorum non bestiarum: quocirca sanguis Martyrum non erat requirendus de manu bestiarum, sed de manu tyrannorum. 32

ILLA igitur verior est interpretatio, propterea dixisse Deum de manu bestiarum esse hominis sanguinem à se requirendum, quòd laturus esset legem, qua præcipiendum erat, vt animal quod occideret hominem, etiam ipsum occideretur. Sic enim legitur Exodi vigesimo primo. *Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint lapidibus obruetur.* Sicut alio loco, si quis coisset cum iumento, vtrumque iussit occidi. 33

ILLVD autẽ: *de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requirã animã hominis*: magnã habet emphasim & exaggerationẽ, significat enim capitaliter punitũ iri eum qui fuderit sanguinem hominis, quicunque ille sit, id est, siue vir potestatẽ habens, eaque abutens, siue frater, id est, cognatus vel affinis, siue homo, id est, quilibet alius extraneus. nemo igitur impune fundet sanguinem humanum. Apud Hebræos frequens est virum dicere pro quolibet seu quocumque, & fratrem 34

trem pro eo quem nominatus proximum. Itaque sensus erit: De manu cuiuslibet proximi requiram sanguinē quem ille fuderit. Loquens autem de homicidio, meminit potissimum viri fratris, inquit Caietanus, quia frequentius homicidia patrantur inter inuicem communicantes. Persæ enim non occiduntur ab Hispanis, nec è conuerso. *Caietanus.*

35 Illa verò sententia, *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* percelebris est, ac vice prouerbij vulgo iactata: cui vim habet eandem illud Domini dictum: *Omnes qui acceperint gladiū, gladio peribunt.* Et quod est in Apocalypsi: *Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Quoniam igitur plerique corporis magis quàm animi, & huius vitæ quàm futuræ malis & suppliciis commouentur, ac vehementius à malè agendo deterrentur, idcirco Dominus pœnam capitalem statuit aduersus homicidas: quam pœnam confirmauit in lege quam tulit Hebræis. Sic enim legitur Exodi 23. *Si quis volens ac per industriam occiderit proximum suum, ab altari meo auellam eum, vt moriatur.* Videlicet noluit Deus ei locum veniæ aut clementiæ perfugium esse vllum, qui tam atrox interficiendi hominis scelus & animo concepisset, & manu patrasset. Atque hoc Dei præceptum sanctissimè Rex Salomon seruauit: quippè Ioab duorum militiæ principum Abner & Amasiæ cædis reum, cùm ad tabernaculum Dei confugisset, & cornu altaris apprehendisset, inde tamen Salomonis iussu abstractus est & occisus. Atque hæc de homicidij pœna lex perdurat etiam apud Christianos, hodieque viget apud plerasque gentes. *Matth. 26. Apoc. 13.*

36 Ergo cùm Dominus dixerit: Qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis eius, pœnam homicidij æterna lege sanciuit, potestatemque secularem instituit, eique gladium in manum tradidit, præcepitque vt homicidas puniret. Quare dupliciter Deus præmuniuit nos aduersus eos qui vitæ hominum infidiantur, sitiūtque humanum sanguinem, tum quòd se vindicem atque vltorem fore contestatus est: tum quòd humanæ potestati iniurias hominū vindicandas, damnaque compensanda demandauit. Quocirca Paulus Christianos iubet seculares potestates reuereri, honorare ac metuere: *Qui resistit,* inquit, *potestati, Dei ordinationi resistit, & ipse sibi damnationem acquirit. Principes enim non sunt timori boni operis sed mali: Sin autem malè feceris, time, non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* *Dupliciter præmuniuit nos Deus contra vitæ insidiantes.* *Rom. 13.*

37 Sed quomodo verum illud est: *Quicunque effuderit humanū sanguinem, fundetur sanguis illius,* cùm multi homicidæ supplicium mortis effugerint, nec vnius tantùm hominis, sed multorum etiam hominum cædem impunè tulerint? Sed facilis est responsio. Non loquitur Dominus de ipso facto & euentu, verùm de homicidarum merito, ac debito illis supplicio, quod eis secundum leges tam diuinas quàm humanas constitutum & paratum est. Nam qui occidit hominem, hoc ipso meretur supplicium mortis, eique in pœnam sceleris iure diui- *Quomodo verū sit: Quicunque occiderit hominem, & ipsum occidēdum esse.*

no & humano mors infligenda est: Vt sit sensus, ei qui hominem occiderit, & lex mea, & omnium fermè gentium leges pœnam mortis irrogabunt.

Lectio Hebraica. CETERVM pro eo quod habet Latina lectio: *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*, sic est Hebraicè, si verbum de verbo reddas, Qui fuderit sanguinem hominis in homine, fundetur sanguis eius. Quid autem sit fundere sanguinem hominis in homine, varias interpretationes habet. Toſtatus illud *in homine* interpretatur, intra hominem: fundere autem sanguinem hominis intra hominem, ait esse occidere hominem non effundendo foras sanguinem eius, quod fit per suffocationem, seu strangulationem, aut venenum. Sed enim inepta nimis locutio est, nec in vsu apud Hebræos, vt qui suffocatur vel perimitur veneno, dicatur sanguis eius intra ipsum fundi: quomodo enim sanguis intra ipsum hominem funditur? Proinde Oleaster dupliciter exponit: primò, *qui fœdauerit hominem sanguine suo occidendo ipsum*, &c. Fundere igitur sanguinem hominis in homine est hominem cuius sanguis funditur, proprij sanguinis effusione fœdare. Sed alteram expositionem ipse magis probat, vt illud: *in homine*, iungatur, cum eo quod sequitur, *fundetur sanguis eius*. & illud, *in homine*, more Hebraico dictum sit pro *per hominem*. Statuit enim lex diuina vt propinqui eius qui occisus esset, ius haberent occidendi homicidas. 38

Toſtatus. *Oleaſter.* *Num. 35.*

Paraphrasis Chaldaica. PARAPHRASIS Chaldaica illud *in homine*, refert ad testes & iudices, per quos homicidæ crimen conuincendum & puniendum est. ita enim expressit hunc locum: Qui effuderit sanguinem hominis, per testes, iuxta sententiam iudicum, sanguis eius fundatur: quibus verbis declaratur, non licere cuiquam priuato homini impetum facere in homicidam, & ex eo pœnam exigere, sed id esse munus publici magistratus, qui nec ipse ad damnandum & puniendum homicidam præceps esse debet, nisi antea per idoneos testes reus coarguatur, totaque causa diligenter excussa & explorata, sententia pronuncietur. 39

Caietanus. CAIETANVS pro *in homine* legit, *in hominem*, hanc ex Hebræo germanam, vt putat ipse, lectionem secutus, effundens lectionem hominis in hominem, sanguis eius effundetur. Dixit, *in hominem* ait Caietanus, tum ad excludendum animalia irrationalia ab hac pœnali lege: quam exclusionem oportebat fieri, quia communiter præmiserat se requisiturum hominis sanguinem de manu bestiæ & hominis: excluduntur autem animalia ab hac lege pœnali, quia non occidunt hominem in hominem, id est, in hominis iniuriam atque contumeliam: tum etiam ad excludendam occisionem hominum à iustis iudicibus factam: tales enim non occidunt hominem, *in hominem*, id est, vt eum iniuria & contumelia afficiant, sed in vindictam criminum, & boni publici conseruationem. Intelligere autem oportet his Dei verbis pœnam talionis esse decretam homicidæ secundum meritum: 40

decet

decernitur enim homicidam mereri, supplicium mortis, ipsi à Deo & à iudicibus Dei vices gerentibus inferendum.

41 Ex supradictis omnibus Dei verbis aduersus homicidias, prout sunt in Hebraica Scriptura, demonstrat Hebræi omne genus cædis humanæ his verbis esse vetitum. Primò, cùm dicitur: *Fundens sanguinem hominis, per homines sanguis eius fundatur*: hoc, inquiunt, de eo intelligitur qui hominem occidit per seipsum, non per alium ad id subornatum. Illud: *Verùtamen sanguinem animarum vestrarum requiram*, aiunt dici de eo, qui sibi ipsi mortem conscisuit. Illud porrò: *De manu omnis animantis requiram sanguinem hominis*, intelligi debet de eo qui proximum suum bestiæ dilaniandam obiicit. Denique illud: *De manu hominis, de manu viri fratris sui requiram animam hominis*. intelligendum est de eo qui conducit alios homines ad occidendum hominem. *Obseruatio Hebræorum.*

42 Restat vltima pars huius sententiæ: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Valentissima his verbis continentur ratio (nisi quis plane desipiat) ad coërcendum hominem deterrendúmque ab homicidio, quod eo scilicet, omnium Dei aspectabilium operum magnificentissimum & honoratissimum atque illustrem expressamque ipsius Dei gerens imaginem destruatur. Nonne publicam regis celebri positam loco statuam deturbans & confringens, nouissimo dignus supplicio censeretur? Ecquod igitur supplicium par esse potest eorum sceleri, qui non mutum & inanime, sed viuens atque intelligens Dei simulachrum dissipare ac perdere non verétur? Audi Chrysostomum: *Ingens*, inquit, *his verbis terror astructus est: quasi diceretur, si te non reuocat à cæde hominis quod eiusdem tibi naturæ est, si adeo totus animo sceleratus & impius es, vt fraternum fœdus violare pro nihilo habeas, omnēque compassionem & sensum humanitatis exueris, cogita tamen quod ille ad imaginem Dei factus est, & quantis eum Deus dignatus sit prærogatiuis, & quod omnis creaturæ dominatu atque imperio donatus sit: & hac cogitatio à tam immani consilio & proposito cohibebit.* *Chryſ. ho. 27. in Geneſim.* *Geneſ. 1.*

43 Nec absimile est illud Ambrosij: *demonstrat his verbis Deus*, inquit Ambrosius: *Domesticam & familiarē sibi hominis esse naturam, eaque causa inultum non fore apud se, quod in domesticum suum videat crudeliter & impiè esse cōmissum. Causa ergo vindictæ addita facit, vt primum excludamus philosophorum quorumdam opiniones qui negant Deum habere curam hominum vel remunerādorum vel puniendorum, Deinde scientes prærogatiuam nostræ vltionis apud Deum manere: neque in alios commutamus quo diuino iudicio vindicandum sit: neque mortem ipsi vehementius pertimescamus, cùm sciamus necati hominis innocentis apud Deum non esse cōtemptū, quin etiam vltionem fore certissimam.* Sic Ambrosius. *Ambroſ. de Noē & Arca, cap. 26.*

44 Quoniam autem hîc significatur, qui occidit hominem, propterea extremo supplicio esse plectendum, quod interficiat eum qui ad imaginem Dei factus est, ex hoc argumentatur Oleaster, totum hominem esse factum ad imaginem Dei, id est, tam secundum corpus quàm animam: alioqui occidens hominem, si imago Dei tantum esset

in anima, non destrueret imaginem Dei, cùm non occidat animam. Si igitur homo tam secundum animam quàm corpus factus est ad imaginem Dei, cùm Deus per se incorporeus sit, existimare conuenit Deum cùm creauit hominem, assumpsisse naturam humanam, & ita verè dici hominem esse factum imaginem Dei. Verùm hanc opinionem vt perabsurdam refutauimus libro quarto horum Commentariorum in Genesim, cùm explanaremus illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Sed quia Oleaster eam opinionem hic repetit, volui memoriam eius renouare lectori, vt intelligeret quantopere figmentum illud placuerit Oleastro.

SECVNDA DISPVTATIO.

De sanguinis esu hominibus interdicto.

TRES quæstiones in hac disputatione tractandę sunt: 45
quarum prima est, Quid sit comedere carnem cum sanguine: altera, Cur tantopere Deus interdixerit homini esum sanguinis: tertia, Qualis sit illa ratio siue causa quam reddit Deus cur abstinendum sit esu sanguinis, quod quicunque fuderit sanguinem hominis, sanguis quoque eius fundendus sit: quam enim habet connexionem abstinentia à cæde hominum cum abstinentia ab esu sanguinis animalium.

Quid sit comedere carnī cum sanguine. Eugubinus.

PRIMÆ quæstionis difficultas in varia expositione consistit eius quod est comedere carnem cum sanguine. Eugubinus putat esse figuratam locutionem, eaque prohiberi effusionem sanguinis humani, atque homicidium: comedere igitur carnem cum sanguine, est hominem viuentem, cuius vita sanguine potissimum sustinetur, occidere, & fuso eius sanguine vita priuare. Huic expositioni fidem faciunt quæ consequuntur verba, quæ quidem omnia ad effusionem humani sanguinis & ad homicidium pertinent: nisi enim hoc esset comedere carnem cum sanguine, qualis obsecro esset ea ratio quam reddit Deus, cur nolit comedi carnes cum sanguine. Quia inquit, ego requiram sanguinem vestrum de manu bestiarum atque hominum: quæ ratio, si illud, *Comedere carnem cum sanguine*, proprie sumatur, inconueniens & inepta est: sin autem accipiatur figuratè pro homicidio, congruentissima est atque potentissima. Est autem frequens metaphora in Sacris litieris, comedere carnes alicuius, vel bibere sanguinem, pro eo quod est mortem eius expetere & moliri: quam metaphoram secutus Homerus, bellum appellauit σαρκοφαγον, quod eo multi absumantur & pereant. His adde, quod sanguinis esus ad immunditiam hominis nihil facit: alioqui etiam nos Christiani eo abstineremus: non igitur putandum est de eo prohibendo vsque eo

Homerus.

solici

solicitum fuisse Deum, vt hoc primo post diluuium præcepto obligare hominem voluerit: sed illud potius ei curæ in primis fuit, absterrere homines ab homicidio, ne paucitas illa hominum etiam per homicidium minueretur, neue tunc accideret, quod sub mundi primordio contigerat, cùm fratrem suum Abel occidit Cain. Atque hæc est sententia Eugubini paulò fusius à nobis exposita & confirmata.

46 VERVNTAMEN duo vehementer refragantur Eugubino. Antecedentia enim verba omnino excludunt hanc interpretationem. Etenim Deus dixerat se homini permittere esum quorumlibet animalium, mox subiungit: *Excepto quod carnem cum sanguine nõ comedetis*: qualis obsecro est exceptio hæc aut quomodo pertinet ad id de quo agitur, si comedere carnem cum sanguine, non intelligitur de vera carne & sanguine animalium, sed per metaphoram de homicidio; Certè non aliud hic interdictum est, quàm quod posteà vetitum est per legem Mosis: sed lex prohibendo esum carnis cum sanguine, loquebatur de vera carne & sanguine animalium, non autem de homicidio. Illud præterea vehementer conuinci falsitatis hanc expositionem, quod hic modus loquendi, comedere carnem cum sanguine, nusquam in scriptura ponitur pro eo quod est occidere hominem: at verò pro eo quod est, comedere carnem & sanguinem animalium, frequentissimè vsurpatur, vti licet videre in Leuitico, Deuteronomio, & primo libro Regum. *Eugubinus refellitur.*

47 VSVRPAT quidem nonnunquam scriptura eam phrasim, comedere carnem alicuius, pro eo quod est mortem eius expetere vel etiam ei machinari, videlicet ad exaggerandum odium aduersus aliquem, cuius vlciscendi vesana cupiditate luberet deuorare carnes & bibere sanguinem. Sic locutus est Dauid Psalmo 26. *Dum appropiant super me nocentes vt edant carnes meas.* Sic etiam Iob, vt scriptum est capite 31. *Dixerunt*, inquit, *viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur?* quod etiam sic quidam interpretari sunt de summa beneuolentia & amore seruorum erga Iob, verè tamen contrariam habet sententiam. Significat enim quia Iob durè & asperè tractabat seruos, vt eos in officio temperantiæ, iustitiæ, fidei atque obedientiæ contineret ob ipsum adeo fuisse illis exosum, vt carnes eius deuorare cuperent. *Locus. Iob. cap. 31.*

48 QVOCIRCA B. Gregorius libro. 22. Moralium ea ipsa verba explanans, ait ea quidem posse per mysterium de Saluatore nostro intelligi, cuius corporis cibo & sanguinis potu fideles esurientes, animas saturare cupiunt (ad hoc etiam significandum in Officio quod de Sacramento Corporis Domini celebratur, verba hæc Iob pulchrè accommodata sunt) secundum tamen sensum historiæ significari potius, sanctissimum virum Iob, eo quòd virtutum omnium officia coleret, ac seueriss imè custodiret, multos sibi inimicos suæque mortis cupidissimos comparasse. Sed redeo ad id quod orsus eram dicere, & vnde ad expositionem huius loci Iob paululum digressus sum. Re- *B. Gregor.*

peritur quidem in scriptura, comedere carnes alicuius, pro eo quod est capite aliquem oppugnare vitaque priuare: at, comedere carnem cum sanguine, nusquam in sacris litteris ad id significādum, positū inuenientur. Reiecta igitur expositione Eugubini; pergamus ad alias.

Chryſ. hom. 27. in Geneſ. Leuit. 17.

49 BEATVS Chrysostomus comedere carnem cum sanguine, interpretatur, comedere animal suffocatum continens intra se sanguinem suum: cuiusmodi animali esus per legem quoque Mosis interdictus est. Sed vt hoc in parte verum sit, non tamen ex toto diuini mandati sentētiam implet. Latius enim patet comedere carnem cum sanguine, quàm comedere suffocatum. Quocirca in iis quæ Apostolis conuersis ex Gentilismo custodienda prescripserunt, distinctè ac separatim interdixerunt esum suffocati & sanguinis.

Act. 15.

Caietanus.

50 CAIETANVS hunc locum ex Hebræo sic legens: *Tantum carnem in anima eius, in sanguine eius non comedetis*: arbitratur his verbis à Deo definiri naturalem modum comedendi carnes, & significari non esse comedendam carnem viuam animalium habentium sanguinem, talem enim modum vescendi carnibus ferinum esse, non humanum. Hanc esse autem eorum verborum sentētiam si perpendātur ipsa verba, manifestum sit: namque caro in anima eius seu animæ eius, non est aliud quàm caro viua: Similiter quod per appositionem adiungitur, *Sanguine eius*, significat carnem viuam sanguine præditam, & hoc ad differentiam multorum animalium quæ consueuimus etiam viua comedere, quod sint exanguia & paruula, vt sunt conchilia, & alia horum similia, Deus igitur permittendo esum carnium homini, docuit eum vescendi carnibus naturalem modum seruandum ipsi, longè diuersum esse ab eo quo ferę multique pisces vescuntur carnibus. Atque hic est Caietani sensus

51 EQVIDEM non abnuo esum carnis viuæ etiam his verbis prohiberi: verum non assentior Caietano huiusmodi esum carnis vel tantum, vel præcipuè hic significatum esse. Cùm enim ab eo esu natura hominis vehementer abhorreat (nisi quis fortè ferini sit ingenij & stomachi, atque Homerici illius Polyphemi similis, qui quidem inter monstra humanę naturę censeri debet (superuacuum fuisset expressam istius rei prohibitionem mandare homini, non minus certè quàm ei anthropophagiam interdicere.

Homer. lib. 10. Odyſſ.

52 LYRANVS, Tostatus, & Carthusianus quatuor modis aiunt posse comedi carnem cum sanguine, vel abscindendo membrum aliquod viuum ex animali; vel comedendo suffocatum animal, vel captum venatu siue aucupio, vel denique separatim comedendo sanguinem: & his modis omnibus prohiberi esum sanguinis. Vera est horum sententia: sed ad duo membra commodiùs reuocari posset. Dupliciter enim potest comedi sanguis, vel intra ipsum animal, comedendo sanguinem simul cum carnibus animalis, siue animal illud fuerit viuum, siue quocunque modo mortuum: vel comedendo sanguinem extra ipsum animal, id est, separatim ac per se, vel ad modum potus liquidum

liquidum sorbendo, vel modo cibi concretum mixtumque cum aliis rebus, vti nunc editur in farciminibus comedendo: vterque autem hic modus edēdi sanguinis, supradictis Domini verbis interdictus est. Verum de prima quæstione hactenus.

53 ALTERA quæstio est: Cur Deus tam seuerè hominem vesci sanguine vetuerit. Tribus temporibus, id est, ante legem Mosis, & in lege Mosis, & tempore etiam legis Euangelicæ, sub initium nascentis Ecclesiæ, vetitum esse sanguinis esum, iegitur in sacris litteris. Causas igitur tam generalis ac toties repetitæ prohibitionis lubet exquirere. Principiò, multò ante legem Mosis, immo verò statim post diluuium, vt narrat hoc loco Moses iussit Deus homines ab esu sanguinis abstinere. Sed cur? quo scilicet vehementius deterreret hominem ab homicidio, quod cùm per se detestandum est, tum verò id temporis in tanta homicidium paucitate exitiale fuisset humano generi. Quasi significasset Dominus: si nolo vos concupiscere esum sanguinis animalium, quantò minus sitire humanum sanguinem, & rabidam famem vindictæ, atrociter fundendo sanguinem hominis, explere? Hanc causam attigit Chrysostomus, & præterea illam, quod à sapientibus mundi proditum sit, brutorum sanguinem esse grauem & terrestrem, multárumque ægritudinum causam, si comedatur. Idem quoque pertinet ad munditiam & decentiam humani victus: fœdum enim visu ac propè horrendum est videre vescentem carnibus anguine perfusis ac distillantibus, osque ac labia comedentium cruētantibus.

Act. 15. cur Deū sta tim post dilu uiūm interdixit esu sanguinis.

Chryſ. homil. 27. in Geneſ.

54 SED illa mihi potior videtur ratio: vt talium rerum obseruantia longo tempore ante legem præcultis & quasi præparatis hominum animis, imponendum ipsis iugum legis, nec ægrè subirent, nec grauatè ferrent. Multa enim antiquitus fuere in vsu apud viros bonos & religiosos Dei cultores, quæ posteà per legem Mosis sancita & seruanda Hebræis præscripta sunt: exempli causa, abstinentia ab esu sanguinis, distinctio mundorum atque immundorum animalium: votorum nuncupatio: oblatio decimarum: suscitato seminis fratris demortui sine liberis: adulterij pœna capitalis: atque alia quædam horum similia: quorum cultui & obseruantiæ diu ante suetis hominibus minus posteà lex Mosis eandem præcipiens onerosa fuit. De tempore igitur quod præcesserit legem Mosis, ita dictum sit.

55 PROXIME sequitur vt doceamus cur tam seuerè lex Mosis esu anguinis interdixerit Hebræis. Prohibitio hæc legis Mosaicæ multis locis legitur, sed nusquā expressiùs ac distinctiùs quàm in c. 17. Leuitici vbi sic est: *Homo quilibet de domo Israël, & de aduenis qui peregrinātur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam cōtra animā illius, & disperdā eā de populo suo, quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis vt super altare meū expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animę piaculo sit. Siquis igitur venatione vel aucupio ceperit ferā vel auē, quibus vesci licitū est, fundat sanguinē eius, & operiat illū terra.* Hęc sunt verba legis de non

Quinque cau ſæ cur lex Moſis Hebræis prohibuerit eſuſs ăguinis.

de non edendo sanguine, siue per se, siue simul cum carne animalis.

Vitã animalis præcipuè consistere in sanguine. Aristoteles.

HIS autem verbis significantur duæ causæ propter quas noluit 56
Deus Hebræos vesci sanguine: prior causa tangitur illis verbis, *quia anima eius in sanguine est*: id est, vita animalis præcipuè consistit in sanguine: quod manifestum fit tripliciter. Namque vt definit Aristoteles vita consistit in calido & humido: talis autem maximè est sanguis: nec vita constare potest sine alimento, vltimum verò alimentum sanguis est: denique spiritus vitalis, qui, vt nomine ipso præsefert, vitam animalis continet, non est aliud quàm sanguis ipse, sed tenuior tamen & purior, ac feruidior. Verùm dicet aliquis, quam vim habet ista ratio: vita animalis maximè consistit in sanguine, ergo non est edendus sanguis animalis? Hanc nempe: quia sanguis est vita animalis, perinde est comedere sanguinem, atque vitam ipsam animalis, vel ipsum animal viuum comedere: at hoc inhumanum est & ferinum, & quod omnes auersari ac perhorrescere debeant.

POSTERIOR ratio significatur illis verbis: *Et ego dedi illum vobis, vt super altare meum expietis pro animabus vestris*: Iussit enim Deus pro expiatione criminum, sanguinem animalium quæ immolabãtur, poni super altari, vel ad basim eius fundi: nam quia sanguis quodammodo est anima animalium, satis conuenienter immolabatur pro expiatione animarum hominum: vel quia propter admissa crimina debuisset sanguis & vita hominum profundi & perdi, clemens Dominus simul & iustus pro vita & anima hominis iussit vitam & sanguinem animalium sibi offerri. Vnde Chrysostomus considerans Deum esum carnium concessisse homini, sanguinis autem denegasse, *carnem*, inquit, *animalium indulsit homini, quòd id pertineret ad eius vtilitatem: sanguinem autem sibi reseruauit in sacrificijs immolandum.* 57

Chrys. ho. 27. in Gen.

PRÆTER duas autem supradictas rationes adiungit tres alias 58
B. Thomas: primam, fugiendæ Idololatriæ causa, ad quam satis proni erant Hebræi: etenim idolorum cultores libabant de sanguine victimarum: alteram in odium & detestationem homicidij, vt tanto magis horrerent effusionem humani sanguinis, quib. esus sanguinis animalium tam seuerè interdictus esset. Quocirca Genes. 9. cùm dictũ esset: *Carnem cum sanguine non comedetis*, subiungitur: *Sanguinem enim animarum vestrarum requiram*: Tertiam, ad reuerentiam diuini numinis: nam quia sanguis est vita animalis, offertur soli Deo, vt significetur ipsum auctorem esse vitæ nostræ, & quæ ad vitæ nostræ cõseruationem pertinent, ei potius quàm vel nobis vel parentibus nostris vel aliis quibus libet causis accepta fieri oportere.

1. Th. 1. 2. q. 102. art. 3.

cur etiã tẽpore legis Euãgelicæ interdictũ sit christianis esus sanguinis.

RESTAT exquirendum quod tertio loco positum est, cur pro- 59
hibitio esus sanguinis etiam tempore legis euangelicæ in primo Ecclesiæ Concilio & Apostolorum decreto non tantum apud Iudæos firmata sit; verùm etiam omnibus ex Gentilismo ad Christum conuersis indicta. Decreti verba prodidit memoriæ Lucas ita scribens: *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc*

Locus Actorum 15.

neces

necessaria: Vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos bene agetis, Valete. Quæritur igitur cur prohibitionem edendi sanguinis & apud Iudæos renouare Apostoli voluerint & Gentib. imponere, præsertim cùm præceptorum legis Mosaicæ cæremonialium virtus euanuerit post mortem Domini nostri, obseruantia verò, post Euangelij promulgationem etiam detestabilis, & Christianis exitiosa fuerit, B. Paulo, magna asseueratione & apostolica auctoritate contestante: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit,* Quod Paulus de Circuncisione dixit, idem in ceteras omnes legales cæremonias dici potest. Varias nodi huius exoluendi rationes breuiter exponam, *Ad Gal. 5*

60 ORIGENES hanc reddit rationem cur Apostoli Christianis interdixerint esu sanguinis & suffocatorum, *Suffocata,* inquit, *sunt animalia mortua non expresso ex illis sanguine, quæ vtique dæmonum esse aiunt cibum cuius nidore illi pascantur. Hæc idcirco vetantur in cibum assumi, ne nos dæmonum cibis nutriamur, & nobiscum maligni spiritus coalantur, si pariter cum illis vescamur suffocatis. Verùm non sit credibiles Apostolos tã absurdis Gentilium figmentis atque erroribus ad condendum illum decretum esse ductos.* *Orig. Contra Celsum lib. 8*

61 B. THOMAS duas narrat opiniones quorundam minimè probabilem illius decreti Apostolorum interpretationem afferẽtium. Quidam verba illius decreti dixerunt non esse accipienda propriè secundum litteralem sensum, sed figuratè secundũ spiritualem intellectum, vt in sanguine vetito intelligendum sit vetitum esse homicidium: in suffocato, violentiam rapinam: in iis quæ simulachris immolata sunt, ipsam Idololatriam, fornicationem autem propriè esse prohibitam, quia per se mala erat. Atque hanc illi decreti Apostolici expositionem deprompserunt ex quibusdam glossis, quæ verba illius decreti mysticè exposuerũt. Sed illud arguit improbabilitatem huius expositionis, tum quod absurdum est putare Apostolos in illo tam necessario & optato decreto ad pacificandas Ecclesias, vti voluisse verbis non secundum propriam eorum atque vsitatam significationẽ acceptis, sed figuratè ac mysticè sumptis: tum etiam quod cùm apud Gentiles homicidium & rapina haberentur vt mala & illicita, & secundum leges eorum prohiberentur & grauissimè punirentur, superuacuum fuisset, quasi nouum & singulare quoddam præceptum de his dare Gentilibus ad Christum conuersis. Alii putarunt illa tunc fuisse prohibita Christianis non propter obseruantiam legis Mosaicæ, sed gulę coẽrcendæ & comprimendæ voluptatis causa. Verum cùm sint alia ciborum genera multò quàm illa & ad esum delicata magis & iucundiora gustatui, nulla ratio potest adferri cur non hæc potius vetita fuerint quàm illa, *Thom. 1.2.q 103.art 4.*

62 VERA igitur causa cur in exordio Ecclesiæ Christianis interdictum sit esu sanguinis aliorumque quæ in eo decreto continentur,

ea est quam exposuit B. Augustinus contra Faustum disputans: *In Actibus*, inquit, *Apostolorum præceptum est ab Apostolis vt abstinerent* 62
Gētes à fornicatione, ab immolatis & sanguine, quod ideo factum est, quia eligere voluerunt Apostoli pro tempore rem facilem neque obseruantibus onero-
Ephes. 2. *sam, in qua cum Israëlitis etiam Gentes, propter angularem lapidem duos pa-*
Gen. 6. *rietes in se condentē, aliquid communiter obseruarent: simul & admonerēt in ipsa Arca Noë quando Deus primum hoc iussit, Ecclesiam omnium gentium fuisse præfiguratam, cuius facti prophetia iam Gentibus ad fidem accedētibus incipiebat impleri. Transacto autem illo tempore quo duo illi parietes, vnus ex Circuncisione, alter ex Præputio, quamuis in angulari lapide cōcordarēt, tamen suis quibusdam proprietatib. distinctius eminebant: & vbi Ecclesia Gentium talis effecta est, vt in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis iam hoc Christianus obseruat, vt turdos vel minutiores auiculas non attingat, nisi quorū sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu à ceruice percussus, nullo vulnere cruento occisus est? si qui forte pauci adhuc tangere ista formidant,*
Gratia. 15. *à ceteris irridentur. Ita omnium animos erudiuit illa sententia veritatis: Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat. sed quod exit, nullam cibi naturam, quam societas admittit humana. sed quæ iniquitas committit peccata condemnans.* Sic Augustinus.

LICET autem tempore B. Augustini istarum rerum abstinentia 63
iam desiisset, vt ipse significat, apud plerosque Latinos & in Ecclesiis Occidentalibus, multi tamen, præsertim ex Græcis & apud Orientales Ecclesias, tenaciores fuerunt huius obseruantię, vel propter inueteratam eius consuetudinem, vel propter Apostolicæ auctoritatis & sententiæ reuerentiam. Ergo abstinentia illarum rerum decreto est tunc ab Apostolis, non propter obseruantiam legis Mosaicæ, sed quò facilius Iudæorum & Gentilium simul habitantium animi conglutinati vnum in populū coalescerent, his rebus sublatis quæ vehementius eos dissociare atque alienare possent. Iudæi verò propter antiquissimam consuetudinem esum sanguinis & suffocatorum incredibiliter auersabantur & exhorrescebant: esus autem eorum quæ simulachris immolata erant, magnum eis scandalum efferebat suspicantib. id esse argumentum reditus Gentilium ad idololatriam. Cessante autem tali causa, cessauit etiā effectus, manifesta enim omnibus est doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ veritas qua persuasum est, quod intrat per os, non inquinare hominem, nihilque reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Fornicatio autem ideo vetita est, quia
1. Tom. 4. plerique Gentilium existimabant simplicem fornicationem non esse per se malam neque illicitam,

TERTIA quæstio super illis verbis Dei tractanda est: *Sanguinem* 64
enim animarum vestrarum requiram &c. Nam cum Deus præcepisset ne caro ederetur cum sanguine, rationem huius præcepti reddens, subiungit illa verba: *sanguinem enim animarum vestrarum requiram.* quæritur igitur qualis sit ea ratio, quamue consequentiam vel connexionem habeat cum illo præcepto. Quid enim facit ad non edendum

sangui

sanguinem animalis, non debere fundi sanguinem hominis:& qui fuderit, supremo eum supplicio esse feriendum? Equidem non dissimulabo perdifficilem esse huius loci explicatum, nam quæ in eius loci tractatu adferunt interpretes, eiusmodi sunt, vt nec omnem penitus ex animo demant scrupulum, nec in his legentium mens acquiescat. Ponam breuiter quæ aliis, quæque mihi videntur probabiliora, melioris sententiæ iudicium lectori permittens. Si comedere carnem cum sanguine, significare fundere sanguinem humanum & occidere hominem, vt visum est Eugubino, haud dubiè aptissima & validissima esset ratio quæ hic redditur: plurimum enim valeret ad restinguendam cupiditatem faciendi homicidij, declarasse quantopere Deus cædem hominis detestetur, quantoque supplicio eam vindicaturus sit. Sed quando supra hanc expositionem Eugubini optimâ ratione reiecimus, quærenda est alia interpretatio.

65 PAVLVS Burgensis hoc loco effugium propositæ difficultatis reperit, diuersitatem lectionis Hebraicæ, quæ pro illa coniunctione causali (*enim* vel *etenim*) habet (*Veruntamẽ*) Sic enim ipse legit hunc locum ex Hebræo, *Veruntamen sanguinẽ animarum vestrarum requirã, &c.* quod bene cohæret cum antecedentibus verbis, sensus enim est: Licet permiserim vobis cædem animalium in cibum vestrum, non tamen permitto vobis cædem hominum, quocunque animo seu modo ea fiat, quin si quis fuderit sanguinem hominis, talionis pœna plectetur. *Paulus Burgensis.*

66 MATTHIAS Thoringius Lyrani propugnator, quiq; Replicas defensiuas, vt ipse vocat, Postillarum Lyrani scripsit aduersus Burgensem, negat supradictis verbis Dei rationem exponi cur non debeat caro comedi cum sanguine, sed potius obiectioni cuidam tacitæ responderi. Dixerat Deus, omne quod viuit & mouetur super terram, erit vobis in cibum: poterat obiici, ergo caro humana in cibum sumi potest, homo quippè de numero eorum est quæ viuunt & mouentur super terram: hanc obiectionem illis verbis repellit Dominus. Oportet autem intelligere in his verbis domini, si non expressè, attamen inuolutè contineri hunc Syllogismum: non licet comedere carnem animalis, nisi prius occisi animalis, sanguis effundatur; sed non licet effundere sanguinem hominis aut hominem occidere, homicida enim quicunque fuerit, simili mortis pœna punietur: ergo non licet humanam carnem in cibo assumere. Huius Syllogismi Maior expressa ponitur hoc loco: minor quoque exprimitur simul cum eius probatione, pœna scilicet aduersus homicidam constituta. Sola igitur conclusio est quæ hic expressa non ponitur subintelligenda tamen est. *Matthias Thoringius.*

67 NEQVE huius expositionis valdè dissimilis est interpretatio Caietani, qui locum hunc ita legit ex Hebræo: *Et solum sanguinem vestrum ad animas vestras requiram. Quibus verbis*, inquit, *non redditur ratio illius exceptionis: Excepto quod carnem cum sanguine nõ comedetis, Sed ad* *Caietanus.*

iungitur altera exceptio, ne in cibum assumant carnes humanas, quasi diceret, Etsi dedi vobis in cibum omnia animalia, exceptam tamen esse volo a materia alimenti carnem hominis, iniustum enim est vt homo sit alimentum siue animalis, siue etiam alterius hominis. Et hoc significatur, dicendo: Solum sanguinem vestrũ qui est ad animas vestras, id est, ad vitas vestras, supple, seruandas, requiram tanquam iniustè ablatum. Ex eo enim quod sanguinis humani officium est conseruare hominis vitam non solum vegetatiuam & sensitiuam, sed etiam rationalem, contra rationẽ & ordinem naturæ est, vt is fiat alimentum cuiusquam siue animalis siue hominis. Etenim alimentum suapte natura est imperfectius eo quod alitur, vtpote quod ordinatur ad id quod alitur tanquam medium ad finem, constat autem in vniuersum perfectiorem esse finem iis quæ ad finem ordinantur: quò fit vt homo suapte natura nullius esse debeat alimentum, quippe cùm quibuscumque animantibus præstantior sit, aliys verò hominibus par sit perfectione naturalis dignitatis. Hæc Caietanus.

Caiet. Carth.

CARTHVSIANVS ait illa verba: *Sanguinem enim vestrũ requiram*, non continere causam proprie dictam suprapositę exceptionis. sed quasi motiuum & signum, ita vt Deus in maiorem homicidij detestationem & prohibitionem vetuerit animalia atrocius suffocari aut edi quàm ratio dictat: Vel quòd tam seuera prohibitio homicidij & tam atrox eius vltio, signum sit Deum nolle animalia crudeliùs strangulari aut comedi, quàm ad debitum hominis vsum necesse est. Namque in Deuteronomio etiam vetat Deus edum coqui in lacte matris suæ, & auem capi vnà cùm pullis suis, quæ licet spiritualem habeant intellectum, habent nihilominus tamen secundum literam probabilem rationem, quò scilicet etiam circa animalia crudelitatem vitarent Hebræi, quin etiam officia quędam pietatis exercerent, vt ex eo intelligerent quantò magis id erga homines factò opus esset. Sapienter igitur Salomon: *Nouit*, inquit, *iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Sunt denique qui illud *enim* conuertant ex Hebræo in aduerbia, sanè, siue profecto, in hunc sensum: Videte, ne, dum permitto vobis cædem animalium ad esum, & impero sanguinis eorum effusionem, putetis similiter quoque permitti vobis effusionem sanguinis humani & cædes hominum: profecto sanguinem animarum vestrarum requiram, &c. Hæc ab aliis prodita sunt. 68

Deut. 12. & 22.

Prouerb. 12.

Auctoris sententia.

BREVE est quod equidem præter ista habeo dicere. Mihi videtur, quò melius sibi constet lectionis Latinæ sententia, aliquid esse hoc loco cogitatione supplendum interiectum inter illud, *Carnem cum sanguine non comedetis*, & hoc, *sanguinem enim animarum vestrarum requiram*: ita vt hoc veram contineat rationem non illius præcepti de non edendo sanguine, sed eius quod dixi esse subintelligendum, quod tale quiddam esse potest: Nolo autem vos sanguinem humanum fundere & hominem interficere, aut sibi, aut vindictæ, aut voluptatis, aut cuiuscunque rei causa. *Sanguinem enim vestrum requiram de manu, &c.* Enimuero solet nonnunquam sacra Scriptura ponere 69

aliquid

aliquid continens rationem & causam alicuius, quod tamen expressum non est, sed debet subintelligi. Quod si neque hoc, neque superiora lectoris animum explent, vel melius aliquid suo ipse ingenio excudat, vel putat ex aliis, si quis fortè, quem ego non viderim, probabilius quippiam adinuenit.

Dixitque Deus, Arcum meum ponam in nubibus, & erit signũ fœderis inter me & inter terram: Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum & cũ omni anima viuente quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuersam carnem. VERS. 13. 24. & 25.

70 IAM ante Deus & Noë & filius eius statim vt arca sunt egressi, omnem ademerat metum futuri amplius diluuij, pollicitus nunquam se in posterum, vti fecerat anteà, dissipaturum ac perditurum terram generali diluuio. Verùm quia videbat eorum animos præteritæ calamitatis horrore confusos atque consternatos non posse timorem penitus abiicere, & quoties cernerent densissimis nubibus obduci cœlum, & frequentiores, solito maioresque de cælo imbres ruere in metu fore, ne simile aliquod eius quod iam experti fuerant orbis exitium accideret, voluit benignus & clemens Dominus se ad infirmitatem hominis demittens & accomodans, semel atque iterum idem eis promittere, & insuper firmare promissionem suam signo arcus cœlestis, cunctis mortalibus conspicuo, & vsque ad mundi occasum mansuro: scilicet vt quoties homines illum aspicerent, diuini promissi memores, etiam si cœli facies diluuifera videretur: totiusque orbis excidium minari, illi tamen omni dubitatione metúque posito nunquam ad finem vsque mundi venturum diluuium esse, persuasissimum & certissimam haberent.

71 SED expendamus Dei verba *Arcum meum ponam in nubibus.* Arcum cœlestem appellat Deum suum, quòd præcipua quadam ratione opus eius dici debeat, videlicet propter eximiam pulchritudinem ipsius, quippe qui vt summus Poëta dixit.

Mille trahens varios aduerso Sole colores
---- insigni decorat curuamine cœlum. *Virg. Aen. lib. 4.*

Quamobrem Auctor libii Ecclesiastici arcus cœlestis decorẽ & admirabilem speciem describens: *Vide*, inquit, *arcum, & benedic eum qui fecit illum: Valde speciosus est in splendore suo. Gyrauit cœlũ in circuitu gloriæ suæ: manus excelsi aperuerunt illum.* Sed miror equidẽ cur hic Auctor inter alia cœlestis arcus insignia, non & hoc posuerit, quod à Deo constitutus fuerit symbolum misericordiæ suæ erga homines, signumque *Eccles. 43.*

nunquam in posterum futuri diluuij. Etiam poëtæ, deorum, maxime verò Iouis, nuncium fecerunt Iridem, vt apud Homerum, Hesiodum in Theogonia & Virgilium multis locis videre licet.

PRO illo verbo futuri temporis, *ponam*, Hebraicè est verbum præteriti temporis (posui) apud Septuaginta autem est præsenti tem- 72
poris (*pono*) sed apud Hebræos vsitatum est præterita pro futuris aut contra, aut etiam hoc pro præsentibus vsurpari. Nam quod quidam aiunt difficile esse intellectu quomodo Deus dixerit post diluuium: *Ponam arcum meum in nubibus*, quasi ante diluuium nunquam arcus apparuisset in nubibus: eam verò difficultatem non accidere lectioni Hebraicę, quæ habet verbum præteriti temporis (*posui*) hoc, inquam, quod isti aiunt, leue est ac pro nihilo ducendum. Licet enim Iris fuerit ante diluuium, non tamen signum diuini fœderis: itaque post diluuium Iris quæ fuerat ab exordio mundi, adhibita & constituta est à Deo vt signum non futuri diluuij. Illud verò: *Ponam in nubibus*. habet emphasim: non enim tantùm significat aptissimum esse illud signum ad id significandum cuius significandi causa adhibetur, quòd sit conspicuum omnibus vbique terrarum, & mansurum vsque in finem mũdi: verùm ob eam potissimum causam, quòd vnde timeri poterat diluuium, scilicet ex nubibus, inde omnis diluuij metus depellatur appatente in nubibus Iride.

SEQVITVR *Et erit signum fœderis inter me & inter terram.* Solet 73
Deus promissa sua variis signis externis confirmare, quò scilicet eorum fidem ac spem altius in hominum animis defigat. Et interdum quidem vtitur signis naturalibus vti est hoc signum Iridis: aliquando signis supernaturalibus, vt Gedeoni promissionem victoriæ firmauit signo velleris ac roris, & regi Ezechię signo retrogradiẽtis Solis: nonnunquam signis voluntariis & ab ipso institutis, quale fuit signum Circuncisionis datum Abrahæ. Rursus eorum signorum quædam durant in perpetuum, vt Iris: aut in tempus longissimum, vt Circuncisio: aut in breuissimum, vt illud Gedeonis & Ezechiæ.

VERVM dubitabit fortasse quispiam, cùm Iris sit res quædam naturalis, quomodo signum esse potest numquam futuri generalis diluuij; siquidem generale diluuium secũdum naturam impossibile est, huius autẽ naturalis impossibilitatis diluuij, Iris nullo modo signum est: at verò secundum Dei potentiam, possibile quidem est diluuium, est tamen omnino voluntarium: respectu autem naturæ penitus supranaturale: quare nullo modo videtur Iris conueniens esse signum non futuri diluuij. Sed hoc soluitur. Non est Iris naturale signum non futuri diluuij, nec id significandi per se vim habet; sed tantùm ex Dei voluntate, qui ad significandum præ ceteris Iridem assumpsit, cùm aliam quamliber rem ad idem potuisset adhibere: sicut ad significandam diuisionem agrorum statui solet vel ingens aliquod saxum, vel truncus arboris ex conuentione & voluntate eorum qui agros possidenr.

Et

75 Et *recordabor fœderis mei vobiſcum.* Non egebat Deus ſigno Iridis, cuius aſpectu renouaretur in eo memoria promiſſorum ſuorum: nulla quippe Deo accidere poteſt obliuio, cui omnia ſunt præſentia, quæque iam fuerunt, quæque vnquam futura ſunt. Quid igitur eſt, recordabo; Hoc nempe: Quoties in cœlo videbitis Iridem, recognoſcetis promiſſa mea vobis data, neque eorum memorem haud dubiè præſtiturum quod promiſi. Affinis huius, eſt interpretatio Chryſoſtomi, qui illud *recordabor*, pro eo dictum interpretatur, quod eſt, recordari vos faciam: vt ſemper certi ſemperque ſecuri ſitis, nullo tẽpore deinceps futurum diluuium. vel *recordabor*, id eſt, re ipſa & factis declarabo me promiſſorum meorum eſſe memorem, eaque præſtabo. Vel dixit, *recordabor*, ad ſimilitudinem hominum: ſæpenumero enim ſcriptura de Deo loquitur more humano, non quidem conuenienter eius naturæ ac maieſtati, ſed ad hominum tamen humilitatem & infirmitatem intelligendi accommodatè. Solent autem homines ſignis quibuſdam externis excitari & in memoriam reduci eorum quæ facere conſtituerunt. Deus igitur dicitur recordari non quantum ad propriam vim recordationis quę in hominibus ferè ſubſequitur obliuionem, aut certè non præſentem, &, vt vocant, actualem rerum conſiderationem: ſed quantum ad effectum recordationis qui eſt implere id quod quis promiſerat aut facere inſtituerat. Vel denique dixit, *recordabor*, pro eo quod eſt, nunquam obliuiſcar: nam etſi recordatio propriè dicta minime cadit in Deum, veriſimè tamen de Deo negatur obliuio.

Quomodo dicatur Deus recordari.

Hom. 27. in Geneſ.

76 Verum hoc loco lectorem velim duo animaduertere: vnum eſt, Chriſtianis hominibus arcum cœleſtem, cùm in cælo apparet, non tantum more philoſophico vt pulcherrimum maximéque admirandum naturæ opus eſſe contemplandum, ſed præcipuè vt ſignum diuini fœderis de non futuro amplius diluuio. Cuius fœderis recordatio duas res animis noſtris repræſentabit, Iuſtitiam, & Miſericordiam Dei: Iuſtitiam quidem, quod propter ſcelera hominum generali diluuio vniuerſum propè orbem Deus quondam perdiderit. Ex quo caſtus quidam ſanctuſque Dei timor in animis noſtris exiſtet, vt ſuper omnia caueamus ſceleribus noſtris Deum offendere, & ad iram atque vindictam prouocare. Et quia diluuij exemplo perſpectum eſt Deum eſſe omnipotentem, & in manu eius eſſe omnẽ hunc mundum vel puncto temporis diſperdere atque in nihilum redigere, ipſum verum & ſolum Deum omniumque rerum ſummum dominum perpetuo colamus ac veneremur. Miſericordia verò Dei in eo valdè eluxit, quod miſertus hominũ, promiſit & ſtatuit nunquam deinceps miſſurum ſe diluuium, non quod poſt diluuium non eſſent futuris homines aut æque aut etiam magis improbi quàm fuerant ij qui diluuio perierunt: ſed quia miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Tot enim tantáque fuerunt poſt diluuium hominum peccata, vt pluſquã millies diluuij ſupplicio digniſma fuerint.

Chriſtianam contemplationẽ Iridis præſtare philoſophicæ eius cõſiderationi.

Itaque

Thren. 3 Itaque misericordiæ Domini (vt dixit Hieremias) quod non sumus consumpti.

ALTERVM à lectore obseruandum est quantum fuerit discrimen iustitiæ & misericordiæ Dei. Etenim iustitiæ vis, & rigor vindictæ breuissimi temporis fuit, vnicum enim fuit diluuiũ, & vnius tantùm anni, & misericordiæ diuinæ beneficium de non futuro diluuio, perpetuum fuit omne mundi æuum complectens. Itaque verissimè Isaias Deum facit ita loquentem: *In momento indignationis abscondi faciem meam parũper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui iuraui ne inducerem aquas diluuij supra terram: Sic iurauí vt non irascar tibi, & non increpem te. Montes commouebuntur & colles contremiscent: misericordia autem mea non recedet à te, &* Isai. 54 *fœdus pacis meæ non mouebitur.* In quibus verbis aduertere conuenit illud Dei promissum datum Noë de non venturo diluuio, appellari eo loco iusiurandum Dei, quod in libro Geneseos nominatur fœdus & pactum Dei, vt vocabulo tam iusiurandi quàm fœderis significetur immutabilis certitudo ac firmitas diuini promissi. 77

AT enimuero duo quæ hic promisit Deus Noë, rectè debẽt intelligi: promisit enim non futurum diluuium, non quidem diluuium particulare huius vel illius ciuitatis aut etiam prouinciæ: nam talia diluuia post illud promissum Dei non semel euenerunt, vt fuit diluuium Ogygis & Deucalionis: sed generale diluuium inundans & obruens vniuersam terram. Deinde promisit Deus se nunquam deinceps omnem terram & quæ in ea sunt dissipaturum ac perditurum. Sed hoc intelligendum est, per diluuium: nam per ignem sub finem mundi vniuersam terram disperdet. Loquitur igitur Deus de diluuio & de diluuio generali, quod nullo tempore post illam promissionem Dei timendum fuit hominibus. 78

TERTIA DISPVTATIO.

De arcu cœlesti quem statuit Deus signum numquam futuri diluuij, continens Octo quæstiones.

Vtrum arcus quem statuit Deus signum non futuri diluuij, sit arcus cœlestis siue Iris.

NONNVLLA sunt in hac disputatione vtilia simul & iucunda cognitu. Sed quia nonnihil etiam difficultatis habent non inaccuratam desiderant tractationem. Sit igitur prima quæstio: quid vocabulo Arcus hoc loco significetur, vtrum arcus cœlestis quem appellamus Iridem, an aliud quiddam eo vocabulo per metaphorã denotetur. Certè Beatus Ambrosius omnino negat intelligi posse Iridem, sed figurata oratione & similitudine arcus quo sagittas iaculamur, significari virtutum 79

tutem quandam Dei inuisibilem quæ seueritatem diuinæ iustitiæ rigoremque vindictæ aduersus hominum scelera remittit & relaxat, ad similitudinem arcus, ita vt per calamitates & res aduersas quib. Deus exercet homines, terrete magis eos velit quàm ferire: quemadmodum contentus arcus sed carens sagittis, speciem fortasse habeat terrendi, vim tamen vulnerandi non habet.

80 VERVM præstat vt Ambrosij sententiam ex propriis eius verbis lector agnoscat. *Considéremus, inquit, diligéter qui sit arcus ille quē Deus in nube posuit vt signum fœderis sui cum hominibus. Non enim sicut plerique arbitrantur, arcum istum dicit quo aiunt homines pluuiarum signa declarari, in quo colores diuersi tāquam radiorum Solis nunc rutilantium, nunc lumine lucentium clariore, figurantur: Vnde & pluuia futura significatur, eo quod inconstantia quædam serenitatis versicolore specie demonstratur. Arcum hunc Iridem quiddam appellant. Sed absit, vt hunc arcum, Dei dicamus. Iris enim per diem videri solet: per noctem nō apparet, ac ne per diem quidem videtur, si obductus aër terris nubibus fuerit, ni forte cū grauiores nubes se cœperint relaxare. Ergo videamus, ne quia arcus quo sagittæ iaciuntur, nunc tenditur, nunc resolutur: quandam extensionem ac remissionem videatur scriptura significare, per quam non penitus per nimiam intensionem vniuersa rūpantur: sed sit quædam mensura, & quoddam diuinæ virtutis & examē. Est ergo virtus inuisibilis Dei specie istius arcus moderans omnia, vt neque cōfundi nimia solutione, neque disrumpi nimia contentione patiatur. Quam ideo in nubibus dicit poni, quia tūc maximè opus est diuinæ auxilio prudentiæ, quando agmina nubium in procellas tempestatesque coguntur. Quocirca non dixit: Ponam in nubibus sagittā, sed, ponam arcum. Arcus enim, instrumētum est iaculandæ sagittæ, neque arcus ipse vulnerat, sed sagitta. Ergo posuit in nubibus arcū non sagittam, id est, quod haberet terroris indicium, vulneris effectum non haberet.* Sic Ambrosius. *Ambros. lib. de Noë & Arca, c. 27.*

81 SED tanti Doctoris auctoritas facere non debet, vt nos hanc eius sententiam minimè probabilem, minimeque cum verbis scripturæ consentientem refellere vereamur. Neque enim vnius Ambrosij auctoritas pluris esse debet quàm omnium aliorum, omnes dico Patres tàm Græcos quàm Latinos, omnesque interpretes, tàm Christianos quàm Hebræos, apud quos extra controuersiam est, hoc loco per Arcum non aliud significari quàm arcum cœlestem & Iridem: quam interpretationem omnino requirit vel potius exigit sententia verborum Scripturæ. Quis enim est arcus qui in nubibus apparet & cernitur ab hominibus, nisi Iris? ter autem hoc loco Scriptura ait arcum illum esse in nubibus: primùm, cùm inquit, *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & terram*: deinde mox subiungens: *Cùm obduxero nubibus cœlum apparebit arcus meus in nubibus*: postremò, cùm ait, *Erit arcus meus in nubibus & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni*. quis obsecro est toties repetitus iste arcus in nubibus cœli apparens, nisi Iris? Adiice quod oratio hæc Mosis planè historica est: narratio enim est eius quod dixit fecit que Deus. Secundū leges igitur

historiæ, verba non figuratè & patabolicè, sed propriè ac secundum vsitatam & vulgatam eorum significationem accipi debent: quare arcus in nubibus cœli apparēs, non aliud intelligi potest quàm qui vulgo intelligitur, id est, Iris. Quid multa? arcum Deus illum statuit vt signum fœderis sui conspicuum hominibus: at virtus illa Dei quam hic vocabulo arcus significari putat Ambrosius, inuisibilis est, vt ipse etiā dicit, paucisque cognita: non igitur idoneum fuisset signum apud homines diuinæ promissionis non futuri amplius diluuij. 82

Quomodo Iris signū esse possit non futuri diluuij.

ALTERA quæstio existit, quemadmodum Iris signum esse posit nunquam futuri diluuij, siquidem Iris fuerat sæpenumero ante diluuium Noëticum: neque tunc signum fuit non futuri diluuij, alioqui fallax signum fuisset, contrario scilicet euentu: similiter igitur nec post illud diluuium signum esse potuit non futuri alterius diluuij. Respondent quidam, nec pluuias nec Iridem fuisse ante diluuiū, sed primùm esse cœpisse post diluuium. Hoc significasse videtur Glossa Interlinearis in Caput secundum Geneseos super illa verba: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram.* Id certè Alcuinum sensisse refert hoc loco Carthusianus. Nec iuxta eam opinionē non etiā fuisse videtur Chrysostomus, Iridem appellans miraculum, At cur miraculum? non aliam certè ob causam, quàm quod cùm ante diluuium nunquam apparuisset, apparere cœperit post diluuium, Deo eam statuente signum non futuri diluuij. Verba Chrysostomi sic habent: *Etiamsi immensa vis imbrium, violentæque fiant tempestates, & si aquarum immensa existat inundatio, nullus tamen nobis diluuij metus accidat, ad miraculum (hoc est, Iridē signum diuini promissi) respicientibus.*

Nec pluuias fuisse, nec Iridē apparuisse vnquam ante diluuiū opinio quorundam.

Alcuinus.

Chrys. ho. 28 in Genesim.

Refutatio eius opinionis.

VERVM qui huius sententiæ fuerint auctores, non laboro, ea certè nullam fidem habet. Etenim contra naturalem cursum & ordinem naturæ est, toto eo tempore quod præcessit diluuium, videlicet per annos mille sexcentos quinquaginta sex nullam fuisse pluuiam, nec vnquam apparuisse Iridem: cùm post diluuium nullo anno & quidem sæpius non apparuerit. Naturalem nāque est Soli ex aquis & terra vapores extrahere, & in mediam aëris regionem extollere: naturale est, vapores illuc sublatos, & suo & loci frigore in nubes cogi ac densari: naturale est ex densatis nubibus imbres gigni & in terras delabi: denique naturale est in nubibus modicè densis atque humidis, & aduersi Solis fulgore percussis Iridem generari: hunc igitur naturalem & perpetuum naturæ processum atque ordinē toto eo tempore quod præcessit diluuium, non fuisse, incredibile est. Quorsum enim Deus hunc naturæ ordinem toto eo tempore impediuisset? quorsum tam magno ac diuturno miraculo naturalem Iridis ac pluuiæ generationem prohibuisset? 83

DEINDE, si tanto tempore nulli fuissent imbres, omnia profecto in terris nimia siccitate inaruissent atque interiissent. An sæpe non vidimus hoc nostro sæculo, & in superiorum temporum monumentis legimus, vbi duorum aut trium annorum fuit penuria imbrium, ibi homines 84

homines & animalia(ne quid de ſtirpibus dicam)tum fame,tum morbis magnam partem interiiſſe? Aiunt iſti vice imbrium id temporis fuiſſe fontes & flumina quæ ſtatis temporibus ſupereffluentia, ad ſimilitudinem Nili terras irrigabant ac fœcundabant. Sed quærendum ex iſtis eſſet, an talis exundatio aquarum naturalis fuerit, ſicut eſt in Nilo: ſi fuit naturalis, cur igitur nunc non ſit? præter Nilum enim & vnum aut alterum fluuium,id eſt ſecundum aliquos, vel Euphratem vel Gangem, in aliis eiuſmodi inundatio non cernitur: Si non fuit naturalis, certè nulla ratio reddi poteſt cur Deus omiſſa naturali via refrigerandi terras per imbres, tanto miraculo exundantium terreſtrium aquarum tandiu vti voluerit.

Nos igitur propoſitam quæſtionem breuiſſimè reſpondeamus, Iridem non eſſe ſignum naturale non venturi diluuij, ſed tantùm ex Dei voluntate,qui poſt diluuium Noëticum, cum promiſſi ſui de non futuro diluuio ſignum aliquod dare vellet hominibus, poſſetque quodlibet aliud adhibere,præ ceteris tamen ad id delegit Iridem. Ergo Iris non ex natura, ſed ex Dei voluntate ac decreto,vim habet ſignificandi nunquam futurum diluuium. Verùm hac de re propriè ac planè in ea quæ proximè hanc ſequitur quæſtione diſputandum eſt.

An Iris naturale ſignum ſit diluuij.

85 Tertia quæſtio an Iris ſit naturale ſignum diluuij? Reſpondeo, Iridem naturale ſignum diluuij nec eſſe, nec eſſe poſſe. Atque id quidem tali argumentatione concludi poteſt. Si Iris eſt naturale ſignum diluuij.aut eſſet ſignum futuri diluuij, aut non futuri, aut futuri & non futuri,aut neque futuri neque non futuri. Non poteſt eſſe ſignum naturale futuri diluuij, tum quia generale diluuium non poteſt fieri ex cauſis naturalibus, ſed tantùm per Dei omnipotẽtiam, quate Iris non poteſt eſſe naturale ſignum eius tum etiam,quia Deus promiſit nunquam deinceps futurum diluuium, eiuſque promiſſi ſui Iridem voluit eſſe ſignum, quomodo igitur eadem Iris eſſe poteſt ſecundum naturam ſuam ſignum futuri diluuij, & ſecundum inſtitutionem Dei ſignum etiam non futuri?

86 Neque Iris eſt naturale ſignum non futuri diluuij, tum quod cùm ea ſæpiſſimè fuerit ante Noëticum diluuium, nihilominus tamen diluuium euenit: tum etiam quòd ſi ſecundum ſuam naturam ſignum eſſet non futuri diluuij,ſuperuacuũ & incongruum fuiſſet eam à Deo conſtitui tanquam nouum quoddam ſignum non futuri diluuij. His accedit, diluuium generale non eſſe effectum naturalem ſed ſupernaturalem, & fieri aut non fieri diluuium, omnino pendet ex Dei voluntate, non igitur eius rei naturale ſignum Iris eſſe poteſt. Dicere autem Iridem eſſe ſignum diluuij & futuri & non futuri, non modò falſum, ſed impoſſibile & abſurdum eſt: idem enim manens idem, vt docent Philoſophi, non poteſt aut facere aut ſignificare contraria. Reſtat igitur vt Iris nec futuri diluuij, neque non futuri diluuij ſit naturale ſignum, id eſt, non ſit naturale ſignum Diluuij.

atque hoc demonstrare, propositum nobis ab initio fuerat.

An Iris naturale signũ sit diluuij cito nũ venturi.

QVARTA quæstio, vt Iris non sit simpliciter naturale signum non futuri diluuij, quæri tamen potest vtrum aliquo modo sit naturale signum, habens scilicet naturalem quandam conuenientiam cum eo ad quod significandum constituta est à Deo. Esse aliquo modo naturale signum non futuri diluuij sentit B. Thomas, Quodlibet. 3. Art. 30. idemque opinatur Caietanus hoc loco. Id autem sic illi probant: causa generans Iridem, excludit necessario causam generatricem diluuij: ergo Iris signum est non futuri diluuij: cùm enim Iris apparet in aëre, non est aër ita affectus & præparatus vt esse oportet ad generationem diluuij: si quidem ad efficiendum diluuium, necesse est cælum vsquequaque densissimis nubibus esse obductum & immensa vaporum copia confertum, tunc autem nullo modo Iris generari potest, quippe cùm eius capax non sit nisi nubes modicè densa & humida, & (vt vocant) roscida. Cùm igitur apparente Iride affectio aut dispositio aëris contraria sit futuro diluuio, rectè sequitur apparitionem Iridis esse signum non futuri diluuij. 87

S. Thomas. Caietanus.

NON est tamen Iris signum numquam futuri diluuij, sed non futuri de propinquo & cito: nam vanescente Iride, & causa quæ eam generat atque continet dissoluta, potest in aëre cõgregari materia vnde fiat diluuium: sed quia ea materia non potest breui tempore congregari, idcirco licet Iris non sit signum nunquam futuri diluuij, est tamen signum non futuri de propinquo. Quanquam, inquit Caietanus, ex promissione Dei reuelata nobis in Sactis literis, certum est nullo sæculo futurum: promisit enim Deus Noë in omni generatione apparituram Iridem, futurámque signum non futuri diluuij: ergo si Iris apparens signum est non futuri tunc diluuij, apparebit autem secũdum promissionem Dei in omni generatione, ergo in nulla generatione vsque ad finem mundi erit diluuium, & Iris non vna quidem nec semel apparens sed omni seculo, futurum signum est nunquam futuri diluuij. Addunt præterea isti, cùm diluuium generale non possit fieri naturaliter, sed per supernaturalem Dei potentiam, promittere Deum non esse futurum diluuium, non aliud esse, quàm promittere se deinceps gubernaturum mundum secundum naturalem cursum eius atque ordinem, secundum quem diluuium non potest effici, nec vsurum se extraordinaria sua potentia ad efficiendum diluuium. Atque hæc est istorum auctorum sententia, quam sequi videtur Paulus Burgensis hoc loco. 88

Burgensis.

Refutatio.

VERVM ea opinio posset his argumentis confutari: argumentantur isti Iridem naturale signum esse non cito venturi diluuij, quod causa generans Iridem omnino excludat causam generatricem diluuij, hoc est, maximam vaporum in aëre copiam & immensam vim pluuiarum. Hæc argumẽtatio valida esset, si magna copia vaporum in aëre maximaque vis imbrium necessaria esset, causa generandi diluuij, vt sine tali causa generale diluuium nullo modo esse posset: ac 89

id verum

id verum non est : etenim diluuium non est opus naturæ , sed omnipotentiæ Dei , qui potest & per pluuias & sine pluuiis diluuium efficere. Quanquam enim ad efficiendum Noëticum diluuium concurrit immensa vis pluuiarum per quadraginta dies , sine ea tamen potuisset Deus facere diluuium , aquas marinas aliasque terrestres in tantum multiplicando & exaggerando, vt omnem terram,etiam celsissimos eius montes operirent. Nonne in exordio mundi ita creauit aquam nullis vel pluuiis vel nubibu antecedentibus, vt ea vniuersam terram altissimè obrueret? Ergo si Deus potest generale diluuium facere sine præparatione vaporum in aëre , & sine concursu imbrium ; apparitio Iridis non potest esse naturale signum non futuri cito diluuij

90 Sed esto, immensa vis vaporum in aëre & imbrium sit necessario requisita ad generandum diluuium : non tamen ex hoc concluditur quod isti volunt obtinere.Namque omnem istam materiam necessariam generando diluuio potest Deus subitò,vel certè quàm breuissimo tempore congregare , & in aëre comparare ad generationem diluuij:quamuis igitur hodie exempli causa appareat Iris,& idcirco non sit in aëre materia qua opus est ad generationem diluuij , potest ea tamen vel post vnam horam per omnipotentiam Dei in aëre poni, quod si fieret (vt fieri potest (Iris aparens hodie non esset naturale signum non futuri cito, vel etiam non futuri hodie diluuij.

91 Iam verò illud Caietani dictum non fugit reprehensionem. Ait, quia Deus promisit omni futura generatione appariturum Iridem quę excludit materiã generationis diluuij , inde sequi Iridem fore signum naturale nullo sæculo venturi diluuij. Equidem non satis assequor, hæc ratio Caietani quam vim habeat. Vocabulum Generationis in scriptura significat spatium multorum annorum : vel enim significat idem qnod sæculum ,id est , spatium centum annorum, vt hoc libro Geneseos capite 15 . vel ętatem cuiusque hominis totumque eius vitæ tempus quod definiuit Dauid septuaginta vel octoginta annis, auctor verò libri Ecclesiastici cẽtum annis, vel significat spatium decem annorum , qua significatione vsus videtur Baruch capite sexto: vel denique , vt multis visum est sacratum literarum explanatoribus, nonnumquam significat ætatem hominis idoneam maturamque generandæ proli , quæ plurimum minor non est quindecim annis.Quocunque igitur modo sumatur vocabulum Generationis , semper eo denotatur spatium multorum annorum.

Quid significet in Scriptura vocabulũ Generationis.

Psal. 89.

Eccl. 18.

Hoc posito, Caietani ratio planè iacet:nihil enim prohibet,cùm generatio significet spatium multorum annorum , eadem generatione & apparere Iridem,& fieri diluuium.Exempli causa,contineat generatio decem vel plures annos , & primo anno huius generationis appareat Iris ; quid quæso vetat postquam desierit apparitio Iridis, post duos aut tres annos paulatim cogi materiam vaporum in aëre vnde generatur diluuium? non igitur quia Iris apparitura est in omni

generatione, idcirco naturale signum est non futurum in ea generatione diluuium. Et quis obsecro credat ea generatione vel sęculo quo Noëticum diluuium factum est, numqnam apparuisse Iridem? Sed pergamus ad alia.

An Iris signũ sit non futuri diluuij planè voluntariũ.

QVINTA quæstio, an Iris signum sit non futuri diluuij omnino voluntarium, & vt vocant, ad placitum? Esse omnino signum 92
ad placitum, scilicet quod ex sola Dei voluntate atque institutione significandi vim habeat, sensit Lyranus, & in Postilla huius loci scriptum reliquit: cuius sententiæ confirmatio, confutatio est superiorum. Si enim Iris est signum diuini pacti de non futuro diluuio, vt scriptura testatur: nec est signum aut simpliciter aut aliquo modo naturale, vt supra ostensum est, relinquitur signum esse tantummodo voluntarium & ad placitum. Licet igitur Iris fuerit ante Noëticum diluuium, non fuit tamen tunc signum sed post, quia Dei promissum & pactum de non futuro diluuio, cuius signum ipse voluit esse Iridem, non antè Noëticum diluuium, sed post, factum est. Nec videri cuiquam debet incongruum, Iridem quæ res est naturalis, & ab exordio vsque mundi fuerat, signum fieri rei nouæ ac voluntariæ, quale est promissum ac pactum Dei: id enim frequenter vsu venit in rebus hominis. Exempli causa, saxum quod aliquo loco diu iacuit immobile, statuitur ab hominibus tanquam signum diuisionis agrorum & possessionum.

Toſtatus.

SENTENTIÆ Lyrani subscribit Toſtatus: insuper addens, cùm 93
duplex sit diluuium, vnum particulare alicuius loci vel prouinciæ, alterum generale totius orbis: Iridem in aëre apparentem, naturale signum esse non venturi cito diluuij particularis in eo loco: affectio enim aëris qua constat Iris, excludit affectionem eiusdem necessariam generando diluuio particulari, materia verò generando particulari diluuio sufficiẽs, non potest breui tempore cogi & comparari. Verùm hoc intelligi debet de naturali generatione diluuij particularis: supernaturalis enim quæ per Dei omnipotentiam fit, longitudinem temporis minime requirit. Generale autem diluuium cùm sit effectus supernaturalis diuinæ omnipotentiæ, eius nullo modo Iridem esse signum naturale, sed ad placitum. Toſtatus essentitur Lyrano, eius ratione persuasus. Hæc igitur ab aliis prodita sunt in hac disputatione.

Auctoris sententia.

QVOD si nostram quoque nosse auet lector sententiam, breui sic 94
habeat. Videri nobis Iridem simpliciter quidem non esse signum naturale, quodammodo autem, &(vt aiunt secundum quid, & esse, & dici debere. Non esse simpliciter signum naturale, præter superiora argumẽta, patet hac etiam ratione. Iris per se ac primò non est à Deo constituta vt sit signum diluuij non venturi, sed vt sit signum fœderis inter Deum & hominem: nusquam enim scriptura appellauit Iridem signum non venturi diluuij, semper autem appellat signum diuini fœderis ac pacti. Sed quia illud Dei pactum fuit de non venturo

iterum

iterum diluuio, idcirco Iris consequenter, & (vt dicunt) secundariò signum est diluuij non venturi. Est igitur signum & fœderis diuini, & non futuri diluuij: sed horum vtrumque voluntarium est & ex beneplacito Dei omnino pendens: de fœdere enim & pacto non potest esse dubium: de diluuio autem supra ostensum est: nam cùm generale diluuiũ opus naturæ esse nequeat, sed solius Dei omnipotẽtiæ, ipsum fieri vel non fieri, in sola Dei voluntate positum est.

95 QVOD autem Iris aliquo modo sit etiam naturale signum diluuij, ex paucis quæ subiiciam manifestum erit. Ferè signa, quibus Deus vsus est, vel ad significandum aliquid, vel ad memoriam alicuius rei excitandam, naturalem quandam cõuenientiam & similitudinem habent cum his rebus, quibus significandis & repræsentandis destinata sunt: Exempli causa, Circunciſionem Deus dedit Abrahæ & posteris eius, vt signum esset promissionis suæ de infinita multiplicatione seminis eius & possessione terræ Chanaan, habet autem Circunciſio naturalem cõgruentiam cum promisso Dei: multiplicatio enim seminis fieri debebat per carnalem generationem, cui generationi efficiendæ deseruit maximè ea pars nostri corporis in qua Deus Circunciſionem fieri præcepit. Idem possum dicere de Sacramentis nouæ legis: nempe aqua Baptismalis, etsi secundum suam naturam non habet vim abluendi peccata, habet tamen vim abluendi corpora, refrigerandi at quæ fœcundandi, quibus rebus repræsentat spiritualem Baptismi effectum quem ipsa quoque producit Dei verbo consecrata. Ad hũc igitur modum Iris etiam naturalem habet conuenientiam cum eo quod ex institutione Dei significat: Est namque secundum naturam suam aliis rebus omnibus habilior & accommodata magis ad præsignandum id propter quod instituta est: alioqui non eam præ ceteris ad id delegisset Deus. *Genes. 17.*

96 SED quæ est ista naturalis congruentia & habilitas Iridis? sanè magna & multiplex. Primum quod ob eius insignem magnitudinem, ob eximiam pulchritudinem, & ob celsitudinem loci quo apparet, omnibus conspicua est, maximéque notabilis, ob idque signum potens & efficax protinus excitandi in hominum animis diuini fœderis & promissi memoriam, eámque subinde renouandi & perpetuò custodiendi. Deinde quia in nubibus generatur & apparet, & quia ex nubibus & pluuiis Noëticum diluuium magna ex parte prouenit, prouidentissimè Deus voluit Iridem quæ in nubibus est, signum homini esse non venturi diluuij, vt inde metus discuteretur, vnde generatio diluuij timeri poterat. Ad hæc, Iris fere signum esse solet aut futuræ serenitatis, aut non magnæ nec diuturnæ pluuiæ: quamobrem quod attinet ad causas naturales, certum signum est, vbi apparet, ibi diluuium naturaliter & cito fieri non posse. Dixi (naturaliter) quod secundum Dei omnipotentiam, cuius opus est generale diluuium, & sine vlla præparatione concursuque naturalium causarum, & subito diluuium potest effici.

QVA

Quarũ rerũ Iris naturaliter sit signũ.

QVÆSTIO Sexta si Iris non est signum naturale diluuij aut nunquam, aut etiam non cito futuri, quarum igitur rerum naturale signum est? Est ne serenitatis an pluuiæ, ventotum, an tranquillitatis cœli? Plinius eam nullius rei certum vult esse signum, ita scribens: 97

Plin.li.2. naturalishistor. cap.59.

Arcus vocamus extra miraculum frequentes & extra ostentum: nam ne pluuios quidem aut serenos dies cum fide portendunt. Idem tamen alio loco scribit: Iridem, cùm duplex apparet, pluuiarum esse nuntiam. *Arcus*, inquit, *cùm sum duplices, pluuiam nuntiant: à pluuijs serenitatem non perinde certam.*

Lib.18.c.35. Seneca lib.1. Naturalium quæst.cap.6.

AT enim Seneca docet: prout varia in cœli regione Iris apparuerit, ita res varias portendere: *Arcus*, inquit, *non easdem vndecũque apparuerit, minas affert: à meridie ortus, magnam vim aquarum vehet: vinci enim non poterunt vehementissimo Sole, tantum est illis virium. Si circa Occasum refulsit, tonabit & leuiter impluet: si ab Ortu circáue surrexerit, serena portendit.* Frequentius tamen est post pluuias apparere arcum, ex quo consecuturæ indicia serenitatis non vana possunt colligi, scilicet ex tempestatum vicissitudine: Sed cur post pluuias frequentius apparent: quia tunc nubes plus habent lucis, & idoneę magis sunt ad Solis lucẽ concipiendam, crassitudine aquarum exoneratæ. 98

Scaliger contra Cardanũ exercitat.80.

LEGI apud quosdam minime spernendos auctores, pro vero narrari à nautis, & agricolis tanquam rem diligẽter ab ipsis obseruatam, matutinam Iridem pluuias, vespertinam portendere serenitatem. Cuius rei illa fortasse causa est, quod matutinus arcus nocturni humoris plenior, quasi vas sit futuræ pluuiæ propter vapores crassiores: vespertinus autem tanquam magnam partem humore per diem exoneratus, sereniorem promittat sequentis diei tempestatem. 99

Mira Iridis effecta.

MIRAS porrò virtutes miraque Iridis effecta auctores cum primis graues memoriæ ac litteris prodiderunt. Ætate Aristotelis vulgò ferebatur Iride plantis incubante, odoratiores reddi eas: quod an verum sit, & quando, aut quomodo verum sit, disputat ipse in Problematibus. Plinius certè scribit, aspalathũ contactu Iridis suauiolentiorem reddi: Est inquit, *Aspalatus spina candida, magnitudine arboris modica, flore rosæ, radice vnguentis expetita. Traduntque in quocunque frutice curuetur arcus cœlestis, eandem quæ sit aspalatho suauitatem odoris existere, sed in aspalato inenarrabilem quandam.* Idem alio loco: *Terra*, inquit, *cùm à siccitate continua immaduit imbre, & in quam arcus cœlestis deiecerit capita sua, tunc emittit illum suum halitum diuinum ex Sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit.* Aristoteles præterea tradit ad generationem mellis aërei (hoc recentiores appellant manna, veteres autem mel roris nominarũt) multum conferre Iridem. Verùm de his satis. Et quanquam huiusmodi tractatio philosophiæ magis videtur propria quàm diuinæ scripturæ, quia tamen facit, tum ad nonnullam loci huius illustrationem, tum ad eruditionem eorum qui studẽt sacris litteris, eam velut in transcursu attigisse, non alienum fuerit. 100

Aristot.sect 13. Problem.3. Plin.lib.12. cap.24.

Lib.17.c.5. Aristotele de Hist.animaliũ li.5.c.22.

Opinio quorundam per-

QVÆSTIO Septima: An verum sit quod à nonnullis viris sanctis

fertur

QVÆSTIO septima: An verum sit quod à nonnullis viris sanctis fertur esse proditum, per quadraginta annos ante generalẽ mundi conflagrationẽ & diem Iudicij nunquam apparituram esse in cœlo Iridem. Auctor historiæ Scholasticæ commemorat eam opinionem his verbis: *Tradunt sancti quod quadraginta annis ante Iudicium nõ videbitur arcus cœlestis: id quod etiam naturaliter ostendet desiccationem aëris iam esse inceptam.* Sic ille, sed qui fuerint illi viri sancti eius sententiæ auctores nondum potui, vel coniectura, vel suspicione aliqua consequi. Sanè apud nullum sanctorum Patrum quorum habemus scripta, talis opinio, vel vlla eius mentio reperitur. Sed quorum illa fuerit sententia, nõ moror: falsam esse sine dubitatione dixerim. Principio, fundamentum & firmamentum istius opinionis videtur illud fuisse, generalem orbis deflagrationem non posse fieri nisi præcedente summa aëris siccitate, & immensa siccatum exhalationum copia: tantum verò materiæ siccæ quantum opus est ad generationem illius incendij, non nisi longissimo tempore, nec minore (vt visum ipsis est) quadraginta annis comparari posse.

Opinio quorũdã per quadraginta annos ante finẽ Mũdi nõ apparitura Iridem.

Hist. Scho. in librum Gen. cap. 35.

Refutatio.

102 SED in ista ratione sumitur vt certum, quod non modo est incertum, verùm etiam aperte falsum, incendium illud mundi effici debere per causas naturales, cùm futurum sit supernaturale opus diuinæ omnipotentiæ, similiter vt supra dictum est de diluuio. Deinde, par videtur ratio generalis diluuij & generalis incendij: sed præparatio materiæ ad generationem diluuij, breuissimo tempore prægressa est ipsum diluuium, vt ex superiori natratione Mosis in capite septimo manifestum est, ergo ista præparatio materiæ siccæ ad generationem incendij per quadraginta annos, nõ erit necessaria, quin videtur planè commentitia.

AD hæc si per quadraginta annos non appareret Iris, toto igitur
103 eo tempore nec venti essent nec pluuiæ humectantes, refrigerantes, & fœcundantes terram: quocirca multis annis ante finem illorum quadraginta annorum, omnia, stirpes dico, animalia & homines, nimia siccitate perirent, aut si non penitus perirent, certè propter maximam famem, sæuissimos morbos & alia incommoda, quæ tanta illa siccitas ferret, omnes vbique terrarum homines in summo essent mœrore ac dolore, grauissimisque calamitatibus conflictarentur: at multò secus eo tempore futurum ipsemet Dominus nos docuit, cuius apud Matthæum illa sunt verba, ad eius quod diximus confirmationem pertinentia: *Sicut in diebus Noë, ita erit aduentus Filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes vsque ad eam diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus Filij hominis.* & Paulus in prioris Epistolæ ad Thessalonicenses capite quinto: *Dies*, inquit, *Domini sicut fur in nocte, ita veniet, Cum enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus.* Liquet igitur ex verbis Domini & Pauli eo tempore quod proximè ante ibit Iudicium & finem

Matth. 24.

Mundi, futuros homines in summis gaudiis voluptatibus ac deliciis & in maxima pace & securitate. Hic autem tam lætus & iucundus vitæ status nullo modo esse posset, si tanta & tam diuturna esset aëris siccitas: ea quippe multorum ac magnorum incommodorum & calamitatum causa esset.

Mystica interpretatio. Gregorius.

QVÆSTIO octaua, An hæc historia Iridis memorandum aliquem habeat sensum atque intellectum mysticum? Habet sanè & varium, & à Patribus variè ac luculenter tractatum, B. Gregorius homilia octaua in Ezechielem: *In arcu cœlesti*, ait, *color aquæ & ignis simul ostenditur: partim enim cœruleus est, partim rubicundus, vt vtriusque iudicij testis sit, vnius videlicet faciẽdi, & alterius iam facti, nec amplius faciendi. Siquidem mundus in finem, igni iudicij cremabitur, qui diluuij aqua olim deletus est. Declarat quoque cœlestis arcus baptismum Christi, qui fit per aquam & ignem, id est, Spiritum sanctum instar ignis intima cordium purificantem, & vitia consumentem, secundum illud Domini: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c. Qui arcus in nube apparet, qua Saluatoris nostri caro signatur: siquidem virtus eius in dominica incarnatione, & in effusione prædicationis ostenditur, vt ad veniam corda credentium Domino parcente reuocentur.* Sic Grægorius. 104

IOANNES in Apocalypsi vidit thronum Dei circundatum Iride. Iris, Dei misericordiam significat, thronus, Ecclesia eius est. Thronum igitur circundari Iride, est Ecclesiam perpetua Dei misericordia protegi ac defendi. Triplex est autem hæc misericordia Dei, prima, quod non finit eam tentari supra virtutem, sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt possit sustinere, & sicut B. Petrum, ita eam finit aliquandiu fluctibus rerum aduersarium iactari ac pene mergi, nunquam tamen submergi. Secunda, omni tempore suscitat in ea bonos aliquos rectores, doctores, reformatores ac defensores. Tertia nunquam finit in ea deficere sincerum Dei verbum, rectamque scripturarum intelligentiam, nec legitimum Sacramentorum vsum, nec purum Dei cultum. Atque hæc triplex misericordia Dei erga Ecclesiam significatur triplici colore Iridis. 105

Triplex Dei perpetua misericordia erga Ecclesiam.
1. Cor. 10.
Matth. 14.

Triplex color Iridis cuius rei figura.

DOCENT Philosophi constare Iridem triplici substantia, terrea, aquea, & aërea, & inde triplicem existere coloris varietatem, viridis, rubri, & cœrulei. Hac re insinuatur amplitudo misericordiæ diuinæ erga hominem, tripliciter, quãtum ad corpus, ad animam, & spiritum: quantum ad homines in statu naturæ, legis Mosaicæ, & Euangelicæ: quantum ad bona, naturalia, humana, & diuina: quantum ad eos qui sunt in cœlo, in terris, & in inferno: denique quantum ad gratiam prædestinationis ab æterno, iustificationis in tempore, glorificationis in æternum. 106

Iris figura Christi.

SECVNDVM alios, Iris, figurata est Christi, etenim nubes, corpus Christi significat, triplex color triplicem eius substantiam, carnem, animam, diuinitatem: vel triplicem eius supremam dignitatem quam prædixit Isaias, Regis, Iudicis, Legislatoris. Nec vacat mysterio quod 107

Iris

Iris nunquam circulum cõplet, aut semicirculi magnitudinem excedit. Regnum nempe Christi quasi circulus est è cœlo descendens in terram, & rursus è terris remeans in cœlos: constatque duplici aduentu Christi, priori in humilitate ad saluandum, & hic vim habet vsque ad diem iudicij, posteriori in maiestate ad iudicandum, cuius effectus in omnem durabit æternitatem. Quoniam igitur vsque ad diem iudicij virtus prioris aduentus viget in terris, non autem posterioris, inde fit semicirculi figura, nec est complementum circuli, qui post diem iudicij omnino complebitur. Nunc viget quasi dimidium regni Christi, nec enim dominus omnium, vti est, agnoscitur ab omnibus, nec tam regnat in corpore quàm in anima, & in animo quantum ad tollendam culpam & peccatum, non quantum ad pœnam & miseriam, At verò post diem iudicij regnum Christi plane consummabitur, tunc enim dominabitur in omnibus, & quantum ad omnia, & omnium supremus esse dominus cognoscetur ab omnibus.

Iris, nunquã explet circulum & cuius rei hoc figura sit.

Notabilis opinio Ruperti.

At enim verò supradictam expositionem quam nos inter mysticas numerauimus, Rupertus censet esse literalem, nec fœdus, cuius signũm Deus Iridem esse voluit, fuisse putat factum cum Noë & filiis eius, sed esse fœdus quod Deus in lege Euangelica facit cum fidelibus in Christum credentibus, quibus promittit non solum remissionem peccatorum, verùm etiam gratiam adoptionis in filios Dei, & ius capescendæ hæreditatis æternæ. Et suæ quidem sententiæ duas ponit ipse rationes, vnam, quod in omni fœdere seu pacto esse debet vtrinque ratio dati & accepti, sine qua nullum inter homines fit pactum & fœdus: talem verò rationem dati & accepti inter Noë & Deum nullam apparere. Ex parte quidẽ Dei apparet datum, scilicet promissum eius non futuri diluuij, sed ex parte Noë nihil extat ab eo datum, vel promissum. Altera ratio eius est, quòd in futuro dixit Deus, *Statuam pactum meum*, non in præsenti statuo, non obscurè significans, pactum illud suum non ad homines illos qui tunc aderant, sed ad eos qui longè post futuri erant pertinere.

Verum totam Ruperti sententiam nisi ex verbis eius non facilè comprehẽdet lector. Explanãs igitur verba illa Dei quæ sunt hoc loco: *Ecce ego statuam pactum meum vobiscũ & cum semine vestro post vos*, ita scribit Rupertus: *Quærere hic oportet quod aut quale sit pactum hoc Dei, neque enim apparet quæ ratio dati & accepti in eo fuerit, sine dato autem & accepto pactum non solet statui. Præterea non dixit in præsenti tempore, Ecce ego statuo, sed in futuro, Ecce ego statuam pactum meum, quærẽdum igitur est quale fuerit illud pactum. Dicimus quidem pactum tõties promissum, sed vnũ tamen & semel initum, pactum, inquam, vnum quo soluuntur inimicitiæ quæ erant inter Deum & hominem, fuisse incarnationẽ vel passionem Domini nostri Iesu Christi. Hinc enim citra omnem contradictionem certa est constitutio pacis cum ratione dati & accepti, dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus Filiũ suum vt saluẽtur per ipsum. Huius pacti licet plurima præcesserint promissiones & significationes, duo tamen præcipuè fuere signa, vnũ Iridis*

Ephes. 2.

Genes. 17. *datum Noë, alterum circunciſionis datum Abrahæ. Et Iris quidem propter cæruleum colorem figurat aquarum baptiſmi quo viſibiliter abluimur, propter rubrum autem colorem, ſignificat ignem Spiritus ſancti quo inuiſibiliter peccata noſtra conſummuntur, vt ab vtroque hominũ qui perierunt genere ſecernamur, & ab illis qui præterito aqua diluuio perierũt, & ab illis qui futuro ignis iudicio perituri ſunt. Et Iris quidem temporarium ſignum eſt, videlicet cum nubibus & præſenti mundi ſtatu tranſiturum, at ſpiritualis Iris, cuius illa corporalis velut vmbra eſt, æternum manebit ante conſpectum Patris in carne filij eius in cicatribus vulnerum pedum, manuum & lateris eius. Vnde quia,*

Ephes. 2. *Chriſtus eſt pax noſtra, bene hoc ſignum fœderis qui eſt arcus cœleſtis, Græcè dicitur εἰρὴ id eſt, pax cuius cauſam ignorãtes curioſi mundi huius philoſophi: dicunt Iridem fieri caſualiter ex obiectu Solis cauæ nubi radios ſuos infundentis, ſed quoquo modo fiat, opus Dei eſt non caſu ſed ratione conditum, & pro ſigno ſe exhibens diuinæ recordationis.* Hæc Rupertus.

SED Ruperti ſententiæ non dubitabo dicere narrationem Moſis 109
quæ eſt hoc loco, euidenter ac vehementer aduerſari. Scriptura enim ſepties inculcat hoc nono capite, Deum ſtatuiſſe pactum cum Noë & filiis eius & poſteris eorum & cum omnibus animantibus: quomodo igitur negari poteſt illud Dei pactum eſſe conſtitutum cum illis hominibus, cùm id toties affirmet ſcriptura? Quid quod pactum illud ſpirituale pertinens ad Chriſtum, de quo Rupertus etiam ſecundum literalem ſenſum interpretatur hunc locum nullo modo attingit animantes? nimirũ illæ nec humani, nec diuini pacti capaces ſunt: at ſcriptura hoc loco ait Deum ſtatuiſſe pactum etiam cum animalibus, ergo pactum illud diuerſum eſt ab eo quod exponit Rupertus.

Refellitur Rupertus.

NEC firmæ ſunt duæ illæ rationes Ruperti quibus interpretatio- 110
nem ſuam fulcire voluit. At priorem enim facilè reſpondetur, vocabulum pacti ac fœderis hic nõ preſsè nec propriè eſſe poſitum, prout eſt, in vſu apud homines, & prout definitur à Ruperto, tale enim pactum non poteſt cum animalibus ſtatui, cùm tamen illud Dei pactum etiam cum animalibus legamus eſſe conſtitutum. Ponitur igitur nomen pacti ac fœderis amplè ad ſignificandum abſolutam & efficacem Dei voluntatem, & immutabile promiſſum ac decretum eius: quod quidem promiſſum & decretum, ſicut hic appellauit pactum, ſic apud Iſaiam cap. 54. nominauit iuſiurandum: *Sicut*, inquit, *iurauí Noë, ne inducerem vltra aquas ſuper terram*, nec tamen vlla iuriſiurandi ſpecies & formula hîc apparet, ſed voluit Deus per duas res quæ apud homines ſanctiſſimæ ſunt atque inuiolabiles, pacta & iuramenta, certitudinem promiſſi & decreti ſui prorſus immutabilem declarare. Poſterior ratio nullius momenti eſt: nam etſi Latina lectio habet in futuro *Statuam pactum meum*, Græca tamen lectio habet in præſenti, ſtatuo vel pono, Hebræa verò in præterito ſtatui vel poſui. Sanè apud Hebræos abuſus vnius temporis pro alio frequentiſſimus eſt.

ILLVD verò quod ait Rupertus, arcum cœleſtem Græcè dici Iri- 111
dem, quod Latinè ſonat pacem, nequaquam probabitur vel iis qui primoribus

primoribus libris Græcam linguam attigerunt. Pax enim Græcè dicitur εἰρήνη inter duas autem illas voces ἶρις & εἰρήνη quantum sit discrimen, nemo non videt. Illud autem quod idem subdit, casualem credit à philosophis generationem Iridis, vereor ne quis fortè Peripateticorum qui in rimandis tractandisque naturalibus causis Iridis, tanta cum ingenii & doctrinæ laude laborauerunt, philosophico vel supercilio contemnat, vel cachinno derideat,

VERS. 18. & 19.

Erant ergo filij Noë qui egressi sunt de arca, Sem, Cham & Iaphet: porrò Cham ipse est pater Chanaan. Tres isti filij sunt Noë: & ab his disseminatum est omne genus hominum super terram.

112 VERBA hæc duas ferũt quæstiones, Primum quæritur, an Noë præter supradictos tres filios quos ante diluuium genuerat, alios filios genuerit post diluuium. Berosus Annianus libro secundo affirmat Noë complures filios genuisse post diluuium eosque gigantes, quos ex nomine matris quæ Titæa dicebatur, Titanas appellauit: numerat autem triginta filios Noë genitos post diluuium. Huic rei certissimam fidem astruere conatur in Commentario eius loci Annius. Sic autem ille argumentatur, Noë vnà cum filiis mandatum à Deo accepit vacandi generationi prolis & simul cum mandato vim fœcunditatis accepit: hoc enim significauit Moses narrans Deum benedixisse Noë: & filiis eius & dixisse: *Crescite & multiplicamini & replete terram:* Nec fas est credere tale mandatum fuisse neglectum à Noë, viro scilicet iustissimo & diuinæ voluntatis obsequentissimo. Necessitas præterea impellebat eum ad generandum, propter paucitatem hominum, quæ id temporis erat. Nec verò defuit ætas Noë ad generandum quinimo abundè superfuit, quippe qui post diluuium trecentos quinquaginta annos vixit. Ex his concludi putat Annius, Noë procreasse liberos post diluuium, & rationis diuinæ scripturæ consentaneum esse.

An post diluuiũ Noë genuerit aliquos filios.

Berosus. Ioã. Annius.

113 NEQVE verò hæc opinio non etiam placuit Caietano, is enim ponderans illa verba: *Qui egressi sunt de Arca.* sic ait *Hinc apparet quod Noë post diluuium alios filios genuit: nisi enim habuisset filios nõ dixisset, Sem, Cham, & Iaphet fuisse filios Noë qui egressi erant ex Arca, ad differentiam siquidem aliorum Noë meminit illorum trium qui cum patre de Arca egressi fuerant: & propter hoc quod isti soli cum Noë in Arca fuerũt, & cũ eo egressi sunt, adeo præstiterunt alijs Noë post diluuium generatis, vt eorum nomina fuerint penitus abolita: & illi tres tantum nominati, & tanquam patres mundi habiti sint.* Sic Caietanus.

Caietanus.

Refelluntur Annius & Caietanus.

114 SED ego istam opinionẽ falsam esse minime dubito. Enimuerò si Noë post diluuium tam multos filios suscepisset, cur illorũ nomina

fuissent omnino tacita? Esto, illi tres fuerint principes generis & familiæ Noë: id tamen aliorum memoriam penitus obruere & obliterare non debuit. Nonne Moses vigesimo quinto capite huius libri recẽset omnes filios Abrahæ, & ex ancilla & ex Cethura vxore susceptos, non contentus nominasse Isaac solum Abrahæ hæredem, & posteritatis eius principem? quod si aliorum filiorum Noë, noluit Moses nomina distinctè & expressè ponere, saltem in commune dixisset Noë genuisse alios filios.

ILLVD enim licet animaduertere in omnibus priscis illis patri- 115
bus qui fuerunt ante Noë, Mosen, cùm describeret cuiusque eorum vniuersum vitæ tempus, adiicere solitum illa verba: *Et genuit filios & filias.* Ponam exemplum primi & vltimi. De Adam sic ait: *Facti sunt dies Adæ postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios & filias*, De Lamech autem qui fuit pater Noë, itidem ait: *Vixit Lamech postquam genuit Noë, quingẽtis nonaginta annis: & genuit filios & filias.* Idémque dixit de alis omnibus qui inter hos duos interiecti sunt. Similiter igitur cùm sub finem noni capitis definiat Moses vniuersum vitæ tempus Noë, si is præter Sem, Cham & Iaphet genuisset alios filios, dicere de eo debuisset similiter vt de patribus eius dixerat; Vixit Noë post diluuium trecentis quinquaginta annis, & genuit filios & filias, & impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum: & mortuus est. Cur illud: *Et genuit filios & filias*, non dixit Moses? Certè quia verum non erat. Illud quoque vehementer istã opinionem redarguit, quod Moses tam in c. 9 quàm decimo ait, ab illis tribus filiis Noë omne genus hominum esse propagatum & disseminatum: at si præter illos tres fuissent alij filj Noë, ex illis vtique non minus quàm ex illi tribus hominum genus multiplicatum esset. Nam dicere, vel illos filios fuisse omnes steriles, vel eorum prolem in secunda aut tertia generatione in totum defeciisse, simile figmento est.

Genes. 15.

Ibidem.

Cur Noë per 350. annos quibus diluuio superstes fuit, nullum genuerit filium.

SED illud nos vrgere videtur, quomodo Noë per trecentos quin- 116
quaginta annos quibus superstes diluuio fuit, vel vnum aliquem filium generare aut noluerit, aut non potuerit. Verùm ad id respondẽmus, Noë finito diluuio fuisse sexcentorum annorum; quæ ætas erat iam effœta nec potẽs generandi, præsertim tot tantisque ærũnis ac calamitatibus exercita & contrita. Nã reliqui trecenti quinquaginta anni fuere senectutis, quę in vita prope mille annorum non est censenda nimis longa. Quàm multos reperies qui post quinquagesimũ annum generare desierunt? & nihilominus tamen vsque ad octogesimum vel nonagesimum annum vitam produxerunt? Et hoc mihi verius dictu videtur. Nisi cui forte magis arriserint fabulæ Hebræorum, à quibus proditum est (vt memorat Rabbi Leui super nonum caput Geneseos) Cham abscidisse virilitatem patri suo Noë, ne deinceps filios procrearet, quemadmodum de Cœlo & Saturno fabulantur poëtæ.

ALTERA Quæstio est, cur Moses nominãs Cham, subiunxerit 117
filium eius Chanaan, dicens, *Porrò Cham ipse est pater Chanaan*, Cur, inquam,

quam, Moses potius nominauerit filiũ Cham, quàm filium Sem aut Iaphet: aut inter filios Cham (habuit enim ille filios Chus & Mesrain & Phut & Chanaan, vt est in capite decimo Geneseos) cur non potius nominauit alios filios quàm Chanaan, cùm iis omnium natu minimus fuisse videatur? B. Chrysostomus, putat illum Chanaan fuisse genitum intra Arcam durante diluuio, & propterea nominari eum à Mose, vt significetur nimia libidinis intemperantia Cham qui in tantis Arcæ angustiis & incommodis, atque in tanta orbis totius clade indulserit Veneri: præsertim cùm pater atque alij fratres non solùm à studio generandi vacauerint, verùm etiam ab vxoribus toto eo tempore seiugati fuerint. Audi Chrysostomum: *Cur dixit Cham fuisse patrem Chanaan? Nemo putet id esse dictum sine causa: nihil enim in diuina scriptura est quod non ratione aliqua dictum sit, quodque non latentem aliquam in se habeat vtilitatem. Cur igitur filium Cham nominauit Chanaan? Scilicet vt nimiam Cham intemperantiam libidinis insinuaret: quippe cùm neque tanta calamitatis magnitudine, neque tantis Arcæ angustijs concupiscentia eius coërceri & refrenari potuerit quo minus Veneri seruiret: iam ex eo tempore mentis suæ malitiam demonstrans. Itaque non multo post, propter contumeliam in parentem, maledictionem susceperturus erat filius eius Chanaan: & idcirco scriptura nomen patris & filij simul posuit, docens patris intemperantiam: vt cùm postea videris magna ingratitudine erga patrem vti, scire possis quod iam olim talis fuerit, vt rabiem atque insaniam libidinis eius generalis omnium luctus atque interitus reprimere non potuerit.* Hæc Chrysostomus.

Chryſ. ho. 28. in Geneſim. An Chanaã genitus ſit in Arca durãte diluuio. vt ſignificat chryſoſtomus.

218 VERVM non esse intra Arcam tempore diluuij genitum Chanaan, vt significat Chrysostomus, quatuor argumentis probari potest. Ac primò quidem tam homines quàm animalia dum in Arca fuerunt, non dedisse operam generationi, communis est Christianorum iuxtà Hebræorumque sententia. Deinde cùm Moses capite vndecimo significet Chanaan fuisse postremum filiorum Cham: si Chanaan esset natus in Arca, ergo alij fratres eius geniti essent ante diluuium, plures igitur quàm octo ingressi essent in Arcam, quod est contra sacram Scripturam capite septimo Geneseos. Ad hæc, capite octauo, octo tantùm numerantur egressi ex Arca, fuissent autem no uem, si Chanaan fuisset in Arca natus. Adiice quod Moses capite decimo tradit non nisi post diluuium tribus filiis Noë natos esse liberos, & Ambrosius affirmat, etiam cùm Noë maledixit Chanaan propter scelus Cham, non fuisse tunc genitum ipsum Chanaan.

Ambroſ. de Noë & Arca cap. 30.

219 BEATVS Ambrosius cur Moses hoc loco Cham nominauerit patrem Chanaan, hanc reddit rationẽ: *Ad coaceruandum*, inquit, *delictum ipsius Chã, addita eius est generatio, qui cũ haberet filium & pater esset, solus ipse patrẽ nõ cognouit, qui magis cognoscere debuisset: & ideo improbũ habere meruit filium, quia improbus ipse fuerat patri. Simul & illud significatur, ex illo Chanaan fuisse Chananæos, qui post multas generationes à populo iusto*

Idem ca. 28. eiusdẽ libri.

oppressi

oppressi cesserunt in eius possessionem. Auctorem ergo Chananęorum fuisse Chanaan, manifestum est, qui fuit filius huius Cham qui impius in patrem extitit.

IVXTA dictū hoc Ambrosij est quod subiiciam. Propositū Mosi 120
erat inscriptione huius historiæ, originem, incremēta, & res Hebręorum potissimum exponere: quippe ex omnibus mundi gentibus hunc sibi Deus populum delegerat cui etiā erudiendo omnis hæc scriptura Mosis destinabatur. Hebræis porrò assignaturus erat Deus in habitationem ac possessionem terram Chananæorum iure ademptam illis propter intoleranda eorum scelera, vt traditur & hoc libr. capit. 15. & Leuitici cap. 18. Quamobrem hic describitur initium peccati Chananæorum, quod fuit irrisio & contumelia aduersus patrem Noë, filij eius Cham, vnde originem traxerunt Chananæi, propter quam contumeliam, posteritas Cham per filium eius Chanaam propagata, Dei maledictione percussa & pœna seruitutis punita est.

Admirabilem fuisse propagationē humani generis ex trib. illis filijs Noë. Chrysostom. homil. 29. in Genes.

CHRYSOSTOMVS perpendens verba illa Mosis de tribus il- 121
lis filiis Noë: *Ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram,* vehementer admiratur & magnificat Dei prouidentiam atque omnipotentiam, per quam factum est vt ex solis tribus hominibus propagatio generis humani & innumerabilium hominum multiplicatio vsque ad hunc diem continuata fuerit, & vsque in finem mundi perpetuanda sit. Etenim considerare oportet tres tantum eo tempore fuisse homines, terramque penitus desolatam, efferatamque, bestiis passim nullo metu vagantibus, vacuamque iis rebus omnibus quæ ad vitæ humanæ cultum & præsidium faciunt iis, quoque remediis quæ præcauendis corporum morbis aut sanādis auxiliari possunt. Denique multa quotidie in tali orbis statu interuenire poterant, quæ vitam eorum hominum ante generationem prolis extinguerent, vel generatam prolem abolerent. At nihil horū impedire potuit id quod Deus promiserat & constituerat: vsque adeo fuit efficax benedictio quam Deus hominibus illis impertiuit, potensque verbum illud quod dixit eis: *Crescite & multiplicamini & replete terram.*: cuius verbi efficacitas in occasum vsque mundi mansura est.

Ingens miraculū tāta propagationis per totum orbem Fidei christi.

SIMILE *quidam*, ait Chrysostomus, *animaduertere & admirari licet* 122
in fide Christiana. Cum enim eam nascente reges, tyranni, populi, sapientes opprimere quoquo modo conati sint, tāta pietatis tamen flamma erupit, vt totum orbem habitatum & inhabitatum pernaserit, Etiamsi ad Indos abeas, ad Scythas, ad Oceanum vsque, denique ad fines orbis terræ, vbique reperies Christi Fide illustrari hominum animos. Hoc admirabile est ac stuporis plenum, quod effera barbarorum corda demulsit, didicerunt que philosophari, & abiecta pristina cōsuetudine ad pietatem traducti sunt. Et sicut per tres Noë filios genus hominū multiplicauit Deus, ita per vndecim piscatores illiteratos atque idiotas qui neque os aperire audebant, omnem sibi orbem conciliauit ac subiugauit. Et illi quidem idiotæ philosophorum obturauerunt ora, & percurrerunt orbem, quasi alati seminātes veritatis sermonem, & spinas veterum affectionum

vellentes, Christique leges vbique ferentes: Et neque quod pauci essent, neque quod priuati & illiterati, neque quod austera & insolita docerent, neque quod veteri consuetudine sentiendi & agendi homines præuenti essent impedimento illis esse potuit: Sed prauia Dei gratia remouente obstacula magna facilitate operata sunt omnia, per ipsa obstacula maiorem accipientes alacritatem.

Cœpitque Noë vir agricola exercere terram & plantauit vineam.

HEBRAICE ad verbum est: *Et cœpit Noë vir terræ, & plantauit vineã.* Vbi duplex Hebraismus est, alter, vir terræ pro, culturæ terræ dedit°, & vt Latinus interpres vertit
113 agricola: alter, cœpit, & plantauit, pro, cœpit plantare, Sed quomodo verum est, Noë primum omnium cœpisse excercere terram & agricolã agere? nonne statim ab exordio mundi Adã agricola fuit, & post eum Cain? Sed intelligere oportet Noë fuisse primum omnium post diluuium. Vel fortasse Noë auctor fuit agriculturæ? inuenta ratione exercendi terram per animalia, id est, vomere arandi: nam antea suis manibus terrã fodiebant & colebant homines: Sequitur: *Et plantauit vineam.* Non est dubitandum quin ante diluuium fuerint vites, & in exortu mundi inter alias stirpium species à Deo procreatæ sint. Sed tunc non erant in vsu hominibus, nisi fortasse ad esum vuarum, ad potum autem vini minime. Vini autem ex vuis exprimendi, & ad potum accommodandi princeps inuentor fuit Noë, primúsque vites sparsim satas in vnum locum & in formam vineæ compoluit; & idcirco primus vineæ sator verè dicitur.

114 SED vnde vites habere potuit omnibus terræ satis per diluuium corruptis? Respondet Ambrosius, post diluuium corruptarum radices vitium verno tempore repullulasse modico humore & calore fœcundata terra, & his vitibus vsum esse Noë ad conficiendam vineam. Tostatus ait, sponte quidem terra exortas esse vites, sed siluestres, labruscarum potius quàm vuarum feraces; verùm ex illis Noë abscissos palmites optimæ terræ inseruisse, conuenientíque cultura, agresti vi mitigata, ad optimarum vuarum procreationem per-
115 duxisse.

Ambros. de Noë & Arca cap 23. Tostatus.

SED cur tam cupidus fuit Noë bibendi vini, cuius potu sexcentis ante annis caruerat? Respondet Chrysostomus, bene notum fuisse ipsi Noë, quantam vim haberet vinum leniendi mœrore & tristitiam animi, sanandi morbos, roborandi vires, animóque languenti vigorem & alacritatem addendi. Et quia post diluuium multa erant quæ tristitiam adferrent homini, & ipsa homini, natura imbecillior magisque obnoxia morbis erat facta, meritò quamprimum vinum habere studuit tanquam humanæ vitæ solatium, remedium & firma-

Cur Noë post diluuium cupidus fuit bibēdi vini, quo per sexcentos annos ante caruerat.

Chrys. ho 26 in Genesim. Plin libr. 14. Ambros loco citato.

mentum. Verissimum enim est quod dixit Plinius: *Quemadmodum modico vini nihil humano corpori vtilius est, ita nihil esse corpori pariter atque animo perniciosius, si vini modus absit.*

MIRATVR Ambrosius, cur Noë non prius quæsiuit tritici fructum quàm vinum, siquidem tritici vsus necessarius homini est, vini autem minimè, sed potius superfluus & voluptuarius. Respondet ipse, Noë cùm esset vir iustus, inuentionem rerum necessariarum Deo attribui voluisse, eorum verò quæ non sunt necessaria, sed magis ad commoditatem aliquam voluptatemve conferunt inuentum homini attribui, non inconueniens putasse. Sed illud videtur probabilius responsum, tritici vsum etiam ante diluuium fuisse notissimum hominibus, non item vini. Nec credibile non est, ante omnia tritico aliisque rebus necessariis studium & curam impendisse Noë: verùm præcipuè vitium & vini mentionem esse factam, quòd vini potum consecuta fuerit Noë ebrietas, ebrietatem nuditas eius, nuditatem derisio Cham, irrisionem maledictio illius in filio Chanaan & tota eius posteritate, cuius posteritatis, id est, gentis Chananæorum, maledictionem potissimum voluit Moses hoc loco præsignificare. 126

Berosus Annianus.

SIMILIA huic historiæ Mosis tradit etiam Berosus: cuius scripta licet, ficta & nulla fide digna putem, attamen, vt dixit in exordio libri octaui horum Commentariorum, propter multos nostræ ætatis viros doctos, qui scriptis illis vehementer oblectantur, nec illis non credere in animum possunt inducere, vbicunque ille similia Mosi scripsit vel contraria, libuit ea suis locis commemorare ac refellere. Quod igitur ad hanc historiam pertinet, sic ille scribit libro tertio: *Noë priusquam discederet ex Armenia, vbi primo post diluuium considerat, docuit illos simplicem agriculturam, primúsque omnium inuenit vites atque plantauit, & vinum conficere docuit. Quam ob causam ferunt ab Antiquis appellatum Ianum, id est, Viniferum, vocabulum originem duxit ex voce Hebræa Iaiin, quæ significat vinum.* Sic ille. Nec illud prætereundum est verba illa, *Cœpit exercere terram*, habere emphasim significari enim post diluuium operosius & laboriosius fuisse terram colere quàm antea, idque propter malignitatem terræ quæ diluuio valdè corrupta fuerat nec non, & propter minus benignum stellarum aspectum & defluxum, denique propter maiorem hominis infirmitatem, pluriúmque rerum indigentiam, 127

VERS. 12.

Bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo.

Cur Moses narrauit ebrietatem Noe, & pudenda in eius nuditate.



VM hoc factũ Noë vel insigne intẽperantiæ eius peccatum, vel ertorẽ impudentiæ, vel certè probrũ quoddam & dedecus famæ eius continere videatur, cur id Moses memoriæ prodere, & literis semper mansuris consignatum, commendare immortalitati voluit? Primum, vt ex 128

hoc

hoc etiam appareat quanta sit sacræ historiæ simplicitas & sinceritas, nihil dissimulantis, sed omnia, mala æque ac bona integrè atque incorruptè narrantis. Deinde in exemplum & documentum eorum qui hæc lecturi erant, vt ex aliis periculum facerent quod sibi ex vsu esset: nimirum, vt vitia & mala in que sanctissimos & sapientissimos viros cernerent esse prolapso, tantò ipsi maiore studio & diligentia cauerent & fugerent, quanto se illis virtute ac prudentia inferiores agnoscerent. Adhæc vt doceret quantum in potatione vini vel per intemperantiam vel per imprudentiam periculum & damnum sit ebrietatis, Namque illud verissimè dictum est à Salomone: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*, innumerabilium nempe malorum parens simul & altrix, Sed illud in primis Mosi propositum fuit, indicare primam originem damnationis gentis Chananæorum, contumeliam scilicet patris eorum Cham, qua is parentem suum Noë propter ebrie- *Prou. 20.*
129 tatem, nuditatis pudendis iacentem, affecit.

Quinque causæ cur Noe lapsus fuerit inebrietate.

A T enim, quomodo Noë, vir nempe temperantissimus & sanctissimus in tam turpem & probrosam temulentiam lapsus est? Equidem possum quinque causas eius lapsus afferre. Primùm enim vini potentiam ignorabat, nunquam antea potum vini expertus; nec eam ex iis qui bibissent cognitam habebat: ergo per imprudentiam, vino deceptus & captus est. Deinde per sexcentos annos assueuerat aquam bibere nunquam degustato vino; primus igitur vini potus eum vt insuetum, animo & mente conturbauit. Ratione enim & experimentis constat facilius inebriari minimè suetos vino. Adhæc, largiùs bibit ignarus debitæ mensuræ, ratus parem in potu aquæ atque vini esse vim. Quarta causa ebrietatis fuit ingrauescens iam ætas & annosa, sexcentos videlicet supergressa annos. Athenæus libro decimo testem laudat Aristotelem, qui in libro de ebrietate scribit, vinum modicè decoctum, potu minus inebriare, quòd eius vis coctura fiat imbecillior. Idem præterea tradit seniores inebriari citissimè ob paucitatem ac debilitatem sui caloris ab eo qui accedit ex vino, facile denicti. Quam ego causam puto cur non similiter atque Noë, filij eius inebriati sint: nam eos quoque bibisse vinum non est dubitandum? sed ætatis robore ac vigore prævalentes aduersus vinum, vim eius frangere ac
120 superare potuerunt.

Athenæus.

Senectus magis obnoxia ebrietati.

Aristoteles.

R E S T A T quinta causa ebrietatis Noë, hæc est, ignoratio modi quo bibendum est vinum: non enim bibendum est merum, sed multa aqua permistum ac dilutum: quod veteres per ænigma significarunt, fabulati altrices & educatrices Bacchi fuisse Nymphas. Narrat item Athenæus, morem fuisse apud veteres iuxta Bacchum aram Nymphis extruere; quo significabatur, bibituros vinum, admiscendæ aquæ memores esse debere. Idem scribit laudatam fuisse apud antiquos eam vini & aquę mixtionem ac temperationem, in qua tanto plus aquæ esset quàm vini, quantum quinque excedunt duo: atque inde natum fuisse prouerbium (*Bibe quinque & duo*) nisi fortasse

Athenæus.

eo significabatur, pro duobus cyathis vini exhauriendos esse quinque cythos aquæ. Nominat præterea Palamedem augurem & vatem in primis celebrem, qui vaticinatus est feliciter nauigaturos ex Græcis illos qui tres aquæ cyathos cum vno vini bibissent.

Ex his igitur palam est, quomodo Noë per imprudentiam incide- 131
rit in ebrietatem. Sed audi quæ ad confirmationem eorum quæ di-
Theodoretus. ximus, breuiter scribit Theodoretus quæstione 65. in Genesim: *Ab inexperientia*, inquit, *profecta est ebrietas Noë, non ab intemperãtia. Nam ille primus hominum compressis vuis, ignorans non solum quantũ esset bibendum, sed etiam quomodo, nempe aqua temperatũ, incidit in ebrietatem.* Quod verò nudatus est, nihil noui pertulit. Etenim etiam nunc quidam dormientes nudantur, somno sensum eripiente: cùm verò etiam somno accedit ebrietas, multò magis cognoscendi facultas deperditur.

Ebrietatem Noë caruisse peccato.

CETERVM ex supradictis tria licet colligere. Primum quidem, ebrietatem Noë excusandam esse ab omni peccato. Tunc enim peccatum est ebrietas, cùm est voluntaria: voluntariam dico non per se sed in causa ipsius. Nam cùm tam turpis & pernicioſa sit ebrietas, cui obsecro voluntaria & optabilis esse potest? Sed immoderatus vini potus qui causa ebrietatis est, per se optatus & electus est. Præoptãt enim qui vino indulgẽt, breui illa bibẽdi dulcedine & voluptate frui, quàm ebrietatis malo vacare: itaque scientes ac volentes id faciunt, vnde secuturum esse ebrietatis vitium & mala non ignorant. Ebrietatem porrò Noë fuisse prorsus inuoluntariam, vt quæ profecta sit ex ignorantia planè excusabili, ex superiori disputatione nostra manifestum est, Chrysostomus homil. 29 eò probat ebrietatem Noë non ex intemperantia sed ex ignorãtia accidisse, quòd nunquam postea in eam relapsus est: neque enim id tacuisset & scriptura, sicut hanc vnam eius temulentiam non siluit. 133

HINC quoque illud patet, ante diluuium vini potum non fuisse in vsu apud homines: nam si fuisset, multi tunc immoderato eius potu in temulentiam incidissent. Sunt enim omni tempore plerique mortalium cibi, potus, aliarumque voluptatum incontinentes. Noë igitur vel per se, vel aliorum exemplo potentiam vini & effectus eius cognitos habuisset; simul & cognouisset quomodo, quaque mensura bibendum esset, ne tumulentiam afferret. Cùm igitur vir esset temperantissimus, nunquam ex bibendo vino lapsus esset in ebrietatem. Quod autem diximus, ante diluuium non esse homines vsos potu vini, vt manifestum certumque vsurpat Hieronymus, tum alibi, tum libro primo aduersus Iouinianum, ita scribẽs *Christus*, inquit *Ego sum Alpha & Omega, & ante diluuium quidem nec fuit vsus carnium nec repudium vxorum, nec circuncisio, nec potus vini. Postquam autẽ Christus venit in fine temporum, & O reuoluit ad A & extremitatem retraxit ad principiũ, nec repudium nobis dare permittitur, nec circuncidimur, nec comedimus carnes, nec bibimus vinũ, dicẽte Apostolo: Bonum est vinũ nõ bibere, & carnes non comedere. Vinum igitur cum carnibus post diluuiũ dedicatũ est.* Sic ille.

Ante diluuiũ vini potũ non fuisse in vsu.

B. Hieron. Apoc. 1.

Rom. 14.

134 ILLVD denique obseruandum hoc loco est, ebrietatē semper esse malam,& magnum quidem esse malum, etiam cùm sine culpa contingit: nam si aliquando caret crimine, nunquā tamen vacat damno vel corporis, vel rei familiaris, vel famæ suæ, vel alienæ: & vt alia desint, illud nunquam abest, confusio animi, perturbatio mentis,& quasi breuis quædam insania. Verè dixit Chrysostomus, ebrietatem voluntarium esse dæmonem, quin etiam detestabilem & odiosiorem dæmone. Sæpè enim dæmoniacum hominem cùm videmus, miseratione afficimur & condolemus: contra verò, inuisos & exosos habemus ebrios, indignamur illis, nec vlla misericordia, sed maximo potius dignos supplicio iudicamus. Cur hoc? quia qui à dæmone agitatur inuoluntariè facit quicquid facit, etiam si recalcitret, si rumpat vestem, si obscena loquatur, si percutiat ac feriat, nihilominus venia dignus est. At qui ebrius est de his quæ facit, non videtur dignus venia, sed vituperatur & accusatur non ab inimicis & alienis tantùm, sed à vicinis, familiaribus & amicis, quia sponte ac sua voluntate id se viti um demersit ipse,& ebrietatis tyrannidi se ipsum dedidit. Nec minus Ethnicis hominibus quàm Christianis damnata semper & execratafuit ebrietas.

De malo & dāno ebrietatis.

Ebrietas secundū Chrysostomum, dæmon voluntarium.

135 MVLTA & præclara reperiet lector apud Athenæum libro decimo, huius rei & exempla & documenta. Ego vnius Plinij paucula quæd am verba, sed planè aurea hic apponam. Loquitur ille de temulentis, *Alij*, inquit, *morbifera loquuntur, redituraſque per iugulum voces non continent, quam multis ita interemptis. Vulgóque veritas iam attributa vino est. Interea vt optime cedat, Solem orientem non vident, ac minus diu viuunt. Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus labantesque pedes & (quæ fit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna. Præmiumque summū ebrietatis, libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omnium obliuio, morsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cùm priorem diem quotidie perdant, illi verò & venientem.* Sic Plinius.

Athenæus. Plin. li. 16. c. 22. de malae brietatis egregia sententia.

136 SED me casus Noë ingenti admiratione simul & commiseratione afficit. *Bibénsque vinum* (scribit de eo Moses) *inebriatus est.* Ac ne putaret quispiam vocabulo ebrietatis significari hoc loco, vt sæpè alias in sacris litteris, largam & copiosam vini potationem quæ hilaritatem afferat, non auferat mentem, nec rationis ac sensuum integritatem lædat: protinus adiecit: *Et nudatus est in tabernaculo suo*: haud dubiè indicans, tali Noë fuisse oppressum ebrietate, vt mentis compos non esset, & idcirco suæ ipsum nuditas ac turpitudinis minimè puderet. O turpe, O miserandum simul & auersandum spectaculum Ergo, Noë, sexcentorum annorum æuo summè reuerendus ac venerabilis, alterque humani generis parens, nec sobrietatis tantum ac tēperantiæ, verùm consummatissimæ virtutis & sanctimoniæ præconio laudatus à Mose, prostratus humi iacet fœdissima corporis nuditate, similisque amenti, nec ab alienis, sed à proprio filio irrisus

Exaggeratur indignitas casus Noë.

atque illusus contumelioseque tractatus. Verum perpendamus quæ deinceps sequuntur.

VERS. 22.

Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras

Diuisio hominũ inbonos & malos quàm sit antiqua, et vnde originẽ ducat.

QVEMADMODVM statim post ortũM ũdi, in duobus illis fratribus Cain & Abel genus humanum diuisum est 137
in duas quasi societates & communitates hominũ, alteram bonorum, imitantium Abel: alteram improborum, quorum princeps & magister fuit Cain: vnde originem traxerunt duę ciuitates, altera Dei, altera Diaboli, multum à B. Augustino celebratæ: Ita quoque statim post Diluuium eadem hominum diuisio ac separatio renouata est in duobus filiis Noë Cham & Sem. Quæ quidem hominum varietas licet ex propriis eorum studiis, moribus, factis meritisque oriatur, occultissimo tamen & æquissimo Dei iudicio etiam ordinatur, & ad maiorem ipsius gloriam dirigitur. Nimirum vt præclarè disputat Paulus: In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea ac fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam: & in his illustris fit declaratio partim iustitiæ, partim misericordiæ diuinę: aduersus enim vasa contumeliæ aptata in interitum ostẽdit Deus iustitiam & potentiam suam: aduersus autem vasa honoris præparata in gloriam, demonstrat diuitias bonitatis & misericordiæ suæ, cuius rei specimen quoddam hoc loco datur in duobus filiis Noë.

2. ad Tim. 2. & ad Rom. 9.

Cur hic appelletur Chã pater Chanaan, tres causæ.

VERVM illud quæstionẽ habet non tacitam à Patribus, cur Moses narraturus impudentiam (sed verius dixerim impietatem) Cham 138
aduersus patrem suum Noë, non satis habuit nominasse eum proprio ipsius nomine Cham, sed adiunxit nomen filij eius Chanaan, dicens, *Cham pater Chanaan*: quid enim attinebat commemorari filium ipsius Cham, & hunc præcipuè filium, qui aliorum erat minimus natu? Soluitur quæstio allatis tribus causis cur id factum sit. Primam causam tradunt Ambrosius & Theodoretus: aiunt significasse Mosen, maximam fuisse inter patrem & filium improbitatis & impietatis similitudinem: neque Cham tam natura quàm vitiis & sceleribus simillimum sui genuisse filium Chanaan: neque hunc Chanaan tam paternæ naturæ quàm impietatis & prauitatis expressam imaginem retulisse. Ergo quia Cham dissimilis fuit patris sui suorúmque fratrum, non illius filius, nec frater horum nominatur: quoniam verò expressissimã suæ malitiæ imaginem effinxit generando filium Chanaan, idcirco nominatur propriè pater Chanaan. Altera fuit causa: quod maledictio & pœna propter scelus Cham, infligenda ei erat in filio eius Chanaan, indéque ad posteritatem eius, gentem dico Chananæo

Ambros. lib. de Noë, & Arca ca. 30. Theodoretus quæst. 17. in Genesim.

nanæorum, deriuanda. Vt hoc igitur indicaret Moſes,& ad id conſiderandum,eorum qui hęc legerent, animos aduerteret,conſultò nominando Cham appellauit eum patrem Chanaan.

139 TERTIA cauſa traditur ab Hebræis,eámq; breuiter ad hunc modum cõmemorat Theodoretus,*Quidã*,inquit, *Hebræus aiebat,primum omnium Chanaan verenda aui ſui vidiſſe,ſuóque narraſſe patri non ſine Noë irriſione atque illuſione. Debuerat autem Cham,ſimiliter vt fratres eius fecerunt, non modo ad ſpectandum patrem nõ accedere,ſed etiam grauiter filium obiurgare. At enim & ipſe quoque videre voluit,& quod viderat,etiam fratribus renuntiare. Et huic interpretationi fidem facit quod proximè ſubiecit Moſes: Suſcitatus à ſomno ſuo Noë, cognouit quæcumque fecerat ei filius ſuus iunior. Quis erat iſte filius iunior? non Cham,quippe qui generationis ordine inter Sem & Iaphet medius erat. Verum quoniam aui nõ tantum nepotes,ſed omnes etiam qui longa ſerie ex his naſciũtur,filios appellare ſolent,idcirco ſcriptura ſignificat,Chanaan nepotem Noe minimũ,cognitum eſſe à Noë ſceleris eius auctorem fuiſſe. Cuius rei magnum & illud eſt argumentũ,quod Noë maledictionem ſuam, & quaſi admiſſi ſceleris ſupplicium in Chanaan potiſſimũ contulit.* Sic Hebræi referente Theodoreto. *Teodoretus.*

140 SEQVITVR:*Verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata.* Sic appellantur partes humani corporis naturaliter deſtinatæ ac ſeruientes generationi prolis,quod prę ceteris omnibus membris magno hominem rationę vtentem pudore afficiant:ſed cur maximè propter illas partes erubeſcimus? Videlicet propter obſcenos earum motus quibus animus ad res turpes & flagitioſas incitatur:& propter inobedientiam earundem erga rationem, minus enim quàm ceteræ partes obſequuntur rationi, nec eius imperio quaſi freno coerceri & regi facilè poſſunt. Hac autem partium inobedientia præcipuè punita eſt inobedientia primorum hominum erga Deum:nam qui Deo parere noluerunt, iuſto Dei iudicio factum eſt vt ipſi inferiores ſuas partes ſeruitio rationis addictas non tantum inobſequentes ſed etiam rebelles ac vehementer repugnantes ſentirent. Nudi erant primi noſtri parentes, non tamen, priuſquam peccarent,erubeſcebant; quod partes illæ corporis omnino eſſent ſubiectæ rationi, nec vllo turpi & pudendo motu concitarentur:at vbi peccauerunt aduerſus Dei legem, protinus earum partium inobedientiam experti ſunt; cúmque turpes earum motus verecundarentur,nec tamen poſſent comprimere,cùm id maximè vellent, ficulneis ſubligaculis nuditatem & turpitudinem ſuam quamprimũ operire ſtuduerunt. *Cur potiſſimũ illæ partes corporis nominentur pudenda, & vnde eis pudor natus ſit.* *Geneſ. 1.*

141 AVDIAT lector quid in hanc ſententiam ſcribat Auguſtinus: *Merito*,inquit,*huius libidinis nos maximè pudet, meritò & ipſa mẽbra,quæ ſuo quodã illa iure non ad arbitrium noſtrum mouet,pudenda dicantur, qualia ante peccatum hominis non fuerunt. Nam vt ſcriptum eſt,Nudi erant,& non erubeſcebant:non quod eis ſua nuditas eſſet incognita,ſed quia turpis non erat illis nuditas: nondum enim libido membra illa præter arbitrium commouerat: nondum, ab hominis inobedientiam redarguendam ſua inobedientia* *Auguſt. libr 14. de ciuit Dei cap. 17 & 20.* *Geneſ. 3.*

caro

earo quoddãmodo teſtimonium perhibebat, nudi erant corpore: ſed induti gratia Dei, qua præſtabatur eis vt membra eorum voluntati repugnare neſcirent. Pudet igitur huius libidinis humanã naturam, & merito pudet: in eius quippe inobedientia, quæ genitalia membra ſolũ ſuis motibus ſubdidit, & poteſtati voluntatis eripuit, ſatis oſtenditur quid ſit illius primi hominis inobedientiæ retributum: quod in ea parte corporis maximè opportuit apparere, qua generatur ipſa natura, quæ illo primo & magno in deterius eſt mutata peccato. A cuius nexu nullus eruitur, niſi id quod in communem pernicient omnium perpetratum eſt, & Dei iuſtitia vindicatum, Dei gratia in ſingulis expietur. Sic Auguſtinus. Eſt autem earum partium pudor adeo naturalis homini, vt earum aſpectũ & auerſentur omnes, & ſi caſu illæ patuerint aliorum oculis erubeſcant. *Ex hoc*, inquit, Auguſtinus, *gentes vſque adeo tenent inſitum pudenda velare, vt etiam barbari illas corporis partes, nec in balneis nudas habebant, ſed cum earum tegumentis lauentur.* Per opacas quoque Indiæ ſolitudines cùm quidam nudi philoſophẽtur, vnde Gymnoſophiſtæ nominantur: adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cetera membrorum carent.

142

Cur nos iſtarum partium pudeat potius quàm aliarum.

SED cur iſtarum partium pudet non potius quàm aliarum, etiam cum illæ irrationali & vitioſo motu concitantur? Exempli cauſa, cùm ita excandeſcimus igneo rubore inflammatur vultus, eminent oculi, diſtorquetur os, præpeditur lingua, ſermo confuſus eſt, immoderatus egreſſus, nec tamen propter hæc quæ tam vitiosè fiunt, ita erubeſcimus, vt propter aſpectum vel motum, etiam minimè vitioſum partium genitalium. B. Auguſtinus cauſam huius rei tradit, quod in ira vel aliis perturbationibus motus membrorum tametſi vitioſi, ferè tamen pendent ex imperio voluntatis: at verò iſtarum partium motus tametſi vitio careant, voluntatis tamen imperio nec reguntur nec mouentur. *Quod autem iræ opera*, inquit, Auguſtinus *aliorumque affectionum in quibuſque dictis & factis non ſic abſcondit verecundia, vt opera libidinis quæ ſunt genitalibus mẽbris, quid cauſæ eſt, niſi quia in ceteris membra corporis non ipſæ affectiones tã mouent, quam eis conſentiens voluntas quæ in vſu eorum omnino dominatur? Nam qui verbum dicit iratus vel etiam aliquem percutit, non poſſet hoc facere, niſi lingua, & manus iubente voluntate moueretur: quæ membra, etiam cum ira nulla eſt, eadem voluntate mouẽtur. At verò genitalia libido iuri ſuo mancipauit, vt moueri nõ valeant, ſi ipſa defuerit, & niſi ipſa vel vltro, vel excitata ſurrexerit. Hoc eſt quod pudet, hoc inmentium oculos erubeſcendo deuitat: magiſque fert homo ſpectantium multitudinem: quando inuſtè iraſcitur homini, quàm vnius aſpectum quando iuſtè miſcetur vxori* Sic Auguſtinus.

Auguſt. hap. 19. eiuſdẽ libr.

143

ATQVE hinc extitit illud inteſtinum nec minus metuendũ quàm pudendum, nec niſi morte finiendum carnis & ſpiritus diſſidium & bellum: de quo Paulus, *Caro*, inquit, *concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem, hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis.* Hinc illa eiuſdem miſeranda querela, & lamentabilis exclamatio: *Video aliam legem in membris meis repugnãtem*

Galat. 5.

legi

legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Non est silendum, pro illo *Verenda patris sui*, in Hebræo esse nuditatem, quæ vox crebrò vsurpatur Leuitici 18. vbi pro ex Latina lectio habet vocem hanc, *turpitudo*. Considera igitur quam honestè ac pudicè lingua Hebræa inhonestas ac pudendas corporis nostri partes appellet. Vidit igitur Cham verenda patris sui, neque casu vidit, imprudèter in eum incurrens aspectum, sed substitit ad videndum, sciens & volès aspexit, otiosè & attentè spectauit, impudenter irrisit. O hominum nequam in quem vetus illud verbum rectè dicatur.

Mala mens malus animus.

144 BEROSVS Annianus hanc historiam narrans, multa de suo addidit: *Cham*, inquit, *Noë filius fuit magicæ & venificæ arti studens, vnde Zoroaster nomen consecutus est. Is patrem Noë oderat, quod non solum ab eo minus ceteris fratribus diligeretur, verum etiã despiceretur, sed præcipua odij causa erat dissimilitudo studiorum & morum. Itaque nactus oportunitatem, cùm Noë temulentus iaceret, eius virilia manibus comprehendens, taciteque submurmurans, carmine magico illusit patri, eumq; sterilem, non secus ac si esset castratus, effecit. Quocirca post id temporis Noë nullam fœminam potuit fœcundare.* Hæc ille. *Berosus. Annian.*

145 APVD Cassianum Serenus Abbas in Collatione 8. cap. 21. tradit Magicarum superstitionum & præstigiarum primos auctores & magistros fuisse malos Angelos quondam cum mulieribus mixtus: earum verò artium studiosissimũ & petitissimum fuisse Cham filium Noë, qui eas artes, ne diluuio perirem, diuersorum metallorũ lamis & durissimis lapidibus insculptas conseruauit, & post diluuium eas docuit posteros suos & per orbem disseminauit. Horum similia scribit auctor Historiæ Scholasticæ: *Ninus*, inquit, *vicit Chã qui adhuc viuebat & regnabat apud Bactrianos, vel vt placet alijs in Thracia, & appellabatur Zoroaster inuentor Magicæ artis: qui & hanc & septem liberales artes in quatuordecim columnis scripsit, septem æneis, & latericijs contra duplex orbis excidium quod futurum audierat, alterum per aquam, alterum verò per ignem. Ninus autem libros eius cõbussit.* Sic ibi. Quæ si vera sunt, nemini mirum videri debet, Cham tam ingratum, impudentem & impium fuisse aduersus patrem suum Noë; cuius videlicet animus non tantum humanis flagitiis contaminatus, sed etiam diabolicis magicarum artium fallaciis & erroribus corruptissimus erat. *Cassian. Genes. 6. Cham Magus, & idem qui Zoroaster. Hist. Scholastica in Gen. cap. 39.*

146 ET *nunciauit duobus fratribus suis foras.* Mosis hoc loco scelus Cham describentis singula verba magnam habent emphasim, vel potius singula graues quædam circunstantiæ sunt, quibus id peccatum vehementer exaggeratur. Primò non alienus quispiam, sed proprius filius aduersus patrem peccauit, deinde aduersus patrẽ sanctissimum virum Deóque charissimum, summáque reuerentia & veneratione dignum, & cuius virtutum domesticis eruditus exemplis bonum amare, & malum quodlibet, nedum tantum scelus, odisse & auersari

debuerat. His accessit summum ingrati animi crimen, quod non semel tantum ab illo per generationem spiritum vitæ & vsuram lucis acceperat, sed propter eum maximè à diluuij exitio seruatus fuerat. Illud quoque auget flagitium, quod à Mose appellatur pater Chanaan; cùm enim iam pater esset, merito timere debuit, ne qualem se gereret ipse erga patrem suum, talem quoque filium suum erga se experiretur, nec illum à peccando retardauit primum illud naturæ legis præceptum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Adiice quod nuditatem & turpitudinem patris sciens & libens aspexit cum contemptu, irrisit, diuulgauit, & fratres suos ad eius irrisionem prouocauit. Videsne quanta in vno facto sint crimina?

Cur improbi lapsu bonorũ valde lætentur.

SED cur tantopere Cham tam fœdo & turpi paternæ nuditatis spectaculo lætatus est? Nimirum improbus erat, ideoque rebus improbis gaudebat, & aliorum erratis tanquam criminum suorum solatiis delectabatur. Omnis improbus, inquit Ambrosius, quia ipse deuius disciplinę est aliorum lapsus non solum pro suis erroris solatio accipit, quod consortes inuenerit culpæ; verùm etiam improbo lætatur affectu, tanquam sua ipse delicta correxerit. Mala mens ergo lætatur, præter propositum quippiam alicui accidisse sapienti: cum vtique corporis lapsus in vitio esse non debeat etiam si lapsus putetur, nisi animus quoque inclinetur ad culpam. Etenim venialia iudicanda sunt huiusmodi errata, non odio prosequenda, non habenda ludibrio. Sed mens, vt dixit, improba, cùm putat errasse sapientem, insultandum arbitratur ei, cuius sibi putat mores esse contrarios, eoq; lætandum sibi quod iusto viro, nec eruditio ipsius profuerit, nec iustitia suffragata sit, nec ea quæ secundum corpus sunt, habuerint prosperos cursus. 147

Amb. de Noe & Arca ca. 30

HVC etiam spectat quod in Oratione de Inuidia scriptum reliquit Basilius: *Quemadmodum*, inquit, *vultures ad male olentia feruntur, amœna verò prata & suaueolentia loca præteruolant: & muscæ quod sanũ & integrum est prætereunt, ad morbida & vlcerosa se conferunt: sic inuidi ea quæ in vita clara sunt & gloriosè gesta non respiciunt, ea quæ vilia sunt, attendunt: siquid erratum sit (qualia humana multa contingunt) id publicant, & inde homines cognosci volunt, sicut etiam imperiti pictores à nare distorta, vel à cicatrice, vel alio quopiam vitio, quod vel natura vel morbo interdum accidit, forma eorum qui picti sunt significant, & inde eos cognosci volunt.* 148

Basilius.

* * *

At vero

At verò Sem, & Iaphet pallium imposuerunt humeris VERS. 23
suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda
patris sui: faciesque eorum auersæ erant &
patris virilia non viderunt.

HIs *verbis*, vt inquit Ambrosius, *euidens pietatis expressus est affectus, quod nudatũ amictu patrem boni filij videre cauerunt ne paterna reuerẽtia vel ipso minueretur aspectu: siquidẽ etiã ipso tacito vultu pietas frequẽter offenditur. Vnde etiam Romæ* 149 *vetus fuisse vsus dicitur, ne filij cũ parentibus & maximè puberes intratrent lauacrum.* Hæc Ambrosius. Quod autem ille de veterum Romanorum verecundia indicat, disertis verbis docet Cicero Officiorum libro primo: *Scenicorum*, inquit, *mos tãtam habet à vetere disciplina verecundiam, vt in scena sine subligaculo prodeat nemo: ne si forte corporis partes quædam aperiantur, aspiciantur non decorè. Nostro quidem more cum parentibus puberes filij, cum soceris generi non lauantur.* Hæc Cicero.

Ambro. li. de Noë & Arca cap. 31.

Cicero.

150 OMNINO factum illud Sem & Iaphet fuit tum insigni paternæ reuerentiæ ac pietatis officio, tum illustri significatione castissimi animi & laudatissimi pudoris omnibus sæculis memorandum, nec minori hominum prædicatione atque imitatione, quàm factum Cham vituperatione, & execratione dignum. Etenim nuntiata ipsi à Cham patris sui nuditate, non solùm leuitatem eius non approbarunt, verùm etiam (vt credere par est) vehementer obiurgarunt. Deinde non modo nudum patrem visere noluerunt, sed ne fœditas nuditatis eius plurimum oculis pateret, & inde crescceret patris ignominia, quam suam illi ducebant, quàm ocyssimè ad eum contegendum, retrogrado tamen gressu, ne fortè nuda patris vel per imprudentiam viderent, festinarunt. Itaquè præclara illa monita & documenta de honorandis parẽtibus quæ prodita sunt in libro Ecclesiastici, tot illi sæculis antè diligentissimè custodierunt & absolutissimè præstiterunt. Sic autem est in eo loco: *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filij, & in die orationis suæ exaudietur, & vita viuet longiore. Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his qui se genuerunt. In omni opere & sermone & omni patientia honora patrem tuum vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria confusio, gloria enim hominis ex honore patris sui: Et dedecus filij, pater sine honore. Fili susci pe senectam patris, & non contristes eum in vita illius: Etsi defecerit sensu, veniã da, & ne spernas eum in virtute tua.* Horũ præceptorũ veritatem atque vtilitatem, exemplum illorum trium Noë filiorum abundè cõprobauit.

151 HAVD equidem scio, an paris vel etiam maioris reuerentiæ ac pietatis erga parentes, non quidẽ carnales sed spirituales, vt sunt sacerdotes & Episcopi, fuisse iudicandũ sit, quod fecisse Cõstantinum

Memorabile Cõstãtini Magni exẽplum

De honorādis Ecclesia Christi Prælatis, eorumque tegendis si quæ fuerint, erratis.

Magnum in Ecclesiasticis historiis annotatum est. Cùm interesset ille synodo Nicœnæ, ad quam stabiliendæ Fidei causa trecenti & decem atque octo Episcopi conuenerant: complures libelli Episcopalium contentionum, querelarū, iurgiorum & accusationum referti ad eum delati sunt: quos ille non tantùm legere aut aperire non sustinuit, sed publicè iussit exuri, nefas esse atque impium affirmās, quos Deus ceterorum hominum magistros & iudices & quasi parentes constituit, eorum vt vitia quisquam mortalium publicare, nedum iudicare vel damnare audeat. Ponam hoc loco verba Theodoreti, quibus ille historiā eius rei breuiter exposuit, dignissima enim sunt quæ cum admiratione tantæ illius Imperatoris obseruantiæ ac pietatis legantur. *Porrò, inquit, minimè silentio illud prætereundum arbitror. Erant quidam calumniandi studio flagrantes, qui quosdam Episcopos accusabant, & criminationis libellos Imperatori adferebant. Ille verò eiusmodi libellis acceptis, primùm cū eos vinculos constrinxisset, annuloque suo obsignasset seruari iussit. Deinde cùm concordiam inter eos conciliasset, libellos in medium prolatos spectātibus ipsis igne cremari mandauit, adiecto iureiurando se ne verbum quidem in illis scriptum perlegisse. Nam sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda, ne illo inde causa offendiculi arrepta licentiùs peccare aggrediatur. Quinetiam illud quoque dixisse commemorant, si suis oculis Episcopum alienæ vxori stuprum inferre videret, facinus id nefandum suo paludamento se obtecturum, ne flagitij eius aspectus eos qui ipsum cernerent, vlla ex parte læderet.* Sic Theodoretus. Hanc ipsam historiam plenius expositam reperiet lector apud Ruffimum libro decimo Historiæ Ecclesiasticæ: Vbi etiam ponitur memorabilis Oratio Constantini, qua pius ille Imperator Antistitum Ecclesiæ Christi auctoritatem & dignitatem super omne fastigium sæcularis potentiæ ac dignitatis extollit, Verùm nobis quod suprà ex Theodoreto memorauimus, magis ad rem præsentem facete visum est.

Theod. lib. 1. Histo. Eccles. cap. 11.

Ruffimus.

Notabilis Beati Gregorij sententia quemadmodum subditi erga Prælatorum suorum vitia se gerere debeant. Greg. lib. 25. Moral.

152

BEATVS Gregorius exemplum hoc prudentissimæ pietatis Sem, & Iaphet erga patrem suum diligenter ponderans, secundum Tropologicam interpretationem, (in qua ille semper excellit (pulchrè accommodat ad eruditionem eorum, qui aliorum imperio regūtur, ne fortè Prælatorum suorum vitia aut stultè imitari studeant, aut impudenter irridere, aut etiam contumeliosè publicare audeant. Sic autem scribit: *Si magistrorum vita iure reprehenditur, oportet eos subditi etiam cum displicent, venerentur. Sed hoc est solerter intuendum, ne aut quem venerari debent imitari velint, aut quem imitari despiciunt, venerari contēnant. Subtilis enim via tenenda est rectitudinis & humilitatis, vt sic magistrorum vitia displiceant, vt subditorum tamen mens à seruanda magisterij reuerentia non recedat. Quod benè in Noë inebriato exprimitur, cuius nudata verenda boni filij auersi veniendo texerunt. Auersari quippe dicimus, quod reprobamus. Bonis igitur subditis sic propositorum suorum mala displiceant, vt ea tamen ab aliis occultent. Operimentum auersi deferunt: quia improbantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.* Sic ille.

Euigi

Euigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus iunior.

VERS. 14.

153 SEPTVAGINTA Interpretes nullam fecere mentionem aut significationem somni: Sic enim verterunt hunc locũ: *Et sobrius factus Noë à vino.* At lectio Latina, Hebraica & Chaldaica manifestam habent mentionẽ somni quo propter ebrietatem correptus est Noë. Euigilare enim seu expergisci à vino, apertè declarat præcessisse somnum ex ebrietate natum. Et verò solet ebrietas altissimum adferre somnum. Etenim tribus ex rebus somnus: homini accidit: ex nimio labore ac lassitudine corporis: ex multo cibo, & ex multo vini potu, vini præsertim valdè potentis, & (vt ita dicam) fumantis. Hic enim rebus multi & crassi vapores, vel in stomacho ex cibo potuque creati, vel ex ipso corpore quod immodico labore tenuatum & attritum est, resoluti, subeunt caput, ibique sensum communem originem sensuum exteriorum, eorumque actionum terminum, & quasi centrum quoddam opprimunt & quodammodo ligant: quo fit cessatio sensuum exteriorum à suis functionibus, vndc somnus existit. Ergo euigilasse Noë à vino, non est aliud quàm edormiuisse vinum, & temulentia simul ac somno solutum, ad integrum rationis & sensuum vsum rediisse. Quid autem mirum, patre familiãs tam altè dormiente, inimicum hominum in familia eius zizania seminasse? *Tres causæ somni.* *Matth. 13.*

154 CVM *didicisset quæ fecerat ei filius suus iunior.* Vnde Noë cognouit quæ circa se somno & ebrietate sopitum facta fuerant? Secundum Glossam Interlinearem, nouit ea spiritu prophetico & reuelatione Dei. Sed ad ea cognoscenda non fuit opus diuina reuelatione. Plurium igitur sententia est, facinus Cham notũ fuisse Noë relatu Sem & Iaphet. At enim cogitanti mihi eximiam illorum fratrum bonitatem ac lenitatem animi, vix adducor vt credam eos vltro narrauisse patri scelus fratris sui, veritis scilicet ne & patrem magno mœrore ac dolore, & ingenti aliquo malo fratrem afficerent. Illud igitur credibilius fit, Noë expergescentem cùm vidisset pudenda sua propria veste nudata, & alieno pallio contecta, causam eius rei quæsiuisse ex filiis: atque ita eos ad narrandum quod acciderat, esse compulsos. Sed quis est is quam hoc loco appellat filium minorem, vel vt habent Septuaginta iuniorem? Non desunt qui putẽt significari non Cham, sed filium ipsius Chanaan nepotem Noë. Moris enim est ferè apud omnes, vt aui non solum liberos suos, sed etiam qui ex his procreati sunt, appellent filios suos: appellatur autem Chanaan filius minor, quò distinguatur à Sem, Cham & Iaphet qui fuere maiores & propiores filij Noë

Cur Cham dictus sit filius minor

155 VERVM communis opinio est filium minorem appellari Cham, Sed cur dicitur minor, cum nato maior fuerit quàm Iaphet? vbi-

cunque enim nominãtur hi tres filij Noë, semper Cham memoratur secundus. Ambrosius interpretatur dici iuniorem non ætate sed sensu & moribus. Chrysostomus autem scribit eum quidem fuisse maiorem quàm Iaphet: sed propter scelus admissum contra patrem, fuisse postpositum omnibus fratribus. Idem contigit Esau respectu Iacob, & Ruben respectu Iudæ. Verùm illa mihi videtur simplicior & planior expositio, dici minorẽ comparatiuè, ideſt, minorem quàm Sem. Licet Hebræi contra sentiant, arbitrantur enim Sem fuisse minimum omnium, præpositum autem eum cæteris fratribus propter sanctitatis eius præstantiam, & propter dignitatem generis quod ex eo ductumest, Patriarchas dico, Reges & Prophetas, vniuersúmque populum Hebræum. Quanquam, cùm simpliciter & præcisè dicatur filius minor, videtur intelligendum, fuisse minorem ceteris fratribus, & idem valere hoc loco minorem atque minimum: præsertim cùm Hebræi careant comparatiuis. Verùm de ordine generationis filiorum Noë & superioribus libris nonnihil dictum est, & proximè sequenti libro disputabitur.

Ambros. de Noë & Arca cap. 31. Chry. ho. 26. in Geneſim. Geneſ. 27. Infra. 49.

156

Aug. lib. 16. de ciuit. Dei cap. 2.

BEATVS Augustinus ex significatione vocabuli Cham, quod, vt interpretatur ipse significat calidum siue feruidum, ostendit Cham fuisse figuram hæreticorum, ita scribens: *Cham porrò qui peccauerunt caliditus, medius Noë filius, tanquã se ab vtroque discernens, & inter vtrúmque remanens, nec in primitijs Israëlitarum, nec in plenitudine Gentium, quiè significat nisi hæreticorũ genus calidium non spiritu sapientiæ, sed spiritus vertipellis astutiæ quo solent Hæreticorum feruere præcordia & pacem perturbare sanctorum? Sed hæc in vsum cedunt proficientium, iuxta illud Apostoli: Oportet hæreses esse, vt probati manifesti fiant in vobis. Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint, & considerantur diligẽtius, & intelliguntur clarius & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio,* Sic Augustinus.

1. Cor. 11. Quæ vtilitas ex Hæreticis accidat Eccleſiæ Catholicæ.

157

Ber. Ann. 3. De enormi improbitate atque impietate Cham.

BEROSVS verò Annianus huius Cham multiplicem atque enormem improbitatem paucis verbis cõmemorat. *At verò, Cham,* inquit, *cùm publicè corrumperet morale genus, asserens & exemplo suo docens congrediẽdum esse, vt ante diluuium fiebat, cum matribus, sororibus, filiabus, masculis & brutis: & ob hoc electus est à Iano (Noë) pijssimo & castissimo viro, fortitusq; est cognomentum Esen Enua: Significat autem Esen apud Scythas Aramæos, infamem & impudicum: Enua verò incubum & propagatorem. Huius Cham pestifera dogmata secuti sunt Ægyptij, fecerunq; illum sibi inter deos Saturnum adolescentiorem: & ciuitatem illi ædificarunt dictam Chem-min, id est, Cham vrbem: cuius vrbis eius ad hanc vsque ætatem appellantur Chemina. Verùm posteriores Ægyptij, nefandas illas commistiones abiecerunt, retento quod fuerat primi moris: vt inter fratres & sorores coniugia iniri possint.* Sic ille Berosus.

Male

Maledictus Chanaan.

VERS. 25.

TRANSLATIO Septuaginta Romæ nuper emendata sic habet: *Maledictus puer Chanaan*, quam lectionem etiam Chrysostomus & Augustinus secuti sunt, Hanc lectionem si amplectimur, non est dubitandum nobis
158 quin Chanaan iam eo tempore natus fuerit, quo hæc locutus est Noë: non enim, si natus non fuisset, & proprio homine eum appellasset, & puerilem eius ætatem denotasset Noë. Verùm etsi non legamus vocabulum pueri, quod nec Hebraica nec Chaldaica nec Latina habent, nihilominus tamen probabile est iam tum natum fuisse Chanaan: quomodo enim Noë nondum nato maledixisset? Scio Origenem, Ambrosium & Rupertum contra sensisse. Sed mihi quod dixi, similius vero est. Itaque quod hoc loco narrat Moses de ebrietate Noë, & maledictione Chanaan, post diluuium contigit minimùm annum decem: siquidē tum Chānaan iam erat puer, & alios tres fratres natu maiores habebat. Ceterùm vox illa, *maledictus*, vt interpretatur Theodoretus & alij, non continet operationem & imprecationem mali, sed propheticam prædictionem eorum quę ventura erant posteritatis eius. Nec debet subintelligi verbum, *sit*, sed verbum *est*, vel, *erit*, hoc intellectu: Maledictus est, scilicet in sua posteritate, secundum æternam Dei prædestinationem & ordinationem: vel, Maledictus erit, scilicet suo tempore, quo tempore Dei ordinatio ad effectum veniet. Adiuuat hanc expositionem quod proximè subiungitur: *Seruus seruorum erit fratribus suis.*

Chrysost. hom. 29. in Genes. Augustin lib. 16. de ciuit. Dei. cap. 2. Orig. hom. 10 in lib. Num. Ambros. li. de Noë & Arca cap. 30 Rupert. lib. 4 Commentar. in Gen. c. 37 Theodoret.

159 QVOD si quis omnino vellet orationem Noë continere imprecationem mali: nec ea interpretatio non optimam habet sententiam. Noë enim imprecatur malum filio suo non impatientia acceptæ ab eo iniuriæ, nec ardore vindictæ; sed sanctissimo Zelo iustitiæ. Scilicet imprecatur ei malum sceleribus eius meritum ac debitum; nec sine Dei incitatus & afflatu, cuius hanc esse voluntatē & decretū nō ignorabat. Magnā porrò vim habet tam benedictio quàm maledicti o patris in bonum & malū filiorū, Quaproptet paterna benedictio vehementer optanda, maledictio perhorrescenda est. Scriptū enim est: *Benedictio patris firmat, domos filiorum: maledictio autem eradicat fundamēta.*

160 VERVM duæ hoc loco non dissimulandæ quæstiones existunt: quarum prior hæc est, cur non est maledictus Cham qui peccauerat, sed Chanaan filius eius? Ad hanc variè potest respōderi. Primò, quia primus omnium Chanaan nuditatem & turpitudinē Noë vidit, irrisit, & patri suo nuntiauit, propterea meritò Noë in ipū maledictionem suam potissimum contulit. Hæc est Hæbræorum sententia, quam non sine assensu memorat Theodoret. Caietanus verò planè approbat. Deinde quò expressius magnitudo sceleris Cham ostenderetur, quod tantum fuerat, vt non in ipso solum, sed etiam in filio & posteritate eius puniti dignum fuerit. Præterea si maledictus fuisset Cham

Cur non ſit maledictus cham qui peccauerat, ſed filius eius Chanaan

Theodoretus. Caietanus.

Cham, visa esset eius maledictio pertinere ad vniuersam eius posteritatem, cùm ea tamen maledictio solum comprehenderit posteritatem eius per filium Chanaan propagandam, non autem per alios tres filios Chus, Mesrain & Phut. Ad hæc, cùm Deus benedixisset omnibus filiis Noë quando arca sunt egressi, non ausus esset Noë cuiquam illorum maledicere, nefas ratus, cui Deus benedictionē suam impertitus esset, ei se maledictionem tribuere. Hanc rationem attigerunt Chrysostomus & Theodoretus.

Chrysostom. Theodoret.

BEATVS Ambrosius tres rationes adfert, vnam, quò acerbior esset dolor Cham intelligētis propter suum scelus etiam filiū quem vnicè diligeret vt minimum natu, sibiq; ingenio & moribus simillimum, atque adeo etiam posteros eius turpissimæ seruitutis pœna punitum iri: Alteram, quòd Chanaam tum propriis flagitiis fuit enim sceleratissimus, tum paternæ impietatis ac malitiæ imitatione, tali maledictione dignissimus fuerit, Tertiam quò apertiùs declararetur grauitas peccati Cham, cuius scilicet pœna non in ipso tantùm finita fuerit, sed vsque ad posteros extensa. His adiice, vidisse Noë spiritu prophetico, posteros Cham ex filio eius Chanaan generandos, gentem dico Chananæorum fore sceleratissimam atque impiissimam; ideoque exosam Deo, maledictam execratamq;, & suis sedibus exterminandam: eos autem qui relicti essent, seruitio posterorum Sem, id est, Hebræis mancipandos esse. Hoc, inquam, cùm vidisset Noë spiritu prophetico, sequens Dei sententiam, in Chanaan præcipuè Chananæorum parentem maledictionem suam congessit. 161.

Ambros. de Noë & Arca cap. 32.

QVARTA DISPVTATIO.

Quomodo non sit iniquum aliquos propter peccata aliena puniri à Deo.

ALTERA quęstio est, iniquū videri propter patris peccatum, & filium & posteros eius tam graui pœna puniri. Ponamus autem hoc loco (quod plerique sentiunt) Chanaan sceleris Cham patris sui non fuisse auctorem vel participem. Etenim, perspicuis verbis testatus est Deus per Ezechielē: *Filius*, inquit, *portabit iniquitatem patris: sed anima quæ peccauerit ipsa morietur:* & per legem Mosis vetuit patres occidi pro peccatis filiorum, aut filios pro peccatis parentū, sed vnumquemq; pro peccato suo puniri iussit. Denique alibi sic est scriptum de Deo: *Cum sis iustus, iuste omnia disponis: ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare extorum iudicas à tua virtute.* Ex aduerso tamē propter peccata parentum non solum filios, sed etiam nepotes ac pronepotes, 162.

Exech. 18. Deut. 24. Sap. 12.

potes puniri à Deo, & multa sunt in sacris litteris exempla, & apertissima est illa Dei sententia: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Exod. 20.

163 HANC ego quæstionem more scholastico, id est, distinctè, circumscriptè, pressèque tractabo: præmittens quatuor, è quibus ferè pendet quæstionis explicatio. Horum primum est, vocabulum *Pœnæ* tribus modis sumi posse, vel propriè, vt pœna tantùm est, vel impropriè vt medicinæ potius quàm pœnæ rationem habeat, vel vtroque modo, vt habet rationem pœnæ simul & medicinæ. Si pœna propriè sumatur, necessariò respondet peccato, nec fine eo potest esse, siquidem per pœnam compensatur & reficitur æqualitas iustitiæ per peccatum violatæ: vt quia peccando quis vt suæ voluntati obsequeretur, transgressus est legem, subeat à lege pœnam contra suam voluntatem: & dulcedo peccati contra legem admissi compensetur acerbitate pœnæ per legem illatæ. Quoniam autem peccatum non est nisi voluntarium, necesse est actum esse personalem: quocirca nemo talem pœnam propriè luit pro alieno, sed pro suo peccato. *Vocabuli Pœnæ varia significatio.*

164 ALTERVM est pœnam impropriè sumptam, quæ rationem habet potissimum medicinæ, esse priuationem minorum bonorum propter consecutionem maiorum: sunt autem maxima bona, spiritualia, vt quæ non ordinantur ad alia, minora autem bona sunt corporalia, ea quippe ordinantur ad spiritualia. Pœna igitur quæ vim habet medicinæ, propriè locum non habet in bonis spiritualibus, sed tantùm in corporalibus, quemadmodum medicus non cæcat oculum vt sanet aurem, sed inurit brachio cauterium, vt oculorum vel capitis feruet incolumitatem. Ac tali quidem pœna sæpenumero afficiuntur etiam innocentes, vt Iob & Tobias, nec ea respondet peccato actuali & mortali. Dixi actuale, vt excipiam originale, cuius omnes naturæ humanæ defectus corporales, sunt quodammodo pœnæ & effectus: dixi mortale, nam sine venialibus etiam iusti non viuunt. Proficit autem iustis talis pœna vel ad sanandas præteritorum peccatorum reliquias, vel ad præsentem animæ sanitatem tuendam, vel ad imminentia peccata præcauenda. Tertium est, aliquando pœnam habere rationem & pœnæ & medicinæ, quando scilicet per eam & satis fit legi per peccatum violatæ, & is qui patitur, inde capit spiritualem vtilitatem, vel quod à malo reuocetur ad bonum, vel, si iam bonus est, vt in eo firmetur & proficiat. Quartum est, duplex esse genus pœnæ quo plectuntur homines, vnum corporale, alterum spirituale. Corporale est bonorum corporalium priuatio, vt sanitatis, roboris, vitæ, diuitiarum, honorum, denique amicorum & cognatorum. Spirituale, est priuatio bonorum spiritualium, vti est diuina gratia & virtutes infusæ, auxilia item diuina quædam singularia, denique quæcumque bonum hominis spirituale vel continent vel conseruant, vel ad ipsum per se conducunt. *Quomodo pœna fit medicina.* *Iob. & 2. Tob. 2.*

Neminem puniri pœna spirituali pro alieno peccato.

HIS positis, haud erit difficilis propositæ quæstionis explicatio. 165
Principiò, ex supradictis liquet neminem puniri pœna spirituali pro alieno peccato: tum quia pœna spiritualis, est pœna propriè dicta, quæ respondet peccato propriè dicto, id autem non est nisi voluntarium, ergo proprium: tum etiam quod pœna spiritualis propriè attingit animam rationalem, secundum quam vnus homo non est aliquid alterius, nec, ex alio homine pendet. Et ad hoc præcipuè spectat quam supra memorauimus illa Domini sententia per Ezechielem edita: *Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij, sed anima quæ peccauerit ipsa morietur. Ecce omnes animæ, meæ sunt: vt anima patris, ita & anima filij mea est.* & addit: *Si impius genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit Deum, nec fecerit simile eis, hic non morietur iniquitate patris sui, sed vita viuet.*

Locus Ezechielis, c. 18.

Quomodo punitur aliquis pœna corporali propter aliena peccata.

AT enim pœna corporali puniri aliquem propter aliorum pec- 166
cata, ex sacris literis manifestum est. Sed hoc fit dupliciter: vel cum is qui punitur, expers est peccati propter quod punitur, vel cùm est particeps: Si expers est, aliquando ea punitio fit tam bono eius qui punitur, quàm bono eorum, propter quorum peccata punitur: exempli causa, Ezechiel & Daniel participes fuerunt captiuitatis & calamitatum Hebræi populi quibus ille propter impietatem magnáque scelera punitus à Deo est, à quibus sceleribus prophetæ illi longissimè abfuerunt. Sed ea pœna illis profuit ad bonum spirituale & corporale, vt patet in Daniele, & redundauit in bonum illius populi: ducti enim illi simul cum popularibus suis in captiuitatem, magno illis bono fuere ad tolerandam captiuitatis acerbitatem, magno item adiumento ad veri Dei religionem inter Idololatras conseruandam. Nonnunquam verò accidit, vt quis corporali pœna puniatur propter aliorum peccata quorum ipse non est particeps, sed ea castigatio cedit in malum & pœnam eius cuius causa punitur, ipsi autem qui punitur, bono & emolumento esse potest. Hac ratione propter parentum peccata etiam innocentes filij puniuntur, & propter dominorum scelera serui & subditi insontes. Talis autem animaduersio, quia filij aliquid sunt patrum, & serui dominorum, magno illis est tormento doloris: filij autem & subditi eiusmodi pœnis deterrentur à parentum & dominorum imitandis & consectandis sceleribus.

Quomodo peccata aliorum deriuentur ad alios.

VERVNTAMEN plerunque vsu venit, vt qui propter aliorum 167
peccata puniuntur, ipsi quoque eorundem peccatorum rei sint. Id verò tripliciter contingit, vel per imitationem, vt filij ferè imitantur parentum scelera & serui dominorum, illorum etiam exemplo proniores & audaciores fiunt ad peccandum: vel per modum cuiusdam meriti, quemadmodum scelerati subditi merentur habere sceleratum quoque rectorem: frequenter enim euenit quod dixit Iob: *Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*: & propter peccatum Dauid numerandi populum etiam populus Israël grauissimè punitus est, verùm id supplicij multis ille magnisque crimi-

Iob. 34. 2. Reg. vlt.

nibus

nibus promeruerat: vel denique per tacitum quendam consensum & dissimulationem, quemadmodum sæpè boni diuinæ iustitiæ flagello vnà cum malis feriuntur, quod eorum peccata cùm possent ac deberent redarguere, non curarunt.

168 AVDIAT lector breuem sed præclaram ea de re S. Augustini sententiam. *Plerunque à malis hominibus docendis, admonendis, etiã obiurgãdis malè dissimulatur: vel quia laboris piget, vel quia os eorum verecũdamur offendere, vel quia eorum inimicitias deuitamus, ne nobis noceant, aut obstẽt in his rebus quas adipisci appetit nostra cupiditas, vel quas amittere formidat infirmitas. Quo fit vt quamuis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in damnationem æternam: tamen quia peccatis eorum parcunt, iure cum eis temporaliter flagellantur: iure hanc vitam amaram sentiũt, cuius nimium amando dulcedinem peccantibus amari esse noluerũt. Namsi propterea quisque obiurgandi & corripiendi male agentibus parcit, quod opportunius tempus expectet, vel metuat ne obiurgati deteriores euadant, & infirmis erudiendis impedimento sint, aliosque premant atque auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis.* Sic Augustinus. *Aug. lib. 16 de Ciuit. Dei c. 2.*

169 CASTIGAT præterea Deus alios pro peccatis aliorum duas ob causas, tum ad commendãdum humanæ societatis vnitatem, omnes enim velut membra sumus vnius corporis, vt mirum non sit vnius membri dolorem dolori esset aliis membris. Deus igitur ea re significat alios pro aliis debere esse solicitos ne peccent, cum propter societatis nexum, aliorum mala aliis quoque malo & damno sint, tum etiam ad ipsius peccati detestationem, cuius tantum est virus, vt non modo peccantibus exitiale sit, sed aliis quoque pernicioſum.

170 VERVM expendamus sententiam illam Dei supra commemoratam, in qua hæret magna ex parte huius quæstionis difficultàs: *Ego sum Deus tuus visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartã generationem eorum qui oderunt me.* Apud Theodoretum duas huius sententiæ reperio interpretationes. Ait primùm, verba illa continere Dei comminationem terrificam magis quàm efficacem, id est, quæ vim habeat deterrendi homines à flagitiis, iniecto metu malorũ quæ posteritati eorum ventura sint, non autem quòd ea comminatio sit aliquando ad exitum & effectum perducenda. Deum enim pro sua clementia quæ *vult omnes homines saluos fieri*, grauiora solere minari supplicia quàm sumere. Namque neminem verè puniri propter aliena peccata, testatissimum fecit Deus apud Ezechielem, dicens: *Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* *Explicatur locus Exod. c. 20.* *Theodoretus quæst. 20. in Exodum.* *1. Tim. 2.* *Ezech. 18.*

171 ADDICIT præterea Theodoretus alterũ interpretationem quam sibi placere magis & probari ait: Verba illa Dei non significare seueritatem diuinæ vindictæ, sed contra potius inenarrabilem diuinæ patientiæ & longanimitatis suauitatem: quippe qui non statim vt quis peccauit, pœnas de eo sumat, sed perdiu supplicium differat, scilicet vel in tertiam & quartam generationem prorogans vindictam. Verùm si posteri maiorum suorum scelera imitari pergant, Deum non

amplius conniuere ac dissimulare, sed quæ in maioribus inulta præterierat in hoc mundo, ea tandem in posteris vindicare. Quemadmodum enim ad diuinam pertinet misericordiam, quòd hominum scelera longo tempore patienter ferat, & ad ea plectenda lentissimo procedat gradu: ita spectat vel quam maxime ad diuinæ prouidentiæ opinionem, sine qua hominum societas stare non potest, vt hominum crimina non planè inulta & impunita in hoc mundo relinquat. Nimirum ex perpetua impunitate nasceretur intoleranda peccandi licentia, eaque opinio hominum animis accideret, nulla Dei prouidentia regi mundum, qua opinione nihil potest contingere reipublicæ humanæ pestilentius. Etenim vt verè dixit Salomon: *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetuant mala.*

Eccles. 8.

172 NON omittam dicere quid super hac ipsa Dei sententia Hebræi quòque commentati sint. Aiunt quidem differre Deum patris supplicium, si is forte resipiscat, aut probum filium gignat. At si nec ille desistat malè agere, & filij eius nepotésque atque etiam pronepotes illius improbitatis vestigiis insistant, tunc demum pœnas Deum repetere, & quasi memorem eorum quæ maiores continua serie patrarunt maleficia vindicare. Rabbi Moses Gerundensis arbitratur vnius tantum idololatriæ criminis pœnas luere filios, si ipsi quoque Idola colant, ceterorum verò flagitiorum minime: similiter atque ciuiles leges, minutæ seu læsæ maiestatis crimen, non autem alia maleficia vindicant in filiis.

Rabbi Moses Gerũdensis.

173 SED enucleatius declaremus illam sententiam singula verba põderantes: præmonentes, duplicem esse posse eius sententiæ intellectum. Potest enim illis verbis significari, tantam fore seueritatem diuinæ vindictæ aduersus eos qui debitum vero Deo cultum falsis diis adhibuerint, vt non solum id criminis in auctoribus eius puniturus sit Deus, verùm & in eorum posteris vsque ad quartam generationem: id quod non semel ita factum esse, ex sacris litteris manifestum est. Alter est eius sententiæ intellectus plerisque omnibus probatus, illis verbis declarari patientiam & longanimitatem Dei non statim punientis peccata, sed in longum tempus vindictam differentis, & patienter expectantis dum resipiscant homines, suorumque scelerum intelligentes ac pœnitentes, ipsi de se pœnas sumant, & vicem impleant diuinæ vindictæ.

ILLVD præterea aduertendum est, verbum (*pachad*) non tantum significare visitare, sed recordari & memorem esse: sicut dictio (*Aon*) significans iniquitatem, sæpe ponitur pro pœna merita & debita iniquitati. Vt apud Hieremiam: *Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum quæ subuersa est in momento.* Sensus enim est, supplicium quod Deus sumpserat de Iudæis per captiuitatem Babylonicam, grauius fuisse supplicio Sodomorum: nam calamitas Iudæorum lenta & diuturna fuit, excidium autem Sodomorum breuissimum:

Locus Hieremiæ Threnorum. 4. Gen. 19. & Ierem. 49.

breuitas

breuitas autem pœnæ, quantamlibet acerbitatem eius valde mitigat ac minuit. Deum igitur visitare iniquitatem patrum in filiis significat Deum qui patrum peccata quasi punire oblitus, reliquerat inulta, deinde tanquam eorum memorem vindicare ea in posteris. Huc spectat quod in Psalmis scriptum est: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini & peccatum matris eius non deleatur*, & illud Tobiæ: *Domine ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum.* & vidua illa Sarepthana dixit Eliæ: *Quid mihi & tibi vir Dei ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* *Psal.* 108. *Tobiæ.* 3. 3. *Reg.* 17.

174 SED cur Deus punit patrum peccata in filiis vsque ad tertiam & quartam generationem? Quia filij peccatis parentum innutriti procliuiores & audentiores sunt ad peccandum, tum propter consuetudinem peccandi, tum propter exemplum, sequuntur enim auctoritatem parentum. Quamobrem diuina scriptura quasi magnum quoddam miraculum narrat, Numerorum capite 26. filios Core peccati eius non fuisse participes nec vna cum illo periisse, *Factum est*, inquit, *grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent.* Additur autem. *In tertiam & quartam generationem*: quia vsque ad id temporis possunt patres viuere & sic inuicem videre possunt & posteri peccata maiorum ad imitandum, & maiores posterorum suorum pœnas ad dolendum. Nisi forte illud, *In tertiam & quartam generationem*, dictum sit pro eo quod est, in multas generationes: gaudet enim Hebræa lingua vsurpatione ternarij numeri ad significandam multitudinem: addens autem tribus quartum, excessum multitudinis designat. Legenti sacras litteras, obuia sunt exempla vel non quærenti. Ego ad præsens vno contentus ero. In libro Ecclesiastici sic est: *Ab vno sensato inhabitabitur patria, & à tribus impijs deseretur.* Nec apud externos scriptores ea phrasis non est frequens. Vnde sunt illa. Ter maximus, ter sapiens, &. *Quid sit vindicare in tertiã & quartam generationem.* *Eccl.* 16.

--- *O terque quaterque beati.* *Virg. lib.* 1. *Aeneid.*

Ergo, in tertiam & quartam generationem, id est, in multas admodum generationes. Extremis porrò illis verbis huius sententiæ: *Eorum qui oderunt me*, satis apertè declaratur, ita Deum adnimaduertere in filios propter parentum scelera, vt etiam ipsi filij propter suam imerobitatem & impietatem similem paternæ, ea dignissimi sint

175 animaduersione.

SED cur, dicet aliquis, dicuntur filij puniri propter scelera patrum si eam vindictam ipsi sceleribus suis commeruerunt? Ob eam scilicet causam, quod parentes suo exemplo, auctoritate, assuefactione auctores fuere filiis prolabendi in ea sceleta: sic enim ferè homines iudicare & dicere solent, cùm maiorum peccata quæ in ipsis punita non sunt, cernunt à posteris eorum repetita puniri à Deo in ipsis, clamitant venisse tandem diuinam vindictam eorum quæ maiores illorum patrauerant, quæ Deus quasi oblitus in ipsi punire, in posteris

eorum velut recordatus tandem vindicauerit.

Explicatur locus Deuteronomij c. 24 Cur non etiã homines punire possint alios pro peccatis aliorũ, sicut facit Deus.

POSTREMO loco excutiendus est vnus qui etiam num restat scrupus. Si Deus visitat iniquitatem patrum in filios vsque in quartam generationem, quomodo idem ipse lege lata per Mosen vetuit filios occidi pro peccatis parentum? Cur enim non fuerit æquum homines facere, quod æquissimo iudicio facit Deus? Sed longè diuersa hominum ac Dei ratio est. Deus enim cùm sit auctor, conseruator, largitor & supremus dominus hominum vitæ ac mortis omniumque bonorum, potest ea suo iure suoque arbitratu citra cuiusquam iniuriam cuicunque libuerit, vel dare vel auferre: potest filios etiam innocentes propter scelera parentum affligere: quippe qui nouit mala temporalia posse homini spiritualiter prodesse, & instar medicinæ magno esse bono: cui autem & quando expediat istiusmodi malis affici, solus ipse nouit qui occultissimis iustitiæ & misericordiæ suæ iudiciis, variisque hominum ea variè dispensat. Plectit autem filios pro patribus, quo tali genere vindictæ vehementius homines à maleficiis absterreantur, scilicet intelligentes diuinam flagitiorum suorum vindictam, seram quidem esse posse, irritam tamen esse non posse, vt quam si forte ipsi euaserint: ipsorum tamen subituri sint. 176

Duplex genus diuinæ vindictæ.

VERVM paulò explicatius hoc ipsum dicamus: magni enim momenti fuerit persuasam esse hanc opinionẽ hominibus & in eorum animis hærere infixam. Duplex igitur diuinæ vindictæ genus est: altero vtitur Deus puniendis improbis in hac vita: altero post hanc vitam. In hac vita non semper Deus peccantes manifestis & corporalibus pœnis punit, & nonnunquam alios punit etiam insontes propter aliorum peccata: sed ita, vt iis qui peccauerunt id genus vindictæ pœna sit, his verò qui non peccauerunt, non pœna sed salutaris velut quædam sit medicina. Post hanc vitam Deus tantum punit merentes, nec punit quemquam propter aliena peccata: tunc enim pœnæ tantum pœnæ sunt, nec medicinæ rationem habent vllam. Humanum porrò iudicium imitari debet diuinum, in hoc posteriori genere puniendi non in illo priori: nam nec quisquam hominum dominus est vitæ, mortis, corporis, ceterorumque bonorum aliorum hominum: nec scire potest cui aut quando mala temporalia profutura sint vel facere vt ea prosint. 177

NEMO igitur humano iudicio nisi pro peccatis propriis condemnari & puniri debet pœna, vt aiunt, flagelli, id est, mortis, mutilationis corporalis aut verberationis. Pœna verò damni bonorum temporalium nonnunquam fit vt quidam etiam sine culpa, nec tamen iniquè, propter aliorum peccata afficiantur: Exempli causa, cùm propter ingens aliquod scelus ciuitatis aut communitatis alicuius, ea priuatur vel immunitate, vel libertate, vel cathedra Episcopali: eumque hæc sint bona omnium communia, sublatis illis, quemlibet ciuium etiam innocentium eorum bonorum damno affici necesse est. quemadmodum etiam si quis propter crimen læsæ maiestatis 178

omni

omnibus bonis externis, honoribúsque ac publicis officiis priuetur, ea pœna in filios eius redundat, qui participes paternorum bonorum hæreditario iure futuri erant. Sed vt apparet, istiusmodi pœnæ per se quidem ac primo sunt eorum qui peccauerunt, consequenter autem aliorum qui ex illis quodammodo pendent.

179 PECCATVM igitur Cham aduersus Noë patrem suum (nam quo id subtilius expressiúsque intelligeretur, ad hanc digressi sumus disputationem) non in ipso Cham vindicatum legitur, sed in filio eius Chanaan, vel potius in eius posteritate, gentem dico Chananæorum. Quamquam quod Chananæi ab Hebræis partim internecione cæsi, partim sedibus suis exterminati, partim etiam sub iugum vilissimæ seruitutis missi fuerint, non id peccato Cham aduersus Noë solet assignare scriptura, sed propriis ipsorum Chananæorum iisque infandis & abominandis sceleribus, vt manifestum fit legenti 18. caput Leuitici & caput 9. Deuteronomij. Veruntamen Cham ex Noëtica maledictione suæ posteritatis acerbissimum traxisse dolorem, nullo modo dubitandum est: quippe qui cùm æquè filius esset Noë ac Sem & Iaphet, quinetiam natu maior quàm Iaphet vt plerisque visum est, suos tamen posteros, vilissimos seruos posterorum Sem & Iaphet futuros esse intellexerit.

180 BEATVS Gregorius exemplum peccati Cham non in ipso puniti, sed in posteris eius, bellè accommodans ad Tropologicam eruditionem docet peccata hominum aliquando Deum in hac vita manifestis suppliciis punire, interdum verò minimè, & vtrumque optima ratione fieri, magnáque hominum vtilitate. Puniri quidem aliquos in hac vita vt fidem prouidentiæ suæ, qua res humanas spectare ac regere creditur, in animis hominum conseruet: non omnes autem in hac vita punire, ne hic peccata hominum ex toto vindicare putetur, sed aliud esse peccatorum post hanc vitam & iudicium & supplicium futurum credatur. Verum sententiæ Gregorij vim ac venustatem nisi propriis eius verbis exprimere, non est facile. Ponam igitur eius verba. Tractans illa verba Iob ca. 35. *Nunc non infert furorem suum, nec vlciscitur valde Deus*, ad hunc modum scribit: *Peccata hominũ diuina seueritas inulta remanere non permittit, sed iram iudicij à nostra hic correctione inchoat, vt in reproborũ dãnatione conquiescat. Eant ergo nũc reprobi, & voluptatũ suarum desideria inulta iniquitate consumment, atque eo temporalia flagella non sentiant: quo æterna eos supplicia expectant. Bene autẽ inulta eorum nequitia Chã peccãte signata est, cui à patre dictũ est, Maledictus Chanaan puer, seruus seruorum erit fratribus suis: sed quid est, quod Chã peccãte, Chanaan eius filius sententiã vltionis accepit: nisi quod reproborum nequitiæ hic quidem inultæ proficiunt, sed in posterum feriuntur? Rectè igitur dixit Iob: Nunc non infert furorem suum, nec vlciscitur valde Deus: quia etsi quædam longanimiter tolerat quædã etiã in hac vita flagellat: & hic nonnunquã ferire inchoat, quos postea æterna damnatione consummat. Ergo quædam Deus in hac vitã percutit, quædam verò inulta relinquit: Si enim nulla puniret, quis Deum*

Notabilis sententia Greg. li. 26. Mora.

Deum res humanas curare crederet? Sin autem cuncta puniret, extremum iudicium vnde reſtaret? Quædam igitur feruntur, vt rectoris noſtri ſuper nos ſollicitudinem formidemus: quædam verò inulta ſeruantur, vt adhuc iudicium reſtare ſentiamus. Hactenus ex Gregorio.

Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis.

ILLVD, *Seruus ſeruorum*, quod (non habet tranſlatio Septuaginta, habet tamen lectio Hebraica) ſignificat infimum ac viliſſimum genus ſeruitutis. Quemadmodum Abigail nuntiantibus eam à Dauide electã in vxorem, dixit: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorũ domini mei.* Non dixit ſolum, ait Rupertus, ſeruus erit, quo nomine interdum etiam bona & volũtaria ſeruitus ſolet ſignificari: ſed ſeruus ſeruorum, quo additamento ſeruitus extrema, immo ſeruilis nequitia ſolet exprimi, niſi adiunctio fiat Dei, dum per egregiam humilitatem ſeipſum profitetur quis ſeruum ſeruorum Dei. Quem titulum, reuera clariſſimum venerandæ humilitatis inſigne, Summi Pontifices vſurpare conſueuerunt. Hiſtoria porrò huius rei eo ſcripta eſt, quod valdè profutura eſſet Iudæis quibus hæc ſcribebat Moſes, videlicet ad roborandos eorum animos vt hoſtem ſuum Chanaan & odio habereut miniméque formidarent, vt quẽ intelligerent per Noë maledictum à Deo & ipſorum ſeruitio mancipatum. Quaſi diceret Moſes: ſicut iam fecit Deus in poſteris Cham de filio eius Meſraim generatis, id eſt, in Ægyptiis, quos Deus propter vos variis plagis afflixit, & in Mare rubrum tandem demerſit: ſic etiam facit in aliis poſteris eiuſdem Cham ex filio eius Chanaan progeneratis, id eſt, in populis Chananæorum, contra quos nunc Deo duce proficiſcimur, terram eorum, ſicut promiſit Deus maioribus noſtris, obtenturi. 182

1. *Reg.* 28. *Ruper. lib.* 4. *in Geneſ. cap.* 37.

Exod. 14.

VERVM nomen eſt hoc loco non iudicandum lectori, quod prudenter obſeruatum & vtiliter memoriæ proditum à Patribus eſt: quemadmodũ peccato Adami mors in mundum inuecta eſt: ita peccato Cham ſeruitus in genus humanum introducta eſt, illam dico ſeruitutem quæ inuoluntaria eſt homini, acerba, odioſa, contraria denique naturali libertatis amori qui flagrantiſſimus in homine atque acerrimus eſt. Nam ſi vocabulo ſeruitutis ſignificetur qualiſcumque vnius hominis ſubiectio ſub alterius poteſtatem & gubernationem, id genus ſeruitutis naturale eſt non ex peccato natum, ſed recta hominis ratione docente & vtilitate hominis exigente introductum, etiam in illo feliciſſimo innocentiæ ſtatu, ſi is ſtetiſſet, futurum. 183

Origo ſeruitutis apud homines ex peccato fuit. *Geneſ.* 3. *Rom.* 5.

AVDIAMVS Chryſoſtomum, cùm loquitur de peccato Cham in eius poſteris ſupplicio ſeruitutis punito, ita ſcribentem: *Ecce fratrem eodem natum patre, eodemque egreſſum vtero peccatum fecit ſeruum, & ablata libertate ingũ illi viliſſimæ ſubiectionis impoſuit, vnde poſteà ſeruitus ſumpſit originem. Neque enim antea ſolebant ita molliter viuere & delitiari.*

Chryſ. hom. 29. *in Geneſ.*

vt alio.

vt aliorum ministerio & seruitijs vterentur, sed quisque sibi quod opus erat ministraret: eratq; par omnium honos sublata è medio honorum diuersitate. Peccatum autem vbi intrauit, libertatem perdidit, & corrupit dignitatem naturæ datam, seruitutémque introduxit, vt ea res perpetuò doceret & admoneret hominem fugere seruitutis peccatum, & ad virtutis libertatem redire: Ex quo seruus pariter ac dominus magnam capient vtilitatem secum reputantes, ex peccato natam esse tantam inter homines aliorum superbè dominantium, aliorum contra indignè seruientium differentiam.

184 Hoc ipsum, sed paulo explicatius ac luculentius tractans B. Augustinus: *Rationalem, inquit, hominem factum ad imaginem suam voluit Deus nisi irrationalibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti pastores pecorum magis quam reges hominum constituti sunt, vt etiam sic insinuaret Deus quid postularet ordo creaturarum & quid exigat meritum peccatorum, conditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit non natura. Origo autem vocabuli seruorum in Latina lingua inde creditur ducta, quod ij qui iure belli iustè possent occidi, à victoribus cum seruabantur, serui fiebant, à seruando appellati: quod etiam ipsum sine peccati merito non est. Nam & cùm iustum geritur bellum, pro peccato contrario dimicatur: & omnis victoria etiam cum malis prouenit, diuino iudicio victos humiliat vel emendans peccata vel puniens. Prima ergo seruitutis causa peccatum est, vt homo homini conditionis vinculo subderetur, quod non fit nisi Deo iudicante, apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnæ meritis distribuere delinquentium.* Hæc Augustinus. Aug lib. 19. de ciuit. c. 15

Dixitque, Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaan seruus eius. VERS. 26.

185 EXPOSVIT Moses pœnam impudentiæ atque impietatis Cham aduersus patrem suum Noë, nunc enarrat quasi mercedem reuerentiæ ac pietatis quam patri suo Noë alij duo filij Sem & Iaphet præstiterunt. Sed cur prius benedixit Sem quàm Iaphet? An quia ille primogenitus erat? An quod sanctimonia & prudentia morumque grauitate præstaret, & idcirco patri, Deoque carissimus esset? An quod ipse vehementius obiurgasset Cham, auctorque fuisset Iapheto id ergo patrem faciendi quod factum ab illis esse legimus? An potius propter excellentiam posteritatis eius, in qua futuri erant Patriarchæ, Reges, Prophetæ, & quod super omnia est, Messias ipse? Verùm illa verba: *Benedictus Dominus Deus Sem*, duplicem sententiam reddunt: alteram, sic laudatus & celebratus Deus Sem, nimirum propter ingentia bona quibus eum & posteritatem eius cumulaturus est. Significatur igitur tanta bonorum futura magnitudo, vt de eo sit benedicendus Deus, id est, tanta eius munificentia laudibus celebranda. Altera sententia

est: solus Deus quem colet Sem & posteritas eius, erit verus Deus & idcircò benedicendus & laudandus ab omnibus: veri enim Dei fides ac cultus in sola posteritate Sem mansit, posteris non tantum Cham sed etiam Iaphet ad Idololatriam dilabentibus. Huiusmodi autem excellentiam dignitatis Sem & posteritatis eius, etiam ipsum vocabulum Sem, quodammodo videbatur portendere: significat enim, nominatum, famosum, inclytum, quasi eius posteritas ob causas supradictas nobilissima & celeberrima esset futura. In illis autem verbis: *Benedictus Dominus Deus Sem*: subintelligi debet verbum vel *sit* vel potius *erit*.

CETERVM sicut maledictio Cham præfigurauit mala ventura ingratis & impiis filiis, ita benedictio Sem & Iaphet amplissimam 186
gratorum & piorum filiorum mercedem significauit. In libro Ecclesiastici capite tertio nouem bona commemorantur promissa bonis filiis qui parentes suos, quibuscumque illi egent iuuare, ornare & honorare nullo modo prætermittunt. Primum bonum est abundantia diuitiarum, tam corporalium quàm spiritualium: *Sicut*, inquit, *qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam*. Secundum, fortunatum & felicem fore in filiis quos procreauerit. *Qui honorat patrem iucundabitur in filijs*. Tertium, quocumque tempore supplicauerit Deo, exaudietur ab eo, votorum suorum compos factus. *In die orationis suæ exaudietur*. Quartum, longitudo vitæ: *Qui honorat patrem, vita viuet longiore*. Et hoc est primum præceptum in lege, cui Deus mercedis retributionem adiunxerit, vt ponderat Paulus ad Ephes. 6. Quintum, stabilitas familiæ ac posteritatis. *Benedictio patris firmat domos filiorum*. Sextum gloria. *Ex honore patris gloria filij*. Hoc potest dupliciter intelligi, vel quod honoratus pater reddit filios glorioſos: vel quod filius honorans patrem, comparat sibi gloriam apud omnes. Septimum, liberatio hominis in tempore tribulationis. *Eleemosina patris non erit in obliuione, & in die tribulationis memor erit tui*. Octauum peccatorum dissolutio. *Sicut in sereno glacies, ita soluentur peccata tua*. Nonum, est quasi bonorum omnium cumulus, id est, perpetua Dei erga bonos filios beneuolentia, beneficentia, & protectio vsque in finem. *Honora*, inquit, *patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo: & benedictio illius in nouissimo maneat*. Benedictio enim Dei significat effusissimam bonorum largitionem, quæ si vsque in extremum maneat, nihil ea re potest homini optabilius accidere.

Nouem bona in sacris literis prædicta & promissa gratis & piis filiis. Exod. 20.

Dilatet Deus Iaphet & habitet in tabernaculis Sem: sitq; Chanaan seruus eius.

Aug. li. 16. de ciuit. Dei Caietanus.

HÆc verba continent benedictionem Iaphet amplam quidem illam, verum benedictione Sem multo inferiorem. 187
Additur autem ad nomen Iaphet quod significat latitudinem. Augustin. legit quodam loco *Latificet*. Caietanus & Eugu

& Eugubinus aiunt verbum Hebræum etiam significare, condecoret seu venustum faciat. Verum significatio dilatandi seu extendendi maxime propria eius vocis est tum hoc loco, tum alibi in sacris litteris. Dilatatio autem Iaphet dupliciter intelligitur, & quãtum ad prolem, quod numerosissima eius progenies & posteritas esset futura: & quantum ad loca, id est, varias terræ regiones, quòd eius posteri multas & varias terræ plagas peragraturi & habituri essent, futuriq; multarum gentium atque regnorum conditores. *Eugubinus.*

188 SED illud: *habitet in tabernaculis Sem*: præcipuam requirit explanationem. Verbum enim illud, *habitet*, ambiguam habet constructionem & connexionem. potest enim iungi cum nomine Dei, & cum nomine Iaphet. Si referatur ad Deum, erit hæc sententia. Et si Deus amplissimè dilataturus est posteritatem Iaphet, ipse tamẽ nõ apud posteros Iaphet, sed apud solius posteros Sem habitaturus est: nãque posteri Iaphet falsos deos coluerunt: at posteri Sem non quidẽ omnes, sed qui ex eo per Heber, Abrahã, Isaac & Iacob proseminati sunt, veri Dei fidẽ & cultũ retinuerũt: quamobrẽ dicitur Deus habitaturus in eorũ tabernaculis, id est, externo & publico cultu ab eis colendus: licet etiam in tabernaculo Mosis & in templo Salomonis habitasse Deũ legamus. Ad extremũ verò Deus Verbũ, carnẽ ex stirpe Sem accepit, in qua Deitas per hypostaticam vnionem mirabiliter habitauit. Hanc interpretationem maximè probat Theodoretus, nec ea displicet Lyrano, Burgensi & Tostato, quam item sequitur paraphrasis Chaldaica sic habens hoc loco: *Et habitet Diuinitas eius in tabernaculis Sem.* quãquam Chaldaicum vocabulũ quietem propriè significat, quo vocabulo Hebræi præsentiam Diuinitatis, quæ olim in Sanctuario super arcam fœderis declarabatur, appellant: ad quod videtur hic alludi, sicut etiam apud Dauidem: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* *3 Reg. 8.* *Lyranus.* *Burgensis.* *Tostatus.* *Paraphrasis Chaldaica.* *Ps. 131.*

189 VERVM multo aptius illud verbum *habitet* iungitur cum nomine Iaphet, vt significetur non solum posteritatem Iaphet mirandum in modum dilatatum iri, sed eam in tabernaculis, siue vt habent Septuaginta, in domibus Sem habitaturam esse. Quod autem illud verbum *habitet* referri debeat ad Iaphet, bene probat Caietanus ex eo quod sequitur: *Sitque Chanaan seruus eius*: nam illud Pronomen *eius*: vel refertur ad Deum, vel ad Sem, vel ad Iaphet. Non ad eum, quia redderet falsam sententiam, non enim Chananæi serui Dei fuerunt, nisi forte naturali seruitute, quæ tamen communis est omnium: nec referri potest ad Sem, quia iam supradictum fuerat, Chanaan futurum seruum ipsius Sem: nec ratio erat vlla cur idem mox repeteretur: Ergo referri debet ad Iaphet. Quocirca illud etiam *habitet* procul dubio ad Iaphet referendum est.

190 SED quid sibi vult, Iaphet esse habitaturum in tabernaculis Sem? Quinque modis id potest intelligi: primo, vt significetur vsque adeo multiplicatum iri posteros Iaphet, vt eos propriis non capientibus tabernaculis, necesse futurum sit recipi in tabernacula posterorum

Sem, id est, vt in regionibus quas illi colent, ipsi cum illi permixti habitaturi sint. Deinde significari potest posteros Iaphet qui futuri erant Gentiles, copulatum iri fœdere amicitiæ & communicatione priuilegiorum cum Iudæis qui futuri erant posteri Sem: id quod de Lacedæmoniis & Romanis in priori Machabæorum volumine proditum est, quos ex stirpe Iaphet oriundos fuisse, paulo infra ostendemus. Illud quoque ex illis verbis potest elici, fore aliquando tempus, cùm posteri Iaphet, id est, Gentiles eiecturi essent propriis sedibus Iudæos genus trahentes ex Sem: quod non semel esse factum, ex sacris historiis notum est.

191 POSTREMO ex illis ipsis verbis duplex alia exprimitur sententia altera, significari vnionem futuram in Christo Gentilium & Iudæorum: qui cum antea non solum disiuncti, sed etiam discordes atque inimici essent, & tanquam parietes, ingenti maceria interiecta longissimè dissiti, per lapidem tamen angularem Christum dominum inuicem copulati sunt. *Ipse est pax nostra*, inquit Paulus de Christo scribens ad Ephesios, *qui fecit vtraque vnum: & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuãs, vt duos condat in semetipso in vnum hominem, faciens pacem, & reconcilians ambo in vno corpore, Deo per Crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Itaque Gẽtilis qui erat velut foliis oleaster amarus, insitus est per Christum in pinguem oliuam, socius radicis & pinguedinis eius factus. Et hac ratione impletum est illud Esaiæ vaticinium: *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrsus pascentur: simul requiescẽt catuli eorum, & leo quasi bos comedet paleas.* Ergo Iaphet habitaturum in tabernaculis Sem. prophetia est, ænigmatica locutione operta, de Gentibus, quæ futuræ participes erant bonorum, quæ Iudæi à Deo, potissimum autem per Messiam accepturi erant.

Ad Ephes. 1.

Ad Rom. 11.

Esaiæ. 11.

192 ALTERA sententia est, posteros Iaphet habitaturos in tabernaculis posterorum Sem, inde ipsis eiectis. Posteri enim Sem, vt non semel diximus, fuerunt Hebræi: per eorũ tabernacula intelligere oportet veri Dei fidem, & cultũ, & sacrarũ literarũ eloquia, deniq; promissa bona per Messiã ipsi præstanda. In hæc tabernacula intrarũt Gẽtes ad Christũ conuersæ, eaq; perdiderunt Iudæi à Christo alienati. Audi. B. Hieronymũ: *De Sẽ*, inquit, *Hebræi: de Iaphet populus Gentiũ nascitur: quia igitur lata est multitudo credentiũ, à latitudine quæ Iaphet dicitur, nomẽ inuenit.* Quod autẽ subditur: *Et habitet in tabernaculis Sẽ*: de nobis præparatur, qui in eruditione & scientia Scripturarum eiecto Israël versamur.

Hieronym. in Traditionib. Hebraicis in Genesim.

193 VERVM disertè admodũ & eruditè locã hũc tractauit Rupertus. *Tabernacula, Sẽ*, ait ille, *in quibus habitaturus esse dicitur Iaphet, priuilegia sunt Iudaorũ his verbis à Paulo numerata: Quorũ est adoptio filiorũ, & gloria, & testamentũ, & legislatio, & obsequiũ & promissa, & Patres ex quibus Christus secundũ carnẽ: qui est super omnia Deus benedictus. In his tabernaculis longo tempore solus habitauit Iudaicus populus Gẽtibus extrapositis. Eratis enim*

Rupert. li. 4. comment. in Gene. c. 39.

Ad Rom. 9.

enim aliquando(ait Paulus scribens Gentibus ad Christũ cõuersis) sine Christo,alienati à conuersatione Israël,hospites testamentorũ,promissionis spem non habentes,& sine Deo in hoc mundo.Hæc enim omnia vnius Hebraicæ linguæ clausura tenebat:quæ,cùm cõfusio seu diuisio linguarũ facta est,sola remãsit in familia Heber,vnde & Hebraica nominata est. Atque hæc fuere tabernacula Sem & posterorum eius,non quidem omnũ,sed qui ex eo tantùm per Heber, Abrahã,& Iacob genus duxerunt, Quomodo autẽ in hisce tabernaculis habitauerint posteri Iaphet,breuiter indicandum est. De Iaphet nati sunt Græci & Latini:námque eius filij septem numerantur à Mose,primus Gomer à quo Galatæ fuerũt orũdi:secũdus Magog,ex quo Scythæ:tertius Madia,vnde Medi: quartus Iauã,à quo Iones qui & Græci:quintus Thubal, vnde Italorũ & Hispanorũ origo:sextus Mesoch,& hinc Cappadoces,apud quos etiam vrbs quædam inde Mazecha dicta est:septimus Thiras,à quo Thraces. In his porro atque in cunctis ferè gentibus.Græca & Latina lingua principatũ obtinuerunt: illa propter sapientiam & eloquentiam Græcorum:hæc propter potentiam Romanorum per quas linguas tabernacula Sem patefacta sunt cunctis gẽtibus ad inhabitandũ,per illas enim linguas translatis ex Hebræo diuinis eloquijs,scripturarum scientiã & veri Dei noticiam Gentes perceperunt. Et primo quidem Iudæi quibus illa tabernacula ædificata fuerant,in ea introierunt, necnon & aliqui Gentiliũ ex Cham vel ex Sem originem ducentium:sed posteri tamẽ Iaphet:à quibus Europa possessa est,in illis tabernaculis habitando prævaluerũt. *Ad Ephes. 2* *Genes. 11.* *Genes. 10.*

394 NON decet hinc abire nos ad alia,intactam omnino prætereũtes Allegoricam huius historiæ tractationem, quam Patres copiosè, piè ac doctè persecuti sunt.Noë illustrem gessisse multis in rebus imaginem Christi domini nostri,alias dictum est in his nostris Commentariis.Similitudine autem vineæ quam Noë plantauit, significari veterem illam Synagogam variis Scripturæ locis testatum est: *Vineam de Ægypto transtulisti*,inquit Dauid,*eiecisti Gentes, & plantasti eam.Dux itineris fuisti in conspectu eius:plantasti radices eius & impleuit terram.* Quæ quidem vinea à primo egregia, decora, & præclara fuit, posteà conuersa est in amaritudinem vitis alienæ, pro expectatis vuis reddens labruscas. Hæc tandem à quo plantata fuerat, eum amaro mortis poculo potauit, & consummata amaritudine inebriauit, ita vt dormiret somno mortis, nudatus & suorum irrisioni, ludibrio & contemptui expositus. Christus enim à populo Iudaico, quem vt Deus innumerabilibus & beneficiis antea cumulauerat, & factus homo ad eum redimendum & saluandum venerat, ignominiosa & atroci morte damnatus & peremptus est. Nuditas Noë & verenda eius significant infirmitates Christi, maximè demonstratas in Cruce, & morte eius quas impij vt pudendas & probrosas irrident & contemnunt. *Expositio allegorica. Vide cùm alios,tum Augustin.li. 16. de Ciuitate Dei ca. 2. & Rupertum li. 4. Commentariorum in Genesim c. 38. Psal. 79. Isaiæ 5. Matth. 21. Esai. 5. & Ierem. 2. & Apoc. 12. & 8.*

TRES filij Noë, tria sunt genera hominũ in Ecclesia Christi,Hæretici ac reprobi Catholici; & è contrario Electi, quorum alij prælati sunt, alij verò subditi: præter hæc tria hominum genera non est inuenire aliud in his qui Christiano nomine cæsentur. Et duo quidem posteriora genera salua sunt in Ecclesia: tertium omnino perit. Vnde

legitur Draco, deiectus de cœlo traxisse ad se tertiam partem stellarum, & ad sonitum cantúmque tubæ Angelicæ tertiam partem terræ interiisse. Et quidem Cham figura fuit Hæreticorum: nam Cham interpretatur calidus, id est, impatiens semperque feruens ad rixas, atque contentiosus, qui patris nuditatem irridet & euulgat: tales sunt Hæretici, qui propter humilitatem & infirmitatem Christi negant eum esse verum Deum, publicantes & iactantes quæ ad humilitatem Christi pertinent, multa verò quæ ad declarandam diuinitatis eius maiestatem faciunt, tacentes, aut peruersa interpretatione deprauantes. Isti sunt contentiosi, litigiosi, feruentes in maledicendo & persequendo: sed velint nolint, serui sunt seruorum Dei: illorum enim augendæ & consummandæ gloriæ seruiunt, & exornandis ac perficiendis coronis famulantur. Nec in eos non aptè quadrat quod Cham in se ipso sed in filio suo Chanaan maledictus est. nam dum aliquando Hæreticorum pœna in futurum sæculum reseruatur, quasi non in semetipsis sed in posteris suis puniuntur: quælibet enim secta Hæreticorum, quamuis à primo visa sit potens & gloriosa, & ad tempus prosperos habens processus, paulatim tamen in posteris suis labescit & deficit, & cum dedecore atque execratione hominum euanescit.

1. Corinth. 1. ECONTRARIO autem Sem, & Iaphet, id est electi, infirmitates Christi, vt quas ille nulla necessitate, sed summa voluntate atque charitate nostræ salutis causa susceperat, summa pietate venerantur, scientes quod infirmum & stultum est Dei, sapientius & fortius esse omnibus hominibus. Aduersos autem nuditatem Noë proprio pallio tegere, est, in Christi nece auersari quidem immane facinus Iudæorum, sed ipsas Domini passiones venerando sacramentorum ordine operire, gratè recolentes, piè venerantes, studiosè imitantes. Et Sem quidem significans nominatum & inclytum, figura est Prælatorum in Ecclesia Christi: Iaphet autem significans latitudinem, figuram habet subditorum, quorum maximus est in Ecclesia Christi numerus. Verùm satis fuerit hoc attigisse, cetera meditationi lectoris relinquentes. 196

VERS. 28. & 29. *Vixit autem Noë post diluuium trecentis quinquaginta annis. Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est.*

Genes. 5. VIXIT igitur Noë vitam omnium mortalium longissimam, duobus tantum exceptis, Iared & Mathusalem. Namque ipso Adamo longæuior fuit Noë viginti annis, breuioris tamen vitæ fuit quàm Iared annis duodecim, & quàm Mathusalem decem & nouem. Verùm in-

uitat

uitat me hic locus vt breuiter exponam omnem vitæ Noë Chronologiam, & quædam alia ad eum pertinentis. Primùm dicam de vita eius ante diluuium, tum verò post diluuium.

QVINTA DISPVTATIO.

De Chronologia vitæ Noë: De quodam item eius filio quem appellant Ionithum, & de habitatione eius post diluuium.

197 VIXIT ante diluuium Noë sexcentis annis, sexcentesimo enim anno eius contigisse diluuium, supra scripsit Moses cap. septimo. Ab exordio Mundi cùm est creatus Adam, vsque ad diluuium numerantur anni mille sexcenti quinquaginta sex: ipse autem Adam vixit annos nongentos triginta: ergo mortuus est ante diluuium septingentis viginti sex annis. Cùm igitur Noë natus fuerit sexcentis annis ante diluuium, apparet ipsum esse natum centum viginti sex annis post obitum Adami. Deinde Henoch annis ducentis quadraginta duobus ante obitum Adami genuit Mathusalem, & posteà vixit trecentis annis, & ex terris translatus à Deo est. Mathusalem verò vixit annos nongentps sexaginta nouem, & ipso anno quo diluuium accidit mortuus est. Ergo Noë qui natus est sexcentis annis ante diluuium, ortus fuit sexaginta nouem annis post translationem Henoch, & trecentesimo sexagesimo nono anno aui sui Mathusalem. *Omnis hæc chronologia colligitur ex capite quinto libri Genes.*

198 Ex his concluditur, Mathusalem versatum esse cum Adamo per annos ducentos quadraginta duos, Noë autem cum ipso Mathusalem per annos trecentos sexaginta nouem. Doctrinam igitur rerum naturalium & diuinarum tam naturalem, quàm supernaturalem, viuæ vocis oraculo ex Adamo didicit Mathusalem: ex ipso autem Mathusalem accepit Noë, quin etiam filius eius Sem: quippe qui centum annos ante diluuium natus, earum rerum cognitionem ab ipso Mathusalem commodè doceri potuit. Et de ætate ac vita Noë ante diluuium ita dictum sit.

199 POST diluuium porrò vixit Noë trecẽtos quinquaginta annos: cùm autem à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, secundum Hebraicam & Latinam computationem, non plures ducentis nonaginta duobus annis præterierint, efficitur nato iam Abrahæ superstitem fuisse Noë per annos quinquaginta octo. Nimirum tandiu voluit Deus Noë viuere, quoad alius surgeret eius similis insigni vir pietate, qui veri Dei cultum conseruaret, & ad eum amplectendum verbis & factis homines vehementer incitaret. Obseruatum est iam inde ab orbe condi *Noë peruenit ad quinquagesimum octauum annũ Abrahæ.*

condito, Deum omni sæculo egregios aliquos viros excitare consueuisse. Ante diluuium post Adamum fuit Seth, Henoch, Mathusalem: post diluuium vsque ad legem latam, Noë, Abraham ceteráque Patriarchæ vsque ad Mosen Melchisedech, & Iob. Post Mosen Iosue & Phinees. Et de Iudicibus Othoniel, Gedeon, Iephte, Samson, Samuel. Tempore Regum, Dauid, Asa, Iosaphat, Ezechias & Iosias. Atque hoc ipso tempore fuere sanctissimi Pontifices, vt Ioiada, Eliacim clarissimique Prophetæ vt Elias & Elizeus. Tempore autem captiuitatis Babylonicæ, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Post reditum denique ex captiuitate, Zorobabel, Iesu Pontifex, Aggæus & Zacharias Prophetæ, Esdras & Nehemias, duo & septuaginta Interpretes sacrarum litterarum, & principes Machabæi, non minus diuina religione ac pietate quàm bellica fortitudine clari & omni æuo celebrandi. Et quoniam Sem filius Noë post diluuium vixit annos duos & quingentos, vt significat Moses Geneseos vndecimo, fit vt peruenerit ad quinquagesimum annum Iacob patriarchæ.

Continuatio Fidei & cultus Dei ab initio mundi.

CVPIO igitur hic lectorem aduertere, quemadmodum veri Dei 200
fides & cultus, & rerum ad consequendam salutem animæ eo tempore necessariarum obseruatio custodita & perpetuata fuerit ab initio Mundi vsque ad Iacob per tres tantum personas, Adamum, Mathusalem & Sem: per annos autem duo millia prætérque centum quinquaginta sex: potuit enim Iacob, vt diximus, eas res discere ex ipso Sem, is verò ex Mathusalem, hic verò ex ipso Adamo.

Chryso. hom. 29 in Genes. Continentia Noë.

CETERVM quia Moses nullum commemorat filium genitum 201
à Noë post diluuium, ex eo colligit Chrysostomus virum fuisse eum incredibilis continentiæ: quippe qui totos trecentos quinquaginta annos quos vixit post diluuium, ne procreãdorum quidem liberorum causa voluptati indulgere voluerit. *Vide*, inquit ille, *admirandam iusti continẽtiam. Cùm enim tanta frueretur vbertate rerum & prosperitate, superuiuéréque tanto annorum numero post egressum ex Arca: noluit tamen vltra indulgere filiorum procreationi. Non enim cõmemorat Scriptura eũ alios præter illos tres quos ante diluuium genuerat, habuisse liberos.* Sed nullũ esse post diluuium à Noë generatum filium, paulò supra disputatũ est à nobis.

De filio quodã Noë post diluuium genito cui nomẽ Ionithus, ex Methodio. Hist. Scholastica 1. lib. c. 37.

QVOD ergo à quibusdam proditum est de quodã eius filio valdè 202
memorabili, quem appellant Ionatham, pro fabuloso habendum est. Sed historiam eius rei ne lector nesciat, ponam hoc loco vt eam narrat, auctore Methodio, scriptor historiæ Scholasticæ, cuius hæc sunt verba: *Methodius agens de quodam filio Noë, cuius non meminit Moses, sic ait: Centesimo anno tertiæ Chiliadis genuit Noë filium ad similitudinem suam quam appellauit Ionithum. Trecentesimo anno largius ei amplissima dona, misit eum in terram Ethan: quam ille peruasit vsque ad mare Orientis. Hic Ionithus accepit à Domino donum sapientiæ & inuenit Astronomiam. Hic gigantem Nemrod decem cubitorum proceritate, & nepotem Sem ad se venientem erudiuit, docuítque quibus in locis regnare deberet. Multa etiam prænidit ac prædixit, in primis autem de quatuor Monarchiarum, ortu successione*

sione & occasu, quam prophetiam multis post seculis Daniel edidit. Prædixit autem ille primos omnium regnaturos ex posteritate Cham, vti fuit Belus & Ninus regni Babylonici & Monarchiæ Assyriorum conditores: secundos regnaturos de stirpe Sē Persas & Græcos, postremos de genere Iaphet Romanos,

Sic Methodius, vt refert Historia Scholastica. S. Hieron. tradit istum Methodiū fuisse Episcopum primò quidē Olympi Lyciæ, posteà Tyri, nitidi compositique sermonis, scripsisseque cùm alia, tum libros contra Porphyrium, Cōmentarios item in Genesim & in Cantica Canticorum, & sub finē nouissimæ persecutionis Ecclesiæ, vel vt placet aliis, sub Decio & Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio coronatum. *Hieronym de Scriptoribus Ecclesiasticis*

Refellitur supradicta opinio.

20 VERVM ista quæ Methodius dicitur prodidisse de Ionitho filio Noë, fabulosa sunt, eaque refellere minimè fuerit operosum. Principiò, talem filium Noë, insignem sapientia & prophetico spiritu non tacuisset Moses, nec dixisset ab illis duntaxat tribus filiis, Sem, Cham, & Iaphet omne genus humanum esse propagatum, & vt aliorum filiorum Noë, sic huius quoque progeniem enarrasset. Sed eo conuincitur falsum esse istam opinionem, quòd dicitur Noë genuisse istum Ionithum anno centesimo tertiæ Chiliadis, scilicet ab exordio Mundi: atqui plus nonaginta annis ante istum centesimum annum decesserat Noë. Siquidem ab initio Mundi vsque ad diluuium fluxerunt anni mille sexcenti quinquaginta sex: Noë autem vixit post diluuium annos trecentos quinquaginta: ergo mortuus est anno sexto tertiæ Chiliadis, id est, annis nonaginta quatuor ante id temporis quo dicitur Ionithus esse natus. Dicent fortasse Methodium secutum esse computationem Græcorum codicum, qui plus duo millia annorum recensent vsque ad diluuium. Esto, sed illa computatio mendosa est, vt ostendimus lib. 7. Commentar. nostrorum in Genes. quapropter Methodij opinionem quæ ea cōputatione nititur, falsam esse necesse est.

204 ILLVD verò quis ferat? dicitur Nemrod fuisse nepos Sem, cùm apertis verbis eum Moses faciat nepotem Cham, ita scribens, *Filij Cham, Chus, Mesraim, Phut & Chanaam. Porrò Chus genuit Nērod, &c.* *Genes. 10.*

Vtrum autem Methodius erroris opinione deceptus ista scripserit, an sint ab aliis conficta, & sub specioso eius nomine vulgata, mihi quidem non liquet. Miror equidem tam celebris illius prophetiæ de quatuor Monarchiis nusquam Eusebium, nusquam Hieronymū, ne in Comment. quidem in Danielē, vbi fuisset opportunissimū, mētionem fecisse vllam. Sed vtcunque res habeat, illud ego monitū velim lectorem, vt decet Methodij sanctimoniam, & in martyrio virtutem atque gloriam admirari & venerari, sic non decere, si quæ ille parum cōsentanea sacris litteris scripta reliquerint, ea pro veris certisq; amplexari.

205 SED quibus in terris post diluuiū versatus sit Noë, vno ne semper in loco constiterit, an longinqua petens, varias obierit regiones, quibúsve in sedibus vitā finierit, præclara deniq; eius dicta & facta, quæ multa fuisse par est credere, miro silentio Moses obruit ac suppressit. Causam ego tanti silentij reor fuisse festinationem eius ad scribendas

res Abrahæ: de quo primum historiam valdè ordinatam & copiosam tres ob causas contexuit: primum quod Abraham fuisset princeps & quasi sator populi Hebræi, ad quem populum erudiendum hanc scribendi operam potissimum nauabat Moses. Deinde quod Abraham signum Circuncisionis à Deo accepisset, quo signo eius posteri, id est, Hebræi à ceteris gentibus discreti, in vnum & peculiarem Dei populum coalescere debebant. Ad hæc quod tria Deus Abrahæ amplissima dedisset promissa, vnũ de multiplicatione seminis eius instar stellarum cæli & pulueris terræ: alterum: de possessione terræ Chanaan: tertium de Messia ex ipsius stirpe generando, in quo benedicendæ erant omnes gentes, & propter quem ipse pater futurus erat non solum Iudæorum, sed etiam Gentium quotquot in Christum erant credituræ. Tradunt Hebræi Noë cũ Sem ex Armenia redisse in veterem patriam, id est, loca Damasco vicina, ibiq; condidisse regnum & pontificatum Salem: quæ, Sem, appellatus Melchisedec, administrauit.

Genes. 17.
Genes. 12.
Genes. 15.
Genes. 17.
Rom. 4.

Vbi post diluuium habitauerit Noë secundũ Hebræos & Berosum Annianum.

BEROSVS Annianus multa narrat de iis quæ gessit Noë post diluuium, quæ si vera essent, iucundissima profecto essent legentib. & ad agnitionem pulcherrima. Ait ille, *finito Diluuio cum Arca in Gordiæo mõte Armeniæ consedisset, descendisse Noë in loca plana, & breui mirabiliter multiplicata progenie (perpetuo enim geminos edebãt, marẽ & fœminã) adeo completa esse hominib. ea loca, vt necesse fuerit multos inde recedere. Sed Noë diu ibi mãsit, & Armenos (sic eos nũc appellamus, nam id nominis postea eis inditum est) primum docuit agriculturam, artemq; colendi vites & conficiendi vinum: tum sacros ritus & cæremonias colendi Deum: multa item naturalium rerum secreta mandauit literis, quæ apud Scythas, Armenos solis Sacerdotibus legere, docere ac discere fas est. Docuit præterea cursus astrorum, & distinxit annum ad Solis cursum, & menses duodecim ad motum Lunæ, multãque in posterum ventura Astronomiæ scientia prædicebat. Quamobrẽ quasi Deum quendam illum venerabantur, eumque Solem & Cœlũ cognominabãt. Adhortabatur autem homines familiarum principes vt nouas sedes quærerẽt, conderentq; ciuitates: designauitq; tres orbis partes Asiam Africam & Europam, vt ante diluuium viderat: & singulis principibus familiarum, partes ad quas irent, distribuit, se per totum orbem colonias traducturum pollicitus. Tandem petijt Kitim quam nunc Italiam nominant: ibi regnauit, multaque docuit Italos quæ ad Theologiam, Physiologiã, Politiam, artésque degendæ vitæ necessarias pertinent: earumque rerum refertissimos libros reliquit scriptos. Quamobrem tantum apud eam gentem honorem meruit, vt eũ Chaos, Semen Mundi, Patrem deorum maiorum & minorum animámque Mundi, appellarent: ipsumq; signarent in scriptis cursu Solis, motu Lunæ, & sceptro dominij. Denique in illis locis mortalitatem exuit.* Sic ille Berosus.

Beros. Annianus lib. 3.

206

Augustinus.

BEATVS Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 2. tractans ea quæ hoc loco de filiorum Noë partim benedictione partim maledictione scripsit Moses, cùm indicasset quarum rerum olim futurarum & ad Ecclesiam Christi spectantium tres illi Noë filij figuram prætulissent (de quo etiam nos paulò supra disputauimus) subiungit hæc verba:

207

verba: *Hæc diuinæ scripturæ secreta indagamus vt possumus, alius alio magis minúsue congruenter, veruntamen fideliter: certum tenentes non ea sine aliqua præfiguratione futurorum gesta atque conscripta, neque nisi ad Christũ & eius Ecclesiam quæ ciuitas Dei est, esse referenda: cuius ab initio generis humani non defuit prædicatio, quam per omnia videmus impleri.*

208 DEINDE ponit Augustinus quæstionem hanc: cur post Noë & duos eius filios Sem & Iaphet vsque ad Abraham, de tot hominibus qui intermedio illo temporis spatio fuerunt, nullum laudatæ probitatis ac pietatis virum commemoret Moses, cum aliquos de posteris Sem viros fuisse iustos ac pios non sit dubitandum. Respondet ipse Mosen studuisse breuitati, & quod non solum esset historiographus verùm simul etiam prophetæ, non omnia quæ narrari potuissent, consectatum esse historica diligentia, sed ea tantum intexuisse narrationi suæ, quæ prophetica prouidentia nouerat ad populum & ciuitatem Dei aliquo modo pertinere. Audi Augustinum: *Benedictis, inquit, duobus filijs Noë, atque vno in medio eorũ maledicto, deinceps vsque ad Abraham de iustorum aliquorum qui pie Deum colerent commemoratione silentium est per annos amplius quàm mille. Nec eo defuisse crediderim, sed si omnes commemorarentur, nimis longum fieret: & hæc esset magis hystorica diligentia quàm prophetica prouidentia. Illa itaque exequitur Moses, vel potius per eum Dei Spiritus, quibus non solum narrentur præterita, verum etiam prænuntientur futura, quæ tamen pertinent ad ciuitatem Dei, quia & de hominibus qui non sunt eius cines quicquid hic dicitur, ad hoc dicitur, vt illa ex comparatione contraria vel proficiat vel emineat.*

Cur post Noë Sem & Iaphet & vsque ad Abraham, nullus laudatũ virtutis ac pietatis vir memoretur à Mose. Augustin.

209 POST hæc Augustinus præclarum quoddam tradit documentum omnibus sacras litteras legentibus atque interpretantibus etiã atque etiam inculcandum & commendandum, & ab illis, nisi sæpenumero pueriliter labi velint, diligenter obseruandum: Non omnia quæ in diuinis libris narrantur, latens aliquod habere mysterium, nec ad res futuras significandas commemorari: sed multa quæ carent mysterio, propter ea quæ mysticas habent significationem attexi. *Nõ omnia, inquit Augustinus, quæ gesta narrãtur, aliquid etiam significare putanda sunt, sed propter illa quæ aliquid significant, etiã ea quæ nihil significant attexũtur. Solo vomere terra proscinditur: sed vt hoc fieri possit, etiã cetera aratri membra sunt necessaria. Et scli nerui in cythara aliisque vasis musicis aptantur ad cãtũ: sed vt aptari possint, insum & cetera in cõpaginibus organorũ quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea quæ percussa resonãt, his cõnectũtur. Ita in prophetica hystoria dicuntur & aliqua quæ nihil significant, sed quibus adhæreãt quæ significant, & quodammodo religentur.* Sic August. Cuius tam vero & vtili documento qui studia tractant diuinæ scripturæ si obtemperare noluerint, cupidiores scilicet quàm par est vndecunque mysteria eruendi, ne illi sæpe inanes, frigidas, ineptas insulsasque sententias & interpretationes effutiant necesse est. Verum non procedam longiùs, opportunum enim hic videtur huic libro finem imponi.

Præclarum Augustini documentũ.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

LIBER DECIMVSQVINTVS,

In caput decimum.

DE MULTIPLICATIONE humani generis facta post diluuium ex tribus filijs Noë: & de prima origine gentium, nationum & regnorum terræ.

Caput decimum.

1 HÆ *sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham & Iaphet: natique sunt eis filij post diluuium.*
2 *Filij Iaphet Gomer: & Magog,*
3 *& Madai, & Iauam & Thubal & Mosoch & Tiras. Porrò filij Gomer Ascenez & Riphat &*
4 *Thogorma. Filij, autem Iauan,*
5 *Elisa & Tharsis, Cethim & Dodamin. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum*
6 *linguam suam & familias suas in regionibus suis. Filij autem Cham, Chus & Mesraim, & Phut & Chanaan.*
7 *Filij autem Chus: Saba, & Heuila & Sabatha & Re-*
8 *gma: & Saba & Dadam. Porrò Chus genuit Nemrod: ipse,*

ipse cœpit esse potens in terra. Et erat robustus venator co- 9
ram Domino. Ab hoc exiuit prouerbiũ, Quasi Nẽrod ro- 10
bustus venator coram Domino. Fuit autem principium re-
gni eius Babylon & Arach & Acad & Chalanne in ter-
ra Sennaar. De terra illa egressus est Assur & ædificauit
Niniuen, & plateas ciuitatis & Chale. Resen quoque in- 11
ter Niniuen & Chale: hæc est ciuitas magna. At verò 12
Mesraim genuit Ludim & Anamin & Laabim & 13
Nephtuim, & Phetrusim & Chasluim: de quibus egres-
si sunt Philisthiim & Caphtorim. Chanaan autem genuit 14
Sidonem primogenitum suum: Hethæum, & Iebusæum 15
& Amorrhæum & Gergesæum, & Heuæum & Ara- 16
cæum, Simæum. Et Aradiũ, Samaræum & Amathæũ: 17
& per hos disseminati sunt populi Chananæorũ. Factique
sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram 18
vsque ad Gazan, donec ingrediaris Sodomam & Gomor-
rham & Adamam & Seboim vsque Lasa. Hi sunt filij 19
Cham in cognationibus & linguis terrisque & gentibus 20
suis. De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum He- 21
ber, fratre Iaphet maiore. Filij Sem: Ælam & Assur & 22
Arphaxad & Lud, & Aram. Filij Aram, Hus & Hul 23
Gether & Mes. At verò Arphaxad genuit Sale de quo 24
ortus est Heber. Natiq; sunt Heber filij duo, nomẽ vni Pha- 25
leg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra, & nomẽ fratris
eius Iectan. Qui Iectam genuit Elmodad & Saleph, & 26
Asarmoth, Iare, & Adoram & Vzal, & Decla, & He- 27
bal, & Abimael, Saba, & Ophir & Heuila & Iobab: Om-
nes isti, filij Iectan. Et fasta est habitatio eorum de Mes- 28
sa pergentibus vsque Saphar montem Orientalem: Isti 29
sunt filij Sem secundũ cognationes & linguas & regiones 30
in gentibus suis. Hæ familiæ Noë iuxta populos & natio- 31
nes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra pòst diluuium. 32

PRÆFATIO.

DESCRIBIT Moses hoc decimo capite numerosam progeniē multiplicémque posteritatē trium filiorū Noë, primamque originē diuersitatis gētium, regionū atque regnorū. Nec tamē in posteris filiorum Noë percensendis omnes commemorat, id enim fuisset quasi infinitum, nec vlli vsui: sed eos tātùm qui velut capita & principes fuere aliquarum gentium, eisque nomina indidere. Quapropter Iaphet filios duntaxat septem recensēt, nec eorum posteros omnes, sed duorum tantùm, Gomer tres, & Iauā quatuor: ita vt tota progenies Iaphet quatuordecim viris à Mose circūscripta sit. Cham autem quatuor filios enumerat, & de his, trium duntaxat posteros, omnesque progenitos ex Cham, ad vnius & triginta numerū redegit. Denique Sem quinque filios connumerat de quibus triū tantùm posteritatē exponit: nec de iis qui proseminati sunt ex ipso Sē, plures quàm viginti sex nominauit. Itaque omnes filiorū Noë posteri qui cōmemorantur à Mose, duorū & septuaginta numerū nō excedūt. 1

Cur Gentes ex tribus filiis Noë ortæ recenseantur à Mose. Genes. 9.

VOLVIT porrò Deus has gētes nominatim cōmemorari, eorūq; notitiē immortali posterorū memoriæ cōmēdari, vt liquidò appareret veritas & efficacitas primæ illius benedictionis Dei, cùm dictū est filiis Noë: *Crescite & multiplicamini & replete terrā.* Itēq; ostēderetur verissimus exitus & effectus tā benedictionis Sē & Iaphet, quàm maledictionis Cham, quā eis impertiuit Noë. Ad hæc, vt cognitis veris gentium, regnorū, ac nationū primordiis, vanissimas & mendacissimas de his rebus gentilium historias rideamus atque contēnamus. Et quia gentium quæ hic memorātur, sæpe incidit mentio in sacris literis, percepta earū origine, clarior ac plenior earum gentiū nobis supperat cognitio. 2

Iosephus.

QVOD autem attinet ad vocabula seu nomina gētium quæ hic recensentur, cum quædam eorum retenta sint, multa verò obliterata, sed pleraque tamen immutata, iuuat de his præmonere ac prædocere lectorem, quod præmonuit Iosephus primo libro Antiquitatum.

Post

Post diuisionem, inquit, *linguarum passim dispersi sunt homines, colonijs nusquam non deductis & quo quemque sors & Deus tulit eam terram cum suis occupauit: vt tam maritima quàm mediterranea cultoribus replerentur: nec defuerunt qui cõscensis nauibus ad insulas habitandas trajcerent. Porrò gentium quædam adhuc seruant deriuatam à suis conditoribus appellationem: quædam verò eam mutauerunt: nonnullæ autem in familiarem accolis notioremque vocem deflexerunt, Græci potissimum talis nomenclaturæ auctoribus: hi enim posterioribus seculis veterem locorum: gloriam sibi vendicantes gentes nominibus sibi notis insigniuerunt, & quasi sui iuris essent, mores ritúsque proprios in eas inuexerunt.* Hæc Iosephus. *Vanitas Græcorum.*

Ha sunt generationes filiorũ Noë, Sem, Cham & Iaphet. VERS. I.

CVM his verbis iungi possunt illa superioris capitis: *Tres isti filij sunt Noë, & ab his disseminatũ est omne genus hominum super vniuersam terram.* Extrema item illa verba huius capitis decimi: *Ea sunt familiæ filiorum Noë iuxta populos & nationes suas, ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.* Vult enim Moses ostendere hoc capite, quemadmodum in exordio mundi ex vno genus omne hominum propagatum est vsque ad diluuium: sic post diluuium, quasi nouo rursus Mundi principio, ex tribus filiis Noë omnem terram habitatorib. & cultoribus esse completam: & quæcunque ad id vsque tẽporis, quo tẽpore Moses hanc historiã scribebat, fuerant erantque gentes ac nationes, inde omnes primam traxisse originem. *Genes. 9.*

4 IOSEPHVS scribit tres partes orbis à trium Noë filiorum posteris ita partitè ac distinctè esse occupatas vt Iaphetani (sic deinceps appellabo Iapheti posteros, breuitatis causa, vt Cham posteros, Chamæos, & Sem, Semæos) in Asia sedes tenuerint à Tauro & Amano montibus vsque ad Tanaim fluuium quo disterminatur Europa ab Asia: in Europa verò hinc vsque ad Gaditanum fretum, Chamæi verò Syriam & regiones Amano Libanoque montibus adhærẽtes obtinuerunt, vsque ad mare atque Oceanum ditionis terminos proferendo: Semæi ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto, Asiam vsque ad Indicum Oceanum incoluerint. *Iosephus partitur orbem terræ tribus filiis Noë.*

5 EPIPHANIVS in Anchorato scribit, Noë iusiurandum à filiis suis exegisse, vt cultum veri Dei retinerent, & inter se concordiam ac beneuolentiã custodirent: cumq; is mundi hæres à Deo cõstitutus esset, mundum quasi hæreditariam possessionem filiis suis distribuit, iactis sortibus, vt quisque eam partem terræ quæ sorte obtigisset habitandam & colendam susciperet: & Sem quidem sedes magna ex parte obtigisse in Asia: Cham in Ægypto & Africa, Iapheto in Europa. *Epiphanius vult Noë duobus sortibus cuique suorũ assignasse eã terræ partem quæ sorte ei obtigerat.*

6 HIS addo quæ prodidit Berosus Annianus, vel potius ipse Annius

Quemadmodum Noe per lustrauerit orbem, & habitatoribus compleuerit secundum Beroſum Annianum.


Annius in Commentariis Beroſi: auctore Philone, Noë (quem alij Ianum appellarunt) vna cum tribus filiis multisque coloniis Pontum veniſſe, & ratibus circumluſtraſſe omne mare Mediterraneum, & primo filio Sem oſtendiſſe littus omne Aſiaticum à Tanai per Boſphorum vſque ad Nilum: Cham verò demonſtraſſe littus Africæ à Nilo vſque ad Oceanum Gaditanum: denique Iaphet omne littus Europæ à Gadibus vſque Tanain: & omnibus prouinciis circa littus dimiſiſſe primas colonias: qua in re conſumpto decennio, reuertiſſe in Scythiam, vnde nouis aliis aſſumptis colonis deuectum eſſe in Italiam, & per Tiberim vectum, tenuiſſe ad læuum latus Hetruriam, primasque in Vaticanum & Ianiculum expoſuiſſe colonis. Atque id firmat Annius auctoritate Catonis, à quo ſunt hæc prodita in lib. de Originibus: quorum librorum fragmenta quædam, neſcio vnde erutа, concinnauit Annius & euulgauit. Verùm hæc quia nulla graui ratione, vel probati ſcriptoris auctoritate firmantur, equidem haud maiorem fabulis poëtarum fidem mereri puto.

VERS. 2.

Filij Iaphet, Gomer, Magog, Madai, Iauan, Thubal, Moſoch & Thiras.

S. Auguſtin.

COMMEMORANTVR hîc ſeptem filij Iaphet, ex quibus primi filij, id eſt Gomer, recenſentur poſteri, Aſcenez, Riphat, Thogorma: quarti autem filij, id eſt, Iauan, numerantur quatuor poſteri, Eliſa, Tharſis, Cethim, Dodanim. Omnes igitur poſteri Iaphet hic memorati tam filij, quàm nepotes, ſunt numero quatuordecim: ſed codices Græci quos Auguſtinus libro 16. de Ciuitate Dei capite 3. ſecutus eſt, addunt octauum filium Iaphet nomine Eliſa: quò fit, vt poſteros Iaphet numerent quindecim, ſed illum Eliſa, nec ſcriptura Hebraica, nec paraphraſis Chaldaica, nec Græca tranſlatio Complutenſis habet, neque codices Græci quibus vſus eſt Hieronymus habuerunt, vt ex Traditionibus eius Hebraicis in Geneſim liquet. Omnem porrò hanc progeniem Iaphet licet vno conſpectu in hac deſcriptione digeſtam intueri.



CETERVM quæret fortaſſe quiſpiam, cùm ſupra in enumerandis filius Noë ferè primo loco nominatus ſit Sem, cur nunc Moſes à Iaphet

Iaphet orsus est? An quia secundum Hebræos quos sequitur Tostatus, Lyranus, aliíque permulti, Iaphet primogenitus fuit Noë? at ob eam causam vltimo loco recensèri debebat posteritas Cham, vt qui minimus natu fuit. An contra potius, vt placet Augustino, orsus est à minimo filio, procedens vsq; ad maximum qui fuit Sem? Sed enim credibilius est Cham fuisse minorem Iapheto, cùm supra capite nono dictus sit præcisè frater minor, id est, secundum phrasim Hebraicam minimus. An potius incepit à Iapheto, quod in eo terminasset præcedens caput, agens de filiis Noë: & ad extremum exposuit progeniem Sem quod omnis de ea sequens historia subtexenda erat?

9 Ex hac verò posteritate Iaphet extat & apparet quàm fuerit vera & efficax illa benedictio quam Noë impertiuit Iaphet: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem:* quæ dilatatio non tantum denotat numerosam posteritatis propagationem, verùm præcipuè amplissimas regiones quas occupaturi erant eius posteri, qui maximã orbis partem obtinuerunt, occupata tota Europa cum maiore Asiæ parte, & maris Mediterranei insulis, qui præterea colonos in Africã quoque transmiserunt: nam Græci qui originem ex Iaphet duxerunt, littora Africæ frequentarunt, & egregiis vrbibus compleuerunt, vt ex profanis historiis discimus. Atque hæc liquidò intelligentur ex iis gentibus quæ ex hac posteritate Iaphet per varias terræ oras dissemi-natæ sunt. nam quod de insulis dixi, perspicuè docet Moses illis verbis: *Ab his* (scilicet posteris Iaphet) *diuisæ sunt insulæ gentiũ in regionibus suis.*

Quam longè latéque per orbem dilata ta sit posteritas Iaphet.

10 Nonnvlli putarunt, nostrum Iaphet non fuisse ignotũ Ethnicis, sed fuisse eum ipsum quem illi appellarunt Iapetum cœlo terráque, vt poëtæ fabulabantur, natum, vnumque de Titanibus cum Ioue belligerãtibus, & patrem Promethei, auúmque Deucalionis. Sed profecto inter nostram Iaphet & Ethnicum Iapetum, præter quandam nominis similitudinem, nulla est similitudo, cetera enim adeo diuersa sunt (nihil dico de ratione temporum, quæ vtrique constare non potest.) Vt mirer viros minime indoctos ad id credendum, & scriptis prodendum adductos esse.

An Iaphet fuerit idẽ qui Ethnicis Iapetus.

11 Primvs filius Iapbet nominatur Gomer, cuius posteros Gomeritas putat Iosephus eúmque secuti plerique omnes, fuisse eos quos Græci appellarunt Gallo græcos vel Galatas, sed eos fuisse Gallos, à quibus profecti ij qui Delphos spoliarunt, & posteà in Asia proximè Troadem consederunt, & Phrygiæ partem maiorẽ occuparunt, concors est Geographorum sententia, Audi Iustinum lib. 35. *Tantus*, inquit, *terror Gallici nominis, siue armorum inuicta felicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam reges tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur: tantæq; fuit id temporis fœcunditatis Gallorum iuuẽtus, vt Asiam omnem velut examinare aliquo implerent. itaque in auxilium à Bithyniæ rege inuocati, regnum cum eo parta victoria diuiserunt, eámque regionem Gallograciam, quia mixti Græcis Galli fuerant, nominarunt.*

An Gomer pater fuerit Galatarum.

12 Qvales igitur Gomeritæ populi fuerint quasve terras insede-

rint, coniici potest ex vaticinio Ezechielis, quod est in cap. 38. his
Locus Ezec. c. 38. verbis, *Gomer & vniuersa agmina eius, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totũ robur eius, populique multi tecum.* Describit eo loco Ezechiel bellicas copias principis Gog ex variis gentibus collectas, quas ille ducturus erat ad debellandos Iudæos, bonisque omnibus spoliandos, postquam illi Babylone regressi sunt in patriam. Ex vaticinio autem
Iosephus. Danielis capite 11. & ex historia Iosephi constat Iudæos post reditum ex Babylonica captiuitate sæpè ac vehementer vexatos esse à regibus Ægypti & Syriæ seu Asiæ, præsertim autem ab Antiocho Epiphane, vt docet historia Machabæorum. Ergo Gomeritas credibile est fuisse populos in Asia, quæ Aquilonaris est seu Septentrionalis Palæstinæ: vel etiam in aliqua parte Syriæ, nec longè tamen remotos à Palæstina: dici verò Aquilonares comparatione Iudææ, talem enim positum ea regio habet ad Palæstinam. Quapropter Daniel capit. 11. reges Syriæ appellat reges Aquilonis, sicut reges Ægypti nominat reges Austri, nempe vtrumque comparatione Iudææ.

Ex Magog quæ gentes ortæ sint. ALTER Iapheti filius nominatur Magog: cuius posteros Mago- 13
Hieronym. gæos quidam putarunt fuisse Gothos, vt narrat Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, alij Getas, Massagetas, denique Scythas, quæ est Iosephi, Hieronymi, ac ferè omnium sententia. E Scy-
Plinius. this autem origo est Tartarorum ac Turcarum. Nec desunt qui contendant Magogæos fuisse populos Cælesyriæ, propinquos Palestinæ, coniecturam eius rei facientes ex illis verbis Plinij libro 5. capit. 23. *Cœle habet Apamiam, Marsya amne diuisam à Nazerinorum Tetrarchia & Bambycem quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris verò Magog, &c.* Magog igitur, vt ex Plinio licet intelligere, sacra fuit & augusta vrbs Syrorum (id enim sonat Hierapolis) cuius vrbis & regionis principem facit Gog in cap. 38. Ezechiel: vbi Magogæi recensentur inter varias gentes quæ sub principe Gog, id est, regibus Syriæ militaturæ & bellaturæ erant aduersus Iudæos ex Babylonica captiuitate reductos. Iudæos enim recens Babylone reuersos in Iudæam, fuisse valdè infestatos & vexatos à finitimis gentibus, Samaritis & Syris, non obscurè intelligitur ex libris Esdræ.

Origo Medorum. TERTIVS Iapheti filius appellatur Madai. Inter omnes conue- 14
nit ex Madai esse ortos Medos populos in Asia maiori celebres, à primo quidem subiectos Assyriis, sed posteà per Arbacum præfectum debellato Sardanapalo nouissimo Assyriorum monarcha, non seruitutis modò iugum excussisse, verùm etiam imperium Asiæ annos prope quadringentos obtinuisse. A Medis quoque Babyloniorum imperium euersum esse per Darium Medum, & narrat Daniel cap. 5. & ante prædictum fuerat ab Isaia cap. 14. & Hieremia cap. 51.

INTER eiusdem Iapheti filios quarto loco memoratur Iauan, ex 15
Origo Ionũ. quo, sententia omnium, proseminati sunt Iones satores parentesque Græcorum. Quocirca multis in scripturæ locis pro Hebræa voce Iauan, Septuaginta verterunt Ἑλλάδα, Latinúsque interpres Græciam,

& pro

& pro plurali Iauanim, illi Ἕλληνες, hic Græcos transtulit, vt videre est apud Isaiam capite 66. Ezechielem 27. Ioelem 3 Nonnunquam tamen Septuaginta retinuerunt ipsum vocabulum Hebræum, sed nonnihil tamen immutatum vt hic nominarunt Iouan. Hecathæus apud Strabonem libro nono ait Ionas ex Asia venisse in Græciam, vnde sit origo Athenienſium quos fuisse antiquitùs dictos Ionas, & Atticam eorum regionem appellatam esse Ioniam, docet Plutarchus in Theseo. verum quia se primos hominum, & quasi aborigenes iactabant Athenienses, idcirco dixerunt se non à principio dictos fuisse Iones, sed post Deucalionem cuius filius Xuthus fratres suos ex Thessalia fugiēs Athenas, receptusque ab Erictheo, ex eius filia filium suscepit Ionem ex quo Athenienses dicti sint Iones, qui missis in Asiam colonis, inibi Ioniam condiderunt. quam opinionem secutus est Strabo libro octauo, & Pausanias in Achaicis. Sed prior sententia verior est.

Hecathæus.
An ex Ionibus orti Athenienses.
Plutarch.
Strabo.
Pausanias.

16 QVINTVS filius Iaphet nominatur Thubal. Thubalæos verò Iosephus putat esse Iberos, id est, Hispanos: Hebræi verò Italos, prius dictos Hesperios. Verùm quia Thubal sæpissimè iungitur & consociatur cum Mosoch, vt apud Ezechielem cap. 17. 32. 38. 39. quidam autem opinantur Mosoch fuisse Cedarenos, id est, Arabes, putarunt iidem Thubalæos fuisse populos Asiaticos, sed Syriæ & Arabiæ vicinos, non autem Europæos, id est, vel Hispanos vel Italos. Septuaginta Interpreres & paraphrastes Chaldæus appellant Thobel.

Thubal quarum gentium auctor fuerit.
Iosephus.

17 SEXTVS filius recensetur Mosoch, ex quo opinantur quidam generatos Moscos seu Moscouitas propter similitudinem nominis, quæ tamen similitudo non est in voce Hebræa *Mesech*, nam Latina vox Mosoch sumpta est ex Septuaginta Interpretibus qui Græcè verterunt Mosoch. Iosephus ait Merechæos vel Mesochęos posteà dictos à Græcis Cappadoces, & priscæ appellationis indicem & testem esse ciuitatem quandam apud Cappadoces cui Masecha nomen est. Probabilius videtur aliis, Mosochæos, populos fuisse Syriæ & Arabiæ, vicinos, & confines Cedarenis Arabibus, qui sunt iuxta Nabathæos auctore Plinio libr. 5. capite 11. Cedar enim filius fuit Ismaëlis Genes. 25. vnde Ismaëlitæ & Arabes postea dicti Saraceni, fortasse quod Sara velut auctore (vti est in cap. 16. Geneseos) Abraham duxit Agar vxorem, ex qua Ismaëlem suscepit illius gentis parentem.

Quæ fuerint gentes, quarū parens fuit Mosoch.
Iosephus.
Plinius.

18 MESECH autem fuisse gentem propinquam habitatoribus Cedar, potest conijci ex Psalmo 120. vbi Dauid de miseria sui exilij querimundus, illas voces lamentabiles prorupit: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar.* Sic enim eū locum Latinus interpres Græcam versionem secutus expressit. Atqui pro illo *prolongatus est*, Hebraicè est *Mesech*, vt Dauid quæratur se procul à patria peregrè agere in Mesech, & habitare inter tabernacula Cedar, id est, versari inter gentes barbaras perfidasque & continuis incursationibus atque latrociniis gaudentes. Iuxta quam sententiam Para-

Locus Psalmi 120.

phrastes Chaldæus ita reddidit eum locum : *O me miserum quia peregrinatus sum cum Asianis, habitaui cum tabernaculis Arabum.* Consentaneum igitur est secundum istos, Gomeritas, Magogæos, Thubaleos, & Meschæos populos fuisse, vel in Asia, vel in Syria, vel non inde procul, Palestinæ circumfusos. & principi Gog, ideſt, regum Syriæ atque Asiæ qui post Alexandrum regnarunt, imperio subiectos.

Origo Thracum.

SEPTIMVS atque vltimus Iapheti filius recensetur Thiras, ex 19 quo fermè omnes genus & originem ducunt eorum quos Græci appellarunt Thraces. Cur id senserint non aliam video rationem quàm congruam denominationem à Thira Thiraces, & melioris soni gratia, Thraces. Verum alij Thracum nomen repetunt à Thrace filio Martis: alij ab asperitate eius regionis, quæ nec cœlo læta, inquit Mela, nec solo est, & nisi qua propinqua mari, infœcunda, & præfrigida, eorumque quæ seruntur: malignè admodum patiens: viris quoque asper & indecens corporum habitus ad ferociam & sæuitiam compositus. Plerisque tamen Ethnicorum visum est, Thraces dictos esse quasi truces: namque Isidorus libro nono Etymologiarum, *Thraces*, inquit, *ex filio Iaphet qui Thiras nominatus est, orti & cognominati sunt: licet Gentiles, eos ex moribus ita dictos existiment, quod sint truces. sæuissimos enim omnium gentium fuisse perhibent. quippe qui captiuos diis suis litarent, & humanum sanguinem ossibus capitum exceptum potare soliti essent.* Hic Thiras nusquam aliàs nisi 1. Paralipomenon cap. 1. nominatur in scriptura, fortasse quod ipse atque eius posteri terras insederint longè dissitas à Iudæis, eos enim ferè populos commemorare solet Scriptura, qui vel Palæstinæ vicini fuerunt, vel hostium populi Dei castra secuti infestarunt & vexarunt Iudæos.

Mela libr. 2. cap. 2.

Isidorus.

Porrò filij Gomer, Ascenez & Riphath, & Thogormæ.

DE septem filiis Iaphet, duorum tantùm posteri memorantur, Gomeri tres, & Iauan quatuor: nam reliqui parentum suorum nominibus contenti, nullas sibi adoptauerunt gentiles appellationes: vel eos scriptura vno communi nomine comprehensos commemorauit, quòd apud eos nihil fuerit nobilius atque illustrius capite ipsius familiæ & primo generis auctore. Primus filiorum Gomer nominatur à Latino interprete Ascenez, Græcè Ascanaz, sed Hebraicè Ascenaz: Ascenazæos autem Iosephus putat esse Rheginos: alij, Gothos, Iudæi nostri temporis, Germanos, nempe secuti Thargum Hierosolymitanum, in quo vocabulum, Gomer exponitur Africa, Aschenas autem Germania. Sed id falsum esse arguitur ex Hieremia, apud quem capite 51. vbi agitur de excidio Babylonis & de variis gentibus, quibus sociis & auxiliantibus Medi Babylonicum imperium euersuri erant, inter eas gentes commemorantur Ascenez, qui socia arma cum Medis

Iosephus. An posteri Ascenez fuerint Rhegini vel Gothi vel Germani.

Medis laturi erant aduersus Babylonios. Ex quo non vana sit coniectura, eos fuisse de populis Asiaticis ad imperium Medorum pertinentibus, & hoc similius vero videtur, quàm fuisse eos vel Rheginos vel Gothos.

Riphathæi secundum Iosephũ postea dicti sunt Paphlagones.

20 ALTER filius Gomor nominatur Riphat, cuius nusquam alibi diuina scriptura quàm 1. Paralipomenon cap. 1. mentionem facit, fortasse quod longius à ceteris fratribus recedens, longinquas occupauerit oras, quo fit vt quasi sub alio degens cœlo prætereatur in sacris literis, An Riphei vel Riphatæi sint, quos postea Græci dixere Paphlagones, nec improbare habeo, nec, præter auctoritatem ita sentientium approbare.

An Thogormæi fuerint qui postea Phryges, vel qui Turcæ appellati sint, vel Cappadoces, vel Germani. Locus Exec. c. 27. & 38.

21 TERTIVS filius appellatur Thogorma, qui non tantùm 1. Paralipomenon cap. 1. sed etiam apud Ezechielem ne semel quidem nominatur. Sed, qui fuerunt Thogormæi? Iosephus quidem putat fuisse Phryhes: Iudæi, Turcas: namque Turcarum Imperatorem nominant Thogal, Aliqui Cappadoces: multi Germanos, cui opinationi suffragatur Chaldæus interpres, qui apud Ezechielem c. 27. Thogorma exposuit Germaniam, vbi Propheta loquens de mercatu Tyriorum dixit: *De domo Thogorma equos & equites & mulos adduxerunt ad forum tuum.* Sed ex ipso loco licet conuincere, vocabulo Thogorma non posse intelligi Germaniam, nullum enim commercium Germanis esse potuit cum Tyris immenso prope terrarum spatio inter se dissitis. Thargum Hierosolymitanum hoc loco pro Thogorma posuit Barbariam. Et enimuero cùm apud Ezechielem cap. 38. inter varias gentes quas princeps Gog, id est, reges Syriæ & Asiæ secum ad bellum Hebræis inferendum trahunt, commemorarentur etiam Thorgormæi, non temerè quis putauerit eos fuisse populos Syriacos vel Asianos eorum regum ditioni & dominationi subiectos.

Filij autem Iauan, Elisa & Tharsis, Cethim, & Dodanim. VERS. 4.

Elisa quam gentem condiderit.

22 PRIMO Iauani filio Elisa, ortos esse Græcos qui dicti sunt Æoles plerique putarunt, haud dubiè Iosephum secuti. Paraphrastes Chaldæus, apud Ezechielem c. 27. vbi Latinus interpres vertit, *de insulis Elisa* reddidit, *de insulis Italiæ*, idem putans Elisam atque Italiã. Certè non est improbabile, Elisam & posteros eius pernauigasse totum illud mare Græcium, & insulas eius inhabitasse, & de parentis sui nomine appellasse: nec solum insulas aut loca eius maris, sed etiam ceteri maris Mediterranei. Solet enim Scriptura cùm de insulis agit, transmarinas etiam regiones intelligere, in quibus insulas maris Mediterranei comprehendit. Nec mihi videtur planè futilis eorum coniectura qui opinantur ipsum Elisam aut eius posteros emenso Mediterraneo

mari, extraque fretum Gaditanum euectos peruenisse ad insulas Fortunatas, easque de nomine auctoris suis generis nominasse Elisæas aut Elisias: atque id fecisse locum fabulis poëtarum inibi locantium beatorum sedes, quas illi campos Elysios nominarunt Verùm qualiscunque coniectatio vel potius diuinatio cui arriserit, ei tantùm esto probabilis.

Insulæ Fortunatæ & Campi Elysij.

ALTER Iauani filius nominatur Tharsis, Ab hoc ortos esse Cilices non vanè creditur, argumento metropolis eius regionis, totoque orbe quondam inclytæ vrbis, quæ prisco retento vocabulo dicta est Tarsus, super omnia ortu Beati Pauli nobilitata. Nec facit cõtra hoc quod Tharsus sine aspiratione scribatur: solent enim Græci, & Græcorum more Septuaginta Interpretes in multis vocabulis θ, vertere in τ. Ergo vocabulum Tharsis primò ac propriè significat Ciliciam & mare illud Cilicum. Ioseph. libro octauo Antiquitatum, Tharsis interpretatur regionem Indiæ, id est, Aureã Chersonesum, sicut etiam B. Hieronymus in epistol. 132. Septuaginta interpretes apud Esaiam vigesimo tertio, Ezechielem vigesimo tertio, pro Tharsis posuerunt Carthaginem, cui affine est, quod Paraphrastes Chaldæus apud Hieremiam capite decimo, & tertio Regum capite decimo, Tharsis interpretatur Africam, at Psalmo septuagesimo secundo: Ciliciam: cùm tamen & ipse & Septuaginta multis locis vertant mare. Ioseph verò lib. nono Antiquitatum quod narratur secundo Paralipomenon cap. 20. de classe regis Iosaphat, quæ comparata fuerat in Mari Rubro, vt iret in Tharsis, significari putauit mare Ponticum & emporia Thraciæ, sed manifesto in Geographia lapsu: neque enim ex Mari Rubro classis petere poterat Pontum aut Thraciam, nisi immenso penè Oceano, totoque Mediterraneo mari circumuecta.

Quæ regio fuerit Tharsis, & quid eo vocabulo significetur in sacris literis.

Ioseph.

Chaldaica paraphrasis.

SED vt in pauca conferam quæ ad notionem huius vocis pertinent: arbitror vocabulum Tharsis primò significasse Ciliciã & mare Cilicum prætentum Phœniciæ & Syriæ indeque traductum ad significandum omne mare Mediterraneum, & loca eius maritima: vel quia Tharsis filius Iauan aut eius posteri è Cilicia profecti, totum hoc mare permensi, & insulas & maritima loca peruagati, ea colonis & habitatoribus compleuerunt: nam quondam Cilices latè mari terraque dominatos esse, tradit Solinus cap. 41. *Cilicia*, inquit, *quondam vsque ad Pelusium Ægypti pertinebat, Lydis, Medis, Armenijs, Pamphilia, Cappadocia sub imperio Cilicum constitutis.* Vel ex parte ad totum traductio eius nominis facta est, nonnunquam enim quod vni alicui rei significandæ primo inditum est nomen, id posteà vsu ipso ad alia multa significanda traducitur, vt patet in vocabulo Cethim, quod primò quidem Cyprum, inde omnes insulas ac loca maritima significauit. Et quia inter loca maritima huius maris Mediterranei celeberrima fuit olim Carthago, namque Carthaginenses diu multumque mari dominati sunt, re nauali pollentes ac florentes: idcircò nonnullis locis scripturæ pro Tharsis tam Græcè, quàm Chaldaicè & Latinè positum

Quanta olim potentia Cilicum.

positum est nomen. Carthaginis vel Africæ, vt supra diximus.

25 CVM autem mare Mediterraneum, quòd esset amplissimum altissimumque à Iudæis, diceretur Mare magnum, & naues magnæ, quæ in eo mari nauigabant, appellarentur naues Tharsis hinc factum est, vt id nominis etiam ad Oceanum ipsum significandum (vt patet ex libris Regum & Paralipomenon) sit translatum. Sic enim intelligi potest quod scriptum est in illis libris de Classe regum Iuda qua ex Mari Rubro petebatur Tharsis, id est, mare Indicum: nam quod eo vocabulo alij exposuerint regionem Indiæ, propterea non placet quibusdam viris doctis, quod non filij Iauan, id est Tharsis & eius posteri, sed filij Iectan, vt Ophir & Heuila, ad loca Indiæ incolēda profecti sint. non igitur illis conuenit vocabulum Tharsis. Verùm de vocabulo Tharsis satis hæc in præsentia de quo etiam disputauimus lib. 12. nostrorum Commentariorum in Danielem, vt si quæ fortè hic desiderabuntur, inde liceat petere.

26 TERTIVS Iauani filius nominatur Cethim numero plurali, vt non tantùm illum Iauani, verùm & posteros eius significari intelligamus. Septuaginta Interpretes, vbicunque ponitur in Scriptura hoc nomen, vocem Hebræam retinuerunt. tres huius vocis significationes in sacris literis annotare licet. Primam pro insula Cypro, vt ait Iosephus, cuius veteris appellationis vestigium extare dicit in vrbe eius insulæ quæ vocatur Citium, vnde Zeno Citicus Stoicorum princeps, & inde omnes insulas, vt pleraque loca maritima Hebræos gentili voce Cithim appellare. Altera significatio est pro Italia, vel pro Italis seu Romanis, quæ elicitur ex c. 24. libri Numerorum, vbi vaticinium Balaam his verbis reddidit Latinus interpres: *Veniēt in trieribus de Italia, superabunt Assyrios vastabuntq; Hebræos, & ad extremum ipsi peribunt.* Pro illo *de Italia*, Hebraicè est Cithim, quam vocem Chaldæus interpretatus est Romanos. Eadem quoque significatio elicitur ex iis verbis quæ sunt apud Danielem cap. 11. *Et venient super eum trieres & Romani, & percutietur.* pro illa voce, *Romani*, Hebraicè est *Cethim*. Apud Ezechielem quoque c. 27. illud, *de insulis Cethim*, Latinus Interpres dixit de *insulis Italiæ*, Chaldæus verò, *de Apulia*. Tertia significatio eius vocis est pro Macedonia, seu potius Græcia: namque in exordio prioris libri Machabæorum dicitur Alexander exisse de terra Cethim, id est, ex Macedonia vel Græcia, & in eiusdem libri cap. 8. Philippus & Perses vltimi reges Macedoniæ, appellantur Cethæorum reges. Collatis igitur inter se variis scripturæ locis, videtur hæc vox significare insulas maris Mediterranei, præsertim autem Aegypto & Syriæ obiacentes: tum etiam vlteriora maris Mediterranei, vt Græciam & Italiam. Denique significat ea vox gentes Hebræis transmarinas, vt sunt Europææ gentes, scilicet accommodat se scriptura ad opinionem & sensum Hebræorum, qui populos à se Mediterraneo mari discretos, esse omnes insularum incolas putabant, vt eos qui aliundè nauibus Iudæam appellabantur: nam sicut in Italia

Quæ gens vel regio significatur vocabulo Cethim.

Iosephus.

eos

eos qui trans Alpes agunt, vocamus Tramontanos, sic Hebræi dissitas à se mari gentes, insulares nominabant. Videat lector, si placet, quæ de hac ipsa nos voce scripsimus libro 14. Commentariorum nostrorum in Danielem super illa verba capitis 11. *Et veniem super eum trieres & Romani, &c.*

Dodanim posteri. QVARTVS filius Iauani nominatur Dodanim: hunc Iosephus 27
omisit: fortasse quod quænam ex eo gentes ortæ essent, quasve tenuissent sedes, ignorauerit. Septuaginta Interpretes eam vocem plurali numero, vti est, accipientes & hic & in primo Paralipomenon cap. 1. interpretati sunt Rhodios, ex quo coniecturam faciunt nonnulli legendum esse non Dodanim sed Rhodanim, procliui admodum lapsu vnius literæ in alteram, propter maximam similitudinem quæ est inter duas literas Hebraicas (res) & (daleth). Quidam secuti similitudinem vocis Dodanim, opinati sunt eam gentem tenuisse & condidisse Dodanam Epiri, Iouis templo & oraculo inclytam apud Ethnicos. Alij qui legendum censent Rhodanim, istos Iauani posteros ad Rhodanum & Gallias peruenisse existimant.

Origo Rhodiorum.

POST hæc subdit Moses: *Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regio-* 28
nibus suis, vnusquisque secundum linguas suas, & familias suas in nationibus suis. Quibus verbis videtur significare insulas gentium, id est, transmarinas Iudæis nationes, & insulas maris Mediterranei, ipsamque Europam fuisse ab his Iauani filiis occupatam, filios dico Iauani illos quatuor, Tharsis, Elisam, Cethim, & Dodanim, populorum Europæorum & insulanorum maris Mediterranei parentes. *Legamus* (inquit Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim.) *Varronis de Antiquitatibus libros, & Sinnij Capitonis, & Græcum Phlegonta, ceterosq; eruditissimos viros, & videbimus pene omnes insulas & totius orbis littora terrasq; mari vicinas Græcis accolis occupatas, qui vt supra diximus, ab Amano & Tauro montibus omnia maritima loca vsque ad Oceanum possedere Britannicum.* Sic Hieronymus. Alij verò filij & posteri Iaphet populos Asiaticos disseminarunt, vt suprà dictum est de Gomet, Magog & Madai.

Hieronym.

VERS. 6.

Filij autem Cham: Chus, Mesraim, & Phut, & Chanaan.

Iosephus. CHAM filios & posteros ait Iosephus Syriam & regionem Amano Libanoque montibus hærentem obtinuisse, quicquid eius ad mare vergit occupando, & Oceanum vsque ditionis terminos proferendo: vocabula autem eorum partim euanuisse, partim ita deprauata esse in diuersum, vt non facilè sit agnoscere. Hæc Iosephus. Ad cuius sententiæ confirmationem facit quod Strabo in libro decimo sexto scriptum reliquit: *Ego*, inquit, *prisca gentium vocabula, tum propter obscuritatem, tum propter absurditatem*

Strabo.

ditatem pronuntiandi, non pono. Cham filios & posteros ad hunc modum recenset Moses, primò nominantur quatuor eius filij, Chus, Mesraim, Phut & Chanaan.

DEINDE horum omnium, præter Phut, posteri commemorantur, vt in subiecta descriptione licet videre.

Cham filij.

- Chus
  - Saba
  - Heuila,
  - Sabatha.
  - Regma, ---------- Saba,
  - Regma, ---------- Dadam,
  - Sabathacha,
  - Nemrod,
- Mesraim
  - Ludim,
  - Ananim,
  - Laabim,
  - Nephtrum,
  - Phethrusim,
  - Chasluim,
  - Philistiim, & Caphturim.
- Phuth.
- Chanaan.
  - Sidon,
  - Hethæus,
  - Iebusæus,
  - Amorrhæus,
  - Gergesæus,
  - Heuæus,
  - Aracæus,
  - Sinæus,
  - Aradius,
  - Samaræus,
  - Hamathæus.

Omnes XXXI.

PRIMA DISPVTATIO.

Quæ regio aut gens donetur vocabulo Chus, vtrum ne Æthiopia an Arabia.

29 PRIMVS filius Cham appellatur Chus vnde secundum omnes origo Aethiopum, namque vbicumque in sacris literis ponitur vocabulum Chus Hebraicè, vel Chusim, semper Septuaginta Interpretes eósque secutus Latinus

noſter interpres, interpretati ſunt Aethiopiam & Aethiopes & Ioſephus atque Hieronymus aliique tam Hebræi quàm Chriſtiani eodem modo eas voces intelligunt & exponunt.

Matthæus Bero. in ſuo Chronico.

CONTRA hunc communem omnium ſenſum præfractè pugnat quidam noſtræ ætatis ſcriptor, contendens vocabulo Chus non ſignificari Aethiopiam, ſed Arabiam propinquam Aegypto & Paleſtinæ, & vſque ad ſinum Arabicum, quod Mare Rubrum appellatur, porrectam. Hoc autem ille ſic argumentatur: Regio Chus & gens Chuſæa ſecundum ſcripturam, erat propinqua Aegypto, nec multum diſtans à Palæſtina, ſed Aethiopia eſt remotiſſima, vtpote ſita ſub Zona torrida, Aethiopes enim ſolis ardore torrentur, at verò Arabia vicina eſt, iacens inter Aegyptum & ſinum Arabicum: ergo Chus non Aethiopiam, ſed Arabiam in ſacris litteris ſignificat. In hac argumentatione duo ſumuntur, alterum eſt regionem Chus ſignificari in ſacris litteris eſſe vicinam Aegypto & Palæſtinæ, alterum verò eſt, Arabiam eſſe talem, non autem Aethiopiam: Vtrumque autem ſic ille probat: Sephora vxor Moſis appellatur Chuſitis ſeu Chuſæa (Latinus interpretatus eſt Aethiopiſſam:) eandem verò fuiſſe Madianitem ex ſecundo capite Exodi manifeſtum eſt, ſicut etiam illud perſpicuum, Madianitas vicinos fuiſſe Aegyptiis & Palæſtinis. Scriptura autem, Madianitas, Amalecitas & Iſmaëlitas, quantū ad regionis & locorum ſitum, ferè confundit, quòd illi Arabias quodammodo confuſi & permixti colerent cum Chuſæis, & cum his quos nominatim Scriptura appellat Arabim, id eſt, Arabes. Aethiopes porrò diſiunctiſſimos fuiſſe à Madianitis, nemo qui aliquid ſcit in Geographia, neſcire poteſt.

Num. 12. Sephora vxor Moſis fuerit ne Aethiopiſſa.

Zara regis innumerabilis exercitus.

DEINDE in libro ſecundo Paralipomenon capite decimoquarto narratur Zaram regem Chuſæorum (Latinus vertit Aethiopum) duxiſſe contra Iudæos immenſum penè exercitum, decies centenum millium, quem ex remotiſſima regione Aethiopiæ veniſſe aduerſus Iudæos quis credat? neque enim tam longo itinere tam magnum exercitum ducere potuiſſet, nec vllas inimicitiarum cauſas inter Æthiopes & Iudæos fingere licet: erat igitur ille Zara rex Chuſæorum, id eſt, Arabū, non Æthiopum. Quocirca Aſa rex Iuda, qui Dei præſidio tantum exercitū parua manu fudit, dicitur perſecutus eum, & aliquas vrbes eius finitimas Geraræ diripuiſſe. Gerarā autem fuiſſe in fine Palæſtinæ verſus Ægyptum, ex peregrinationibus Abrahæ & Iſaac, Geneſeos vigeſimo & vigeſimo ſexto notum eſt. Præterea Iſaiæ vigeſimo, ſic eſt: *Timebunt & confundentur à Chus ſpe ſua* (Latinus ab Aethiopia) *& ab Ægypto gloria ſua.* Significatur his verbis auxilium quod Iudæi ſperabant à Cuſæis & Ægyptiis aduerſus Aſſyrios, fore vanum ac planè nullum. At enim Iudæi nullum ab Æthiopibus longiſſimè remotis auxilium ſperare poterant, ſed ab Arabibus viciniis. Chuſæi igitur non Æthiopes ſed Arabes fuerunt.

IDEM firmatur alio teſtimonio eiuſdem vatis, apud quem capite trigeſimo ita eſt: *In illa die egredientur nuntij à facie mea in trieribus ad*

conte

conterendam Chus confidentiam (Latinus, Aethiopiæ confidentiam) *& erit pauor in eis in die Ægypti.* Quis nescit ex Aegypto non opus esse nauibus ad petendam Aethiopiam quæ desertis & montibus supra & circa Syenem discernitur ab Aegypto? Arabia verò quæ sinu Arabico siue Mari Rubro disiungitur ab Aegypto, nauibus egetiut adeatur ex Aegypto. Quapropter Nabuchodonozor superata Aegypto, nauibus traiecit in Arabiam quæ vires suas iunxerat cum Aegyptiis aduersus ipsum: sed vtramque gentem Deus imperio eius regis subiecit, vt indicat Hieremias capite 25. gentes imperio Nabuchodonosor subiugatas singillatim recensens. Verùm præ ceteris vrgent illi verba illa Isaiæ capite decimo octauo, *Væ terræ cymbalo alarum quæ est trans flumina Chus* (Latinus & Septuaginta, trans-flumina Aethiopiæ) Haud dubiè, inquiunt, vates loquitur his verbis de Aegypto: quam esse inter flumina Aethiopiæ, ne intelligi quidem potest: namque Aethiopia est sub Zona torrida, vltra eā verò quæ flumina sunt, aut quæ regio Iudæis cognita? aut quomodo Aegyptus dici potest esse trans-flumina Aethiopiæ? At si vocabulo Chus interpretemur Arabiā, sententia horum verborum plana est: etenim Arabia Aegypto contermina, versus mare Syriacum habet Lacum Sirbonidē, & ex altera parte versus Meridiem habet Traianum fluuiū, item sinū Arabicū seu Mare Rubrum, præterea complures fossas manu factas quas Diorygas appellant, quas omnes aquas nomine fluminum notauit Scriptura.

32. APPARET igitur, vocabulo Chus non posse intelligi Æthiopiam propter longissimam eius à Palestina distantiam, sed intelligi debere Arabiam, quæ confinis erat Ægyptiis, nec longinqua Palæstrinis. Audi Plinium lib. 5. c. 11. *Vltra Peleusiacum Nili ostium Arabia est ad Rubrum Mare pertinēs, & vsque ad odoriferam illā & diuitē, & beatæ nomine inclytum:* & cetera quæ sequūtur. Idemque proximè sequenti c. *Iuxta*, inquit, *Syria, litus occupat, quondam terrarū maximā, & pluribus distincta nominibus: nāq; Palæstina vocabatur, qua coningit Arabiæ, & Iudæa, & Cœle dein Phœnice, & qua recedit intus, Damascena.* Hactenus ex Plinio. *Plinius.*

HÆC disputant isti aduersus Septuaginta & Latini interpretis translationes, & contra communem totque sæculis confirmatam tam Hebræorum, quàm Christianorum sententiam. Ast ego istis argumentis à tam veteri & communi sententia minimè deducar: nec possum inducere in animum vt credam tot tantosque viros, non dico Philonem, Iosephum, Eusebium, Hieronymū, omnesque Hebræos iuxta atque Christianos, diuinarum litterarum tractatores, non hos dico, sed illos Septuaginta Interpretes contemtis sacris litteris summam non suæ tantùm ætate & in Synagoga, sed multis sæculis in Ecclesia auctoritatem, & venerationem promeritos, nec in Palæstina tantùm, verùm in Ægypto cum ipso rege regnique proceribus magna sapientiæ existimatione laudeque versatos, hos dico, vel ignorasse quænam regio & gens nomine Chus in sacris litteris significaretur, vel nescisse vbinam ea terrarum prouincia & gens locata esset, *Examinatur prædicta opinio.*

quodue discrimen vicinorum Arabum, atque remotissimorum Aethiopum esset, vt magno inscitiæ errore vbicunque scriptura vocabulum Chus posuit, semper ipsi pro Arabia Aethiopiam, & pro Arabibus Aethiopas Græcè reddiderint.

Duplex Aethiopia.

RATIONES verò contrarias ex variis locis scripturæ petitas facile est discutere, vnica & breui distinctione adhibita. Constat duplicem fuisse Æthiopiam, alteram Orientalem, Occidentalem, alteram Arabico sinu discclusas, illam conterminam & contiguam Aegypto, hanc longè remotam, de illa supradictis locis Scripturam loqui, de hac minime. Ergo rationes quas supra exposuimus, aduersus hanc validæ sunt: aduersus illam planè infirmæ. Hanc distinctionem Aethiopiæ non ego finxi ex meo sensu, sed ex optimis auctoribus exprompsi illam primus (quod equidem memini) Homerus indicauit bipartitas faciens Aethiopas, & ad Ortum & ad Occasum spectantes, quam distinctionem postea confirmauit Herodotus, eandémque præstantissimi Geographi Strabo & Plinius compróbarunt. Nec illa quorundam coniectura de Nilo est, quoniam Aethiopes quondam latissimè dominati sunt, etiam imperio Aegyptiorum potiti, multas Orientem ac Septentrionem versus insedisse terras, quibus longo tempore nomen Aethiopum adhæserit. 33

Homerus Odysseæ, & Herodotus li. 7. Strabo li. 1. Plin. lib. 5.

EXTREMA porrò istorum rationem ex capite decimo octauo Isaiæ ductam, quam ipsi vt præcipuum opinionis suæ firmamentum magnificant, parui negotij fuerit dissoluere. Beatus Hieronymus eum locum Isaiæ explanans, ait vatem loqui de Alexandria aut de Aegypto: quam dixit esse trans-flumina Aethiopiæ, id est, trans riuos Nili, quem in Aegyptum ex Aethiopia fluere nemo dubitat: riuos autem Nili appellat septem illos Nili alueos seu, vt vocant, ostia, quibus aquas suas in mare nostrum exonerat: quæ Ouidius quodam loco Septemflua Nili flumina nominauit. Possent etiam riuorum nomine intelligi multiplices fossæ manu factæ, per quas Nili aqua diducitur ad irrigandam & fœcundandam Aegyptum. Ad hoc Ezechiel quoque spectauit, cùm in capite vigesimo nono dixit Pharaonem quasi draconem magnum cubare in medio fluminum suorum. Aegyptus igitur quæ inter hæc flumina iacet, respectu Iudææ dicitur esse trans-flumina: hoc enim positus Aegypti demonstrat cum situ Iudææ conparatus. Sed tranſeamus ad secundum Cham filium. 34

Locus Isaiæ cap. 18. Hieronymus.

ALTER filius Cham nominatur Mezraim, vel vt est Hebraicè Mizraim, quo vocabulo significatur tam prouincia Aegypti quàm gens Aegyptiorum, quod filius ille Cham eiusque posteri eam regionem primi incoluerint, & Aegyptiorum parentes fuerint. Hæc autem regio multis sæculis postea nominata est Aegyptus ab Aegypto Danai fratre, & filio Beli Aegyptij, cui defuncto successit ille in regnum. eiecto Danao qui concessit Argos in Peloponesum, ex quo Argiui nominati sunt postea Danai. Id contigisse putat B. Augustinus lib. 18 de Ciuitate Dei, capite 11. secutus Eusebium in Chronicis, eo tempore quo 35

Origo appellationis Aegypti.

Quando fuerint Danaus & Aegyptus à quo nomen regio Aegypti accepit.

Augustin.

quo tempore apud Hebræos imperium tenuit Ioſue, id eſt, plus octingentis annis poſt diluuium. Sed enim Manethon apud Ioſephum priori libro contra Appionem, vir Aegyptius, & Græcarum literarum ac doctrinarum peritus, quique hiſtoriam rerum Aegyptiacarum ſcripſit ex ſacris Aegyptiorum libris depromptam, numerat omnes reges Aegypti ab eo tempore quo Hebræi duce Moſe deceſſerunt Aegypto, vſque ad Danaum & Aegyptum fratres, recenſitis cuiuſque regis annis quibus regnauit, quorum annorum facta computatione rationeque ſubducta, exiſtit ſumma annorum trecentorum & nonaginta, & eo amplius, quæ ſi vera eſt computatio, neceſſe eſt initium appellationis Aegypti fuiſſe plus treceatis triginta annis poſt mortem Ioſue, poſt diluuium autem plus mille annis.

Ioſephus.
Manethon.

SECVNDA DISPVTATIO.

De antiquitate Aegyptiorum.

36 SI Mezraim primus Aegypti habitator fuit, primuſque Aegyptiorum parens, ex eo apparet quanta ſit Aegyptiorum vetuſtas: namque à diluuio poſt quod non paucis annis Mezraim terram Aegypti petiit & coluit, eiuſque genti initium dedit, ad hanc vſque diem nondum quatuor annorum millia exacta ſunt. Ergo quæ de innumerabilibus ſuorum regum ſuarumque rerum ac gentis annis iactãt Aegyptij apud Herodotum, Platonem, Diodorum & Melam, vt aniles nugæ ac poëtarum fabulæ, meraque mendacia rideantur & contemnantur. Audi quid Pomponius Mela de iſtorum vanitate ſcribat: *Ipſi*, inquit, *vetuſtiſſimi (vi prædicant) hominum trecenos & triginta reges ante Amaſim, & ſupra tredecim millium annorum ætates certis annalibus referunt: mandatumque literis ſeruandum Ægyptij ſunt, quater curſus ſuos vertiſſe ſidera, ac Solem iam occidiſſe bis vnde nunc oritur.* Sic ille.

Herod. lib. 2.
Plato in Timæo.
Diod. lib. 1.
Mela libr. 1. c. 9.

37 Ac fuiſſe quondam inter multas gentes de principatu antiquitatis non minus pertinaci ſtudio, quàm ſuperba vel ſtulta potius vanitate decertatum, ex hiſtoriis tam Græcis quàm Latinis manifeſtum eſt. Athenienſes ſe ipſos appellabant *αὐτόχθονας*, hoc eſt, indigenas & ab origenes. Sed maior Arcadum vanitas vel inſania, qui ſe *προσέληνους*, iactabant, quaſi genitos ante Lunam. inde eſt illud Ouidij:

Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur.
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Contentio inter varias gentes de antiquitatis principatu.
Ouid. lib. 1. Faſtorum.

Peruulgatũ eſt id quod narrat Herodotus Pſameticum regem Aegypti quo exploraret quæ lingua omnium antiquiſſima fuiſſet & prima, educandos dediſſe duos infantes cuidam paſtori procul ab hominum conſuetudine, vt nullam audirent humanam vocem, perſuaſum ha-

Herod. lib. 2. Pſameticus.

bens, quam illi primam instinctu naturæ vocem ederent, eam primogeneam & quasi naturalem esse mortalium linguam. Pueros ferunt triennio in solitudine educatos, cùm iã fati cœpissent, ad pastorem porrectis manibus acclamasse, Beccus Beccus: pastorem id retulisse ad regem: qui cùm incognitam Ægyptiis eam vocem reperisset, de eius significatione per totam Asiam quæri iussit. Tandem compertum est, Beccus, apud Phrygas vocari panem. Quamobrem Ægyptij vetustatis principatum Phrygibus concesserunt. Similem inter Scythas & Ægyptios fuisse contentionem, tradit Iustinus, vtrisque pro vetustate suæ gentis ductas ex Physiologia rationes afferentibus.

Phryges quo argumento probati sint antiquissimi.

Iustin libr. 2.

Paradoxum Mercatoris de antiquitate Ægyptiorum.

SED lubet noũam quandam miramque de antiquitate Ægyptiorum Gerardi Mercatoris viri nostræ ætatis in Chronographia diligentis & docti opinionem excutere. Augumentatur ille parem fuisse propemodum Ægypti atque ipsius Mundi antiquitatem: & Ægyptios non solum fuisse ante diluuium, verùm etiam in primordiis fermè Mundi, & primorum hominum, id est, Adami & Euæ ætate genitos: hoc inquam argumentatur ille ad hunc modum: dicam eius verbis, quò certius opinionem eius lector cognoscat, simulque nostram opinionis eius confutationem melius perpendat. *Etsi supra Saltim inferioris Ægypti (ait Mercator) eius Timaeum Thebaidis siue superioris Ægypti contemporaneos Reges nullius Regis nomẽ extat, quod ego sciã, tamen Dynastiarum multitudo ab Eusebio notata, vetustissimum, & cum primis ferè hominibus natum esse regnũ Ægypti, satis arguit. Etenim sedecim Dynastias numerat Eusebius ante imperium Pastorum quos Hicsos appellat Manethon apud Iosephum libro primo contra Appionem, eas vero Dynastias exiguo annorum spatio concludere non conuenit: non enim leuiter & subitò regnorũ potestas ex vno stemmate, vnáue natione ad aliam transit: sed deficiente demum priore, vel superueniente potentiore, quod in magnis regnis rarius contingit, nec sine huiusmodi transitu facilè administrationis forma mutatur. Eusebius sanè in his Dynastijs quarum tempora digessit, paucas breuiores centum annis, complures autem longiores facit, vt annorum 103. 144. 178. 190. 348. quam rationem si vtcunque imitemur in primis illis quindecim Dynastijs, quarum annos non exposuit Eusebius, omnino apparebit cum primis ferè hominibus habitationem Ægypti & qualecunque regnum esse ortum. Namque si annos Mundi mille octingentos quadraginta sex ad Saltis Regis initium, & exordium decimæ septimæ Dynastiæ positos per decem Dynastias diuidamus, prodibunt centum quindecim circiter anni quos in singulas promiscuè Dynastias admittere non est absurdum. Et Thebanorum quidem Dynastia qui ante Saltim & Hicsos imperarunt, annorum centũ & nonaginta ab Eusebio designatur: quem numerum exactè in diluuij principium (quo Dynastia necessario transferenda erat) incidere obseruatu dignum est. Ceteras verò quindecim priores Dynastias cõprehendent anni mille sexcenti quinquaginta sex, qui ante diluuium fuerunt.* Sic Mercator. Cuius hæc summa opinionis & argumentationis est, quoniam decima sexta Dynastia Ægyptiorum à qua orsus est Eusebius.

Manethon.

Eusebius in Chronico.

bius annos regum Aegypti recenſere, cùm ipſo diluuij tempore concurrit, hinc concludi, priores quindecim Dynaſtias quas Euſebius tacitis earum annis præteriuit, non potuiſſe non tantum temporis comprehendere, vt gentem Aegyptiorum æqualem ferè primorum hominum facere neceſſe ſit.

40 SED multa, niſi ego valdè fallor, in hac diſputatione Mercatorem fefellerunt. Principiò, initium decimæ ſextæ Dynaſtiæ vult Mercator concurriſſe cùm ipſo tempore diluuij: at Euſebius Diluuio poſterius id facit ducentis nonaginta duobus annis, ſignans ipſum in ortu Abrahæ. Deinde exordium decimæ ſeptimæ Dynaſtiæ quæ fuit Paſtorum, & in qua primus rex fuit Saltis, Mercator ſignat in anno Mundi milleſimo octingenteſimo quadrageſimo ſexto, cùm tamen ex computatione Euſebij neceſſe ſit ipſum annotari in annis poſt orbem conditum bis milleſimo centeſimo quadrageſimo: ſi quidem decima ſexta Dynaſtia cœpta eſt anno poſt diluuium ducenteſimo nonageſimo ſecundo, ſtetit autem annis centum nonaginta. Quod ſi Mercator aliter quàm Euſebius Dynaſtias illas ordinare, earumque tempora digerere ſuo arbitratu vult, fidem minimè meretur, cùm de iſtiuſmodi Dynaſtiis nihil extet apud vllum auctorem niſi quod ab Euſebio proditum eſt. *Refellitur Mercator.*

IAM verò quod cuique illarum quindecim priorum Dynaſtiarum aſſignat Mercator annos centum quindecim, id facit ex ſuo ſenſu & arbitrio fingens. Euſebius certè multas commemorat longè breuiores centum annis, vt vigeſimam ſecundam, annorum quadraginta nouem, vigeſimam tertiam, quadraginta quatuor: vigeſimam quartam, quadraginta trium: vigeſimam quintam, quadraginta quatuor, vigeſimam octauam, ſex, vigeſimam nonam, viginti, trigeſimam decem & octo.

41 IAM verò Ioannes Annius in iis Commentariis quibus ſupplementum Manethonis interpretatus eſt, primas illas quindecim Dynaſtias vno tantum & ſexaginta centumque definit: primam earum orſus ab anno centeſimo trigeſimo primo poſt diluuium, quo ſcilicet tempore facta eſt diuiſio linguarum, & diſcretio hominum in varias prouincias: *Dynaſtiæ*, inquit, *Ægyptiorũ primæ à diluuio vſque ad quadrageſimum tertium annum (qui fuit natalis annus Abrahæ) quindecim fuere, vt Euſebius in ſuo Chronico ſcripſit. Primæ duodecim fuere ſub duodecim dijs primis maioribus Aegyptiorũ, quarum ſingulæ durarunt ſeptẽ annis, earumq; fuit initium in anno centeſimo trigeſimo primo poſt diluuium. Omnes igitur earum anni fuere quatuor & octoginta. Reliquas tres Dynaſtias dy mixores tenuerunt, & quidem decimam tertiam annis quatuordecim: decimam quartã annis viginti ſex, decimam quintam annis triginta ſeptem: qui ſimul ſumpti continẽt annos ſeptem & ſeptuaginta: adiecti verò priorum Dynaſtiarum annis ſummam efficiunt vnius & ſexaginta centúmq; annorũ. His ſi adijcias vnum & triginta centúq; annos à diluuio tranſactos vſque ad exordium primæ Dynaſtiæ, reperies duos & nonaginta ſuperq; ducentos annos vſque ad finem* *Ioannes Annius de primis quindecim Dynaſtijs Aegyptior. Geneſ. 11.*

finem, decimæ quintæ Dynastiæ & initium decimæ sextæ, id est, vsque ad quadragesimum tertium annum Ninj & primum Abrahæ, quo tempore cœpta est decima sexta Dynastia quæ appellatur Theobærum.

SI cui fortasse hæc Annij Chronographia Dynastiarum non placet, huic per me licet existimare fabulosa esse quæ de illis quindecim primis Dynastiis prodita sunt, nempe accepta à solis Aegyptiis, qui alia per multa, vt de immenso æuo suæ gentis, regum, litterarum & annalium impudentissimè mentiti sunt. Mihi certè merum videtur commentum, fuisse Dynastias Aegyptiorum ante diluuium, vel etiam in ipsius mundi primordiis, vt putat Mercator: quomodo enim intra primos mundi ducentos vel etiam centum annos, Adami proles adeo multiplicari potuit, vt ad Aegyptum vsque habitandum & complendum propagata sit? Certè si tunc fuit gens Aegyptiorum, necesse est fateri fuisse quoque tum Assyrios, Chaldæos, Armenos, & complures alias gentes, quinimo has tanto magis quàm Aegyptios, quanto eorum loca viciniora erant loco Paradisi, propè quem habitasse Adamum credibile est. Paradisum autem vel in Mesopotamia, vel nõ procul inde fuisse in tertio libro Commentariorum nostrorum in Genesim disputatum est. 42

ADDO præterea vnum, quo disputationem hanc concludam, opinioni Mercatoris videri apertè contrariam diuinam scripturam, quæ perspicuis verbis tradit post diluuium factam esse discessionem & dispersionem hominum in varias prouincias. Hoc indicant extrema illa verba capitis decimi libri Geneseos: *Ab his* (inquit) *tribus filijs Noë diuisæ sunt gentes in terra post diluuium*: quo significatur talem diuisionem non fuisse ante diluuium. In capite autem vndecimo planissimè dicitur causam discessionis hominum in varias prouincias fuisse confusionem linguarum quæ accidit ædificantibus turrim Babel. Audi scripturam: *Atque ita*, inquit, *diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.*

EXPLOSA igitur vel opinione vel coniectura Mercatoris de vetustate Aegyptiorum, maneat illud quod à principio diximus, primam Aegyptiorum originem petendam esse à Mesraim filio Cham. Ac licet ferè & regio & gens Aegyptiorum de nomine sui conditoris appelletur Mesraim: attamen quia Mesraim filius fuit, Cham, propterea non semel in sacris literis Aegyptus vocatur terra Cham, vt videre licet in Psalmo 77. 104. & 105.

TERTIVS Filius Cham appellatus est, Phut, de cuius posteritate 43
Ioseph 1. lib. Antiquitat. ita scribit Iosephus: *Phut Lybiæ dedit colonos, de suoq; nomine Phutos dicivoluit. Extat & flumen in Mauritania hoc nomine, & complures apud Græcos historici eius mentionem faciunt, sicut etiam adiacentis regionis quæ Phutæ*
Hieronym. in Traditionib. in Geneſim. *dicitur: Mutauit autem præsens nomen ab vno filiorum Misrai, qui vocabatur Libys.* Hæc Iosephus, cui planè similia tradit Hieronymus. Quod autem

autem Iosephus ait de flumine quodam Mauritaniæ nominatio Phut, firmari potest auctoritate Plinij qui libro quinto cap.1.eius fluminis in eo ipso loco, eoque nomine mentionem facit. *Plinius.*

VERVM profani scriptores aliunde originem Libycæ regionis gentis arcessunt. *Quidam*, inquit Solinus, *Lybiam à Libya Epaphi filia, Aphricam autem ab Aphro Libys Herculis filio potius dicta receperunt.* nec absimile est quod scribit Isidorus: *Lybya*, inquit, *dicta est, quo inde Libs fiat, id est, Aphricus.* Alij aiunt Epaphum Iouis filium, qui Memphim in Aegypto condidit, ex Cassiopa vxore procreasse filiam Lybam, quæ posteà in Aphrica regnum possedit, cuius ex nomine terra Libya est appellata. *Origo appellationis Libycæ regionis & gentis. Solin.ca.27. Isido. Etimologiarum lib. 14.c.5.*

44 GENTIS Phut alibi quoque non semel mentionem in sacris literis reperimus: & ex capite trigesimo Ezechielis apparet Phut fuisse in numero sociorum & confederatorum cum Aegyptiis. Sic enim illic Hebraicè est ad verbum: *Chus & Phut & Lud & omnis multitudo, & Chub & filij terræ fœderis vna cũ illis gladio cadent.* vbi Latinus noster interpres illa nomina vertit in Aethiopiam, Libyam & Lydos; haud dubiè secutus Septuaginta Interpretes. Idem quoque licet animaduertere apud eundem vatem capite vigesimo septimo, apud Hieremiam item capite quadragesimo sexto, vocabulum Phut tam Septuaginta quàm Latinus interpres Libyes transtulerunt; nec non & ex prædictis scripturæ locis palam est, Phutæos & Ludæos populos fuisse Aegyptiorum socios atque vicinos. Ludæi autem populi, siue vt Latinus interpres vertit, Lydij Phutæorum socij, diuersi sunt à Lydiis qui partem Asiæ incoluerunt, de quibus infra.

45 QVARTVS filius Cham omnium famosissimus fuit Chanaan, cui Noë pro scelere patris sui Cham maledixit, & vilissimam seruitutem quam eius posteritas posteris Sem & Iaphet seruitura erat, tanto ante denuntiauit. Ab hoc, regio quam insederunt Hebræi, & cuius possessionem tribus eius populi Patriarchis Abraham Isaac & Iacob Deus promiserat, appellata est Chananæa, in multas sanè prouincias variasque gentes dispertita: quæ licet communis vocabulo à patre suo nominarentur Chananæi, propriis tamen singulæ nominibus insignitæ fuerunt, tametsi quædam earum gentium commune nemen vt proprium sibi asciuit. Verum de his posteà & opportuniùs & latiùs dicemus. Hæ autem gentes ab Hebræis maiorem partem cæsæ vel seruitute oppressæ, tandem extinctæ sunt, earum nomine ex hominum memoria deleto. *Genes.9.*

***

VERS. 7. *Filij autem Chus: Saba & Heuila & Sabacha & Regma & Sabathacha.*

SE quatuor filiis Cham, trium tantummodo progenies hic describitur à Mose, omittitur autem Phut, quod eius posteritas ignobilis & obscura fuerit, vel diuersam à patre appellationem sibi non asciuerit. Primus filiorum Chus nominatur Saba: & quamquam paulò infra inter filios Regma vnus eorum nominetur Saba, nullo discrimine appellationis apud Latinos & Græcos: Hebraicè tamen plurimum inter ea nomina differt. Namque Saba filius Chus, prima litera scribitur per Samech quod est ס, exile, at, Saba filius Regma, primam literam habet Scin, quod est ש crassum. Verum de hoc paulò pòst, nunc de illo dicamus qui originem & nomen dedit Sabæis Felicem Arabiam incolentibus. 46

Saba.

Sabæi.

Plin. lib. 6. cap. 28.

SABÆI, ait Plinius, *Arabum populi propter thura clarissimi, ad vtraque maria porrectis gentibus habitant. Et apud Isaiam Chus & Saba iunguntur, vt qui vicinas sedes habuerint, Chus quidem ad Isthmũ quo mare Syriacum & Ægyptiacum summouentur à Sinu Arabico siue à Mari Rubro: Saba autem ad ipsum Arabicum Sinum.* Quod autem Plinius dixit Sabæos ad vtraque maria porrectis gentibus habitare, intelligitur de mari Persico & de Arabico seu Rubro, & de vtraque gente Sabæorum, qui & ab hoc Saba filio Chus, & ab illo filio Regma genus duxerunt. Verum profani scriptores tam Græci quàm Latini, hanc Sabæorum distinctionem minimè nouerunt, sed vtrosque tanquam vnam gentem descripserunt.

Isa. 45.

HOS certè contiguas habuisse sedes, licet longè lateque fusas ex Psalmo septuagesimo secundo perspicitur, cùm in eo dicitur: *Reges Arabum & Saba dona adducent.* Nam pro illo *Reges Arabum*, Hebraicè est *Reges Scheba & Saba*, denotando vtramque gentem Sabæorum tam ex Chus quàm ex Regma originem ducentium: apparet igitur eos contiguas sedes tenuisse: & posteri quidem Regma ad Sinum Persicum, posteri autem Chus ad Sinum Arabicum magis vrgebant. Sabæorum porrò de quibus nunc agimus, mentionem facit Isaias quadragesimo quinto cap. *Labor*, inquit, *Ægypti & negotiatio Æthiopiæ (Hebraicè Chus) & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt.* vbi duo animaduertere conuenit, alterum iungi tanquam vicinas gentes Chus & Misraim & Saba, id est Ægyptios, Arabes seu Æthiopes orientales atque Sabæos: alterum autem, pro eo quod posuit Latinus interpres, viri sublimes, Hebraicè esse, viri mensuræ, id est, proceræ staturæ. Rectè igitur vertit interpres, viri sublimes.

Felicitas terræ Sabæorũ.

HORVM Sabæorum apud scriptores prophanos frequens & luculentum est encomium propter regionis quam colunt nobilitatem, est enim odorum & rerum pretiosarum feracissima, vnde Felicis seu 47

Beatæ

Beatæ cognomentum inuenit. *Alterum latus*, inquit Mela, *ambit plaga, quæ inter vtrumque pelagus excurrit. Arabia dicitur cognomine Eudæmon, angusta, verum cynamomi & thuris aliorúmque odorũ maximè ferax. Maiorem Sabæi tenent partem Ostio proximam & Carmanis.* Sed distinctius & expressius Strabo ita scribens: *His proxima est Sabæorum terra, quæ maxima natio est: apud hos thus & myrrha ac cynamomũ nascitur: in ora etiam balsamum, & alia quædam herba valdè odorata, ciũ tamen odorẽ deperdẽs: habent præterea palmas odoratas & calamũ. Homines propter maximã fructuũ copiam otiosi segnésque viuunt, in radicibus arborum cubant, & ex eis incidunt, sradentes proximis incolis qui aliis consequenter tradũt, & sic deinceps vsque in Syriam atque Mesopotamiam. Ab odoribus autem stupefacti, bitumnis suffitu & hirci barba stuporem tollunt. Mediaba Sabæorum vrbs in monte iacet, arboribus pleno. Illi verò partim agriculturã, partim aromatum mercaturam exercent, quorum tanta est illis copia, vt pro fructibus & cetera combustibili materia, cynamomo, casia aliísque rebus pretiosissimis atque odoratissimis vtantur. Supellectilem ex auro & argento multam habent, vt vasa, lectos, tripodas, crateras cum operculis, domorum portas & parietes & tecta ebore, auro, argento, lapidibúsque incrustatis. Supra Syriam autem Nabathæi atque Sabæi Felicem Arabiam incolunt. Hi sæpè in Syriã excurrebãt, priusquam Romani & ipsis & Syris dominarentur.* Hactenus ex Strabone. Ergo manifestum fit ex narratione Mosis, Sabæos, ditissimam orbis gẽtem, eoque celebertimam ortos esse ex ipso Chus, qui cùm Arabum seu Æthiopum parens fuerit, necesse est Sabæos ex Arabibus seu Æthiopibus (namque vtrum horum vocabulo Chus propriè significetur, supra disputatum est) genus & originem habuisse. Externi scriptores dictos putant Sabæos ἀπὸ τ σέβεσθαι quod est colere seu venerari, quòd eorum thure aliisque odoramentis Deum colere ac venerari in more sit apud pleráfque gentes.

Mela lib. 3. cap. 8.

Strabo li. 16.

48 ALTER filius Chusi nominatur Heuila. Heuilæos facit B. Hieronymus Iosephum (vt in his solet) secutus, Getulos in parte remotioris Aphricæ eremo cohærentes. Verum ex sacris litteris videtur posse colligi Heuilæos fuisse populos Ismaëlitis & Amalecitis non longè remotos. Siquidem in vigesimo quinto cap. Geneseos legitur Ismaëlem habitasse ab Heuila vsque Sur quæ respicit Ægyptum, & in primo libro Regum capite decimo quinto Saulem percussisse regem Amalec ab Heuila donec venias ad Sur quæ est è regione Ægypti. Heuilæi igitur terras coluerunt versus Sinum Persicum, nec procul Ismaëlitis & Amalecitis.

Heuila. Hieronym. in Traditionibus in Genesim. Ioseph. lib. 1. Antiquitatum. Qui sint Heuilæi.

49 TERTIVS filius appellatur Sabatha. Sabathenos Iosephus ait fuisse eos qui dicti sunt Astabari. Verum quænam ista gẽs fuerit Astabarorum, aut vbinam terratum sedem habuerit, equidem nec scio, nec memini legere apud quenquam qui se scire dixerit. Non me fugit, apud Strabonem lib. decimo sexto & decimo septimo, Melam lib. primo capite nono, Plinium lib. 5. capite nono, mentionem fieri Astabari amnis, qui vnus est de duobus alueis in quos Nilus circa

Sabatheni. Ioseph. lib. 1. Antiquitatum. Astabari. Strabo. Mela. Plinius. Astaborus fluuius.

Meroën insulam omnium quas ipse facit, maximam & clarissimam, finditur: *Nilus*, inquit Mela, *circa Meroën late patentem insulam, in Æthiopiam diffinditur: alteraque ex parte Astaboras, altera Astapus dictus est.* Et Plinius, *Nilus*, inquit, *circa clarissimam suarum insularum Meroën* Ptolem. *Astabores læuo alueo dictus: hoc est ramus aquæ venientis è tenebris: dextro verò Astusapes, quod latentis significationem adijcit.* Sed quia Ptolomeus in Arabia Felici Metropolim quandam nominat Sabatha, ex eo coniici posset Sabatheos populos fuisse Arabiæ Felicis incolas, scilicet permixtos cum Chuseis & Sabæis.

Regma. QVARTO filio Chus nomẽ est Regma. Et quoniam apud Ezechielem capite vigesimo septimo Regma iungitur cum Seba, existimare licet Regmæos, vicinos & socios fuisse Sabæorum, eandemque Hieronymus aut certè vicinam regionem coluisse. Namque Ezechiel facit eos aurum, lapides pretiosos & aromata varij generis ad Tyriorum mercatum deferre. B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim ait Regma & Sabatheca paulatim antiqua vocabula perdidisse, & quæ nunc pro veteribus habeant ignorari. In eadem ignoratione fuisse videtur Iosephus, quippe qui eorum qui ex istis orti sunt nomina, quæ tunc essent, planè tacuit. Quintum igitur filium Chus Sabathaca eiusque posteros satis credibile est longius profectos, in extremas Arabiæ Felicis oras Oceanum versus recessisse, atque ob eam causam nec Iudæis nec Syris fuisse notos. 50

Filij Regma: Saba & Dadam.

VERS. 7. ANTE hos recensendus videbatur sextus filius Chus: hic autem dictus est Nemrod: sed quia is audacia, robore, & potentia maximè insignis fuit, primúsque mortalium regnum vel tyrannidem potius affectauit, & condendæ Babylonis Babyloniique regni princeps fuit, idcirco Moses post alios filios Chus breuiter recensitos, separatim de eo agit.

PRIMVS igitur filiorum Regma, nominatur Saba sed priori li- 51
tera per Scin, vnde ad differentiam prioris qui per Samech scribitur hic appellabitur à nobis Schaba: Schabæos autem supra indicauimus eam partem Felicis Arabiæ incoluisse quæ magis ad Sinum Persicum vergit: & fuere isti propter thura quorum feracissima est eorum Locus Iob cap. 1. regio, apud omnes gentes celebertimi. Isti sunt Sabæi, qui apud Iob capite primo dicuntur abegisse boues & asinas Iob, nam cùm essent latrociniis exercitati & assueti, his maximè Satan vsus est ad spoliandum bonis suis Iob: habitabat autem Iob in terra Hus quæ Idumæam complectitur, cui vicinos fuisse Chaldæos, ex eadem hi- Plinius lib. 6. cap. 28. storia patet. Etsi autem Sabæi propter aurum, thus & gemmas ditissimi erant, nihilominus tamen latrociniis delectabantur, prædas à vicinis petentes, sicut docet Plinius, Mirum dictu, inquit, ex

innume-

innumeris populis pars æqua in commerciis & latrociniis degit, in vniuersum gentes ditissimæ, vt apud quas opes Romanorum & Parthorum subsidant, vendentibus quæ ex mari aut syluis capiunt, nihil inuicem redimentibus.

52 HORVM porrò Sabeorum thuriferam fuisse regionem, perspicere licet ex capite sexto Hieremiæ, & Isaiæ sexagesimo: & huius Sabeæ gentis reginam fuisse quæ ad Salomonem magna pompa venit, non est dubitandum, cùm in scriptura appelletur Regina Schaba, & indicium huius faciat copia aromatum & auri quæ ad Salomonem detulit. Et quoniam hæc Sabæa respectu Iudææ Australis est & ad Meridiem spectans, & ab ipsa Iudæa longo terrarum spatio distans, propterea vocatur Regina Austri, & venisse à finibus terræ, id est, à longinquis regionibus. Namque Ioël capite tertio etiam huiusmodi Sabæos appellat gentem longinquam. Demiror igitur qui venerit in mentem Iosepho libro octauo Antiquitatum eam Reginam, facere Ægypti & Æthiopiæ reginam.

3. Reg. 10. Regina Saba quæ venit ad Salomonem.

Matt. 12.

Lapsus Iosephi.

53 ALTERVM porrò ipsius Regma filium Moses Dadam vel Dedam appellat: Danæos autem Beatus Hieronymus gentem facit Æthiopiæ in plaga Occidentali. Cur Iosephus pro Dadan legat Iudam, & pro Dadanæis Iudæos, equidem ne diuinando quidem rationem vllam adhuc reperire potui. Facit enim Iosephus duos filios Regma: *Alter*, inquit, *filius eius Iudas genti Iudæorum inter occidentales Æthiopes originem dedit & nomen: alter verò Saba Sabæis.* Iudæorum gentem aliquando tenuisse sedes in Occidentali Æthiopia, ego apud nullum auctorem legi. Sed forte culpa in Iosepho non fuit qui non id scripsit, sed aliorum qui postea scripturam eius corruperunt.

Hieronym. in Tradit. oni-bus Hebraicis in Genesim.

Alter lapsus Iosephi.

VERVM Dadanæos non fuisse in Occidentali Æthiopia, regione scilicet immensis, à mari Mediterraneo spatiis, & ab vrbe Tyri remotissima, videtur manifestum fieri ex verbis Ezechielis, qui capite vigesimo septimo Dadanæos appellat negotiatores & institores Tyriorum, quique celebertimum Tyriorum mercatum frequentarent, comportandis eo tapetibus ad sedendum. Cui autem credibile fieri potest Dedanæos ex Æthiopia vsque Occidentali, infinitis penè terrarum spatiis, terrestríque itinere, negotiandi & lucrandi causa Tyrum frequenter petiisse?

54 ILLVD igitur similius vero, Dedanæos fuisse populos Idumæis maximè vicinos & coniunctos aut etiam mixtos & confusos. Siquidem duo prophetę Ieremias & Ezechiel cùm de vastatione & excidio Idumęorum vaticinantur, vnà cum Idumęis consociant & coniungunt Dedanęos. Ieremias quidem quadragesimo nono capite: *Fugite*, inquit, *& terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedam: quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius.* Per Ezechielem verò sic loquitur Deus: *Extendam manum meam super Idumæam, vt auferam de ea iumentum & hominum, & faciam eam desertã ab Austro, & qui sunt in Dedam, gladio cadent.* Hinc apparet, Dedanæos

Quænam fuerit gens Dedanæorum.

fuisse Idumæorum affines & socios, & odij atque crudelitatis aduersus Hæbræum populum participes.

VERS. 8. & 9. *Porrò Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potẽs in terra. Et erat robustus venator coram Domino. Ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.*

Quare Moses separatim ab alijs filiis Chus, egit de Nẽrod.

FIT hic Nemrod sextus filius Chus, qui post alios fratres suos & fratrum nepotes separatim hic memoratur. Nam propter singulare robur eius & audaciam potentiámque ac mundanam felicitatem, cùm fuisset eo sæculo famosissimus, extra ordinem dicendus fuit, & separatam propriámque meruit narrationem. Audi Beatum Augustinum, *Chus*, inquit, *pater gigantis Nemrod, primus nominatus est in filijs Cham, cuius quinque filij iam fuerant computati: & nepotes duo: sed istum gigantem aut post nepotes suos natos genuit, aut quod est credibilius, seorsim de illo propter eius eminentiam Scriptura locuta est: quandoquidem & regnum eius nominatum est, cuius initium fuit ciuitas illa nobilissima Babylon, & quæ iuxta commemoratæ sunt siue ciuitates, siue regiones.*

Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei. c. 3.

Primus rex vel tyrannus post diluuiũ. fuit Nẽrod.

HVIC primus mortalium affectauit & arripuit tyrannidem: nam ante hunc in qualibet familia primus natu, primus quoque & auctoritatis & honoris gradu erat: lites familiæ componens, & familiam regens. Hinc autem imperium habere in alios concupiuit, primò, Babylone regnans. Itaque prima tyrannis orta est in ipsa matre confusionis linguarum, & sicut ibi linguarum commercium confusum est, sic & ius legitimi imperij peruersum, vbi scilicet audaciæ ac temeritatis suæ prima statuere monumenta mortales conati sunt. Recte igitur Hieronymus: *Nemrod*, inquit, *arripuit insuetam primus in populo tyrannidem, regnauitq; in Babylone, quæ ab eo quod ibi confusa sunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata est.*

55

Hieronym. in Traditionibus Hebraicis in Genesim. Genes. 11.

NON relinquam in prætetitis testimonium Iosephi de hoc Nemrod, breue quidem, sed ad exprimendum eius hominis ingenium animúmque valdè luculentum. *Superbiam*, inquit, *Deique contemptum excitauit in hominibus Nemrod nepos Cham, vir audax & manu promptus, subinde iactans nõ Deo sed propriæ virtuti præsentem felicitatem eos debere: atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat, ratus fore vt homines ad se deficerent à Deo, si se illis ducem præberet.* Iuxta hoc Iosephi testimonium est id quod scribit de eodem Nemrod Hugo de Sancto Victore in

56

Testimonium Iosephi de Nemrod.

Hugo S. Victoris.

re in suis Annotationibus in Genesim. *Nemrod*, ait, *mole corporis & virtute superans alios homines, dominium cœpit exercere per violentia: & indixit eos ad idololatriam vt ignem quasi Deũ colerent: quia vtilitates maximas beneficio solis qui igneus est, contingere videbat: quem errorem posteà Chaldæi secuti sunt.* Itaque multiplicem iniuriam & Deo & homini fecit. Deus enim solus debebat præesse homini, quod ille abstulit, cùm se illi interposuit, simulque debitum ei cultum ademit: homini verò iniuriam fecit, quia eum dominio iniusto oppressit, & in errorem decipiendo induxit. Sed excutiamus verba Mosis.

57 ISTE *cœpit esse potens in terra.* Vocabulum Hebræum significat robustum & fortem. Sed quia Nemrod propter magnitudinem roboris & virium animique audaciã primus ad maximam peruenit potentiam, rectè Latinus vertit, *Potens*: qua voce & robur corporis & vim eius in dominando complexus est. Græci codices, quos sequitur Augustinus, pro voce, *potens*, vel, *fortis*, habent *gigas*: quo significatur, Nemrod fuisse gigantem corporis mole, robore, audacia, superbia, crudelitate: nam ista omnia notione vocabuli Gigantis significari in sacris litteris, alio loco docuimus. Sed quomodo iste cœpit esse gigas, cùm ante diluuium fuisse complures gigantes supra capite sexto proditum sit à Mose? Respondet Augustinus fuisse primum post diluuium, primum dico vel tempore, vel excellentia virtutis giganteæ & hominum fama.

Lib. 3. Comment. In Genesim qui est huius tomi primus.

58 SEQVITVR: *Et erat robustus venator coram Domino.* Quod supra verterat, potens, nunc vertit robustus, idem enim vocabulum vtrobique Hebræum est, pro quo Græci codices, vt supra, hic etiam habent, gigas nonnulli autem violentus. Vox, venator, si propriè sumatur, significat eum fuisse venatorem ferarum, & maximè deditum venationi, quæ est principum & magnatum exercitatio: Sin autem id verbi per metaphoram sit positum, significat insidiosum & violentum oppressorem hominum. Feras enim venando, partim astu & insidiis, partim per vim capimus, nostróque seruitio & vsui subiicimus: Et hoc videtur conuenientius, & narrationi Mosis, & iis quæ de Nemrod feruntur. Sanè vocabulo venatoris insinuatur Nemrod fuisse hominem crudelem & sanguinarium, & cædis hominum, per potentiam ac violentiam cupidissimum: sunt enim venationes quasi quædam bellorum progymnasmata, his nempe quibusdam quasi tyrociniis à ferarum cæde ad necem hominum animus inardescit atque inflammatur. Quod olim sensisse Persas venationi deditissimos, declarauit pater Cyri, vt narrat Xenophon. *Si quando*, inquit, *bellum ingrueret, vt cùm necessitas tulerit possitis hominem petere, decipere & circumuenire: non in hominibus exercemus vos, sed in bestijs, ne fortè amicis quoque incommodetis: & vt cùm bellum inciderit, tunc aggrediendi, circumueniendi cædendique hostem, audaciam pariter ac peritiam habeatis.*

Augustin. Quomodo Nemrod fuerit Venator.

Venatio progymnasma & tyrociniũ belligerandi.

Xenophon li. 1. de Institu. Cyri.

59 ILLVD: *Coram domino*, quam vim hoc loco habeat, non est facilè intel

Quid significet, fuisse Nemrod venatorem coram Domino.

intellectu: quocirca multiplex eius interpretatio adinuenta est. Quidam Hebraicè scientes, putant esse Hebraismum idémque, significare, coram Domino, quod, sub cœlo: & sensum esse, Nemrod fuisse hominum qui sub cœlo erant, robustissimum. His ego assentirer, si hoc ex aliis scripturæ locis probarent. §. Augustinus in malam partem, id accepit, quasi, coram Domino, sit idem atque, contra Dominum, ita scribens: *Tutam verámque in cœlum viam molitur humilitas, sursum leuans cor ad Dominum non contra Dominum, sicut Nemrod gigas venator contra Dominum. Quod non intelligentes nonnulli: ambiguo Græco textu decepti sunt, vt non interpretarétur, contra Dominum, sed ante Domini.* ἐναντίον, *enim & contra & ante significat: hoc enim verbum est in Psalmo, Ploremus ante Dominum qui fecit nos: idémque est in libro Iob, in quo scriptũ est: An furorem erupit contra Dominum. Sic etiam intelligendus est, Gigas ille contra dominum. Quid autem est venator, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor? Erigebat ergo cum suis populis turrim contra Dominum, qua est impia significata superbia.* Sic Augustinus.

Aug. li. 16. de Ciuit. Dei cap. 4.

Quid sit, coram Domino.

Psal. 94.

Iob.

QVIDAM verò in bonam partem interpretantur: quasi Nemrod Deum sacrificiis, quæ ex captis à se feris comparauerat, placare studuerit. Huic sententiæ valdè adstipulatur Auen-Ezra scribens in Commentario huius loci, Nemrod altaria struxisse, in quibus feras quas venabatur, Domino in holocaustum obtulerit. Nec obuoluendum silentio est, quod super hunc locum dicit Caietanus his verbis. *Quod dicitur, coram Domino, vel vt est Hebraicè, in faciebus Dei, dupliciter exponi potest, vel contemptiuè, hoc est, contẽpto conspectu diuino, vt sit dictũ ad exaggerationem peccati, quemadmodum exaggeratur crimen cõmissum spectante Prætore: vel simulatè, ad significandum quod Nemrõd hinc simulabat se esse Deicolam, inde verò exercebat tyrannidem. Oportet enim, secundum Philosophorum documenta, Principem esse Deicolam, vt populus minus putet se pati iniustum. Et hic sensus magis quadrat contextui: subiungitur enim, inde esse deriuatum prouerbium: Non est autẽ verisimile versum fuisse in prouerbium dignum vt narraretur à Mose, dictum continens tam ingentẽ blasphemiam, quantam continet primus sensus.* Ita Caietanus.

Auen-Ezra.

Caietanus.

60

VERVM illa mihi videtur simplicior & planior, eóque probabilior expositio: Illis verbis: *coram Domino*, vel, *in oculis*, siue, *in conspectu Domini*, fuisse robustum, non aliud significari, quàm reuera & maximè fuisse robustũ. Quod enim apud Deum tale est, id reuera & simpliciter & maximè tale est. Deus enim iudicat & æstimat rem vti est: non sic homines, quorum existimatio & iudicium sæpè fallax est. Ad hunc modum prænuntiatum est ab Angelo Ioannem Baptistam futurum magnum coram Domino, id est, verè & valdè magnum. Illud porrò quod sequitur, *Ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nemrod robustus venator coram Domino*, hanc vim & sententiam habet, tantam fuisse fortitudinem & potentiam Nemrod, tantámque de eo apud homines eius temporis existimationem & famam, vt cùm demonstrare vellent aliquem fortissimum esse, dicerent esse alterum Nemrod, vt

Luc. 1.

nos

nos appellamus Alexandrum vel Achilem, quem magnanimum vel fortem significare volumus.

TERTIA DISPVTATIO.

Quisnam hominum Nemrod ille fuerit.

61 QVIS fuerit ille Nemrod, controuersum est propter varias & discrepantes auctorum opiniones. Dicam primùm & expendam quæ sunt ab aliis memoriæ prodita: Iosephus lib. 1. Antiquitatum (Iosephi verba paulò superius posita sunt) illud tantùm ait, eum fuisse hominem audacem, bellicosum atque impium, & qui non ipse modò sperneret Deum, sed alios quoque ad contemptum Dei adduceret: fuisse item eum auctorem ædificandi turrim Babel, qua disturbata & subuersa & propter diuisionem linguarum] discedentibus in varias regiones hominibus, ipsum remansisse inibi cum multis, & tyrannidem inuasisse. B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis scribit, eum insuetam populis tyrannidem primùm arripuisse, regnauisseq; Babylone, suóque imperio adiecisse alias vrbes hic commemoratas à Mose. *Iosephus.* *B. Hieron.*

MVLTI & magni auctores putarunt Nemrod fuisse eundem quem historiæ Gentilium appellant Belum patrem Nini, & regnasse Babylone annis sexaginta quinque. Hoc tradit Eusebius in exordio sui Chronici, & Hieronymus in capite secundo Oseæ, & Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 17. *Ninus* inquit, *regnauit Babylone post mortem patris sui Beli, qui primus hic regnauerat sexaginta quinque annos.* Atque horum auctoritatem permulti posteà ad idem sentiendi adducti sunt. Hæc opinio firmatur ea coniectura, quod in sacris literis significatur Nemrod fuisse primum conditorem & fundatorem Babylonis: apud Eusebium verò libro nono de Præparatione Euangelica capite quarto Abydenus scriptor perantiquus & grauis, primum Babylonis ædificatorem molitorémque facit Belum. *Eusebius.* *Hier.* *Augus.*

SED non video qui cohæreat hoc cum altera sententia eiusdem Augustini affirmantis lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 111. Ninum filium Beli quem Moses hoc cap. appellat Assur, non fuisse de stirpe Cham; de qua tamen fuisse Nemrod perspicuis verbis hoc loco docet Moses, sed fuisse eum de genere Sem: namque Moses inter posteros Sem nominat Assur, quem volunt esse Ninum.

62 NISI cui fortè placuerit figmentum fictitij Methodij, quod narrat auctor Historiæ Scholasticæ in historia libri Geneseos cap. trigesimo septimo: Nemrod fuisse gigantem decem cubitorum, de semine ipsius Sem, à quodam Ionitho filio Noë, quem is genuit post diluuium, cùm de aliis multis, tum maximè de modo regnādi, quibúsve

in locis regnare deberet, doctum atque eruditum: hunc cupidine dominandi incensum solicitasse gentiles suos qui erant de stirpe Sem, vt imperium in alios quasi primogeniti arriperent, sed ipsis nolentibus, transisse ad posteros Cham: quibus assentientib. & acquiescentibus regnasse inter eos Babylone, atque ex eo tempore habitum esse, atque appellatum de filiis Cham. At enim vt ille auctor non verus sed fictitius fuit Methodius (quod alios huius operis loco ostensum est) sic ista de Nemrod mera sunt figmenta.

Beros. Annianus li 4. & 5.

BEROSVS Annianus lib. quinto Antiquitatum Chaldaicarum 63
ait, hunc Nemrod alio nomine dictum esse Saturnum primum, & patrem fuisse Iouis Beli, auumq; Nini primi Assyriorum monarchæ, nepotem autem ipsius Cham, filiumq; Cur qui pater fuit Curetum: anno autem post diluuium centesimo trigesimo primo aggressum esse vrbem Babylonem ædificare, turremq; altissimam, sed ab incepto destitisse, inchoato tantum opere, regnasseq; annos quinquaginta sex, Initium ergo regni Nemrod competere in annum post diluuium centesimum trigesimum primum.

Mercatoris cum Annianno Berosо altercatio.

ATenimuerò contra hanc Berosi sententiam pugnat acriter Mer- 64
cator in sua Chronologia contendens, quod à Berosо proditum est de Nemrod, nec verum esse nec vetisimile. *Cum enim*, inquit, *circa centesimum à diluuio annum acciderit diuisio linguarum & discessio hominum in varias regiones, nequaquam credibile est triginta consequentium annorum spatio in tantum esse multiplicatam illam gentem, apud quam erat Nemrod, vt non modo iustum regnum efficeret, verum & in longissimè dissitas regiones deduceretur. Etenim Arach vna primarum vrbium ditionis Nemrod (teste Hieronymo & Hebræis) fuit Edessa in occidētali extremitate Mesopotamiæ trecentis septuaginta quinque millibus passuum procul Babylone sita: respuit autem animus credere, gentem illam eiusq; imperium tam breuit tēpore tātum propagari ac prolatari potuisse.* Existimat igitur Mercator, Nemrod fuisse eum ipsum, quem Græci & Latini appellant Ninum: quæ enim de vtroque dicuntur, mirificè congruunt inter se. Primus namque mortalium Nemrod dicitur fuisse potens in terra, & regnum vel tyrannidem obtinuisse & ditionem protulisse in longinquas regiones.

Hieronymus.

Iustin. lib. 1.

Eadem ad vnum omnia de Nino testificatur Iustinus. Deinde imperium Nemrod habuit initium in Chaldæa atque Mesopotamia, in his enim terris sunt ciuitates illæ quatuor, quas hoc loco assignat Moses eius imperio, atqui hoc idem etiam fuit exordium regni Nini. Præterea dicit Scriptura illum non contentum suo regno, egressum ex terra Assur aliena regna quæsisse, & primò inuasisse Assyriam, & Niniuen vrbem maximam condidisse. Hæc ipsa de Nino tradiderunt cùm alij, tum Diodorus libro tertio.

Diodorus.

PVTAT idem Mercator Nemrod non fuisse filium Chus, id est, ab eo proximè generatum, sed quia ex eius stirpe & genere erat, more scripturæ, dicitur ab eo genitus: nam si propriè fuisset filius ipsius Chus, numeratus esset à Mose inter filios eius, qui hoc

capite

capite decimo, quinque commemorantur. At Moſes poſt memoratos quinque filios Chus, & aliquos eius nepotes, ſubiungit: *Porrò Chus genuit Nemrod*, non obſcurè ſignificans Nĕrod cognationis gradu etiam vltra nepotes diſtantem fuiſſe à Chus.

Mercatoris ſententia diſcutior.

ATQVE hæc quidem Mercator. Cuius opinioni communis ſententia Doctorum aduerſatur, qui Nemrod diuerſum faciunt à Nino: hoc eſt, vel patrem, vel auum eius: & alterum quidem primum conditorem Babylonis, alterum verò ciuitatis Niniue. Nec initium regni Nini fuit Babylon, vt vult Mercator, quippe qui vrbem Niniue caput ac ſedem imperij ſui conſtituerit, vt ex Diodoro libro tertio licet intelligere, à quo proditum eſt Babylonios fuiſſe à Nino debellatos nondum condita Babylone, Nec quia Moſes poſt recenſitos alios filios Chus, & duos eius nepotes narrationem Nemrod ſubtextuerit ex eo Mercator bene argumentatur ipſum non fuiſſe filium Chus: hanc enim eius rationem & vidit & diluit B. Auguſtinus, vt ſuprà dictum eſt. S. Epiphanius ſub initium operis quod ſcripſit aduerſus hæreſes, tradit Nemrod filium fuiſſe Chus & patrem Aſſur, & à quibuſdam putari Zoroaſtrem magiæ atque aſtrologiæ inuentorem: ſed reuera ſibi videri alium fuiſſe Nemrod, & alium fuiſſe Zoroaſtrem, & hunc quidem illo poſteriorem, ſed non longo interuallo.

Diodorus.

Epiphanius.

Opinio Auctoris.

Alium fuiſſe Nemrod & alium Ninũ.

Auctor Recognitionum Clementis.

Diodorus. lib. 3.

56 MIHI certum eſt Nemrod alium fuiſſe quàm Ninum. Habeo huius ſententiæ auctores plurimos, immo neminem contrariæ: vnicus enim eſt Mercator ſuæ opinionis probator atque propugnator: niſi fortè ſecutus ſit auctorem Recognitionum Clementis, in quarum libro quarto traditur Nemrod fuiſſe eundem atque Ninum: Certè Nĕrod fuiſſe primũ Babylonis ædificatorẽ & in ea vrbe primordia regni eius eſſe conſtituta, & ſignificat Scriptura, & affirmat Ioſephus, conſentientibus ferè ſcriptoribus eccleſiaſticis. At Nini nec opus fuiſſe Babylonem, nec in ea ciuitate imperij eius initium, Diodori demonſtrat.

Nemrod idẽ atque Belus pater Nini.

57 ILLVD quoque mihi fit percredibile, Nemrod fuiſſe eundem atque eum quem alij appellant Belum patrem Nini. Sic opinantur multi quos ſupra indicaui, & paulo infra commemorabo: idque ſuadet ratio: nam quæ de Nemrod prodita ſunt, ea planè conueniunt ad vnum omnia in Belum. Siquidem vtriuſque tempora congruunt: eum vtrumque reperiamus annos poſt diluuium circiter ducentos Babylone regnaſſe, & eius ciuitatis vtrumque primum nominari deſignatorem & fundatorem. Vterque præterea primus idololatriæ auctor fuit. De Nemrod apertè id ſcribit Ioſephus: de Belo plerique noſtrorum idem ſentiunt: & arguunt nomina Deorum ſeu Idolorum, quæ olim apud regiones orientales colebantur, primam à Belo originem duxiſſe, vt Belial, Beelzebub, & Beelphegor: Et vt Plinius ait, apud Babylonios ſacratiſſimus Deus erat Belus, cui omnium primò ſtatuas & aras & templa primi reges Aſſyriorum

Plinius.

ſtatuerunt. Similia item vtriuſque fuere facta, ingenium, mores vterque fuiſſe traditur ferocis ingenij, crudelis animi, inſatiabilis imperãdi cupiditatis, vel ad tyrannicam vſque dominandi violentiam: denique ante Ninum nec auctores alium agnoſcũt regem Babylonis quã Belum, nec Scriptura quàm Nemrod. Verùm hæc maiorem ex proximè ſequenti diſputatione lucem ſimul & fidem capient.

QVARTA DISPVTATIO.

Vtrum Nemrod primus Babylonis fundator & conditor fuerit.

POSTQVAM Moſes dixit primum in terris propter fortitudinem ac potentiam famoſum ac celebrem fuiſſe Nemrod: proxime ſubdit, *Fuit*, inquit, *principium regni eius Babylon, & Arach & Achad & Chalanne in terra Sennaar*, quorum verborum hic videtur planus & rectus ſenſus atque intellectus: Nemrod à principio regnare cœpiſſe Babylone, aliiſque vrbibus terræ Sennaar, Sed poſtea longius progreſſum alias quoque vrbes & gentes regno ſuo adieciſſe Arach interpretatur Hieronymus Edeſſam, Achad, Niſibim: Chalanne, Seluciam vel Cteſiphontem: terram Sennaar, ipſammet regionem ſiue terram, in qua ædificata eſt turris Babylon quæ propriè dicta eſt Babylonia. 68

Hieronym.

MVLTI tamen ſuperioribus illis verbis Moſis ſignificari putant Nemrod fuiſſe primum molitorem ædificatoremque Babylonis. vtramque certè ſententiam complexus eſt Auguſtinus, ita ſcribens: *Ex ipſa*, inquit, *Scriptura colligitur gigantemm illu Nemrõ fuiſſe Babylonis conditorem, quod ſuperius breuiter fuerat intimatum, vbi cum de illo Scriptura loqueretur, ait: Initium regni eius fuit Babylon*, id eſt, *quæ ciuitatum aliarum gereret principatum, vbi eſſet tanquam metropolis habitaculum regni, quamuis perfecta non fuerit vſque in tantum modum, quantum ſuperba cogitabat impietas. Nec mouere nos debet, ait Auguſtinus, quomodo potuerit gigas Nemrod ad illud ætatis occurrere quo Babylon condita eſt, & confuſio facta lingua rum, atque ex hac diuiſio gentium. Non enim quia Heber ſextus eſt à Noe, Nemrod autem quartus, ideo non potuerunt ad id tempus conuenire viuendo: hoc enim contigit, cùm plus viuerent vbi pauciores ſunt generationes, minus verò vbi plures: aut ſerius nati eſſent vbi pauciores, maturius vbi plures:* Sic Auguſtinus.

Aug. lib. 16 de ciuit. Dei, cap. 4.

cap. 11. eiuſdem libri.

ABEST huic opinioni & ipſa ſcriptura: ea quippe narrat capite vndecimo Geneſis: Ab iis qui ædificabãt turrim, ſimul quoque ædificatam eſſe ciuitatem: ter enim eo loco mentionem facit ciuitatis quæ ab illis ædificaretur: ea verò ciuitas propter confuſionem ibi

factam

factam, appellata est Babel, hæc est Babylon. Iosephus porrò auctor est, inter eos qui ædificauerunt turrim, ducem ac principem fuisse Nemrod. Ille igitur princeps conditor fuit Babylonis. Orosius quidem certè libro secundo capite sexto scribit, Nemrod primum Babylonis ędificatorem à multis celebrari: & apud Eusebium libro nono de Præparatione Euangelica capite vltimo, Alexander Polhistor firmat testimonio Eupomeli, Babylonem esse post diluuium à gigãtibus ædificatam: atqui Septuaginta Interpretes hoc loco Nemrod appellant gigantem: isque vt placet Iosepho, ædificãtium Babylonem incitator & dux fuit.

Iosephus. *Orosius.* *Alexand. Polhistor.*

69 At enim Belum patrem Nini fundatorem Babylonis fuisse, multis visum est. Certè Quintus Curtius libro quinto id proditum à plerisque esse affirmat. Apud Eusebium eo loco quem proximè ante posui, Alphæus narrat, cùm terra Babylonis propter magnas & crebras Euphratis inundationes, tecta & obruta esset aquis, primum omnium patrem Nini Belum siccasse aquas, vrbémque Babylonem moliri aggressum. Idemque senserunt quicumque fecerunt Belum primum Babylonis regnatorem:

Q. Curtius. A Belo ædificatam primo esse Babylonem. Alphæus.

70 Cetervm fermè omnium Græcorum atque Latinorum peruulgata est sententia, Babylonem esse conditã à Semiramide: id nempe prodidit Herodotus libro primo, Diodorus libro tertio, Strabo libro decimo sexto, Mela, lib. primo, Iustinus libro primo & S. Hieron. super secundum caput Oseæ. Addit Orosius libro secundo capite tertio, Semiramidem quadraginta duobus annis regnasse, & medio imperij tempore Babylonem caput regni sui condidisse.

Semiramis. Herodot. Diodorus. Strabo. Mela. S. Hieron. Orosius. Iosephus.

71 Verum apud Iosephum in priori libro aduersus Appionem, Berosus Græcos molitionem illius vrbis Semiramidi assignantes, mendacij arguit, tradẽs eã ciuitatem à rege Nabuchodonosore ędificatam esse. Certè Daniel capite quarto inducit eum regem gloriantem, & sese iactantem de Babylonis ædificatione illis verbis: *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, &c.*

Nabuchodonosor conditor Babylonis secũdum Berosum.

72 Berosvs Annianus tres facit Babylonis conditores, Nemrod, Belum & Semiramidem: de Nemrod quidem ita scribens: *Nemrod assumpto filio Ioue Belo, cum colonijs venit in campum Sennaar vbi designauit vrbem, & fundauit maximam turrim anno post diluuium centesimo trigesimo primo, eamque turrim ad altitudinem & magnitudinem montium excitauit, in signum & monumentum, quod primus in orbe terrarum esset populus Babylonicus, & regnum regnorum dici deberet. Verum nec turris ædificationem complenit, nec designatam vrbem fundauit: quia post quinquaginta sex annos, subito non comparuit. Iuppiter autem Belus, filius eius quem diximus Nẽrod, secundo loco regnauit Babylone annis sexaginta duobus, & fundamenta Babylonis à patre suo designata in formam & magnitudinem oppidi magis quam vrbis excitauit. At verò Semiramis vxor Nini, quæ eius imperio successit quarto loco, idque duobus & quadraginta annis obtinuit, vt priores omnet bellica gloria, victorijs atque triumphis deuitisque anteceſſit, ita vrbem Baby-*

Beroſus. Annianus.

lonem ex oppido tantum & talem fecit, vt verius dici possit eam vrbem à Semiramide conditam, quam amplificatam vel exornatam fuisse.

Auctoris sententia de Cõditore Babylonis.

EGO ita sentio, primum omnium conditorem Babylonis fuisse Nemrod, vt supra probatum est: sed hunc Nemrod non fuisse alium quàm Belum patrem Nini paulò ante ostensum est. Quare Belum

Eupolemus.

faciunt conditorem Babylonis, à nobis minimè discordant, quemadmodum Eupolemus aiens ædificatam esse à gigãtibus, id ipsum quod nos sentimus significare voluit. Sed quia eam vrbem exiguam, & inũdationibus Euphratis penè dirutam & vastatã posteà Semiramis amplissimam, munitissimam & ornatissimam fecit: propterea non immerito ædificatrix eius vrbis celebratur. Sed enim cùm post Semiramidem qui consecuti sunt reges Assyriorum, post habita Babylone, colue

Diodorus.

rint Niniue, eamque fecerint Regiam, id est, sedem caputque imperij Assyriorum, vt narrat Diodorus libro tertio, hinc accidit vt Babylon à regibus deserta, & insuper Euphratis eluuionibus, & hostium incursionibus vastata, diu obscura & ignobilis fuerit: quoad post, euersa Niniue, rex Nabuchodonosor Babylonem de integro instauauerit & latissimè amplificatã magnificentissimis operibus adornauerit, eoque sedem imperij, vt quondam fuerat, restituerit. Ex his apparet, si quis rẽ ipsam benè perpendat, non esse discordes scriptores, licet diuersa de Babylonis conditore scripsisse videantur.

Eusebius in Chronico.

SI primus igitur regnator Babylonis fuit Nemrod vel Belus, qui 74
secundum Eusebium regnauit annis sexaginta quinque, & qui hunc proximè secutus est Ninus annis quinquaginta duobus, cuius imperij anno quadragesimo tertio, qui fuit post diluuium annus ducẽtesimus nonagesimus secundus, natus est Abrahã: ex his manifestum fit exordium regni Babylonici competere in annum à diluuio centesimum octogesimum quartum. Si autem diuisio linguarum incidit in ortum Phaleg, vt significat scriptura, ideſt, in annum à diluuio centesimũ primum, necesse est primordia regni Babylonici anno tertio & octogesimo post diuisionem linguarum esse constituta.

VERS. 11.

De terra illa egressus est Assur & ædificauit Niniuen & plateas ciuitatis & Chale: Resen quoque inter Niniuem & Chale: hæc est ciuitas magna.

Aug. lib. 16 de Ciuit. Dei cap. 3.

VOD hic dictũ est, inquit Augustinus, *de terra illa, id est,* 75
de terra Sennaar quæ pertinebat ad regem Nemrod exisse Assur & ædificasse Niniuẽ & alias ciuitates hic memoratas longe posteà factum est: sed ex occasione hic perstringitur, propter nobilitatem regni Assyriorũ, quod mirabiliter dilatauit Ninus Beli filius conditor Niniue, ciuitatis magnæ, cuius ciuitatis nomen ex illius nomine deriuatam est, vt à Nino Niniue diceretur. Assur autem vnde

Assyrij

Assyrij, non fuit ex filijs Cham medij filij Noë, sed ex filijs Sem, qui fuit maximus Noë filius, Vnde apparet ex progenie Sem exortos fuisse, qui postea regnum gigantis illius Nemrod obtinerent, & inde procederent, atque alias conderent ciuitates, quarum prima est à Nino appellata Niniue. Sic Augustinus. *Caietanus.*

76 CAIETANVS putat cùm proximè ante dictum esset Nemrod in terra Sennaar regnasse, nunc subiungi ex eadem terra prodiisse Assur secundum filium ipsius Sem, qui etiam in terra Assyriorum regnauit, & conditor fuit Niniue ciuitatis, sicut Nemrod Babylonis, vt hinc appareat quando fuerit, & à quibus profecta sit origo duarum totius orbis antiquissimarum & maximarum ciuitatum Babylonis & Niniue: simúlque primordia Babylonis & Assyriaci imperij innotescant.

DE *terra illa egressa est Assur.* Terrā intellige Sennaar, quam fuisse regnum, & imperiorum matrem ex hoc loco perspicitur: ex ea namq; & Nemrod fuit, princeps regni Babylonici, & Assur, auctor gentis & principatus Assyriorum. Illud *Egressus est*, indicat secundum Augustinum, Assur, vel eius posteros obtinuisse primo regnum Nemrod quod erat in terra Sennaar, & inde processisse ad alias terras & gentes obtinendas, quarum prima fuit ea, quæ ab ipso Assur dicta est Assyria vno gradu magis septentrionalis quàm Babylonia, vt tradit Ptolomæus libro sexto Geographiæ. At verò secundum alios propterea discessit Assur ex terra Sennaar, quod discors esset ipsi Nemrod propter eius prauum ingenium, mores, & facta. Illud porrò vocabulum (Assur) tres videtur habere significationes. Etenim nonnumquam est nomen proprium secundi filij Sem, qui Assur appellatus est in capite Geneseos decimo, significat etiam regē Assyriorum qui frequenter in scriptura nominatur rex Assur, vel præcisè Assur, significat præterea vel gentem, vel imperium, vel regionem Assyriorum, sic enim id nominis quidam hoc loco interpretati sunt. *Ptolom.* *Tres significationes vocis Assur.*

77 SEQVITVR; *Et ædificauit Niniue, hæc est ciuitas magna.* Diuina scriptura appellat Niniue, sed Herodotus, Strabo, Plinius Ninum, Diodorus verò Ninam significatur igitur Assur primū fuisse eius vrbis conditorē. Et quia fermè omnes conditorē huius vrbis celebrant Ninum regem, ex eo nonnulli argumentātur, eundem fuisse Ninum atque eum qui hoc loco nominatur Assur. Verum de hoc paulò infra dicturi sumus. Merito autem Niniue & hic & apud Ionam prophetam appellatur Ciuitas magna. Si enim magnitudinem eius estimare velis ex prima origine, cùm fuit à Nino ædificata, reperies totius orbis eam fuisse maximā, vt nec ante, nec post habuerit parem. Ambitus enim vrbis erat quadringentorum octaginta stadiorum, id est, sexaginta mille passuum: altitudo murorum erat pedum centum: latitudo qua tres currus simul incederē: turres centum quinquaginta, singulæ altitudinis ducentorum pedum. Sic Diodorus lib. 3. cui attestatur Strabo libro decimo sexto, affirmans eam Babylone fuisse *Herodet.* *Strabo.* *Plinius.* *Diodorus.* *Magnitudo ciuitatis Niniue quibus ērebus æstimanda.* *Ionæ. 4.*

Lapsus Diodori. Tob. 6. Plin. lib. 6 cap. 13

fuisse maiorem. Sed in eo lapsus videtur Diodorus, quod Ninum vrbem supra Euphratem statuit, cùm ea imposita fuerit Tigri fluuio, vt ex libro Tobiæ, & libro primo Herodoti licet intelligere. Quocirca Plinius: *fuit*, inquit, *Ninus imposita Tigri, ad solis occasum spectans, vrbs quodam clarissima.*

IAM verò si magnitudinem eius vrbis prout erat tempore Ionæ 78
prophetæ, id est, plus mille ducentis annis postquam à Nino fuerat condita, æstimare libet, inuenies tantam fuisse eius intra mœnia amplitudinem, vt tota vicatim obiri & lustrari non minus triduo posset, quamobrem dicitur ciuitas apud Ionam itineris trium dierum. Frequentia verò habitatorum tanta fuit, vt in ea essent centum & viginti millia infantium, qui nondum per ætatem ratione vterentur: qui numerus comparatione vniuersi populi, vix quintam partem obtinet, vt ex eo intelligere liceat plus sexcenta millia habitatorum fuisse id temporis in illa vrbe. Accessit ad eius vrbis magnificentiam, quod longissimo tempore, id est, per annos amplius mille trecentos caput fuerit imperij Assyriorum. Meritò igitur vt dixi, hic & alibi nominatur in sacris literis Ciuitas magna.

Hieronym. in Traditionib in Genesim.

PRO illo quod sequitur: *Et plateas Ciuitatis*, Hebraicè est *rehoboth*, quæ vox potest esse vel nomen appellatiuum significans plateas, à verbo, *rachab*, quod significat dilatare, & sic accepit hoc loco B. Hieronymus. *Non putemus*, inquit ille, *Niniue & Rehoboth duas esse vrbes, sed quia Rehoboth platea interpretantur, ita legendum est: Et ædificauit Niniue & plateas ciuitatis: quasi id adiectum fuerit ad significandam amplitudinem huius vrbis, quæ multas & magna habuerit plateas.* Potest etiam ea vox accipi vt nomen proprium vrbis quæ sic appellaretur, & hoc modo eam vocem exposuerunt Septuaginta Interpretes hoc loco, quemadmodum & ipsemet Hieronymus in libro de locis Hebraicis. Quæ autem hic appellatur Chale, Hebraicè est Chalach, sic habent Septuaginta Interpretes hic, & Hieronymus de locis Hebraicis. Strabo in exordio libri decimi sexti Chalachenam nominat vt vicinam ciuitati Niniue. Pro vocabulo, *Resen*, Septuaginta habent, *Dase*, & sic legit Augustinus.

QVINTA DISPVTATIO.

Quis fuerit Assur conditor vrbis Niniue, & de regno Assyriorum.

QVM Moses dixit ex terra Sennar egressum esse Assur qui 79
condidit ciuitatem Niniue, quæritur quidnam vocabulo illo Assur intelligi oporteat hoc loco, vtrum gentem, vel regnum, vel regionem Assyriorū, an verò virum aliquē

eo

eo nomine apellatum: namque id satis per se obscurum est, simúlque aliis quibusdam innexum atque implicatum est difficultatibus. B. Hieronymus vocem Assur interpretatus est regnum Assyriorum, Explanans enim verba illa: *Ex terra illa egressus est Assur*, sic ait: *De terra illa Assyriorum pullulauit imperium, qui ex nomine Nini Beli filij Ninum condiderunt, vrbem magnam, quam Hebræi appellant Niniue, ad cuius vel ruinam vel pœnitentiam tota Ionæ pertinet prophetia.* Sic Hieronymus. *Hieronym. in Traditionib. Hebraicis in Genesim.*

GERARDVS autem Mercator voce Assur significari putat regionem Assyriorum, & Mosem his verbis significare, Nemrod (quem ipse vult fuisse Ninum) postquam ædificauerat in terra Sennaar Babylonem, non contentum ditione & dominatione terræ Babylonicę, inde ad alia regna acquirenda fuisse egressum. Itaque vox illa (Assur) Mercatori non significat virum aliquem, sicut plerique interpretati sunt, sed ipsam regionem Assyriæ, *quid enim*, ait ille, *magnum erat ac memorabile dicere de terra Babylonis egressum fuisse Ninũ, cum ex ea omnes illi reges prodierint? Sed illis verbis significatur, primum omnium Ninum non contentum paterno regno egressum finibus suis inuasisse externa, aliena & longinqua regna*: quod ante Ninum feciſſe neminem tradit Iustinus. *Ante Ninum*, inquit Iustinus, *fines imperij tueri magis quam proferre mos erat. Intra suam cuiq; patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus rex Assyriorum veterem & quasi auitum gentium morem noua imperij cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad Libyæ terminos vsque perdomuit. Domitis enim primo proximi, cũ accessione virium ad alios fortiter transiret, & proxima quæq; victoria instrumentum insequentis esset, totius Orientis populos subegit.* Ita Iustinus. *Mercator in Cronologia. Iustin. initio primi libri. Ninus.*

VERVM Mercatori communis Doctorum sententia dupliciter aduersatur, tum quod eundem facit ipse Ninum atq; Nemrod, quod falsum est, & à nobis supra refutatũ; tum quod vocabulo Assur non regionem Assyriæ, vt expressit ipse, sed Assur filium Sem significari plerique arbitrantur. Audi Iosephum: *Sem* inquit, *tertio Noë filio, quinque fuere filij, qui Assyriam vsque ad Indicum Oceanum incoluerunt, ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto: primus Elimus posteros reliquit Elimæos à quibus Perse originem traxerunt. Alter dictus Assur vrbem Ninum condidit, & subditos de se Assyrios denominauit, quorum opes ortæ ceteris floruerunt.* Idem sensit B. Augustinus in libro decimo sexto de Ciuitate Dei, capite tertio, cuius verba cum paulò superius commemorata sint, hic ea repetere non est necesse. Quin etiam B. Hieronymus in libro de locis Hebraicis, voce Assur exponit personam Assur, filium dico, Sem, non autem regnum Assyriorum, vt in traditionibus Hebraicis interpretatus fuerat. Non attinet plures afferre huius interpretationis probatores, cum Iosephum quasi ducem ferè posteriores secuti sint. *Iosephus li. 1 Antiquitatũ. Augusſt. Heron.*

80 MEA triplex est sententia. Primum equidem sentior, Ninum, regem Assyriorum non fuisse Assur filium Sem: tum quod Ninus fuit ex stirpe Cham, eius scilicet abnepos, fuit enim filius Beli quem *Ninus non fuit Assur filius Sem.*

nos supra ostendimus fuisse Nemrod nepotem ipsius Cham: quod si Ninus fuit abnepos Cham, non potuit esse filius Sem: tum quod Belus pater Nini vir fuit impius & parens idololatriæ, ab eo enim Hieronymus & Cyrillus aliiq; primam idololatriæ originem repetunt: at Sem patet Assur, non modò pius & sanctus vir fuit, verùm etiam veræ pietatis & religionis custos, doctor & propagator.

Hieronym.
Cyrillus.

Quod autem quidam ex ratione temporum euidenter concludi putat Ninum non fuisse Assur filium Sem, quod non potuisset Ninus viuere vsque ad ortum Abrahæ, vt à multis traditur, idest, per annos trecentos, hoc inquam, non videtur satis firmum: cur enim incredibile sit Assur filium ipsius Sem qui post diluuium generatus est, vltra ortum Abrahæ, idest, vltra trecentos annos vixisse, cum frater eius Arphaxad, eiusq; filius Sale & nepos Heber vltra quadringentos annos vitam prorogauerint, scilicet plus centum annis vltra ortum Abrahæ?

Deinde censeo, si quis contendat vocabulo Assur significari Ninum regem Assyriorum, ei dicendum esse vocem Assur hoc loco non esse nomen proprium significans Assur filium Sem, iam enim ostensum est. Ninum & Assur filium Sem planè diuersos fuisse. Quapropter vox Assur hoc loco significat Assyrium vel regem Assyriorum, qua significatione vsurpatur frequenter in sactis litteris, vt supra indicauimus, idque liquet ex quarto libro Regum, cap. decimo quinto, & Psalmo 82. & Isaiæ 10. & 31. Erit igitur sententia horum verborum, Ex terra Sennaar egressum Assur, idest, Ninum regem Assyriorum non contentum Babylonico regno quod pater eius Belus fundauerat, ad alias gentes subiugãdas aliaq; regna capessenda processisse, & inter alia eius præclara opera fuisse ædificationem Niniue ciuitatis magnę.

Illvd quoque arbitror, si qui nominatur hoc loco Assur, fuit ille filius Sem (id quod multis placere video) quod subditur, ab eo esse ędificatam Niniue, interpretãdum esse quasi dictum per anticipationem. Ille enim Assur ædificauit eam vrbem, quam Ninus multis post annis vel iam dirutam reficiens, vel ex parua ampliſſimam, & magnificentissimis operibus ornatissimam efficiens, abolita prioris conditoris memoria, priorique eius vrbis appellatione, de suo nomine Niniue seu Ninum appellauit. Itaque quod hic dicitur: *Hæc est ciuitas magna*, non debet referri ad primum eius vrbis originem, cùm est ædificata ab Assur filio Sem, sed ad ædificationem eius à Nino profectam vel ad magnitudinem eius qua erat eo tempore quo Moses hãc historiam scripsit, & ad hanc interpretationem sententia Iosephi, Hieronymi & Augusti ni accommodari potest. 81

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

De Regibus Assyriorum.

82 ETERVM quia hoc loco aperit sacra scriptura primã originem regum & regni Assyriorum, non fuerit alienum, nos etiam ea de re nonnihil attingere. Ninum fuisse primum Assyriorum regem atque monarcham, omnes, inquit, Hieronymus, tam Græcæ quàm Latinæ narrant historiæ. Et ante Ninum quidem pater eius Belus, vt tradunt ferè scriptores Ecclesiastici, Babylone regnauerat sexaginta quinque annos: sed eo tantum regno & quidem permodico contentus fuit: vir non tam sua gloria clarus, quàm Nini filij amplitudine imperij, & rerum gesttarum fama nobilitatus, maximè verò quod primus omnium mortalium à filio Nino in Deo relatus, & pro Deo publicè coli iussus est: ex quo primum initium publicæ idololatriæ factum esse creditur.

Hieron in ca. 2. Oseæ

Belus qualis vir fuerit & quamdiu regnauerit, & quod primus mortaliũ pro Deo cultus sit

83 CVM autem Abraham natus esse dicatur anno qaudragesimo tertio imperij Nini, & vt ex ipsa scriptura colligitur, anno ducentesimo nonagesimo secundo post diluuium: hinc efficitur Belum qui sexaginta quinque annos regnauit ante Ninum, iniisse regnum anno post diluuium centesimo octogesimo quarto, obiisse autem anno ducentesimo quinquagesimo. Ex quo potest obiter redargui manifestus in Chronologia error cuiusdam Thali scriptoris peruetusti, quẽ tamen errorem secutus est Theophilus scriptor Ecclesiasticus in libro de Temporibus, & Lactantius sub finem primi libri.

84 PRODIDIT Thalus Belum patrem Nini fuisse synchronon, & æqualem Saturni, & præcessisse Bellum Troianum annis duntaxat trecentis viginti duobus. Ponam hic sententiam Thali, vt eam refert Lactantius his verbis: *Theophilus in libro de Temporibus ad Autolicum scripto, ait in historia sua Thalum dicere, quod Belus, quem Babylonij & Assyrij colunt, antiquior Troiano bello fuisse inueniatur trecentis viginti duobus annis. Belum autem Saturni æqualem fuisse, & vtrunque vno tempore adolescisse. Quod adeo verum est, vt ratione ipsa colligi possit. Nam & Agamemnon qui gessit bellum Troianum, Iouis abnepos fuit, & Achilles Aiaxque pronepotes, & Vlysses eodem gradu proximus. Ab excidio autem Troianæ vrbis colliguntur anni mille quadringenti septuaginta. Ex hac temporum ratione manifestum est, ante annos non amplius mille octingẽtos natum esse Saturnum ui & Sator omnium Deorum fuisse dicitur.* Sic Lactantius.

De tempore Beli falso Thali, Theophili & Lactantij sententia.

85 VERVM sententia istorum magnum continet in Chronologia errorem. Etenim Diodorus Siculus libro tertio capite sexto affiirmat à Nino vsque rege ad bellum Troianum mille annos preteriisse: idém que posset ex sacris litteris ostendi. Belus enim centum & octo annis ante ortum Abrahæ regnare cœpit, ab ortu porrò Abrahæ vsque

Diodorus.

ad egressum Hebræorum ex Ægypto, numerantur quinque & quingenti anni, post id verò temporis, annis plus trecentis bellum fuit Troianum, quod nos alio loco vel in principatum Samsonis, vel in Heli pontificatum incidisse demonstrauimus.

Quantũ fuerit Nini & Assyriorum imperium. Diodorus.

SED redeo Ninum. Hic primus regum omnium, scriptores rerum suarum nactus est, vt ait Diodorus, quòd primam in terris maximéque diuturnam atque amplissimam, quæ Assyriorum appellata est monarchiam condiderit, quam & ipse, & post ipsum vxor eius Semiramis ad eo prolatarunt, vt eos imperasse toti Asiæ quanta scilicet iacet inter Tanaim & Nilum, perdomito Oriente vsque ad Indos & vsque ad Libyam prolato dominatu, grauissimi auctores Diodorus, Iustinus, B. Hieronymus & Augustinus tradiderint. Quocirca valdè miror Dionysium Halycarnasseum peracris limitatique iudicij & exquisitæ diligentiæ scriptorem, Assyriorum imperium tam modicis regionibus determinasse, vt in primo libro Romanarum antiquitatum scriptum reliquerit Assyriorum imperium modica tantum Assyriæ parte fuisse contentum: *Antiquum* inquit, *illud Assyriorum imperium retro ad fabulosa vsque pertingens tempora, modicam quandã Assyriæ partem obtinuit: hoc in Medos translatum & auctum etiam opibus non lõgo duranit tempore in quartam ætatem desinens. Persæ porrò Medis deuictis. Asia quidem pene tota potiti sunt.* Sic ille. 89

Diodor. lib. 3. Iustinus lib. 1. Hieron. in 2. caput Oseæ Aug. lib. 16. de ciuit. Dei, ca. 17 & lib. 18. cap. 22.

Animaduersio in Dionysium Halycarnasseum.

SIC VT autem Ninum huius monarchiæ primum regem faciunt auctores, ita nouissimum statuũt Sardanapalum. Et intermedij quidem nullis virtutibus nullísque, rebus gestis memorabiles, pariter quoque indecores atque incelebres fuerunt: Sardanapalus verò non minus flagitiis & muliebri desidia atque mollitie luxúque, quàm alij præclarè factis nobilitatus & à scriptoribus celebratus est. 87

Quot fuerint reges Assyriorũ a Nino vsque ad Sardanapalum. Velleius Paterculus. Eusebius. Paulus Orosius. Diodorus.

QVOT porrò fuerint huius Monarchiæ reges à Nino vsque ad Sardanapalum variant scriptorum sententiæ. Etenim Velleius Paterculus prioris libro recenset triginta tres, & in his illud permirum fuisse ait: quod semper filius in regnum successerit patri. Eusebius in Chronico sex & triginta annotauit. Paulus Orosius primo libro numerat quinquaginta. Verum Diodorus auctore Ctesia, triginta dumtaxat reges commemorat. Sed enim quot fuerint in hac Monarchia reges plutésne an pauciores, haud magni est momenti perceptum habere, præsertim verò prout huius Monarchiæ explicatio ad sacræ historiæ & Chronologiæ cognitionem potest conducere. Illud sanè maioris est momẽti, quadiu ea Monarchia steterit, exploratum & compertum habere. Quamobrem etiam de hoc in præsentia breuiter quidem, sed non indiligenter disputandum est. 88

SEPTI

SEPTIMA DISPVTATIO.

Quandiu steterit Monarchia Assyriorum.

89 DE duratione, & diuturnitate Monarchiæ Assyriorum, quantum scilicet temporis à Nino vsque ad Sardanapalum effluxerit, variè admodum tam profani quàm Ecclesiastici scriptores senserunt atque literis prodiderunt. In epistola quam scripsit Alexander Magnus ad matrem suam Olympiadem, cuius Epistolæ memoria extat apud B. Augustinum lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 10. inducitur quidam Ægyptius ex sacris Ægyptorum libris confirmans regnum Assyriorum quinque millia annorum excessisse. Verùm & hoc, vt alia Ægyptiorum figmenta, & cum irrisione contemptúque reiiciatur. Liquet enim vel ab ipso mundi exordio ad Magnum vsque Alexandrum minus tria millia & octingentos præteriisse annos. *Epistol. Alexãdri Magni ad matrem Olympiadẽ, Augustinus.*

90 IOSEPHVS primo libro Antiquitatum tradit, viuente Abrahã imperium Asiæ penes Assyrios fuisse: idémque libro decimo ait regnum Assyriorum circa regis Ezechiæ tempora euersum esse. Si quis autem ab ortu Abrahæ ad primordia vsque regni Ezechiæ, secundum sacram Chronologiam, tempora percenseat, annos comperiet mille ducentos & septuaginta quinque: quibus si addantur quadraginta duo anni regis Nini ante ortum Abrahæ (namque inter scriptores Ecclesiasticos ferè conuenit post quadragesimum secundum Nini regis imperij annum Abraham esse natum) statuet ex sententia Iosephi, Assyriorum imperium stetisse annis mille trecentis & decem ac septem. Sed enim idem libro nono significat regnante Ioathan Nahum prophetasse excidium Assyriorum, idque euenisse annis post id tempus centum quindecim, quorum annorum finis competit in primordia regni Manassis, ex quo fieret, stetisse illud regnum annis circiter mille trecentis quinquaginta. *Iosephus.*

91 HERODOTVS illud tantùm prodidit, Assyrios imperio Asiæ per quingentos annos esse potitos. Diodorus Siculus Ctesiam, vt solet, auctorem secutus, regno Assyriorum assignat annos mille trecentos & sexaginta. Nec aliud profecto idem Diodorus significare voluit, cùm extremi verbis septimi capitis libri tertij scripsit, Assyricos regnasse per annos mille & quadringentos, scilicet quadringentos intelligens minime completos. Illud qnoque ab eodem Diodoro ibidem scriptum legimus, Theutano vigesimo Assyriorum rege imperante, iam mille annis imperij Assyriaci transactis euenisse bellum Troianum. Ex quo efficitur, cum bellum Troianum trecentis sexaginta annis contigerit post egressum Hebræorum ex Ægypto duce Mose, vt alibi ostendimus, exordium imperij Assyriorum fuisse centum quadraginta annis ante ortum Abrahæ: hoc est, centum quin- *Herodotus. lib. 1. Diod. lib. 3 cap. 6.*

quaginta post diluuium. Velleius Paterculus regno Assyriorum attribuit mille septuaginta annos, Iustinus verò mille trecentos.

Vell. Paterculus lib. 1.
Iustinus lib. 1

EVSEBIVS quem secutus est Augustinus, S. Hieronymus, Cyrillus, Isidorus, Beda, aliique quàm plurimi durationem imperij Assyriorum mille ducentis & quadraginta annis definierunt. Paulus Orosius primo libro mille centum sexaginta annos huic imperio tribuit. Verùm non satis constanter ea de re variis locis loqui videtur Orosius. Siquidem lib. 1. c. 12. à primo rege Assyriorum Nino vsque ad vltimum regem Sardanapalum recenset annos mille centum sexaginta, in capite autem 4. eiusdem libri ait hoc imperium cœpisse annis ante Romam conditam mille trecentis, desiisse verò ante fundatam Romam annis sexaginta quatuor. At enim duo hæc posteriora primum illud Orosij dictum prorsus euertunt. Ex his enim necessariò concluditur stetisse imperium Assyriorum mille ducentis triginta sex annis, non autem, vt ipse tradidit, annis mille centum sexaginta. 92

Eusebius.
Augustinus.
Hieronymus.
Cyrillus.
Isidorus.
Beda.
Animaduersio in Orosium.
Orosius.

BEATVS porrò Augustinus lib. 16 de Ciuitate Dei, cap. 17. scribit regnum Assyriorum incœpisse mille ducentis quadraginta annis ante Romam, desiisse autem eodem propemodum tempore quo Roma est condita, regnante in tribu Iuda Achaz vel Ezechia, vt tradit ipsemet Augustinus lib. 18. cap. 22. Sed hæc Augustini sententia non satis constat. Ab ortu enim Abrahæ vsque ad initium regni Ezechiæ sacra Chronologia annos mille ducentos & octoginta continet: quibus si addas quadraginta anno regni Nini ante ortum Abrahæ, quos ponit etiam Augustinus lib. 16 cap. 17. eiusdem operis, colliges annos imperij Assyriaci mille trecentos viginti. Vel igitur tot annos ei regno tribuere debet Augustinus, vel fateri, octoginta annis ante regnum Ezechiæ (cuius anno decimo sexto condita est Roma) cecidisse regnum Assyriorum: vt hac ratione principium eius regni statuatur ducentesimo quinquagesimo anno post diluuium: finis autem eius signetur in quarto anno regis Azariæ: Atque hoc dicimus secundum opinionem ferè scriptoribus Ecclesiasticis probatam: qui Monarchiam Assyriorum mille ducentis quadraginta annis circunscribunt, eiusque initium statuunt quadraginta duobus annis ante ortum Abrahæ. 93

Augustin.
Animaduersio in sententiam Augustini.

OCTAVA DISPVTATIO.

Quandiu steterit vrbs Niniue.

EXPOSVI breuiter aliorum sententias de duratione imperij Assyriorum. Sequitur vt quamdiu steterit vrbs Niniue caput eius imperij & sedes regia, & quo tempore primum ceciderit & funditùs euersa sit pari etiam breuitate 94

tate

tare dicamus. Herodotus lib. 1. scribit Cyaxarem Medorum regem regnasse quadraginta annis, & extremo ferè principatu expugnasse Niniue: proximum autem in imperio successorem Cyaxaris facit Astyagem, eiq; quinq; & triginta regni annos assignat. Astyagi porrò successisse ait Cyrum, cuius primo imperij anno solutam ab eo esse captiuitatem Babylonicam ex sacris litteris didicimus. Ex his concluditur. secundum Chronologiam Herodoti, Niniue subuersam esse intra septuaginta illos captiuitatis Babylonicæ annos. *Herodotus.* *Cyaxares.* *1. Esd. 1.*

95 COMMVNIS sententia est, Niniue destructam esse cùm Sardanapalus ab Arbace vel Arbaco Medorum præfecto victus & voluntaria morte defunctus est, quemedmodum tradunt Diodorus libro. 3. capit. 7. & Strabo lib. 16. necnon & Eusebius atq; complures alij Eusebium secuti. Verùm quia Sardanapalus eo tempore fuit quo apud Iudæos regnabat Ozias, secundum Diodorum autem longè post, regnante scilicet Manasse, vt supra diximus: hinc fit, vt secundum Eusebium Niniue corruerit regnante Ozia: plus autem centum annis post regnante Manasse subuersa sit secundum Diodorum. Iosephus, vt paulò supra indicauimus, cùm dicat libro nono, regnante Ioathan excidium vrbis Niniue prædictum fuisse à propheta Nahum, idque centum & quindecim annis post contigisse, necessario debet casum & ruinam ciuitatis Niniue in tempus regni Manassis conferre. *Diodorus.* *Strabo.* *Eusebius.* *Iosephus.*

96 SANCTVS Hieronymus in Præfatione Commentariorum suorum in Ionam prodidit euersam fuisse Niniue secundum Græcam historiam (id est secundum Herodotum) regnante apud Medos Astyage: secundum autem sacram Chronologiam, regnante apud Iudæos Iosia, quæ sententia non satis constare sibi nec secum ipsa cohærere videtur. Primò, secundum Herodotum, non Astyges, sed pater eius Cyaxares expugnauit Niniue. Sed fortassè quia scribit Herodotus sub finem imperij Cyaxaris accidisse expugnationem Niniue, cõiici posset illam quidem fuisse inchoatam à Ciaxare, sed ab Astyage perfectam. Deinde sumit quasi certum Beatus Hieronymus æqualem Iosiæ fuisse Astyagem & eodem tempore regnasse, quod non incertum modo, sed etiam falsum videri posset. Astyages enim regnare cœpit triginta quinque annis ante Cyrum, id est, ante solutionem Babylonicæ captiuitatis, Iosias verò mortuus est nonaginta circiter annis priusquam ea captiuitas solueretur. Quid quod idem Sanctus Hieronymus in Præfatione sua in prophetam Nahum scriptum reliquit, Nahum regnante Ezechiam iam decem tribubus in captiuitatem ductis prophetasse Niniue subuertendam à Chaldæis, at enim qui primus Chaldaicum imperium auxit & extulit aliquos annis post Iosiam, fuit rex Nabuchodonosor. *S. Hieronym.* *Animaduersio in opinionem B. Hieronymi.* *S. Hieron.*

97 HEBRÆI in sua maiori Chronologia quam appellãt Seder-Holam, cap. 24. tradunt Niniue subactam esse à rege Nabuchodonosor primo regni eius anno, idémque significasse videtur Beda in libro de sex *Hebræi* *Beda*

de sex ætatibus Mundi. Atque hæc ferè sunt quæ ab aliis de tempore quo perdurauit imperium Assyriorum & quo vrbs Niniue stetit, disputata & litteris prodita reperi.

Auctoris sententia.

NON erit opinor non gratum lectori, si eum in tanta opinionum 93
varietate, reiq; ob vetustatem abstrusissimæ obscuritate, nostri quoque iudicij ac sententiæ participem faciamus. Ego ita sentio, si loquamur de vltima & perfecta regni Assyriorum euersione & ciuitatis Niniue ruina, postquam scilicet euersionem Assyrij nec amplum nec potens & florens imperium vnquam obtinuerint, nec vrbs Niniue magnitudine & frequentia floruerit, si de hoc, inquam, loquamur excidio Assyriorum, non dubitabo dicere omnes supra expositas auctorum sententias esse falsas. Hanc meam opinionem persuadere lectori diuinarum literarum non imperio ac rudi facillimum fuerit. Namque vt ordiar ab Eusebio (quem complures Ecclesiastici scriptores secuti sunt) cùm is tribuat regno Assyriorum à Nino vsque ad Sardanapalum mille ducentos quadraginta annos, necesse est finem eius regni eum ponere in septimo anno regni Oziæ regis Iuda. Si quis enim ab hoc septimo anno Oziæ, rectò secundum sacram Chronologiam recurrens ad primum vsque Nini annum, interlapsos colligat annos, reperiet illos mille ducentos quadraginta, quos Eusebius adscribit regno Assyriorum, videlicet quadraginta duos annos regis Nini ante ortum Abrahæ: ab ortu Abrahæ vsq; ad Hebræorum egressum ex Aegypto, quingentos quinque, hinc vsque ad quartum annum regis Salomonis, quo anno templum ædificari cœptum est, quadringentos octoginta: ab hoc quarto anno regis Salomonis vsque ad septimum Oziæ, ducentos tredecim: Ex supradictis omnibus annis conficitur ea, quam dixi, summa annorum mille ducentorum quadraginta.

Secundũ Eusebiũ necesse est regnum Assyriorũ in septimo anno Oziæ regis Iuda finitũ esse.

ATenim non fuisse in septimo anno Oziæ omninò subuersum 99
regnum Assyriorum nec desolatam Niniue, tribus euidentissimis argumentis ex ipsa ductis Scriptura conuincitur. Primò, plus octoginta annis post septimum Oziæ annum transactis propheta Nahum regnante Ezechia, ductisq; iam in captiuitatem decem tribubus (vt rectè sensit B. Hieronymus in sua Præfatione in prophetã Nahum) prædixit futuram ruinam & Niniue & Assyriorum: tunc igitur stabat imperium illud, & caput eius Niniue. Deinde illo ipso tempore maximè floruerunt duo reges Assyriorum, Salmanasar & Sennacherib, quorum regum imperij magnitudinem atque potentiam & magnificentiam satis declarat Scriptura in libro quarto Regum, & apud Isaiam capite decimo.

Niniue, non esse euersam regnante Ozia rege

B. Hieronym.

ACCEDIT ad id concludendũ tertia ratio validissima quæ ducitur ex Historia Tobiæ. Tobias quippe vicinus morti prædixit ruinam & euersionẽ Niniue propinquam, iamq; imminentem: non est autem mortuus Tobias ante trigesimũ annum regni Manassis, id est, plus centum triginta annis post septimum illum regni Oziæ annum,

100

Tob. vltimo.

Quãdo mortuus Tobias.

in

in quo, vt dixi, finis imperij Assyriorum auctore Eusebio locandus est. Quod autem dixi de tempore mortis Tobiæ, ad hunc modum ostendo: cæcitas Tobiæ accidit post mortem Sennacherib, vt patet ex primo & secundo capite libri Tobiæ. Est autem occisus Sennacherib post annum decimumquartum Ezechiæ regis, vel eo ipso anno vt indicat Scriptura quarto Regum capite decimo octauo: cęcitatem porrò quatuor annis tulit: exinde post restitutum visum duos & quadraginta annos vixit, vt ex libri Tobiæ capite decimoquarto licet intelligere. Ergo post decimumquartum annum regis Ezechiæ vixit Tobias, vt minimum, quadraginta sex annos. Dixi, vt minimum, quia ex historia Tobiæ non potest liquido iudicari, quanto tempore post necem Sennacherib, paruo ne an longo cæcitas ei contigerit.

301 CONTRA Diodori verò sententiam, secundum quam finis imperij Assyriorum incidit in decimumquartum regni Manassis annum, tribus validis argumentis pugnari potest. Vnum sumitur ex historia Tobiæ, qui non ante trigesimum annum regis Manassis vt ostendi, mortuus est stante adhuc Ninive. Alterum petitur ex historia Nechao regis Ægypti quarto Regum capite vigesimo tertio, qui mortuo iam Iosia, idest, plus triginta annis post mortem Manassis, contendit cum magno exercitu aduersus regem Assyriorum: stabat igitur etiam id temporis regnum Assyriorum. Tertium argumentum ducitur ex historia Herodote qui primo libro scribit à Cyaxare Medorum rege, nouissimo eius principatu, expugnatam esse ciuitatem Ninive, Si quis autem Chronologiam Herodoti cum sacra Chronologia comparet, expugnationem illam Ninive plus triginta annis post captiuitatem Babylonicam accidisse comperiet.

Refellitur Diodorus.

Herodotus.

302 AD extremum tam B. Hieronymo qui euersionem Ninive confert in tempus regnantis Iosiæ, quam Bedæ & Hebræis excidium illius vrbis referentibus ad primum annum regni Nabuchodonosor, planè aduersari videtur historia libri Iudith, in cuius exordio memoratur quidam Nabuchodonosor rex Assyriorum potentissimum habens imperium, & regnans in ciuitate Ninive: quod autem eo in libro narratur, post seruatam Hebræorum captiuitatem, reditumque in patriam, sub monarchia Persarum euenisse arbitrantur plurimi, Eusebius quidem in Chronico, & Beda in libro de sex mundi ætatibus, tempore Cambysis: secundum Beatum Augustinum, regnante Cyro: vt autem placet Seuero-Sulpitio libro secundo de sacra historia, quo tempore regnabat apud Persas Artaxerses siue Darius Ochus, hoc est: plus ducentis annis post reditum Hebræorum ex captiuitate Babylonica.

Excutitur opinio B. Hier. Bedæ & Hebræorum.

Eusebius. Beda. Aug. lib. 18. de Ciuit Dei, c. 26. Seuerus Sulpitius.

303 QVÆNAM igitur est nostra sententia vel potius coniectura? Equidem censeo si nolumus quæ tot tantique auctores de imperij Assyriorum & Ninive euersione tradiderunt, vt falsa & sacris literis contraria damnare ac prorsus abiicere, necessariò nobis dicendum esse, nec regnum Assyriorum, nec ciuitatem Ninive semel tantùm

Auctoris sententia.

esse subuersa, sed iterum atque iterum & diruta atque vastata, & denuò refecta atque instaurata fuisse, quemadmodum enim accidit Iudæis, quorum principatus sæpè labefactatus & reparatus, & itidem vrbs Hierusalem, & sicut ciuitas Babylon sæpè capta, direpta, incensa & destructa est, vt nos ostendimus libro septimo nostrorum Commentariorum in Danielem, vbi explicãtes vltima verba capitis quinti Danielis, aliquot de regno Chaldæorum & de ciuitate Babylonis quæstiones tractauimus in sexta earum quæstionum: ita quoque regno Assyriorum & Niniue ciuitati existimandum est contigisse.

Babylonem, Hierusalem & Niniue sæpè subuersas & denuo refectas fuisse:

104 PRIMAM portò regni Assyriorum & ciuitatis Niniue ruinam atque enersionem credo equidem fuisse eam quam regnante Oziam minatus est Ionas, sed ea proper Niniuitarum pœnitentiam aliquandiu dilata est. Eam verò ruinam multis annis post regnante Ezechia vt omnino futuram, prædixit Nahum, & Tobias paulò ante mortem suam vt iam appropinquantem denunciauit: quam nos putamus circa quadragesimum regni Manassis annum contigisse.

Prima ruina vrbis Niniue quæ & quando fuerit. Thob. vlt

105 ERGO, Diodori opinio affirmantis ciuitatem Niniue atque imperium Assyriorum stetisse annis mille trecentis sexaginta, quorum annorum finis competit, vt supra ostendimus, in decimumquartum annum regni Manassis, non longè abest à nostra sententia, quam nos esse veram aut certè verò simillimam arbitramur. Quocirca numero annorum Diodori si annos circiter vigintiquinque addamus imperium Assyriorum à Nino & ab exordio vrbis Niniue vsque ad Sardanapali eiusdemque ciuitatis occasum, annis mille trecentis circiter nonaginta verè determinabimus. Ex quo apparet, inter omnes auctorum opiniones supra commemoratas, Diodori sententiam verò propiorem esse iudicandam. Iam verò post primam hanc Niuiue vrbis & regni Assyriorum ruinam ea iterum fuisse excitata, & reparata, aperte demonstrat historia Iudith, vt supra ostendimus. Si tamen ea contigit florente monarchia Persarum, vt multis visum est, namque magna de hoc, & adhuc sub indice lis est. Quam nos controuersiam cum cura, subtiliter & copiosè tractauimus in libris quos de Chronologia totius scripturæ veteris testamenti scripsimus, & in tempore (si Deo placuerit) in publicum dabimus.

Probabilior sententia de duratione regni Assyriorum.

VERS. 10. *At verò Mesraim genuit Ludim, Anamim, Laabim, Nephtuim, Phethrusim & Chasluim: de quibus egressi sunt Philistym, & Caphtorim.*

106 HIC redditur ad alium filium Cham, qui vocatur Mesraim (ait Augustinus libro decimo sexto de Ciuitate Dei Capite tertio) *& commemorantur quos genuit, non tanquam singuli homines*

Augustinus

homines, sed nationem septem. Et de septa velut de sexto filio gens commemoratur exisse quæ appellatur Philisthiim, vnde fiunt octo. Sic Augustinus. Hieronymus autem in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc ipsum locum ita scribit: *Exceptis Labaim vnde Libyes postea nominati sunt quinque prius Phutei vocabantur, Et Chasluim, qui deinceps Philisthiim appellati sunt: quos nos corruptè Palestinos dicimus: cetera sex gentes ignotæ sunt nobis: quia bello Æthiopico subuersæ, vsque ad obliuionem præteritorum nominum peruenire. Possederunt autem terram à Gaza vsque ad extremos fines Ægypti.* Hæc Hieronymus, mutuatus ea ex Iosepho. *S. Hieronym.*

DE supradictis octo posteris Mesraim, trium tantùm mentio fit alibi in scriptura, Ludim, Philisthiim & Caphtorim. Ludim (quos Latinè appellare licet Ludæos, sicut etiam Caphtorim Caphtoreos) meminit Ieremias. 46. cap. & Ezechiel cap. 30. & vtroque loco Latinus interpres Hebræam vocem Ludim Latinè reddit Lydos, non sanè intelligens Lydos qui populi sunt Asiæ minoris, quos crediderim progeneratos ex altero Lud qui paulo infra hoc ipso capite inter filios Sem commemoratur. Ludim autem seu Ludæi de quibus nunc agimus, videtur populi fuisse Africani, scilicet finitimæ & socij Ægyptiorum, ac regi eorum auxiliares in bellum copias ferentes, vt ex vtroque propheta quos proximè nominaui licet intelligere. Ieremias quidem eo loco vaticinans aduersus exercitum Nechao regis Ægypti: *Ascendit*, inquit, *equos & exultare in curribus & procedant fortes Æthiopia, & Libye, tenentes scutum, & Lydi arripientes & iacentes sagittas*: Hebraicè est Chusæi & Puthæi Ludim: quos esse gentes Ægyptiis vicinas & cum ipsis confœderatas supra ostensum est. Pro illo igitur *Lydi* (vt dixi) Hebraicè est Ludim, quos hic appellamus Ludæos. Apparet igitur hos populos & situ animoque ac fœdere coniunctos fuisse cum Ægyptiis, tanquam cum principè generis sui sobole. namque ipse Mesraim vnde proseminati sunt Ludæi, primus terræ Ægypti habitator & cultor fuit satorque Ægyptiorum. Idem etiam liquet ex verbis Ezechielis quæ sic habent *Æthiopia & Libya & Lydi* (Hebraicè Ludim) *& omne reliquum vulgus & Chub & filij terris fœderis, cum eis gladio cadent.* *Iosephus. Ludim siue Ludæi.* *Locus Hieremiæ cap. 46.*

PHILISTHIIM Hebraicè nominatur Pelisthiim, & regio ipsa Peleseth: eos Septuaginta Interpretes sæpè nominant Allophylos, id est alienigenas, & externi generis: Græci autem & Latini appellant Palestinos: hi autem maritimam Chananææ orã tenuerunt quæ vergit in Aegyptum: quocirca Exodi capite vigesimo tertio mare Mediterraneum alluens Palæstinam, appellatur mare Philisthinorum: quorum regio sic determinatur Iosue decimo tertio. A fluuio turbido qui irrigat Ægyptum, vsque ad determinos Accaron contra Aquilonem, terra Chanaan est, quæ in quinque regulos Philistiim diuiditur, Gazæos, Azotios, Ascalonitas, Gethæos & Accaronitas. Quinque enim vrbes illæ Gaza, Ascalon, Geth, Accaron & *Origo & dictio Philisthiim.*

Azotus erant metropoles quinque prouinciarum sua ex illis nomina habentium,& erant quinque parua regna seu Sarapiæ. Terra porrò hæc Philisthinorum possessa, deinde est à tribu Iuda & Simeonis.

Dubitatio cum Philistæi non fuerint ex stirpe Chanaã quomodo eorum ditio pertinuerit ad possessionem Hebræorum.

VERVM dicet aliquis, si Philisthæi fuerunt posteri Mesraim vt hic dicitur, non autem ex posteris Chanaan, quorum terram & regionem exterminatis illis Deus Hebræis habitandam possidendamque assignauit; cur inquã Satrapiæ Philisthinorum à Iosue annumerentur terræ Hebræis promissæ? Verum in promptu est responsio: nam quamuis terram illam tempore Iosue tenerent Palæstini, ipsa tamẽ regio eorum pro terra Chananæorum habenda erat. Videlicet loca illa Chananæi olim habuerant, atque per vim à Palæstinis inde fuerant eiecti,quemadmodum in Deuteronomij libro capite secundo proditum est, Heuæos, qui sine dubio posteri fuerunt Chanaan, habitauisse in vibis vsque ad Gazam,sed à Caphtorim (Latinus vertit Cappadoces eliminatos esse, easque sedes ab illis esse occupatas. Iam verò Caphtorim Philisthinorum fuisse gentiles,ex hoc loco manifestum est:quin etiam quodam loco scriptura Philisthiim appellat reliquias Caphtorim, & alibi ait Philisthiim ascendisse de Caphtor. Ergo Philisthæi etiam Chananæorum nomine censentur. Vnde Sophonias capite secundo: *Væ*, inquit, *qui habitatis funiculum muris, gens perditorum,verbum Domini super vos Chanaã terra Palæstinorũ. & desperdam te,ita vt non sit in ea inhabitator.*

109

Ierem.7. Amos.9.

Quæ gens fuerit Caphtorim.

QVOS autem Moses hoc loco appellauit Caphtorim,eos Græcos locus & Latinus interpres alibi semper appellat Cappadoces, & Caphtor Cappadociam Nam Deuteronomij capite secundo ita scriptum est:*Heuæos quoque qui habitabant in Haserim vsque Gazan, Cappadoces expulerunt,qui egressi de Cappadocia deleuerunt eos & habitarũt pro illis.* vbi Hebraicè pro Cappadoces,est Caphtorim, & pro Cappadocia est Caphtor. apud Hieremiam cap. 47. Palæstini appellantur reliquiæ Cappadociæ: *Depopulatus est*, inquit, *Dominus reliquias insulæ Cappadociæ.* Amos autem propheta capite nono significat Palæsthinos oriundos esse & venisse ex Caphtor: *Nunquid non ego*, inquit, *Dominus, ascendere feci Israël de terra Ægypti, & Palesthinos de Cappadocia* (Hebraicè Caphtor) *& Syros de Cyrene?*

110

ANverò vocabulo, Cappadocia, & Cappadocũ intelligere oporteat veros Cappadoces qui regionem latissimam incolunt proximam Ponto,& Tauro monti,an verò aliam quampiam gẽtem eiusdem nominis vel Africanam vel certè Ægypto & Palestinæ vicinam,obscurum est. Non enim credibile fit Caphtoreos ex tam longinqua & remota regione, vt est Cappadocia, venisse in Palæstinam, eliminatisque inde Heuæis terram eorum insedisse. Quemadmodum etiam Syri dicuntur translati in Cyrenaicam regionem vel vrbem, & inde ascendisse, vt testificatur Amos capite. 1. & 9. cum tamen id non deceat intelligi de Cyrenaica prouincia vulgo nota & à scriptoribus celebrata, quæ quidem prima ipsius Africæ, qua mari

111

Vocabulum Cyrenaicæ prouinciæ duplicitèr inscriptura accipi.

Lybi

Libyco cingitur, proxima Nilo est prouincia: verum de alia quapiam eiusdem nominis prouincia vel ciuitate quæ esset in regione Medorum: nam illuc translatos esse Syros Damascenos, proditum est in libro 4. Regum cap. 16. *Ascendit*, inquit, *Rex Assyriorum Damascum & vastauit eam & transtulit habitatores eius in Cyrenen, Rasin autem regem Syriæ interfecit.* tam autem hic quam apud prophetam Amos pro vocabulo Cyrena est Hebraicè Kir. Certè Iosephus libr. nono Antiquitatum perspicuè tradit Syrios fuisse abductos in loca superioris Mediæ. Sicut igitur vocabulo Cyrenæ quo Latinus interpres expressit Hebræam vocem Kir, non intelligimus Cyrenen propriè dictam: ita licet Cappadociæ & Cappadocum nomen quo reddita sunt vocabula Hebræa Caphtor & Caphtorim, accipere non pro vera Cappadocia sed pro alia quapiam regione & gente simili nomine appellata. *Iosephus.*

Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, Iebusæum, Amorrhæum, Gersæum, Heuæum, Arassæum Sinæum, Aradium, Samaræum, & Amathæum: & per hos disseminati sunt populi Chananæorum. VERS. 16. & 17.

112 HOS vndecim populos ex Chanaan stirpe generatos Iosephus & B. Hieronymus carptim exponunt. Quæ igitur illi attingerunt simul & quæ ab aliis doctis viris annotata sunt, & quæ lectorem nosse ex vsu fuerit, nos hoc loco perstringemus. Primi inter posteros Chanaan nominantur Sidonij à Sidone orti qui primogenitus dicitur fuisse ipsius Chanaan. Sidonis autem regio pertinuit ad tribum Aser & limitabat terram promissionis promontorio sui litteris quod Numerorum 34. nominatur Hor, quod nomen ibi Latinus interpres vertit montem altissimum. Sidonem autem cognomento Magnam appellat scriptura Iosue 11. & 19. non quidem comparatione alterius minoris, quali nusquam fuit, sed ob veterem eius vrbis celeritatem & gloriam, vsque enim eo claruit, vt quemadmodū Strabo tradit lib. 16. dubito olim certamine decertauerit cum Tyro de primatu. Tyri autem iactantiam de sua vetustate significat Isaias cap. 23. eamque Plinius vetustissimarum vrbium parentem dixit. Sed quia Isaias Tyrum nominauit filiam Sidonis, concedi palmam antiquitatis Sidoni necesse est. Quin etiam vniuersa illa Phœnicum ora, Sidoniorum olim nomine non Tyriorum celebris erat: quam etiam ob causam Homerus qui sæpe Sidonē laudat, Tyri ne meminit quidem. *Iosephus. Hieronym. Synodij. Sidon cur dicta Magna. Strabo. Tyrus. Plinius. Homerus.*

113 ET quanquam Iustinus libro 18. scribat Sidonem appellatam esse à piscibus quorum illic maxima soleret esse copia, siquidē Phœnices *Iustinus.*

piscatorem appellant, Saidi, hodieque vrbs ipsa Said nominatur à vulgo: antiquior tamen & quidem prima eius appellationis origo repetenda est à Sidone primogenito ipsius Chanaan, idque suo ipsa vrbs nomine satis prodit. Quod autem dici solet, Sidonem pertinuisse ad sortem Aseritarum, non est sic intelligendum, vt putetur Sidonem fuisse sub legibus & imperio Hebræorum, quippe quæ liberum semper principatum retinuit, semperque infesta & molesta Hebræis fuerit, vt ex vaticiniis Ezechielis & Isaiæ aduersus ipsam facilè est intelligere. Vocabulo igitur Sidonis & Tyri interpretari oportet oram Tyro & Sidoni obiacentem ad quam terminabantur fines terræ Hebræorum. Verùm de Sidone vrbe &. gente Sidoniorum tam multa in sacris & profanis litteris prodita sunt, vt nouam & singularem aliquam hoc loco interpretis diligentiam minime requirant. Pergamus igitur ad alios Chanaan posteros, & de his eodem ordine dicamus quo hic commemorantur à Mose.

Hethæi. HETHÆI secundo loco nominatur. Hi loca ea incolebant, quæ circa Bersabeam sunt, quæque sursum porriguntur, & latè circa Hebronem iacent: hoc enim demonstrat historia emptæ speluncæ duplicis ab Abraham, Genes. 23. & Rebeccæ ad maritum verba, quibus mittendi in Mesopotamiam Iacob rationem prætendit quod nollet de filiabus Hethæorum vxorem dari Iacob. Fuisse autem Hethæos gigantea mole ac rebore & bellicæ fortitudinis fama celebres, intelligere licet ex trepidatione Syrorum suspicantium Hethæos à rege Israël aduersus se fuisse conductos, vt scriptum est libro 4. Regum capite 7. Quoniam igitur ea gẽs & propter fortitudinem & propter situm locorum maximè formidabilis atque inexpugnabilis videretur, ideo de ea gente nominatim expugnanda & sub ditionem Hebræorum subiicienda, singularem Deus mentionem fecit, vt legitur initio libri Iosue. namque de Hethæi superãdis magis quàm de aliis gentibus eius regionis diffidere poterant Hebræi, quod in ea gente Enacinos gigantea mole homines conspexerant speculatores Mosis eorumque fama tanta pauore vniuersum populum pertulerant, vt ad repetendam Ægyptum propemodum adegerint. 114

Iebusæi. IEBVSÆI tenuerunt vrbem Hierusalem ab ipsis nominatam Iebus, tenuerunt, inquam ad principatum vsque Dauidis: qui vt est in secundo libro Regum cap. 5. Iebusæis inde eiectis, ibi ciuitatem ædificauit, quam etiam regni sui sedem statuit. Fuisse quoque Iebusæos robustos & bellicosos, ex iis coniecturam facere licet quæ narrantur Numerorum 13. & 2. Regum cap. 5. nec potuisse Iebusæos planè debellari ac deleri ab Hebræis, ex libro Iosue cap. 15. & Iudicum 1. manifestum sit, denique mansisse vsque ad imperium Salomonis qui eos tributarios fecit, testatur liber secundus Paralipomenon cap. 8. 116

Amorrhæi. AMORRHÆI habitabant trans Iordanem, quorũ rex fuit Og debellatus à Mose, eorumque terra assignata est duabus tribubus Gad & Ruben ac dimidiæ tribui Manassis. Liber Numerorum capite vigesimo. 116

gesimo primo indicat Amorrhæos torrentem Arnon à Moabitis fuisse disterminatos. Amorrhæi autem dispersim & confusè vniuersam Chananæam habitasse videntur: nam cùm ea natio primò regnum Seon & Og occupasset, mos numerosissima prole aucta, colonias multas emisit in diuersas Chanaææ partes. Aliqui enim circa Antilibanum consederunt, Deuteronom. 1. Alij non procul Cades Barnæ & Amalecitis, Gen. 14. Alij denique in Iudææ montanis, vt ex relatione speculatorum Mosis cognoscere licet. Non igitur mirum si Amorrhæorum appellatio ad quosuis Chananææ regionis incolas nonnunquam accommodatur. Certè vnius gentis Amorrhæorum vocabulo vniuersas illas gentes quæ terram Iudæis à Deo promissam tenebant, significatas esse legimus Genesis 15. illis verbis: *Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* *Num. 13.*

FVISSE porrò ipsos Amorrhæos præ cæteris impios, sceleratos, inhumanos atque crudeles, licet coniicere ex verbis Ezechielis prophetæ cap. 16. quibus ille ad exaggerandam gentis Iudæorum improbitatem atque impietatem, dixit: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa*, quemadmodum apud Virgilium Dido dixit Æneæ. *Amorrhæorum Gigantea proceritatis & robur atque impietas. Virgil. 4. Æneid.*

Non tibi Diua parens, generis nec Dardanius auctor
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admôrunt vbera tigres.

Enormem autem Amorrhæorum proceritatem & robur corporis Amos propheta capite secundo licet hiperbolica vtens locutione, satis declarauit tamen illis verbis: *Ego exterminaui Amorrhæum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.*

117 HEVÆI vbi habitauerint, significat liber Iosue capite vndecimo dicens Heuæum habitasse ad radices Hermon in Maspa, & in Libro Iudicum capit. 3. scriptum est habitasse Heuæum in monte Libano de monte Baalhermon, vsque ad introitum Emath, idem autem mons est Hermon & Baalhermon qui etiam aliis nominibus apppellatur Samir, & Sarcon, & Siton: est autem pars Libani versus Orientem supra Iordanis fontes, atque ad Trachonitidem pertinens. Alter erat minor Hermon non procul à monte Gelboë. Maspha verò quæ hic nominatur, non est locus ad quem Israëlitæ conuenire sæpè solebant comitiorum faciendorum causa non procul ab Rama positus, quæ stadiis duntaxat quadraginta ab Hierusalem aberat, vt tradidit Iosephus libro octauo Antiquitatum: hæc autem Maspha ad Libanum pertinebat vt diximus. *Heuæi.* *Iosephus.*

118 PVTANT nonnulli Heuæos fuisse nominatos Rephaim, eoque nomine signatos esse in libro Geneseos sub finem 15. capitis, vbi recensendo gentes Chananæas exterminandas à Deo, & quarum terra Hebræis assignanda erat, reticentur Heuæi, qui tamen ferè aliàs in catalogo earum gentium commemorari solent: nominantur autem Rephaim, qui nusquam alibi inter eas gentes numerari solent: vt procliue creditu sit Rephaim eo loco positos esse pro Heuæis, nam *Heuæi cognominati Rephaim.*

Rabbi

Rabbi Nehemannus. Rabbi Nehemannus putat Heuæos dictos esse a serpentibus qui in terræ cauernis habitant, & idcircò cognominatos Rephaim quasi dicas inferos & sub terra agentes, namque ea significatione id verbi vsurpasse videtur Isaias capite 26. sicut etiam Homerus suos Cyclopas finxit in specubus & cauernis montium delituisse. Alij tamen vocem Rephaim ad gigantes accommodant, sic appellatos quod præformidine viribus destituantur & cadant quotquot illos aspiciunt. Qua de re multa disputauimus libro primo huius secundi tomi qui numero & ordine est octauus, in Disputatione quam tractauimus de Gigantibus. Toſtatus tamen super caput illud 15. Geneseos contendit eo loco eandem gentem duobus vocabulis fuisse denotatam, prius quidem nomine Amorrhæorum, posterius autem nomine Rephaim, quod reges & gentes Amorrhæorum gigantea fuisse corporis proceritate ac fortitudine in secundo & tertio cap. Deuteronomij testatum sit. Ac licet Heuæos fuisse expulsos à Caphtorim, quos Latinus interpres nominat Cappadoces, doceat liber Deuteronomij capit. 2. reliquias tamen eius gentis mansisse vsque ad tempora Iosue, quin etiam vsque ad principatum Salomonis perspicuum est ex libro Iosue capite 13. & libro 2. Paralipomenon cap. 8. de Gergesæo autem nihil singulare ac proprium habeo dicere.

Homerus.

Toſtatus.

Aracæi.

Hieronymus. ARACÆVS, inquit, Hieronymus, *Arcas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani situm: à quo non procul alia ciuitas fuit nomine Aradij. Sin, quæ postea vario euentu subuersa bellorũ, nomen tantum loco pristinum reseruauit.* Aradij sunt qui Aradum insulam possederunt angusto freto à Phœnices littore separatam. Meminit Aradij Ezechiel in deplorationē Tyri, dicens capite vigesimo septimo, *Habitatores Sidonis & Aradi fuerunt remiges tui.* Eius quoque mentionem facit Plinius libro quinto capite 20. sed præcipuè Strabo libro decimosexto ad hunc modum scribens: *In fronte iugosæ cuiusdam & importuosæ oræ Aradus iacet, inter eius portum scilicet atque Marathum, distans à terra stadijs viginti. Ea est petra quædam à mari circumfusa: septem fere stadiorũ ambitu habitationibus plena, tanta hominum multitudine, vt adhuc domus multis tabulatis sublimes inhabitent, opus quondam vt ferunt, ex Sidone profugorum.* 119

Locus Ezechielis c. 27.

Strabo.

Plinius.

Samaræi.

Hieron. SAMARÆI quibus Edessa, auctore Hieronymo, nobilis fuit Syriæ Cœles ciuitas: nonnulli coniectantibus dedisse nomen vrbi quæ erat in tribu Beniamin, vt legitur in libro Iosue cap. 18. ea verò vrbs vel nomen dedit monti Samaraim, cuius mentio fit in secundo libro Paralipomenon cap. 13. quem Latinus interpres vocat Semeron, vel ab eo monte nomen ipsa vrbs accepit. Sinæus videtur incola fuisse deserti Sinai, vel ei monti vicina tenuisse loca. Ab his Sinæis diuersi admodum fuere Cynæi, genus ducentes ex Hobab filio Raguelis qui Mosi socer fuit, & is peregrinationis Iudæorum in deserto non solum comes, sed etiam quasi rector fuit. Huius posteri intra possessionem terræ Channan admissi à Iudæis, partim cum Nephtalimitis partim etiam cum Amalecitis mixti habitarunt, vt ex eo libro Numerorum 120

Sinai

Differentia Sinæorũ & Cinæorum.

capite

cap. 11. ex libro Iudicum cap. primo & quarto & ex lib. 1. Regum cap. decimo quinto perspicuè cognoscet lector. Quemadmodum autem illos Sinæos exciderunt atque deleuerunt Hebræi, ita hos Cynæos destructum iri ab Assyriis in libro Numerorum cap. 24. prædixit Balaam. Hamathæi nomen dederunt ciuitati & regioni Hamath seu Hemath, quæ nonnunquam cum aspiratione scribitur Hemath, frequentius tamen sine aspiratione Emath. *Hamathæi.*

NONA DISPVTATIO.

De Emath.

121 QVÆNAM ciuitas fuerit Emath & vbi sita, etsi perfrequēs in sacris literis eius fiat mentio, non plane tamen exploratum & certum est. Exponam quid à doctis viris ea de re scriptis proditum sit. B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hoc decimum caput Geneseos: *Amath*, inquit, *vsque ad nostrum tempus, tam ab Assyrijs quàm ab Hebræis, ita vt apud veteres dicta fuerat appellatur. Hanc Macedones qui post Alexandrum in Oriente regnauerunt, Epiphaniā nuncupauerunt: nonnulli Antiochiam sic appellatam putant: alij, licet non verè, tamen opinionen suam quasi verisimili vocabulo consolantes, Emath, primam ab Antiochia mansionem Edessam pergentibus, appellari putant, & eandem esse quæ apud veteres dicta sit Emath.* Idem in libro de locis Hebraicis: Apud Isaiam cap. decimo, inquit, *Emath Damasci est ciuitas quam oppugnauit rex Assyriorum, meminit huius Zacharias & Ezechiel. Amos quoque cap. 6. appellat Emath Rabba, quod sonat Emath Magnam. Hæc postea dicta est Epiphania iuxta Emessam, quæ vsque hodie Syro sermone sic dicitur.* In exordio autem libri tertij commentariorum suorum in Amos prophetam explanans illa verba: *Pertransite inde in Emath Rabba. Hæc* inquit, *ciuitas, nunc Antiochia nominatur. Eam verò Rabba, id est, Magnam vocat, ad distinctionem minoris Emath quæ appellatur Epiphania. Vnde vsque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur Emas corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens, cuius regio appellatur Reblatha, in qua præsente Nabuchodonosor, Sedechiæ regis interfecti sunt filij, & oculi eius excæcati, vt habes in quarto Regum cap. 25.* Denique idem Hieronymus super illa verba Zachariæ: *Emath quoque in terminis eius. Emath*, inquit, *ipsa est quæ ab Antiocho Epiphane condita ex eo nomen accipiens dicta est Epiphania, & nunc Syriæ Cœles est ciuitas.* *S. Hieron.* *Emath magna.*

APPARET igitur ex his paucis quæ produximus ex variis B. Hieronymi scriptis duplicem fuisse Emath, & vtriusque in sacris literis mentionem fieri: alteram quæ terminus est filiorum Israël versus Septentrionē & minor vocatur, de qua intelligitur illud frequenter vsurpatum in sacris literis: *Vsque ad introitum vel aditum Emath*, hæc *Duplex Emas Magna quæ dicta est Antiochia & minor quia vocata est. Epiphania.*

postea dicta est Epiphania, cuius vrbis regio appellatur Reblatho. Altera nominatur Emath Magna, & auctore Hieronymo deinde nominata est Antiochia: quam Iosephus libro quinto de Bello Iudaico cap. 1. fuisse ait metropolim Syriæ, ac tertium locum inter celeberrimas Romani orbis vrbes retinere.

Ioseph.

Masius in c. 9. Iosue.

ANDREAS Masius vir limati iudicij nec vulgaris eruditionis, quæ de ciuitatis Emath cùm ab aliis accepisset, tum sua ipse ductus coniectura existimaret, scripto ea prodens, *Mihi*, inquit, *narrarunt homines Syri illarum regionum, vt videbantur, bene periti, vrbem Emmas longè supra Damascum extare: vlterius autem in Alapiam vt vocant atque Mesopotamiam pergenti occurrere etiam alteram vrbem, nunc à vulgo Hamath nuncupatam.* De quibus omnibus ego coniicio maiorē Hemath quam dicit Hieronymus & quam Syri Amath nominant, essē quam Ptolomæus nominat Antiochiam: quam verò vtrique nominat Emmas, eam Ptolemæo esse Epiphaniam, sed harum alteram esse quam Hieremias & Zacharias vt Damasci municipium celebrarunt, nequaquam fieri credibile. siquidem Ptolemæus Antiochiam duobus gradibus & dimidio: Epiphaniam verò vsque sesquigradum altius collocat quàm Damascum: Quamobrem coniectura auguror etiam tertiam vrbem fuisse dictam Hemath, & alteram Reblam: nam vrbem quandam extitisse iuxta Sephanam infra Iordanis ortum, ex 34. cap. libri Numerorum certum est, atque ab ea non longè abfuisse appareret quem scriptura solet appellare introitum siue aditum Emath, quem locum etiam Emath nominatum esse suspicor.

Ptolem.

Ptolem.

Ziglerus

ALII Ziglerum sequuntur Geographiæ scriptorem nec indoctum nec indiligentem, qui in sua Palæstina interpretatus est Emath Iturææam. Ex sacris enim litteris intelligitur Emath sitam esse post Libanum versus Damascum ad Trachonos montes qui pertinent ad montana Galaad, in quam partem spectat Ituræa: idq; ex limitibus terræ Hebræis promissæ, qui definiuntur Numer. 34. non obscurè perspicitur. Itaque procul verò esse quod nonnulli tradiderunt, Emath partem fuisse terræ Chanaan Hebræis promissę, & ad tribū Nephtalim pertinuisse. siquidem Iosue cap. 13. introitus Emath, id est, confinia Iturææ, tanquam limites terræ promissæ statuuntur: & in primo Paralipomenon cap. 18. memoratur Thou rex Emath amicus regis Dauidis eam regionem tenens, etiam quo tempore Dauid latissimè & feliciſſimè regnabat. Quod si Emath pertinuisset ad terram Hebræis promissam, non vtique passus fuisset Dauid, præsertim tanto Dei fauore tantoq; rerum successu ornatus, ab alienis occupari. Nam quod legitur in secundo libro Paralipomenon cap. 8. Salomonem iuisse in Emath Soba & eam occupasse; id sectatores huius opinionis interpretandum putant ex eo quod scriptum antea fuerat primo Paralipomenon cap. 18. Dauidem percussisse Adarezer regem Soba regionis Emat, cùm pergeret vt dilataret regnum suum atque id proferret vsque ad Euphratem. Salomon igitur vendicauit sibi

123

Soba

Soba quæ fuerat regis Adarezer debellati à patre suo. Erat autẽ Soba regionis Emath. Itaque Salomon cepit Soba, sed intactam reliquit Emath.

124 VERVM contra istorum sententiã facit, quod in libro Iosue c. 19. inter ciuitates quæ pertinebant ad tribum Nephthali, commemoratur Emath: quod tamen isti quoquo modo eludere conantes, respondent istam Emath diuersam fuisse ab illa superiore quæ pertinebat ad Syriam Damasci, sicut ex c. 49. Ieremiæ licet perspicere, diuersitatem autem vtriusque declarari etiam diuersa orthographia qua duarum illarum vrbium nomina scribuntur apud Hebræos. Ast ego potius assentior B. Hieronymo eiusque libenter sententiæ adhæresco: Fuit scilicet vir ille earum regionum atque locorum peritissimus, non solum ex sacrarum & profanarum literarum doctrina, quæ in eo magna & exquisita erat: verùm etiam quod omnia eo loca per se ipse visitauerit, peragrauerit, & curiosissimè contemplatus fuerit. *S. Hieronym.*

CETERVM vnus vno loco nodus exoluendus est priusquam hinc abeamus ad alia quæ sequuntur, Cur hoc loco inter filios Chanaan, à quibus possessa est terra Hebræis à Deo promissa & in tempore tradita, non sint commemorati nam Pherezæi quàm Chananæi, qui tamen & hoc ipso libro paulò infra c. 15. & in Exod. c. 23. quin etiam in libris Numerorum, Deuteronomij & Iosue censentur inter gentes quæ habitabant & tenebant terrã Hebræis promissam, ex qua illa à Deo eliminandi erant: hos enim ex ipso Chanaan genus duxisse & progeneratos ex illius stirpe fuisse non est dubitandum. Sed hic nodus ad hunc modum soluendus est: Pherezæos fuisse eosdem, quos hoc loco nominat Moses Samaræos, à quibus regio Samariæ primum habitata & nominata est. Manifestum enim est ex sacris literis Pherezæos habitasse circa Samariam. Nisi quis velit dicere Pherezæos non fuisse inter primos seu proximos filios Chanaan, qui recensentur hic à Mose, sed ex posteris eorum esse ortos, propriúmque sibi nomen asciuisse. *Quæstio cur Moses hoc loco inter posteros Chanaan non memorauerit Pherezæos & Chananæos.*

126 IDEM licet existimare de Chananæis qui descenderũt ex aliquo vndecim filiorum Chanaan quos hic enumerat Moses: sed vel pietatis, vel honoris causa asciuerunt sibi nomen Chanaan, qui omnium illarum gentium parens & auctor fuerat. Quando autem primum gens ista Pherezæorum & Chananæorum vel certè earum appellatio esse cœperit in illa terra, incompertum est, nisi quod, cum primum Abraham ex Mesopotamia venit in terram Chanaan, reperisse eũ illius terræ habitatores & incolas Pherezæos atque Chananæos legimus in libro Geneseos cap. 13. Illud sanè scire conuenit septem illas gentes quæ eam terram habitabant & tenebant, aliquando pluribus in sacra scriptura nominibus, aliquando paucioribus significari: Nam in populosissima regione familias habitasse diuersas & plurimas satis credibile est. Neque verò semper easdem iisdem esse appellatas nominibus certum est.

Quæ gentes de supradictis excisæ fuerint ab Hebræis.

DE supradictis autem vndecim populis qui ex stirpe Chanaan 127
pullularunt, quinque exsciſi ac deleti ſunt ab Hebræis, Amorhæos
dico, Hethæos, Heuæos, Iebuſæos & Gergeſæos: præterque hos duæ
aliæ gentes, vna Pherezæorum, altera Chananæorum. Namque has
ſeptem gentes, quæ terram Hebræis à Deo promiſſam tenebant,
præcepit Deus Hebræis vt in eam terram ingreſſi, ſine vlla commiſe-
ratione aut exceptione penitus delerent, vt ſcriptum eſt Deutero-
mij cap. 7. Et quia ſeptem illæ gentes tum numero tum robore ac
fortitudine bellica Hebræos longè ſuperabant, ne ob eam cauſam
illi de earum excidio diffiderent, Deus per Ioſue capite tertio pro-
miſit ſe eas gentes deſtructurum: & deſtructas quidem fuiſſe illas
gentes B. Paulus vt eſt in Actis Apoſtolorum cap. 13. perſpicuis ver-
bis confirmauit: At enim, vt maxima ex parte deletas eſſe eas gentes
non eſt dubitandū, ita negari non poteſt reliquias earum longo tem-
pore inibi manſiſſe. Certè fuiſſe eas etiam regnante Salomone po-
ſterior liber Paralipomenon capite octauo dubitare non ſinit. Sic
enim illic ſcriptum eſt: *Omnem populum qui derelictus fuerat de Hethæis, Amorrhæis, Pherez eis, Heuæis, & Iebuſæis qui non erant ex ſtirpe Iſrael de filij eorum & de poſteris quos non interfecerāt filij Iſrael, ſubiugauit Salomon in tributarios vſque in diem hanc.*

VSRE. 19. *Factique ſunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vſque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomam, Gomorrham, Adamam & Seboim vſque Laſa.*

QVONIAM eas regiones quas ſupradicti poſteri Cha- 128
naan inhabitabant, ex promiſſione & munere Dei poſ-
ſeſſuri erant Hebræi, idcirco Moſes hoc loco tam di-
ſtinctè ac ſubtiliter fines eius terræ vſquequaque de-
ſcribit. Ait enim terminum terræ eorum à Septentrio-
ne fuiſſe Pentapolim: verſus Meridiem, Geraram: denique verſus
Occidentem, Gazam quæ adiacebat mari magno, id eſt, mediterra-
neo, qui ab Occidente terminus ſtatui ſolet in ſacris literis terræ
promiſſionis. At verò eius gentis quæ propriè dicta eſt Chananæa,
& vna erat ſed præcipua ex illis ſeptem, terræ quam poſſidebat, fines
aliter deſignantur in libro Ioſue cap. 13. illis verbis, *A fluuio turbido qui irrigat Ægyptum vſque ad terminos Accaron contra Aquilonem terra Chanaan eſt quæ quinque regulos Philiſthiim diuiditur, Gazæos, Azotios, Aſcalonitas, Gethæos & Æcaronitas, &c.* Horū enim Chananęorū alij,
erant Orientales iuxta Iordanis fluenta habitantes: alij Occidenta-
les oram maris magni ſeu mediterranei incolentes, quæ & Pælæſtina
dicitur in ſcriptura & à Græcis Phœnicia. Eiectis autem inde Cha-
nanæis, eorum ſedes Philiſthæi occupauerunt. Sed exponamus breui-
ter terminos illius terræ hic deſcriptos à Moſe.

SIDON

129 SIDON, inquit Hieronymus, *Vrbs Phœnicis insignis, olim Chananæorum terminus ad Aquilonem respiciens, & postea regionis Iudææ, Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed non eam possedit, quia hostes nequaquam valuit expellere. Gerara verò ex cuius nomine nũc Geratica vocatur regio trans Daroma procul Eleutheropoli quinque & viginti millibus ad meridiẽ, erat olim terminus Chananæorum ad australem plagam. Scriptura commemorat fuisse eam inter Cades & Sur, hoc est inter duas solitudines, quarum una Ægypto iungitur, ad quam populus Hebræus transfretum maris rubri peruenit: altera verò quæ dicitur Cades, vsque ad Saracenorum eremum extenditur. Gaza ciuitas fuit olim Heuæorum in qua habitauerunt Cappadoces pristinis cultoribus interfectis: apud veteres autem erat terminus Chananæorum iuxta Ægyptũ, ceciditque in sortem tribus Iudæ: sed eam tenere non potuit, quia Enacim, id est, gigantes fortissimi Philisthæorum restiterunt, & vsque hodie insignis ciuitas est Palestinæ. Sed quæritur quomodo à quodam propheta dicatur Gaza futura in tumulum sempiternum? Quod ita soluitur, antiquæ ciuitatis locum vix fundamentorum præbere vestigia: hanc autem quæ nunc cernitur, in alio loco pro illa quæ corruit ædificatam esse.* Hactenus ex S. Hieronymo.

Hier. in lib. de locis Hebraicis
Sidon.
Gerara.
Genes. 20.
Exod. 15.
Gaza.

130 DENIQVE ad significandum orientalem terminum eiusdem terræ, signatur Pentapolis, omissa tamẽ Segor propter eius paruitatem, atque ignobilitatem. Lasa, verò (hanc Græci interpretes appellarunt Dasam) putant B. Hieronymus fuisse eam quæ suo tempore Callirrhoe dicebatur, vbi aquæ calidę prorumpentes, in Mare mortuum defluunt. Cuius loci meminit etiam Plinius lib. 5. c. 16. Nam loquens de Lacu Asphalite quod in sacris literis appellatur Mare salsissimum, sic ait: *Prospicit eum ab Oriente Arabia Nomadum, à Meridie Macherus secunda quondam arx Iudææ ab Ierosolimis. Eodem latere est calidus fons medicæ salubritatis Callirrhoe, aquarum gloriam ipso nomine præferens.* Non videtur autem cum hac descriptione & determinatione terræ Chananæorum satis congruere quod in libro de locis Hebraicis annotatum est, Lasa fuisse terminum Chananæorum circa Sidonem.

Hieronym. Callirrhoe.
Plinius.

De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber fratre Iaphet maiore.

VERS. 21.

131 HEBRAICAM lectionem huius loci sic expressit Pagnus, *Et ipsi Sem natus est. Etiam ipse est pater omniũ filiorum Heber, frater Iaphet maior.* Septuaginta verò eundem locum sic redidderunt, *Et Sem natus est etiam ipsi, patri omnium filiorum Heber, fratri Iaphet maiori.* S. Augustinus libro decimo sexto de Ciuitate Dei capite 3. supradicta verba partim connectens cum antecedentibus, partim breuiter exponens ad hunc modum scribit: *Restat commemorare filios Sem maximi filij Noë. Ad eum nempe gradatim generationum istarum peruenit à minimo exorta narratio. Sed vnde incidium commemorari filij Sem, habet quiddam obscuritatis, quod*

S. Augustin.

expositione illustrandum est, quia multum ad rem pertinet quam inquirimus. Sic enim legitur: Et Sem natus est etiam ipsi patri omnium filiorum Heber, fratri Iaphet maiori. Ordo verborum est: Et Sem natus est Heber etiam ipsi, id est, etiam ipsi Sem natus est Heber, qui Sem pater est omnium filiorum. Sem ergo Patriarcham intelligi voluit. Omnium qui de stirpe eius exorti sunt quos comemoraturus est, siue sint filij siue nepotes, & pronepotes, & deinceps indicem exorti. Dicitur autem Sem patrem fuisse Heber, cùm tamen quintus in serie primogenitorum reperiatur: primus inquam nominatus est Heber in progenie Sem, & prælatus est etiam filij eius, non ob aliam causant nisi quod verum est quod traditur, ex illo Hebræos esse cognominatos tanquam Hebræos: ac deinde vna detracta litera Hæbræos. Quam linguam solus populus Israël obtinuit, in quo populo, Dei ciuitas & in sanctis peregrinata est, & in omnibus sacramentis adumbrata est. Sic Augustinus.

SED in verbis Augustini nonnulla sunt animaduertenda. Primò quòd ipse legit Sèm fuisse fratrem Iaphet maiorem natu, cùm tamen codices Græci nunc contra habeant deinde ordinem horum verborum quem dispositi Augustinus, excludit tam Hebraica quàm Latina lectio; in quibus illud, *De Sem natus, vel nati sunt*, per se cohæret, nec iungitur cum sequentibus, maximè verò cum Heber. Significatur enim ipsi Sem quoque non defuisse prolem & progeniem quinimo fuisse valdè numerosam & nobilem. Causam item cur precipuè Sem dictus sit pater Heber, expositam ab Augustino, equidem approbo. Videtur enim Moses consultò id dixisse ad commendendam dignitatem Sem, qui patriarcha fuerit populi Hebræi & tot aliorum patriarcharum, regum & prophetarum qui in eo populo floruerunt.

DECIMA DISPVTATIO.

Vtrum Sem fuerit maximus natu filiorum Noë.

Sem prior natu quàm Cham

SEM fuisse priorem natu quàm ipsum Cham ex præce- 132
denti c. 9. manifestum est: appellatur enim Cham illic filius Noë minor præcisè: quod apud Hebræos idem significat atque filius paruus vel minimus. Tota igitur contentio est inter Sem & Iaphet de principatu ortus. Et quamuis illud videatur arguere, Sem fuisse primum natu filiorum Noë, quod semper in scriptura cum nominatur filij Noë, primus omnium censetur Sem, vt in hoc libro capit. 5. 6. 9. 10. & initio prioris libro Paralipomenon: idque pro magno argumento ad ipsum probandum asserunt nonnulli: attamen id non magnam vim habere videtur,

videtur. Namque etiam Cham inter filios Noë secundus memoratur, quem tamen minimum fuisse omnium, vt dudum dixi, planum est. Similiter Isaac nominetur ante Ismaëlem, & Iacob ante Esau, non propter priorem ortum, sed propter prærogatiuam electionis & benedictionis diuinæ maioremq; eorum dignitatem. Quamquam non satis liquet cur semper Cham nominatur ante Iaphet, cum & ortu & dignitate posterior eo fuerit. Ac licet hoc loco secundum Latinam lectionem quæ habet Sem fuisse fratrem Iaphet maiorem, liquidò appareat Sem fuisse maximum filiorum Noë: quia tamen secundum lectionem Hebraicam id ambiguum & dubium est, secundum autem lectionem Græcam contra potius res se habere videatur, idcirco multi putarunt Sem minorem fuisse Iaphet. Hanc igitur nos controuersiam breuibus explicemus.

133 PRO illo vocabulo *maiore*, cùm dicitur, *Iaphet maiore*, Hebraicè est *hagadol*, & illud quidem, *ha*, articulus est emphasim habens apud Hebræos sicut etiam apud Græcos. Gadol autem significat magnum non autem maiorem, quia carent Hebræi comparatiuis, & ad excessum comparationis declarandum vtuntur præpositione cum Pronomine, vt, (*min hu*) id est, ab illo, vt de Publicano in Euangelio legitur: *Discessit his iustificatus ab illo.* Hic non est talis Præpositio, quare sententia Hebraicæ lectionis est, Sem fuisse fratrem Iaphet illum magnum. Ceterum quia, *gadol*, id est magnus, indeclinabile est, carent enim Hebræi casibus, potest id nominis accipi tam in Genitiuo quàm in Ablatiuo. Sic accipiatur in Genitiuo, iungitur cum nomine Iaphet, & est sensus: Sem fratrem fuisse Iaphet magni, id est, qui erat magnus vel maior ceteris suis fratribus. Sin autem sumatur in Ablatiuo, necessario iungendum est cum vocabulo Sem, & hanc reddet sententiam: natos esse filios ex Sem fratre ipsius Iaphet maiore. *Luc. 18.*

134 HANC ego lectionem magis approbo & amplector: primo quia eam habet Latina nostra translatio: tum quia codex Græcus vel Latinus quem secutus est Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 3. eandem continent lectionem & sententiam: & ipse Augustin. non vno loco, affirmatè dixit Sem fuisse maximum filiorum Noë: ambiguitatem quoque lectionis Hebraicæ ad hanc potius sententiam applicarunt Caietanus, Pagninus, Vatablus. Ratio quoque probabilis hoc ipsum persuadet. Omnino, quæ hic narrat Moses de Sem, ad commendandam eius excellentiam dignitatis pertinent, vt quod ipse pater fuerit omnium filiorum Heber, id est, populi Hebræi, & tot tantorumq; virorum qui in eo populo claruerunt. Ergo quod subdit, ipsum fuisse fratrem Iaphet magnum, ad eiusdem quoque spectat commendationem. Quorsum enim hoc loco Moses dignitatem Sem significans, dixisset illum fuisse fratrem Iaphet maioris ipso? *Augustin.* *Argumentatio Hebræorum, quòd sẽ fuerit minimus fratrũ suorum.*

135 SED exponamus & perpendamus etiam contrariam opinionem. Hebræi in iis Commentariis quos super hunc locum ediderunt, tradunt

tradunt Sem fuisse vltimum filiorum Noë, Cham secundum, deniq; Iaphet primum, quamquam nonnulli etiam primum locum tribuant Cham Hebræos secuti sunt Lyranus & Tostatus, idemq; prodiderunt cùm extrema verba quinti capitis libri Geneseos explanant. Genebrardus quoque eam opinionem probabilissimam putat in sua Chronologia. Sem autem nouissimum fuisse fratrum suorum argumentantur isti hunc in modum: Noë cæpit filios generare anno quingentesimo suæ ætatis, id enim tradit Moses sub finem quinti capitis huius libri: ergo primogenitus Noë natus est quingentesimo ipsius anno: at Sem natum fuisse non quingentesimo sed quingentesimo secundo anno Noë, euidenter colligitur ex cap. 11. Geneseos, vbi scriptum est, Sem biennio post diluuium cum genuit filium suum Arphaxad fuisse centum annorum: diluuium verò contigit sexcentesimo anno vitæ Noë. Ergo Noë anno quingentesimo genuit Iaphet: anno quingentesimo primo genuit Cham: anno verò quingentesimo secundo genuit Sem. Et cum anno sexcentesimo diluuium aduenerit, idcirco rectè dictum est, Genes. 11. biennio post diluuium Sem fuisse centum annorum. Sic isti.

Lyranus. Tostatus.

Genes. 6.

Quomodo Caietan. soluit rationem Hebræorum. Caietan.

136

VERVM ratio hæc parum firma est. Quemamodum autem Caietanus eam rationem dissoluat (quoniam ad id de quo nunc agitur, maximè facit) non ingratum fuerit lectoris ex propriis verbis eius cognoscere. Sic igitur Caietanus locum illum ex cap. 11. Geneseos paulò supra commemoratum explanans ait. *Ex hoc loco*, inquit, *quia duobus annis post diluuium describitur Sem centum fuisse annorum, inferre aiunt Hebræos Sem non fuisse primogenitum Noë. Nam cum Noë quingentos annos natus generare cœperit, vt patet ex fine quinti capitis, necesse est primogenitum eius biennio post diluuium fuisse duorum & centum annorũ. Sed hæc ratio inefficax est, & contra literam Mosis Contra literam quidem, quia ex cap. 10 colligitur Sem fuisse fratrem grãdem seu magnum respectu Iaphet & in cap. 9. dictum est Cham fuisse filium parum Noë: hæc autem manifestant Sem fuisse primogenitum Noë. Est autem etiam ratio inefficax: tum quia littera non dicit Sem cum esset centum annorum genuisse Arphaxad: sed sunt duæ orationes interiecta cõiũctione, altera habet, Sem filius centum annorum Hebræos more subintelligens verbum substantiuum, erat: altera. Et genuit Arphaxad duobus annis post diluuium. Tum quia minus libratur mos loquendi in sacra Scriptura. Nam & in calce. 5. capitis dicitur Noë cum esset quingentorum annorum genuisse Sem, Cham & Iaphet: at constat non eodem illo anno hos tres genuisse Noë, nisi quis dicat eodem partu eosdem esse generatos, quod tamen esset contra hos Hebræos. Sed verus sensus est non ante quingentesimum annum sed post illum genuisse illos filios.*

INDVBIE Igitur amplectendum est quod Scriptura testatur, Sem fuisse primogenitum. An autem fuerit centum præcisè annorum biennio post diluuium certum non est. Nam & intelligi potest eum fuisse genitum anno secũdo post quingentesimum Noë annum, vt sic biennio post diluuium non excesserit ille ætatem centũ annorum. Potest quoque intelligi fuisse eum genitum illo ipso

quin

quingentesimo anno Noë, & ob id biennio post diluuium cum genuit filium Arphaxad, fuisse centum & duorum annorum. Scriptura enim non dicit oppositum: immo adiungendo biennium post diluuium ad centum annos Sem, implicite insinuat eum duos super centum annos fuisse natum, cum procreauit Arphaxad. Hactenus ex Caietano.

137 VERVM, in his Caietani verbis duo sunt minimè probabilia. Primum enim Caietan. verba illa Mosis ex cap. 11. Geneseos de ætate qua erat Sem cum genuit Arphaxad, sic interpungit, & distinguit, vt illis verbis duo significentur, alterum est, Sem fuisse centum annorum, alterum verò, genuisse Arphaxad duobus annis post diluuium. Sic enim habet lectio Caietani: *Sem filius centum annorum: & genuit Arphaxad duobus annis post diluuiũ.* Verùm eiusmodi distinctionem & interpunctionem eorum verborum, & Græca translatio, uostráque editio vulgata excludere videtur. Sic enim eo loci habet: *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad*, quibus verbis perspicuè declaratur biennio post diluuium & Sem fuisse centum annorum, & eo ipso tempore genitum ab eo fuisse Arphaxad. Illud præterea Caietani dictum mihi etiam non probatur. Ait ipse scripturam eo loco non negare Sem cum genuit ipsum Arphaxad fuisse centum & duorum annorum, quinimo id ipsum significare, namque adiungendo biennium post diluuium ad centum annos Sem, recte indicauit Sem fuisse centum & duorum annorum cum genuit Arphaxad. Sed non video equidem quomodo Scriptura ibi non illud neget, cum aperte dicat fuisse eum centum annorum cum genuit Arphaxad id est, biennio post diluuium, namque illud biennium, non est adiungendum ad centum annos Sem, sed est referendum ad diluuium post quod exacto biennio Sem procreauit filium Arphaxad

Animaduersio in Caietanum.

138 ERGO illa meo iudicio expeditior & probabilior fuerit respõsio: vel Noë non cœpisse generare quingentesimo ætatis suæ anno præcisè, sed quingentesimo secundo, eóque ipso anno generatum esse Sem, ob idque biennio post diluuium fuisse eum centum annorum: vel Sem secundo anno post diluuium cum generauit Arphaxad, non fuisse centum annorum præcisè, sed fuisse centum & duorum annorum. Namque, vt alias non semel diximus, mos est diuinæ Scripturæ (id quod etiam in profana historia & Chronologia non ratò fit) paruis & minutis numeris tacitis ac prętermissis maximum & integrum numerum duntaxat commemorare: quod multis exemplis illustrari firmaríque posset, nisi rei satis manifestæ, & alias à nobis probatæ iterata probatio superuacua foret.

Probabilior solutio rationis Hebræorum.

Filij Sem: Alam, Assur, Arphaxad, Lud, & Aran. VERS. 22.

139 BEATVS Hieronymus ex sententia Iosephi supradicta nomina filiorum Sem cursim exponens ita scribit. *Hi filij Sem ab Euphrate fluuio partem Asiæ vsque ad Indicum Occeanum*

Hieronym. in Traditionib. Hebraicis Gen. 10. Iosephus.

tenuerunt. Est autem Ælam, à quo Ælamitæ principes Persidis. De Assur iam ante dictum est quod Ninum vrbem condiderit. Arphaxad à quo Chaldæi: Lud à quo Lydi: Aram à quo Syri quorum metropolis est Damascus, Sic Hieronymus.

Ælamitæ vel Elymei.

A B Ælamitis quos externi scriptores Elymæos vocant, oriundi fuerunt Persæ, qui tamen Ælamitarum nomen posteribus temporibus obscurarunt, cùm euerso Babylonico imperio amplissimam Persicæ dominationis monarchiam condiderunt. Apud Danielem cap. 7. Susan, quæ fuit Persarum Regia, fuisse olim in regione Ælam perspicuè scriptum est illis verbis: *Vidi in visione cum essem in Susan castro, quod est in Ælam regione.* Quo manifestum fit olim sub Ælamitarum regione ac ditione fuisse Persas. Sed plura de eo nos disseruimus lib. 9. Commentariorum nostrorum in Danielem cum verba illa cap. 8. explanaremus. 140

An Chaldæi ab Arphaxad sint orti

V N D E autem Iosepho notum fuerit Chaldæos ortum & genus duxisse ab Arphaxad, mihi quidem ignotum est. Quanquam non me latet quosdam nimio plus Hebraizantes inde rationem eius rei petere, quod Chaldæi Hebraicè dicantur Chasdim & permutatione atque affinitate litterarum transeuntium in alias litteras, quod non rarò fit apud Hebræos, postea nominati sunt Chaldæi. Vocis autem Chasdin singulare, est Chasdi, à Chascad, nam hoc est thema. In Chascad autem tres consonantes s, c, & d, reperiuntur in posteriori parte nominis Arphacsad, sic enim secundum rationem Hebraicam scribi debet, nam vocalium apud Hebræos nulla habetur ratio. Sed hæc rideamus licet atque cotemnamus ceu inania commenta, futiles argutias, ac nugas pueriles. 141

Origo Lydorum.

Q V A R T O loco inter filios Sem nominatur Lud, à quo Lydi Asiæ minoris populi creduntur orti, nominis sono id quodammodo arguente. Alter eiusdem nominis supra inter posteros Mesraim commemoratus est, à quo Ludim propagati, Aphricæ fuerunt incolæ. Hic autem Lud filius Sem vt diuersi generis & gentis fuit, ita diuersas quoque sedes obtinuit. Apud Isaiam cap. 66. commemorantur hi populi, Tharsis, Phut, vel vt habent alij Put, & Lud, Thubal item & Iauan: sic enim est Hebraicè: quæ vocabula Latinus interpres ita Latinè expressit: *Mittam ex eis qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam & Græciam.* Ergo vocem Tharsis vertit gentes maritimas, Phut, Africam, Lud, Lydiam, Thubal, Italiam, Iauan, Ioniam seu Græciam. Apud Ezechielem quoque cap. 27. iunguntur inter se hi populi qui Tyriis militabant, Paras, Lud, & Phut, sic enim est Hebraicè, pro quibus Latinus interpres substituit Persas, Lydos & Libyes. Quemadmodum enim olim imperatores Romani hodiéque Christiani reges secum in bella ducunt gentes ingeniis, moribus, habitu, lingua atque religione differentes, ita putandum est olim apud Tyrios mari præpotentes militasse Persas, Libyes seu Africanos & Lydos, qui ante Cræsum à Cyro 142

Locus Isaiæ cap. 66.

victum

victum bellicæ virtutis gloria clari ac nobiles fuerunt.

Varia significatio nominis Aram.

ARAM quintus nominatur in filiis Sem: Ex quo variæ sunt ortæ
143 gentes: quæ partim Syrorum nomine dictæ sunt à Græcis, partim in aliorum populorum nomen concesserunt. Diuina scriptura frequenter vtitur vocabulo Aram ad certam quandam terræ regionem denotandam. Legitur enim Aram Naharaim, ideſt, Aram fluuiorum, siue Aram interamnis, quam Græci appellant Mesopotamiam, quod intet Euphratem & Tigrim media interiaceat. Vnde Deuteronom. cap. 23 dicitur Balaam fuisse adductum de Aram Naharaim, quod Latinus interpres vertit de Mesopotamia Syriæ. Sic etiau in libro Iudicum cap. 3. nominatur rex Aram Naharaim, quem Latinus interpres ibi nominat regem Mesopotamiæ & regem Syriæ. Legitur præterea Padam, Aram, Genes. 28. & 33. quo dicitur missus Iacob à Patre suo Isaac, & inde reuersus incolumis: Latinus interpres ibi vertit Mesopotamiam Syriæ. Itaque videtur Aram Naharaim & Padam Aram eandem regionem significare: nisi forte Padam Aram denotet certam quandam Mesopotamiæ regionem. Ad hæc in 2. Regum cap. 8. appellatur Aram Damasci. In eodem libro nominatur Aram Soba. In primo Paralipomenon cap. 19. memoratur Aram Naacha. Quæ regiones videntur esse Syriæ longe paulo remotæ à Pereæa, id est regione Galaad, quæ pertinuit ad duas tribus Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manassis.

Quænam sit regio quæ in Scriptura nominatur Aram.

VERS. 25.

Filij Aram: Hus, Hul, Gether, & Mes.

144 QVARVM gentium isti filij Aram parentes & satores fuerint, ex Iosepho breuissimè sic enarrat B. Hieronymo. *Hus*, inquit, *Trachonitidis & Damasci cõditor inter Palestinam, & Cœlem Syriam tenuit principatum, à quo Septuaginta interpretes in libro Iob vbi Hebraicè scribitur terra Hus, regionem Ausitidem quasi Husitidem transtulerunt. Hul, à quo Armeni. Gether, à quo Acarnanij seu Carij. Porrò Mes pro quo Septuaginta Interpretes Mosoch dixerunt, nunc vocantur Mœones.* Hæc Hieronymus Iosephus tamen Gether parentem facit Bactrianorum. *Mesas verò*, inquit, *tenuit Mesanæos, nunc Pasini castrum vocatur.* Tostatus nõ approbat quod suprà dictum est de Hus, quod fuerit Damasci conditor, cuius sententiæ auctorem faciens Lyranum, reprehendit eum: scilicet nesciens id Lyranum ex Iosepho & Hieronymo esse mutuatum. Censet autem Tostatus Damasci originem primam, repetendam esse (vt communis fert sententia) ab Eliezer Damasco procuratore domus Abrahæ.

Hieron. in Traditionib. Hebraicis in Genesim.

Iosephus.

Tostatus. Lyranus.

HVS porrò patria fuit Iob, vel ea tantùm ne valde memorabilis
145 ac celebris. pertinebat autem Hus ad Idumæam, vt colligitur euidenter ex lamentationibus Ieremiæ, in quibus cap. 4. sic est: *Gaude filia Edõ, quæ habitas in terra Hus, ad te quoq; perueniet calix Domini, inebriaberis atq; nudaberis*: Est igitur vrbs Syrię vel Arabię quę dicitar Scenitis,

Gen. 22. Hus patria Iob vbi fuerit.

pars est Idumæa vergens ad Chaldæam & Sabæam, namque ex ipsa
Iob. 1. Iob historia planum fit Chaldæos & Sabæos, vti gentes vicinas, bona Iob esse deprædatos.

VERS. 15. *Nati sunt Heber filij duo nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra.*

Caietanus.

ILLVD pronomen *eius* potest referri vel ad Heber vel ad Phaleg, *nam si hoc nomen* inquit Caietanus, *fuit ei impositum à natiuitate eius demonstrat Heber propterea filio tale nomen imponentem, quia in diebus Heber diuisa est terra: sin autem aduentitium fuit nomen, vtique demonstrat ipsum Phaleg, quippe qui ad perpetuam memoriam diuisionis terræ quæ tempore eius facta est, tale nomen sortitus sit. Diuisio autẽ terræ significat hoc loco diuisionem hominum in terra secundum diuersas linguas, & secundum profectionem ad diuersas terræ partes incolendas.* Sic Caietanus. Verùm ferè interpretes illud pronomen (eius) referunt ad Phaleg, & rectè: significare enim in illud ipsum tempus, quo diuisæ sunt linguæ & hominum habitationes, Phaleg ortum, vel, vt placet aliis, ætatem incurrisse. Sed breuiter hac etiam de re ad præsens disputandum est.

VNDECIMA DISPVTATIO.

An illud nomen Phaleg impositum sit ex diuisione terræ iam facta, an longe post futura.

Hebræi quãdo factã esse diuisionẽ linguarũ putẽt.

VTRVM diuisio linguarum & habitationum hominum contigerit eo ipso tempore quo natus est Phaleg & inde nomen ei sit inditum: an verò exrrema eius ætate, discrepantes sunt auctorũ sententiæ Hebræi in suo Chronico quod appellant Seder Holam, tradunt diuisionem linguarum factam esse extremo tempore vitæ Phaleg: is autẽ natus est anno centesimo primo post diluuium, & vixit ducentis nouem annis, vt colligitur ex capite vndecimo Geneseos. Hinc efficitur factam esse diuisionem linguarum anno trecentesimo quadragesimo post diluuium, decem scilicet annis ante mortem Noë: namque eum vixisse post diluuium trecentis quinquaginta annis, scriptum reliquit Moses extremis verbis Capitis noni. Iam verò cùm Abraham secundum Chronologiam Hebraicam & Latinam quæ traditur in cap. 11. Geneseos, natus sit anno post diluuium ducentesimo nonagesimo secundo, ex eo conficitur diuisionem linguarum contigisse cùm Abraham octauum & quadragesimum ætatis annum ageret.

ERGO

ERGO Hebræi censent Heber magnum fuisse prophetam: quippe qui diuino prophetiæ lumine illustratus, quod plus ducentis annis post futurum erat prouidens, ex eo nomen nascenti filio imposuerit. Hebræorum sententiæ accedit B. Hieronymus, affirmans Heber vaticinio quodam, videlicet ex futuro euentu diuisionis linguarum, nomen posuisse filio suo. Ad eandem sententiam videtur pertinere quod scripsit Chrysostomus homil. 30. in Genesim, explanans hæc ipsa verba de nomine Phaleg, *Considera*, inquit, *quemadmodum rei futuræ præscientiâ vocabulo nati pueri declarauit, vt cùm videris rem opere adimpletam, non vltra mireris videns diuinitus id pueri nomine prædictum.* Ad eandem sententiam propendent Tostatus & Lyranus hoc loco & Genebrardus in sua Chronologia. *Hieronym. in Traditionib. Hebraicis in Genesim. Chrysostom. Tostatus. Lyranus. Genebrard.*

HANC isti opinionem ita confirmant. Non est credibile, inquiunt, spatio duntaxat centum annorum, idest, circa ortum Phaleg, in tantum fuisse vbique terrarum multiplicatas stirpes post diluuium, & adeo propagatum genus humanum, vt per omnes terræ plagas dispergit, easque inhabitare, colere, & in posterum habitatoribus complere potuerint. Sed hæc ratio per infirma est: nulla enim ratio est, plantas quæ vbique terrarum sunt, per centum annos post diluuium non potuisse generati, crescere & multiplicari. Idem de hominibus sentio. Si enim Iacob familia quæ septuaginta duntaxat fuit hominum cùm ipse descendit in Ægyptum, per ducentos & quindecim annos tam numerosè inibi propagata est, vt cùm egressi sunt ex Ægypto Hebræi, recensita in illis sunt plus sexcenta millia hominum bellatorum, exceptis paruulis, senibus & feminis: & quanto credibilius est post diluuium, etiam minori spatio temporis numerosiùs esse propagatam familiam Noë, cùm tanta hominum qui tum in terris erant paucitas id exigeret, & futuram filiorum Noë maximam fœcunditatem, amplissimamque propagationem non obscurè significauerit Deus cùm eis benedixit dicens: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* *Genes. 46.* *Exod. 12.* *Genes. 9.*

147 ALTERA sententia est, nomem Phaleg positum fuisse non ex futuro euentu, sed ex eo quod iam factum & præteritum fuerat: nam quia proximè post linguarum diuisionem factam, Heber genuit filium suum primogenitum, idcirco ex re illa tam memorabili nomen impositit filio. Id autem voluit Heber notari in filio, vt inde animaduerterent homines tempus ipsum quo momorabilis illa extiterat inter mortales linguarum varietas atque confusio. Huius opinionis auctorem habeo Iosephum libro primo Antiquitatum, & B. Augustinum qui libro decimosexto de Ciuitate Dei capite 11. hunc in modum scribit: *Dixerit aliquis, si in diebus Phaleg filij Heber diuisa est terra per linguas, ex eius nomine potius debuit appellari lingua illa quæ fuit omnibus ante communis. Sed intelligendum est ipsum Heber propterea talẽ nomẽ imposuisse filio suo, vt vocaretur Phaleg, quod interpretatur diuisio, quia tunc ei natus est, quando per lingua terra diuisa est, vt hoc sit quod dictum est: In* *Auctoris sententia.* *Iosephus.* *Augustinus.*

diebus eius diuisa est terra: Nam nisi adhuc Heber viueret quando linguarũ facta est multitudo, non ex eius nomine nomen acciperet lingua quæ apud illum potuit permanere. SAugustinus.

HÆc mihi quoque sententia magis probatur. Nam cùm nulla 168
ratio afferri queat quæ necessariò concludat vel etiam probabiliter demonstret non potuisse fieri diuisionem linguarum & discessionem hominum in varias terræ partes, eo tempore quo natus est Phaleg (vt ex his quæ dudum docuimus, palam est) certè multò est creditu procliuius, Heber ex eo potius quod iam acciderat tunc cùm natus ei filius est, quàm ex eo quod erat plus ducentis annis post euenturũ, vocabulo Phaleg diuisionem linguarum denotante, filium suum insigniri voluisse, Sed ego aduersus istos qui diuisionem linguarum in extremum Phaleg annum reiiciunt, valde firmum (vt in rebus quæ in Chronologia & historia versantur esse potest (argumentum habeo. Aiunt isti diuisionem linguarum & dispersionem hominum in diuersas terræ dlagas nouissimo Phaleg anno, qui in quadragesimum octauum ætatis Abrahæ annum competit, esse factam, Ergo necesse est eam diuisionem contigisse annis triginta octo post obitum Nini qui primus fuit rex Assyriorum: regnauit enim Ninus duobus & quinquaginta annis: & quadragesimo tertio regni eius anno Abraham natus est. Et hæc quidem apud auctores tam Ethnicos quàm Christianos inconfesso sunt. At enim cùm Ninus regnare cœpit, id est, annis plus octoginta ante id temporis quo censent isti factam esse diuisionem linguarum, iam tunc orbis terrarum secundum omnes fere eius partes completus erat habitatoribus cultoribusque habentibus diuersas linguas, diuersa item regna & reges, atque eos amplissimis imperiis, numerosissimis exercitibus, maximisque diuitiis atque opibus præpotentes.

Diodorus. Processus Bellorum & victoriarũ Nini regis: Arabum.

HOc ego clarum certumque lectori faciam ex vnius historia Diodori quam plerique tam prophani quàm Ecclesiastici scriptores se- 169
cuti sunt. In exordio lib. 3. scribit Diodorus, Ninum cúm regnare orsus est, incredibili dominandi cupiditate, totum penè orbem animo complexum, initio societatem iniisse, *Cum Arico rege Arabum qui eo tempore plurimum opibus atque armis præstabant, cum quo exercitum duxit aduersus Babylonios nondũ quidẽ cõdita Babylone, sed multis circa & claris vrbibus habitatis: quibus superatis tributoque impositio, regẽ eorum captiũ cum filijs interemit. Deinde nonnullis Armeniæ ciuitatibus in potestatem redactis Barzanem regem sibi cũ muneribus occurrentem, clementer atque perhumaniter tractauit. Inde Mediam ingressus. Farnum regem cum vxore & septem filijs cruci affixit. Tam prospera fortuna elatum cupido incessit totius Asiæ, quæ inter Tanaim iacet ac Nilum, potiundæ. Quocirca ad reliquam subijciendam Asiam profectus, omnem, septẽ & decẽ annis præter Indos ac Bactrianos, subiugauit. Subiecit omnes maritimas ac propinquas gentes, Ægyptios Phœnices, interiorem Syriam, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam Phrygiam, Mysiam, Lydiam, Troada & Phrygiam quæ est super Hellespontum Propõtidem*

dem etiam atque Bithyniam & Cappadociam, gentésq; iuxta Pontum Barbaras vsque ad Thanaim flumen suæ ditionis fecit. Adiecit imperio Cadurios, Tapyrios, Hircanos, Drangas, Dernicos Carmanios, Coronæos, Rhombos, Vorcanios, Parthos, Persas, Husianos, Caspiosque, pluresq; alias gentes & nationes, quas propter earum ignobilitatem hic recensere non attinet. Ad extremum, debellauit Zoroastrem regem Bactrianarum, qui comparato hominem quadrigentorum millium exercitu aduersus Ninum pugnaturus obuiam ei processit: cum id temporis haberet Ninus in exercitu suo (vt proditum est à Ctesia) peditum decies septies centena millia: equitum ducenta millia, curruum autem falcatorum paulominus decem millibus & sexcentis. Hactenus ex Diodoro. *Ctesia.*

Ex his liquido apparet plurimis annis prius quàm factam esse diuisionum linguarum & dispersionem hominum isti arbitrantur, omnem fermè terrarum orbem non solum habitatorib. fuisse completum, nec diuersas tantum fuisse tunc linguas, sed diuersas item prouincias, nationes, regna regesq; incredibili potentia bellica opibúsque præpollentes. Dicent fortasse isti, fabulosa esse hæc & à Diodoro vel potius à Ctesia conficta, vel ex mendacissimis historiis deprompta. Sed enim non solum Ethnici scriptores, verum & nostrates, & Ecclesiastici, iiq; maximæ nobilitatis & auctoritatis, historiam illam Diodori vt maxmè credibilem, & crediderunt ipsi, & scriptis suis consignatam firmatámq; posteritati transmiserunt. Nec sanè qui Diodoro fidem abrogant, cur ei credendum non sit, rationem probabilem vllam afferre possunt.

Iectan genuit Elmodad & Saleph, Asamoth, Iare, Adoran, Uzal, Decla, Hebal, Abimaël, Saba, Ophir, Heuila, Iobab, omnes isti filij Iectan. VERS. 26.

150 HARVM *gentium*, inquit Hieronymus (insistens vestigiis Iosephi) *posteriora nomina inueniri non potui: sed vsque in presens, quia procul à nobis sunt, vel ita vocantur, vt primum, vel quæ immutata sunt, ignorantur. Possederunt autem à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem quæ vocatur Ieria.* Sic Hieronymus. Fluminis porrò Cophenis quod nominatur hic à Hieronymo & Iosepho, meminit Eustathius interpres Dionysij Geographi qui libellum de Situ orbis conscripsit, & quē vt narrat Plinius ad commentanda omnia in Orientem præmisit Augustus ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicásque res maiore filio. Eustathius igitur fluuiū Cophen à Dionysio in descriptione Indiæ positum ait vocari Cophenem ab Aristotele libro quinto de rebus gestis ab Alexandro. Strabo quidem certè Cophen eum nominat fluuium qui Choaspis aquas recipit: & post quem fluit Indus. *Post Cophen*, inquit Strabo, *est Indus, postea Hydaspes, tum Acesines, deinde Hyarotis, postremo Hypanis, qui fuit terminus*

Hieronym. in Traditionib. Hebraicis in Genesim. *Cophenes fluuius.* *Eustathius.* *Dionys. Geographus.* *Plin. lib. 9. cap. 27.* *Arist.* *Strabo.*

terminus expeditionis Alexandrini in India. Ita Starbo. Meminit quoque
Plinius. eiusdem fluminis Plinius lib. 16. cap. 21 Supradictorum autem filiorum Iectan de tribus tantum in præsentia nonnihil dicendum est, De Saba, Ophir & Heuila.

151 A c inter posteros Chus vt paulò supra vidimus, duo eiusdem nominis Saba dico & Heuila commemorati sunt, verum hi diuersas à superioribus familias constituerunt, longeque diuersas terras insederunt: id quod non tacuit scriptura dicens liberos Iectan habitasse à Messa vsque ad Sephar montem Orientalem. Nam Seba & Sohaba posteri Chus progenuerunt Sabæos ad vtraque porrectos maria quibus Arabiæ cinguntur latera. At Saba filius Iectan, & is præterea Saba qui in filiis Abrahæ ex Cetura natis numeratur 25. capite Gene-
Dionysius. seos, Sabæos generarunt longè semotos: Saba quidem filius Abrahæ Sabæos Persis proximos, quos Dionysius de situ orbis his verbis commemorat: Primum Sabæi, post hos sunt Pasagardi, prope verò hos sunt Tasci: has verò gentes constat Persidis esse populos. Huc igitur concessisse videtur Saba filius Abraham: namque eum cum ceteris fratribus Abraham separasse à filio suo Isaac, & ad plagã orientalem emisisse, narrat Moses 25. cap. Geneseos. Ceterum Saba filius Iectan (de quo hic agitur) videtur processisse longius, & Sabæos Indicos condidisse, sunt enim & in India Sabæi, quorum meminit in descriptione Indiæ Dionysius illo versu:

Horum medij habitant Sabæi, & Taxij viri.

Itaque varia Sabæorum populorum fuisse genera mirum videri non debet, cùm varia illarum familiarum & gentium capita in sacris litteris memorentur, & diuersas eodem nomine gentes agnoscat etiam profana historia.

Ophir & Heuila. 152 Sequvntvr Ophir & Heuila, de quibus ita scribit B. Hie-
S. Hieronym. ronymus in libro de locis Hebraicis: *Ophir sicut est in Regnorum lib.*
3. Reg. cap. 9. *est insula vnde aurũ afferebatur. Fuit autẽ vnus de posteris Heber nomine Ophir, ex cuius stirpe venientes à fluuio Cophene vsque ad regionẽ Indiæ quæ*
Iosephus. *vocatur Ieria habitasse refert Iosephus: à quo puto, & regionẽ vocabulũ consecutam. Heuila porrò est vbi aurum purissimum, quod Hebraicè dicitur Zaab & gemmæ pretiosissimæ carbunculus smaragdusq; nascuntur. Est au-*
Genes. 2. *tem regio ad Orientem vergens, quam circumit de Paradiso Phison egrediẽs, quem nostri mutato nomine Gangen vocant. Sed & vnus de posteris Noë.*
Heuila dictus est, quem in regione Indiæ habitasse refert Iosephus. Ismaël
Aurũ Ophir & Obrizũ. *quoque in solitudine Heuila habitasse scribitur, quam scriptura ait esse in deserto Sur contra faciem Ægypti, & inde tendere vsque ad terram Assyriorum.* Sic B. Hieronymus

Plin. lib. 33. cap. 3. 153 A b Ophir autem: quod deuehebatur aurum, defecatissimum purissimumque & præ ceteris pretiosum ac probatum habebatur, cùm tale esset quale est quod Latini appellant obrizum, etiam hoc ab Ophir, vt quidam putant nominatum, quasi dicas, Ophirizum. Plinius tamen obrizum vocari scribit aurum quod igne etiam atque

etiam

etiam purificarum ſimili colore rubet vt ignis. Iſidorus verò dictum putat Obrizum, quia obradiet ſplendore ſuo propter coloris præſtantiam Latinus interpretes in libro Iob cap. 18. aurum Ophis interpaetatus eſt aurum obrizum, huius & auri & regionis Ophir, illuſtris mentio fit in tertio libro Regum cap. 9. & 10. & 1. Paralipomenon capite 29. Ioſephus libro octauo Antiquitatum ſecutus Septuaginta Interpretes Ophir appellauit Sophiram, ratus eſſe Cherſoneſum, ſeu peninſulam Indie auriferam. At conſtat eſſe inſulam, & vt fertur propinquam continenti vbi & celebris hoc tempore vrbs & regnum vulgo dictum Malacha. Scriptores noſtræ ætatis quidam putant eſſe quam hodie appellant Zeffalam vel Zamatram: alij, eſſe Peruanam regionem in nouo orbe occidentali optimi auri fertiliſſimam: nõnulli Taprobanam miris laudibus à veteribus celebratam. Verum ſirne Ophir aliqua iſtarum, vel alia quæpiam in Oceano Indico aut Æthiopico, cũ nec ſit inſtituti operis nec facultatis noſtræ, aliis Geographiæ, præſertim autem regionum hoc ſæculo repertarum peritioribus, liquidò iudicandum & decernendum relinquo. Nos plura de Ophir & de Heuila diſputauimus tum in lib. 12. Commentariorum noſtrorum in Danielem ſuper illa verba capite 10. *Ecce vir veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo*, tum etiam in priori tomo Commentariorum in Geneſim lib. 3. vbi diſputauimus de primo Paradiſi flumine quod Moſes appellat Phiſon.

Iſidorus.

Ioſephus.

Geneſ. 2.

154 TOSTATVS hoc loco ſcribit Ophir fuiſſe terram affluentem auro, in qua montes erant auriferi vbi in ſuperficie montium auri plurimum è cauernis terræ à feris erutum ibidem à leonibus & gryphis cuſtodiretur, cuius hiſtoriæ Rabanum ſuper libros Regum citat auctorem, idemq; ſignificat Iſidorus libro 14. Etymologiarum, cap. 8. Verum regionem in qua gryphes ſeu gryphi auri cuſtodes atque propugnatores eſſe memorantur, in Scythia collocat Pomponius Mela lib. 2. capite 1. & Solinus capit. 19. *In Scythia*, inquit Solinus, *terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen. Nam cùm auro & gemis affluant, gryphes tenent vniuerſa, alites ferociſſimæ & vltra omnem rabiem ſæuientes: quarum immanitate obſiſtente aduenis, aeceſſus difficilis & rarus eſt. Quippe viſos àiſcerpunt veluti geniti ad plectendum auaritiæ temeritatem. Arimaſpi cum his dimicant.* Plinius quoque (vnde mutuatus videtur Solinus) lib. 7. cap. 2. in Scythia numerat Arimaſpos vno oculo in fronte media inſignes: *quibus aſſiduè bellum eſt circa metalla cum gryphis, ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente: ex cuniculis aurum mira cupiditate: & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus, idque multi, ſed maximè illuſtres Herodotus & Ariſteas Proconneſius prodiderunt* Sic Plinius.

Tostatus.

Rabanus.

Iſidorus.

Gryphes vbi ſint auri cuſtodes atque propugnatores.

Solinus.

Plinius.

Plin. lib. 10. cap. 49

155 DICVNTVR autem Gryphi eſſe animalia quadrupedia pennata: alis quidem & facie aquilarũ ſimilia, ceterò Leonũ habent omnia. Sed hæc de Gryphis tradita & vulgo credita Plinius cenſet fabuloſa: *Pegaſos*, inquit, *equino capite volucres, & Gryphos aurita aduncitate roſtri*

Gryphos & Pegaſos cenſet fabuloſa eſſe animalia

fabulosos reor illos in Scythia, hos in Æthiopia. Sic ille. vbi mendosè legi (illos in Scythia, hos in Æthiopia) & potius contra legi debere illos in Æthiopia, hos in Scythia, ex his quæ paulò ante produximus ex Mela, Solino, & ipsomet Plinio manifestum lectori esse potest.

VERS. 30. *Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus vsque Sephar montem Orientalem.*

HIS verbis Moses designat ac denotat terminos habitationis posterorum Iectan in parte orbis orientali, vt inde quam longa lataq; fuerit regio quam inibi tenuerint illi facile æstimari queat. De Messa verò & Sepbar hoc tantum reperi apud B. Hieronymum in libro de locis Hebraicis: Messam vult ille regionem esse Indiæ in qua habitauerint filij Iectan: Sopheram autem esse montem Orientis in India, iuxta quem habitauerint iidem filij Iectan quos Iosephus refert à Cophene fluuio & Indiæ regionibus vsque ad id locorum peruenisse vbi appellatur regio Ieira. Sed & classis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat. 156

Hieronym.

Iosephus.

An Sem resederit in Iudæa, & vbi postea fuit vrbs Hierusalem.

QVAMQVAM autem posteri Sem in longinquas Indiæ terras secesserint, ipsum tamen Sem putant Hebræi resedisse in ea terra quæ postea appellata est Iudæa, & in eo loco eius terræ, vbi & vrbs Hierusalem & templum multis post sæculis ædificata sunt, quod Sem prophetico spiritu prouidisset eam terram à Deo promissum & traditum iri posteris suis, inibiq; & principatum eorum & veri Dei quem ipse colebat religionem atque cultum florentissimum & glorioſissimum fore. Verũ hoc nec ratione vlla probatur ab istis, nec speciem habet probabilitatis. Cum enim terra illa habitata & possessa fuerit à posteris Chanaan, non est credibile vel Sem inter extraneos potius quàm inter suos viuere voluisse, vel Chanaan eiusq; posteros id passuros fuisse. Nam quod ait Epiphanius in Ancorato terram Iudææ primum à Noë traditam esse ipsi Sem & posteris eius, sed eos postea inde per vim à posteris Chanaan eiectos esse, id profecto minimè fit credibile: tum quia Moses apertè docet terram illam habitatam & possessam fuisse à posteris Chanaan, tum etiam quia terminos habitationis eorum in ea regione tam subtiliter & distinctè descripsit, vt nullum relinquat locum suspicandi quod isti prodiderunt de eiectione posterorum Sem.

Epiphan.

ILLVD quoque mirum videri meritò possit, si Sem in Palæstina & in monte Hierosolymitano residebat, cum triginta tribus annis superuixerit ipsi Abrahæ, & peruenerit vsq; ad centesimum octauum annum Isaac & vsque ad quadragesimum octauum annum Iacob, quomodo Moses in historia horum trium patriarcharum quam perdiligenter scribit in hoc libro nullum de ipso Sem verbum fecerit,

rit. Narrat quidem ille Abraham iuisse ad Melchisedech, Pharaonem, & Abimelech idemq; tradidit de Isaac: de Sem autem nullam planè mentionem facit. Nam quod opinantur Hebræi ipsum Melchisedech fuisse Sem, nec verisimile est, & à nobis in tertio tomo horum commentariorum (fauente Deo) in explanatione 14. capitis huius libri manifestissimis firmissimísque rationibus confutabitur.


Genes. 14.
Infra. 10.
Infra. 26.
Hebræi opinantur Sem fuisse Melchisedech, sed falso.

VERS. 31.

Isti sunt filij Sem secundum cognationes & linguas & regiones in Gentibus suis.

157 MOSES hoc loco commemorauit viginti sex posteros Sem, hoc est, quinque filios ipsius Sem, quatuor filios Aram, duos filios Arphaxad, duos item filios Heber, tredecim denique filios Iectan: ex quibus omnibus existit summa, vt diximus, viginti sex posterorum Sem. Et hac quidem in re tam Latina translatio quàm paraphrasis Chaldaica omnino concordat cum scriptura Hebraica. At verò Græci codices nonnihil discordant. Etenim numerant sex filios Sem, addentes supradictis, quendam Cainan. Tum memorant tres filios Arphaxad, adiicientes vnum alium dictum etiam Cainam, filios tamen Iectan similiter atque nos enumerant tredecim. Quocirca secundum Græcos codices, posteri Sem memorati hoc loco à Mose, essent viginti octo B. Augustinus sequitur codices Græcos, eo tantùm ab illis discrepans, quod filios Iectan non tredecim sed duodecim tantum recenset: quo fit vt posteros Sem viginti septem numeret. Nos, quo facilius animo comprehendi possent, posteros omnes Sem hic memoratos à Mose suo quoq; ordine digestos in subiecta tabella lectori vno quasi aspectu contuendos proposuimus.

Dissonantia Græcorũ codicum à Latinis & Hebraicis de numero posterorum. Augustinus.



Omnes XXVI.

AIT porrò hoc loco Moſes enarrari à ſe poſteros Sem ſecundum cognationes & linguas & regiones in gentibus ſuis. Dixit, *Secundum cognationes*, quia vnus quilibet eorum qui hic ſunt nominati per ſe facit vnam cognationem ſiue familiam ſiue genus: vt ſicut nominantur viginti ſex aut viginti ſeptem poſteri Sem, ita totidem cognationes vel familias ab iſtis profectas eſſe intelligere oporteat. Dixit *Secundum linguas*, quia quilibet, iſtorum ſicut vnam condidit familiã & gentem, ita quoque diuerſam linguam ſortitus eſt: non quidem ſtatim vt natus eſt, ſed poſtquam propter ædificationem turris, diuiſio linguarum facta eſt. Ac licet ex iis qui memorantur hoc loco, multi nati fuerint filij, & idcirco multas quoque illi familias nominare, non ſecus ac patres ipſorum, potuiſſent, attamen quia non contigerunt illis diuerſæ linguæ ab is qua patres eorum habuerant, idcirco non hic commemorantur, vt ſupradicti, quod diuerſas cognationes & familias non effecerint. Addit præterea. *Et regiones*, quia poſt diuiſionem linguarum diuerſa terræ petierunt loca, diuerſaſque regiones inhabitarunt, vnde diuerſitas nationum orta eſt: neque enim iſti miſcebantur inter ſe vt ex ipſis vnus aliquis coaleſceret principatus & regnum, ſed multa regna diuerſíque populi extiterunt. Denique adiecit, *In gentibus ſuis*: non enim iſti erant vna gens ſed diuerſæ gentes diuerſis nominibus, diuerſis linguis, diuerſiſque regionibus ſeparati atque diſtincti. 15

VERS. 32. *Hæ familiæ filiorum Noë iuxta populos & nationes ſuæ. Ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.*

APPELLANTVR ſupradictæ familiæ ipſius Noë licet non ab ipſo ſed à filiis vel nepotibus eius progeneratæ ſint, quod ille fuerit prima illorum omnium origo & ſtirps vnde omnes illi pullularunt. Illis porrò verbis: *Ab his diuiſæ ſunt gentes poſt diluuium*, ſignificatur omnes gentium diuiſiones quæ nunc ſunt in toto terrarum orbe ab illis tribus Noë filiis eſſe profectas, & poſt diluuium exitiſſe. Fuerat quidem ante diluuium nonnulla hominum diuiſio, ſed non qualis & quanta fuit poſt diluuium. Namq; ante diluuium poſt necem Abel & natam progeniem Seth, ex mandato Adami poſteri Seth diuiſi ſunt à poſteris Cain, ob idque dicitur c. 4. Geneſeos Cain receſſiſſe contra orientalem plagam Paradiſi: eaque diuiſio & ſeparatio vſque ad ſeptimam generationem perduraſſe creditur: quo tempore poſteri Seth pulchritudine fœminarum ſtirpis Cain illecti & capti, illis per cõnubia ſunt cõmixti, factaque eſt benedicti ſeminis cum ſcelerato & impio contra mandatum Adami & voluntatem Dei peſtifera commixtio, vnde tot tantaque mala vbiq; terrarum extiterunt, vt Deum ad perdendum diluui 159

Qualis diuiſio & diſtinctio hominũ fuerit ante diluuium. Geneſ. 4.

diluuio omne genus hominum atque animalium prouocauerint.

PRÆTER hanc diuisionem hominum satis credibile fit & alteram fuisse diuisionem habitationis hominum in diuersis regionibus ac locis. cum enim per mille sexcentos & quinquaginta sex annos qui diluuium præcesserunt, humanum genus numerosissimè propagatum atque multiplicatum fuerit, non vnius regionis finibus circumscriptos fuisse omnes homines, sed per diuersas terræ regiones diffusos esse, ad veritatem propensius est. Quamobrem diluuium non vnam tantum regionem, sed omnes terræ plagas innundauit atque obruit. An verò diuersitas etiam linguarum fuerit ante diluuium nec ne, libro qui hunc proximè sequetur à nobis disputabitur.

ILLVD porrò lectorem, quod supra etiam indicauimus iterum
160 hoc loco admonere nec alienum nec superuacaneum iudicauimus, licet multo plures his qui supra memorati sunt, fuerint filij Sem, Cham, & Iaphet: propterea tamen non alios quam supradictos fuisse hic à Mose commemoratos, (vt rectè sensit B. Augustinus) *quia illi nascendo aliis gentibus accesserunt*, nec ipsi diuersas gentes condere ac denominare potuerunt. *Nam qua alia causa cùm filijs Iaphet octo numerentur, ex duobus eorum tãtum filij nati commemorantur? Et cùm filij Cham quatuor nominentur, ex tribus tantum qui sunt nati adijciuntur? & cùm filij Sem nominantur sex, duorum tantum posteritas attexitur? nunquid ceteri sine filijs remanserunt? absit hoc crede: sed gentes propter quas commemorari digni essent, non vtique fecerunt: quia sicut nascebantur aliis gentibus addebantur.* Sic Augustinus.

Aug. li. 16. de Ciuit. Dei cap. 13.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

LIBER DECIMVSSEXTVS,

In caput vndecimum Libri Geneſis.

ID EST.

DE ÆDIFICATIONE TURRIS Babel & de confuſione ac diuiſione linguarum.

Caput vndecimum Geneſis.

VERS. 1.

2 ERAT autem terra labij vnius & ſermonum eorundem. Cumq; proficiſcerentur de Oriente, inuenerũt cãpũ in terra Sennaar & habitauerũt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuũ, Venite faciamus lateres & co-
3 quamus eos igni: habueruntque lapides pro ſaxis & bitumẽ pro cæmento. Et dixerũt, Venite faciamus nobis ciui-
4 tatẽ & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomẽ noſtrum, antequã diuidamur in vniuer-
5 ſas terras. Deſcendit autem Dominus vt videret ciuita-
6 tem & turrim quam ædificabant filij Adã, & dixit, Ecce vnus eſt populus & vnum eſt labium omnibus, cœperũtq; hoc facere, nec deſiſtet à cogitationibus donec opere

com-

cõpleant. Venite igitur, descendamus & confundamus ibi 7
linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem pro-
ximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vni- 8
uersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcir 9
co vocatũ est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labiũ
vniuersæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciẽ
cunctarum regionum. Hæ sunt generationes Sem: Sem erat 10
centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post 11
diluuium, Vixitq; Sem postquam genuit Arphaxad quin 12
gentis annis, & genuit filios & filias. Porrò Arphaxad vi- 13
xit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitq; Ar-
phaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, & 14
genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis, & 15
genuit Heber. Vixitq; Sale postquam genuit Heber, qua- 16
dringentis tribus annis: & genuit filios & filias. Vixit au- 17
tem Heber triginta quatuor annis & genuit Phaleg. Et
vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis tri- 18
ginta annis: & genuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg
triginta annis, & genuit Reu. Vixitq; Phaleg postquam 19
genuit Reu, ducentis nouem annis, & genuit filios & filias. 20
Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. 21
Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducẽtis septem 22
annis, & genuit filios & filias. Vixit verò Sarug triginta 23
annis, & genuit Nachor. Vixitq; Sarug postquam genuit 24
Nachor, ducentis annis, & genuit filios & filias. Vixit au 25
tem Nachor viginti noue annis, & genuit Thare. Vixitq;
Nachor postquam genuit Thare, centum decem & nouem 26
annis, & genuit filios & filias. Vixitq; Thare septuagin- 27
ta annis, & genuit Abraham & Nachor, & Aran. Hæ 28
sunt generationes Thare. Thare genuit Abraham, Nachor
& Aran: Porrò Arã genuit Lot. Mortuúsque est Aran
ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Ur

Chaldæo

29 *Chaldæorum. Duxerunt autem Abram & Nachor, vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha, filia Arã patris Melchæ, & patris Ioschæ.*
30 *Erat autem Sarai sterilis nec habebat liberos. Tulit itaq;*
31 *Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran filij sui, & Sarai nurum suam & vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan,*
32 *venerúntque vsque Aran, & habitauerunt ibi: Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum & mortuus est in Aran.*

PRÆFATIO.

THERES præcipuè res hoc vndecimo cap. narrat Moses. Primo exponit studiũ & conatũ eorũ qui ædificare aggressi sunt ciuitatẽ & turrim Babel: & eius operis euẽtũ atq; exitũ. Deinde describit progeniẽ omnẽ Sẽ vsq; ad Abrahã, inter vtrũq; percensendo octo generationes. Quamquã si ipsum Sẽ atq; Abrahã cõprehendere velis, decẽ generationes pleriq; faciunt, numerari oportet, has videlicet, Sẽ, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reu, Sarug, Nachor, Thare, & Abram. Tertio loco agit de ortu Abrahæ de cõiugio eius, & de migratione ex Chaldęa in Mesopotamiã. Docet enim ortũ esse Abrahã anno septuagesimo patris sui Thare: duxisse vxorẽ Sarã, alio nomine appellatam Ieschã, quę filia erat Arã fratris sui Abrahę: derelicta verò Vr Chaldęorũ, venisse eũ in vrbem Arã Mesopotamię extremã, vna cũ vxore sua, & patre & Lot filio Arã fratris sui.

QVANTVM ad primam huius capitis partẽ quę est de ædificatione turris & cõfusione linguarũ, sciẽdũ est Mosem eã rẽ breuissimè quidem, sed admodũm distinctè & expressè narrasse, declaratis nẽpe quinq; eius rei circunstantiis

tātūs, ideſt, qui fuerint illi homines qui opꝰ ille facere voluerūt: qua materia vſi ſint ad effectionē eius operis quod nam fuerit opus & quantū ex cōſilio & mente eorū eſſe debebat ad quē finem illud opus facere voluerint: deniq; quomodo eorū audaciam & ſuperbiā Deus punierit per confuſionē linguarū, & diſperſionem eorum in diuerſas mundi partes: cuius tā memorabilis rei perpetuū deinde indiciū & monimentū māſit, eius loci nomē Babel, ſignificans confuſionē. Quoniam autem ſupra c. 10. volēs docere Moſes à tribus filiis Noë multiplicatū eſſe omne genus hominū, dixit ex illis tribus Noë filiis ꝓfectā eſſe omnem hominū diuiſionē ſecūdum varias gentes, nationes, linguas ac regiones, quæ quidē diuiſio proculdubio facta eſt poſt ædificationē turris Babel & cōfuſionē linguarū: idcireō rectè monent Auguſt. lib. 16 de Ciuit. Dei c. 4. & Rup. lib. 4. Comment. in Gen. c. 41. quæ narrantur hoc 11. c. dē cōfuſione linguarum & diſperſione hominum commemorata hic eſſe per recapitulationē. Redit enim Moſes ad id quod ſupra ſignificauerat de diuiſione hominū ſecundum varias linguas & regiones, à prima repetēs originē cauſam eius diuiſionē, videlicet docens qua ex occaſione factum ſit, vt dum antea vna fuiſſet omniū hominū lingua, in tā multas deinde támque diſſonas diuiſa ſit. *Aug. Rupert.*

1 NOLO in præteritis relinquere duo quæ tradit Auctor Hiſtorię Scholaſticę ſuper libꝝ Gen. ſub finē c. 37. & initiū 38. ne forte lectori nū admodū intelligenti peritóque Sacrarū litterarū imponāt: & verò digna ea sūt correctione. Ait ille, quę narrātur hic à Moſe de ędificatione turris & cōfuſione linguarū, ea cōtigiſſe poſt obitū Noë, in quo ille manifeſto labitur errore Chronologiæ. ſiquidē Noë vixit poſt diluuiū annos trecētos quinquaginta: diuiſio autē linguarū facta eſt eo anno quo natꝰ eſt Phaleg, qui fuit vnus & centeſimus annus poſt diluuiū. Secundū Hebręos verò qui diuiſionē linguarū reiiciunt in extremū annū vitę Phaleg, qui fuit trecēteſimus quadrageſimus poſt diluuiū, ea linguarū diuiſio euenit decem annis ante mortem Noë: qua de re ſuperiori li. 10. diſputauimus. Quapropter iſti⁹ auctoris ſcītia nullo modo à falſitate excuſari poteſt. *Auctor Hiſtoriæ ſcholaſticæ refellitur.*

AIT præterea iste auctor, toto eo tẽpore quo vixit Noë, 2
progeniẽ trium filiorũ eius multiplicatam esse ad viginti quatuor millia virorũ, quorum omnium tres illi Noë filij, Sẽ, Cham, & Iaphet, principes ac duces erant. Ponam hic verba eius: *Narrat Philo Iudæus* (ait ille auctor) *vel vt alij volũt,) Gẽtilis Philosophus, in libro Quæstionum super Genesim, quod ex tribus filijs Noë adhuc ipso viuẽte, sunt nati viginti quatuor millia virorum, extra mulieres & paruulos habentes tres supra se duces quos prædiximus.* Sic ille. Verum nec Philo Iudæus tale quiddam ędidit vllo in libro, nec id verũ est aut verisimile. Etenim intra illos trecentos quinquaginta annos post diluuium, quibus vixit Noë, non viginti quatuor millia hominum, sed plus ducentas miriades hominũ extitisse credendum est. Nãque Abraham natus est extremo principatu Nini regis: in cuius regis exercitu & in eo quod Zoroaster rex Bactrianorũ aduersus Ninũ comparauerat, fuisse amplius vicies centena millia hominum auctor est Diodorus libro tertio. Et intra trecentos annos, ex vno Iacob gens Hebręa in Ægypto adeò propagata est, vt habuerit sexcẽta millia bellatorum, pręter paruulos, mulieres & senes, cùm, duce Mose, Ægyptum egressa est, Verũ hæc præfati, ad exponẽdã primã huius capitis partẽ in qua narratur ędificatio ciuitatis & turris, & cõfusio linguarũ aggrediamur.

Diodorus. Exod. 12.

Explanatio primæ Partis capitis vndecimi de ædificatione turris Babel, & confusione ac diuisione linguarum, continens Disputationes decem.

IN explanatione huius primæ partis capitis vndecimi decem disputationes diligenter tractandæ sunt, quibus explicatis, historia, quam ea de re scripsit Moses, omni illustrata obscuritate, enodataq; difficultate quęcumque ex verbis eius exoriri posset, plana & manifesta erit. Prima disputatio erit, qui fuerint illi homines qui ædificauerunt turrim Babel. Secunda, qua materia sint vsi ad faciendum illud opus. Tertia, quantæ magnitudinis opus illud facere voluerint, aut etiam fecerint. Quarta, quæ causæ mouerint eos homines ad illud ædificium construendũ. Quinta, quid sit illud quod narrat Moses, Deum descendisse ad videndum opus illud quod fiebat. Sexta, quia Moses Deum inducit loquentẽ cum aliis, quæritur qui fuerint illi quibuscum locutus est Deus, & quorum societatem & operam exegit ad

distur

disturbandum consilium & conatum illorum hominum. Septima Disputatio est de confusione linguarum, qua Deus tanquam conuenienti eorum culpæ supplicio, insanam eorum audaciam & superbiam punire volùit. Octaua disputatio, An lingua illa, quæ ab initio erat communis omnium hominum, fuerit Hebræa. Nona, Qualis fuerit illa confusio linguarum, & quemadmodum facta sit. Decima, de numero illarum linguarum, vtrum fuerint septuaginta duæ.

PRIMA DISPVTATIO.

Vtrum fuerint omnes homines qui tunc erant in terris, an aliqua tantùm eorum pars, qui conuenerunt ad ædificandum ciuitatem & turrim Babel. VERS. 1. & 2.

Super illis verbis Mosis. CAP. XI.

Erat autem labij terra vnius & sermonum eorundem. Cumque proficiscerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.

CAIETANVS negat fuisse omnes homines, qui conuenerunt ad ædificandam turrim. Nam supradicta verba Mosis exponens, ad hunc modum scribit: *Non intelligas vniuersum genus humanum profectum fuisse ab Oriente, & iuisse in regionem Sennaar: quia nec littera hoc sonat, nec rationi hoc consentaneum est: sed sensus litteræ est, quod perseuerãte vnà lingua in vniuersa terra, illi qui mouerunt se de Oriente, venerunt in vallem Sennaar.* Hæc Caietanus. Verùm contraria opinio longè probabilior est, quam nos ex supradictis verbis Mosis confirmabimus: quare necesse est ea verba per patres diligenter interpretari. *Caietanus.*

IN illis igitur verbis: *Erat omnis terra labij vnius*, est oratio dupliciter figurata: nam & *omnis terra* dictũ est pro, omnes homines qui erant in terris, & *labium* est positum pro sermone & oratione. Nam quia lingua & labiis sermo fingitur & formatur: idcirco lingua frequentissimè ponitur non solum apud Hebræos, sed apud Græcos etiam & Latinos pro sermone. Vocabulum autem labium siue labia, etiam creberrimè vsurpat Scriptura pro sermone: vnde est illud: *Fauus distillans labia tua*, quasi diceret, ex ore tuo melle dulcior fluit oratio: & de Iob scriptum est, non peccasse eum labiis suis, id est, in sermone, vel in iis quæ locutus fuerat: Moses quoque dixit se esse labiis incircuncisum, hoc est in dicendo inelegantem ac rudem. Illud verò quod subditur: *Et sermonum eorundem* expositio est eius quod *Can. 4. Iob 1. & 2. Exod 6.*

præcesserat *Labij vnius* mam fuisse vnum labium omnium hominum, significat omnes homines eadem lingua atque sermone esse vsos.

Caietanus. QVAMQVAM inter ista discrimen aliquod esse nonnulli volunt, 4
Non solum inquit, Caietanus (*omnes homines conuenichant in vnitate verborum, sed etiam in vnitate labij, hoc est, modo proferendi. Contingit enim Italos communicantes in verbis, differre in labijs, id est, modo pronuntiandi. Et simile est in Germanis, Hispanis, aliisque. Ad tollendam itaque omnem diuer-*
Auen-Ezra *sitatem, vtraque vnitas explicatur.* Sic Caietanus. Sed Auen-Ezra putat significari non tantum vnam & eandem fuisse omnibus linguam, sed quod in ea de omnibus rebus non diuersis sed eisdem vocibus omnes inter se locuti fuerint: quod hodie non fit: aliter enim docti, hoc est, significantius, quàm indocti loquuntur: tunc autem eadem phrasis, idem stylus, eademque verborum conformatio erat. Quænam verò fuerit illa vna lingua, vtrum Hebræa, necne, infra disputabitur. Septuaginta Interpretes locum hunc ita conuerterunt (Erat omnis terra labium vnum, & vox vna omnibus.)

E x his verbis Mosis elicitur prima ratio qua probatur eos qui 5
conuenerunt & conspirarunt in ædificationem turris, fuisse omnes homines ex omni videlicet gente quæcũque tunc in terris erat. Etenim Moses his verbis apertè declarat, qui conuenerunt in campum Sennaar, fuisse eos qui erant vnius labij & eorumdem sermonum, & quorum propter illam ædificationem turris, confusa sit lingua & variè multiplicata. sed omnes homines erant vnius linguæ, ergo omnes conuenerunt ad ædificationem illius turris. Nam si non omnes conueniissent, sed aliqui in aliis terræ locis remansissent: ergo cum iu illis qui ædificarunt turrim, confusa & diuisa est lingua, in iis qui nõ aderant sed alibi remanserant, eadem quæ prius erat, remansisset lingua. At eam linguam quæ prius vna fuerat omnium, post confusionem linguarum, in vna tantùm familia Heber mansisse, vnde etiam nomen accepit, nam Hebræa quasi Heberea dicta est, certa est Hebræorum sententia, etiam B. Augustino aliisque quàm plurimis Christianis doctoribus probata. Sed pergamus ad alia.

SEQVITVR illud in hac historia Mosis: *Cumque profisicerentur de Oriente, &c.* Orientem appellare hic videtur Moses Armeniam quę 6
magis Orientalis est quàm Babylonia vbi erat campus Sennaar. Cũque Arca Noë finito diluuio resederit in montibus Armeniæ: vt supra capite octauo dixit Moses, verisimile admodum fit in illis Armeniæ locis habitasse Noë ac filios eius, & posteros eorum per illos centum annos qui post diluuium fluxerunt ante ædificationem turris. Ex hac igitur Armeniæ regione, quæ Orientalis dicitur ratione ipsius Babyloniæ, homines illi profecti sunt.

SED cur inde profecti sunt? An pertæsi loca Armeniæ quæ sunt mõtosa, aspera & sterilia, quærẽtesque alias sedes cõmodiores, fertiliores, atque amæniores? An nimis iam per illos centum annos aucti numero & multiplicati, laxiorem & commodiorẽ desiderabant habitatio

bitatio nem? An potius affectantes maiorem potentiam, ampliorem-que ditionem atque opulentiam concupiscentes, vix enim vnquam homines sua sorte contenti sunt, nec rebus iam partis & præsentibus satiantur, sed alia semper & maiora cupiunt & consequi student, & vt concupiscendi, ita quærendi & habendi, nullus est finis.

8 AVDI morale documentum hoc loco traditum à Chrysostomo: nam exponens quod hic dicitur, homines non contentos regione Orientis, quæsisse alias sedes: *Vide*, inquit, *quoniam humanum genus nõ potest intra suos limites consistere, sed amplius semper concupiscens, maiora subinde appetit. Atque hoc est quod maximè hominem perdit, quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, semper maiora desiderans, & quæ supra conditionem suam & facultatem sunt votis concipiens. Hinc qui ad mũdana respiciunt opera, si quando multis abundauerint diuitijs & præpotentes fuerint, quasi obliti naturæ suæ, in tantum se fastigium efferri volũt, vt non raro vsque in profundum deijciantur. Et quanquam hoc vident quotidie contingere, ne hac tamen ratione emẽdatiores fiunt: aut si fiunt quidem aliqui eorum, tamen diuturna non est emendatio: sed eãdem capessunt viam, & in eadem præcipitia deferuntur. Hoc nobis ante oculos ponit historia hæc Mosis: namque homines ab initio non cõtenti locis quæ circa Orientem perdiu inhabitauerãt, alias sedes quærere, & maiora in dies moliri conati sunt, quãobrem grauissimis illi malis & calamitatis afflictati sunt.*

Morale documentũ Chrysostomi hom. 30.

9 TOSTATVS hoc loco citat Auen-Ezram aientem inter illos homines qui profecti dicuntur esse ab Oriente, fuisse Noë & Abraham. Ac de Noë quidem, quantum ad rationem temporis, verum id quidem esse potest. Si quidem quod hic narratur, centum annis post diluuium contigit: Noë autem trecentos quinquaginta annos vixit post diluuium, potuit igitur Noë vnus esse ex iis qui profecti sunt ex Oriente: quanquam ipse alio animo alioque consilio profectionem illam susceperit quàm plerique alij. Illud certè nullo modo credendum est, fuisse Noë in iis qui ædificarunt turrim Babel: quippe cum tale illorum hominem studium, inceptum, & conatum non obscure improbet Scriptura, & à Deo minime leui pœna punitum esse doceat.

Tostatus. Auen-Esra. Vtrum inter eos qui ex Oriente venerunt in campũ Sennaar, fuerint Noë & Abrahã.

10 ABRAHAM porro, ait Tostatus, nullo modo inter illos homines esse potuisse: quippe qui natus sit centum & nonaginta annis post confusionem linguarum, hanc enim centum annis post diluuium accidisse creditur: cum Abraham natus sit anno post diluuium ducentesimo nonagesimo secundo. Verùm Tostatus non animaduertit Auen-Esram locutum esse illud ex sententia Hebræorum, qui diuisionem linguarum referunt in vltimum annum Phaleg. qui fuit trecentesimus quadragesimus post diluuium, & quadragesimus octauus ætatis Abrahæ

FVISSE autem Noë ac filios eius, principes & duces eorum qui profecti ex Oriente venerunt in campum Sennaar, firmare possum Iosephi testimonio qui hoc modo scribit: *Tres Noë filij, Sem, Cham &*

Iosephus lib. 1. Antiquitatum.

Iaphet centum annos ante diluuium nati, primi omnium relictis montibus planitiem habitare cœperunt: & alijs recenti etiam tum cladis memoria pauidis, nec audientibus á celsiore loco descendere idem faciendi auctores & exemplum fuere. campum autem primum colere sunt aggressi, nomen est Sennaar. Sic ille. Ex hoc autem etiam loco argumentari possumus, eos qui conuenerunt in campum Sennaar ad ædificandam turrim fuisse omnes homines qui id temporis in terris erant. Etenim Moses non ait hos vel illos homines esse profectos ex Oriente, sed præcise ac simpliciter ait profectos esse homines ex Oriente: non obscurè significans omnes qui tunc erant: illos nempe intelligi volens ex Oriente profectos, quos proximè commemorauerat fuisse labij vnius eiusdemque sermonis, tales autem erant omnes homines, dixerat enim omnem terram fuisse tunc vnius labij & eorundem sermonum.

Philonis Allegorica expositio. Oriētis.

PHILO hunc locum Mosis Allegoricè tractat in eo libro quem de confusione linguarum edidit. Cuius ego Allegoricã simul & moralem, nec sanè inelegantem orationem, tacitam prætetire nolui. Sic ille scribit. *Narrat Moses homines illo ab Oriente profectos esse: id iuxta natura dictum est. Sunt enim in anima duæ species Orientis, altera melior, altera deterior: melior, quando Solarium modo radiorum in ea splendor virtutum exoritur: deterior quãdo his obscuratis, lucent alia. Prioris exemplum est hoc: Et plantauit Deus Paradisum in Edem contra Orientem: non quidem stirpium tãtummodo terrestrium, sed cœlestium maximè virtutum, quas à suo incorporeo lumine nunquam extinguendas plantator ille accendit. Quidam etiam alius dixit: Ecce homo cui nomine Oriens. Noua appellatio, si intelligatur de homine qui constat ex animo & corpore: si autem de illa incorporea Deiũ referente imagine intelligatur, fateberis, nomen hoc inditum aptissimè. Hunc enim omnium antiquissimum Filium, Deus Pater exoriri voluit, quem alibi primogenitum nominat. Hic Patrem suum imitatus, qualia vidit apud eum exemplaria, tales & ipse formauit species.*

Duplex Oriens.

Genes. 2.

Zachar. 6.

Notabilis sẽtentia Philonis de Filio Dei.

DETERIORIS *autem Orientis exemplũ extat de illo, qui volebat benedictum à Deo populum execrari. Nam & ille ad Orientem habitasse dicitur. Sed hic Oriens quamuis commune cum priori nomen habet, re tamen ipsa diuersissimus est.* E *Mesopotamia*, inquit, *acciuit me Balac, è montibus Orientis, dicens, veni vt execreris quem Deus non execratur. Interpretatur autem Balac, amẽs: nec immeritò, qui sperabat se posse decipere illum, Qui est, & certam eius sententiam, humanis argutijs eludere atque irritam facere. Ideo Mesopotamiam habitat, mentem scilicet habens quasi submersam in mediis duorum, erroris & improbitatis fluminum, nec enatare atque emergere valentem. Talis autem affectus, vt exortus insipientiæ est, sic est bonæ mentis occasus. Proinde homines illi quorum narratur consona dissonantia, profecti ab Oriente dicuntur. Sed vtrum ab Oriente vitiorum? nimirum eos qui à virtutis Oriente proficiscuntur, disiungi legimus: at vitijs pariter obnoxiorum vnius motus est: quemadmodum manus non seorsum suis artubus, sed qua cum toto corpore cohærent, vna mouentur: nam insipientia maris dux est ad opera*

Numer. c. 33

non

non naturalia, quæ regio vitiorum est. Hactenus ex Philone.

13 Sed perpendamus verba illa: quæ sequuntur. *Inuenerunt Campum in terra Senaar, & habitauerunt in eo.* Scilicet eo loco valde illi quidem delectati sunt, quòd esset planus, apertus, atque ampliſſimè quoquo versus patens, necnon & irriguus interfluo Euphrate, & ob eam causam fertilis ac peramœnus. De hoc Campo Sennaar ita scribit Ioſephus: *De loco qui Sennaar in Babylonia nominatur, meminit Hæstiæus hoc modo: Aiunt Sacerdotes cladis eius (Diluuij) superstites Enyelij Iouis* (Hieronymus Gemelium Iouem vocat) *sacra ferentes in Sennaar Babyloniæ peruenisse.* Epiphanius sub initium eius operis quod scripsit aduersus hæreses, historiam huius loci attingens ita ait: *Cum homines se extenderent & vltra procederent à monte Lubar ac finibus Armeniæ, hoc est, à regione Ararat, consistunt in campo Sennaar quem sibi delegerant. Situs est autem campus Sennaar nunc in regione Persica quæ olim erat Assyria.* Sic Epiphanius: qui non aliud significat his verbis quam terram Sennaar, quæ olim fuerat inditione & sub dominatione Assyriorum, fuisse ætate sua sub ditione Persarum.

Ioſephus. lib. 1. Antiquitatum.

Hieron. in li. de Locis Hebraicis.

Epiphan.

14 Nec verò putandum est, campum illum fuisse anteà nominatum Sennaar, namque id temporis nullus hominum venerat in eum locum vt eiusmodi nomen imponere ei potuerit: sed posteà eo vocabolo campus ille appellatus est, videlicet ab euentu campus ille congruo nomine (vt ait Rupertus) significatus est. Interpretatur, enim Sennaar excussio dentium, ideſt, sermonum siue verborum, quæ sine dentibus non fiunt: plurimum namque dentes iuuant ad loquendum: qui tunc illi quodam modo excussi sunt, quando solitam loquendi facultatem dentati, ideſt, superbi vel fortes illi perdiderunt. Interpretatur quoque hoc nomen, & rectè dicitur, fœtor eorum: quia videlicet fœtorem superbiæ tali ausu & conatu vsque ad nares Dei emiserunt. Cui, sicut humilitas, vel spiritus contribulatus sacrificium est, in odorem suauitatis: sic è contrario, superbia fœtor horribilis est.

Rupert. Commentarium in Gen. li. 4. cap. 41. Origo nominis Sennaar.

Pſal. 50.

15 Ex illis portò verbis quæ sequuntur, *Inuenerunt campum Sennaar, & habitauerunt in eo*, licet coniicere eos homines tunc primum inuenisse loca campestria, & ad habitandum commoda propter fertilitatem & amœnitatem, & aquarum copiam: quocirca ibi substitisse, & constructis multifariam sparsis domiciliis, aliquandiu habitasse, postea verò cogitasse ac deliberasse, scilicet maioris commoditatis & securitatis, necnon & celebrioris famæ causa, magnam & munitam ciuitatem turrimque mirandæ celsitudinis ædificare. Non igitur statim vt in campum illum venerunt, turrim & ciuitatem ædificare aggressi sunt, sed postquam aliquandiu in eo campo habitassent.

16 Philo perpendens supradicta verba, & ad Allegoricam expositionem, vt pleraque solet: accommodans, ita scribit: *Hic obserua quod non ait eos veniſſe in campum in quo manserunt, sed inuenisse campum, scilicet*

Philonis Allegorica expositio.

scilicet cupidè & curiosè ab eis quæsitum, vtique postquam diu perierunt vbi esset locus ad suam insaniã commodissimus. Ita est profectò. Insipiẽs non aliunde accipit, sed ipse sibi quærendo mala inuenit, non contentus ijs per quæ misera natura vitro incedit, sed cumulans ea malis artibus & exercitijs. Atque vtinam paulum ibi commoratus migraret alio: at ipse habitare ibi gaudet. Dicit enim scriptura, quod inuento cãpo habitarunt in eo scilicet tanquam in patria, non autem tanquam inquilini regionis externæ. Leuius enim malum fuisset, si postquam in peccata inciderant, pro alienis ea peregrinisq; habuissent, non pro cognatis & domesticis. Peregrini enim potuissent discedere, sedibus autem semel electis, immorandum fuit posteà.

Sapientes tractant se vt inquilinos huius mundi, insipientes verò tanquam cives.

QVAPROPTER, *apud Mosem sapientes homines inducuntur peregrini: namque horum animæ è cœlo quasi in coloniã missæ sunt viuendi ac discendi gratia, vel ut peregrinationem in terrenam naturam suscipientes. Vbi autem hospitio corporis vsæ, sensibilia & mortalia omnia contemplatæ sunt, retro vnde venerant redeunt, memores cœlum sibi ciuitatem ac patriam, in his verò terræ finitimis, vti se tantùm hospitio. Cæteris enim colonis nouæ sedes veteris patriæ desiderium adimunt: sed hæc cœlestis patria reditum suorum expectat, & ipsi quàm primum redire eo gestiũt. Itaque merito Abraham qui*

Genes. 23. *mortuam vxorem sepulchrumq; reliquit, mortuorum custodes, & mortalium rerum dispensatores sic alloquitur: Aduena ego sum & peregrinus inter vos,*

Genes. 47. *quasi diceret, vos indigenæ estis, qui cinerem & puluerẽ pluris facitis quàm animam: quippe qui principẽ vobis præfecistis Ephron, quod nomen puluerem significat. Iacob etiam se peregrinum appellauit dicens: Dies annorum meorũ quibus peregrinatus sum in terra, pauci & mali, nec peruenerunt ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt in terra.* Hactenus ex Philone.

ERGO filij & nepotes Noë, eorumq; posteri ingenti metu diluuij iam defuncti non statim è montibus in campos descenderunt: 17
sed montana aliquandiu habitantes, postea humiliora & planiora loca petierunt. Sed primò ad radices montium locarunt sedes, tandem decrescente in dies metu, commodiorumque atque amœniorum locorum cupidine crescente, campestria maximè loca quæsierunt. Scribit Plato paucos homines diluuio superstites fuisse: triàque apud homines post diluuium vitæ atque habitationis genera esse instituta. Primò enim habitasse homines putat in ipsis montium cacuminibus, quòd aquas adhuc formidarent quæ in campis abundare solent: vitámque eos degisse agrestem, & simplicem, minimeq; inuicem infestam, huius autem vitæ exemplum Plato ait adumbratum esse ab Homero, vbi Cyclopum vitam, mores, ac sedes in montium antris ac speluncis, describit. Alterum genus vitæ fuit illorum qui in montium radicibus sedes locabant, cùm iam campi arescere cœpissent. Huius secundæ societatis hominum & habitationis exemplum profert ex Homero Dardanum qui Dardaniam condidit, cùm homines in magnis habitarent vallibus Idæ. Tertium vitæ genus fuit, cum iam relictis montibus atque eorum radicibus & vallibus, in planos & patentes campos venire, & ibi secure habitare non dubitarunt.

Plato lib. 3. de legibus facit tria genera habitationes hominum post diluuiũ.

Homerus.

ſarunt. Huius exemplum ponit Plato Ilum, quem Ilij conditorem tradunt: vnde conſentaneum fuit illum in medio campo ſepultum eſſe, vt ait Homerus, quoniam Primus in campis habitare auſus fuerat.

SECVNDA DISPVTATIO.

De materia ex qua ciuitas & turris Babel ædificata ſunt.

Super illis Verbis:

Venite faciamus lateres & coquamus eos igni: habuerũtq; lateres pro ſaxis & bitumen pro cæmento. Gen. cap. 11. VERS. 13

POSQVAM aliquandiu in caſis, ſparſisq; domiciliis habitauerant, inceſſit eos homines ambitioſa quædam & veſana cupido aggrediendi & perficiẽdi magna quædam opera, & in omne poſteritatis æuum famoſa id eſt, amplißimam cõſtruendi ciuitatem & incredibilis turrim altitudinis excitandi. His autem verbis ſignificatur materia qua vſi ſunt ad conſtruendum illud ædificiũ: vſi enim ſunt lateribus coctis igni, loco ſaxorum vel lapidum, & bitumine, vice calcis vel luti.

18

SED cur vſi ſunt lateribus? Quatuor cauſæ afferri poſſunt. Prima cauſa fuit penuria ſaxorum in cãpo Sennaar: nam cum ſit terra campeſtris & plana non abundat ſaxis: neque enim omnis fert omnia tellus. Audi Vitruuium: De ipſo, inquit, muro è qua materia ſtruatur aut perficiatur, ideo non eſt præfiniendum, quod non in omnibus locis, quas optamus copias, eas poſſumus habere. Sed vbi ſunt ſaxa quadrata, ſiue ſilex, ſiue cæmentum, aut coctus later ſiue crudus, his erit vtendum. Non enim vt Babylone abundantes liquido bitumine, pro calce & arena ex latere cocto factum habent murum, ſic item poſſunt omnes regiones ſeu locorum proprietates, habere tantas eiuſdem generis vtilitates, vt ex his comparationibus ad æternitatem perfectus habeatur ſine vitio motus.

Quatuor cauſa cur ex lateribus ædificata ſit turris Babel. Vitruuius lib. 1. cap. 5.

ALTERA cauſa fuit commoditas faciendi plurimos & optimos lateres. Quod autem genus laterum maximè idoneum ſit ædificiis, breuiter indicat Plinius illis verbis: *Lateres non ſunt è ſabuloſo neque arenoſo, multoq; minus calculoſo ducẽdi ſolo, ſed è cretoſo & albicante aut ex rubrica: vel ſi iam ex ſabuloſo, maſculo certe, finguntur optime. Vere. nam Solſtitio non ſunt. Ædificijs non niſi binos probant.* Sic Plinius. Eadem fermè ad verbum de lateribus diſputat Vitruuius, vt ex Vitruuio ſumpſiſſe

Plin. lib. 35 cap. 14

19

Vitruuius li. 2. cap. 3.

Plinium non temere existimare queat. Quoniam igitur terra Babyloniæ talis est, quali opus est ad fingendos optimos lateres, idcirco ædificatores illi meritò vsi sunt lateribus.

Firmitudo lateritia structura.

TERTIA causa fuit, quò solidius & firmius ac diuturnius esset 20
ædificium. Lateritia enim structura si rectè facta sit, incredibilem habet diuturnitatem, & ad æternitatem quodāmodo perdurat. Struebant (inquit Iosephus lib. 1. Antiquit.) coctis laterib. ad firmitatem bitumine ferruminatis. Audi Plinium: *Græci*, ait *præterquam vbi è silice fieri poterat structura parietes lateritios prætulere. Sunt enim æterni, si ad perpendiculum fiant: ideo & in publica opera, & in regias domos adduntur. Sic exiruxere murum Athenis, qui ad mōtem Hymettiū spectat? Sic Patris ædes Iouis & Herculis quamuis lapideas columnas & epistylia circumdarent.*

Plin. lib. 35. cap. 14.

Plinius lib. 7 cap. 56.

Idem Plinius alio loco, Epigenis grauissimi auctoris testimonio firmat, apud Babylonios septingentorum viginti annorum obseruationes syderum, coctilibus laterculis inscriptas conseruatas esse.

TQVARTA causa à nonnullis illas traditur, eos homines auditione & traditione maiorum cognouisse, sicut antea fuerat generale 21
excidium orbis per aquam, ita fore aliquando generalem totius orbis cladem per ignem: & sicut aduersus diluuij exitium saluti hominibus fuerat arca lignea, ita putasse aduersus illud incendium remedio & præsidio esse posse maximum aliquod & altissimum ædificium lateritium, siquidem lateres cùm decocti sunt, validissimè resistunt igni: lapides verò igne soluuntur in calcem.

Quid hoc loco vox Cæmenti significet.

SED quid sibi vult illud: *Et bitumen habuerunt pro cæmento?* Certe 22
vox cæmenti, si ea propriè sumatur, significat rudem materiam ex qua conficiūtur ædificia, vti sunt lapides nulla arte ad ædificium accommodati, nec politi, quales inueniuntur temere congesti. Cæmenta, inquit quodam loco Liuius, calce durata non erant, sed luto tantùm intellita. Sed hoc loco nomen cæmenti positum est pro glutine quo materia structuræ, siue lapides fuerint siue lateres conglutinatur & cohæresci, quo tenacior & firmior sit, vt est, calx, lutum, argilla, vel creta, denique etiam bitumen. Pro bitumine Hebraicè est (Chomer) quam vocem quidam interpretati sunt argillam, vt habet versio Vatabli: vel lutum, vt expressit Pagninus; aut cretam vel rubrum bitumen quod fit ex calce & puluere latetum, vnde etiam rubrum colorem accipit, id quod placet Oleastro. Septuaginta Interpretes reddiderunt Græcè ἄσφαλτον, id est, bitumen, quos Latinus interpres secutus est.

Liuius

Dioder. Tarsensis refellitur.

DIODORVS Tarsensis magister S. Chrysostomi, qui cùm in alios 23
diuinæ scripturæ libros tum etiam in Pentateuchum Mosis edidit Commentarios, qui etiam si interciderunt in Catena, tamen nonnulla ex illis Commentariis deprompta commemoratur, hoc loco scriptum reliquisse traditur, Hebræam & Syram vocē in hoc loco, non significare bitumen sed calcem, idq; longè probabilius esse, propter ea quod bitumen non sit idoneum ædificiis, calx verò maximè sit accom

accommodata. Verum nec vox Hebraica, neque Chaldaica quæ est hoc loco significat calcem, sed bitumen vel lutum.

QVO CIRCA Theodoretus, tacito Diodori nomine, sententiam eius egregie refellit, ante quinquagesimam nonam quæstionem in Genesim ita scribens: *Dixerunt quidam è magistris bitumen esse calcẽ viuam, igoranteſque (vt verisimile est) fontes bitumnis in Assyria existentes, putauerunt ex calce viua turrem ædificatam esse. Ego verò diligẽter didici ab ijs qui illinc veniunt, esse illic fontes qui hanc materiam cum aqua effundũt: & in ædificijs construendis & compingendis coctilem lateram cõponant: & hoc pacto turrim illam ædificatam esse aiunt. Namque ipsi qui mihi hæc narrabant non tantum spectasse turrim contẽti, etiam particulam aliquam effrigentes reperisse se dixerunt bitumen ex coctilibus lateribus substratum. Addebant præterea illi, magnam in eo loco penuriam esse lapidum, & idcirco ædificantes vti lateribus pro lapidibus. Atqui sine lapidibue, quomodo calx viua confici possit?* Sic Theodoretus *Theodoretus.*

24 ERGO rectè Latinus interpres vocem Hebræam conuertit Latinè bitumen: sic enim verterunt etiam Septuaginta Interpretes: & cum terra illa Sennaar, quæ postea fuit Babylonia, magnã & peremnem suppeditet copiam bituminis, quod optimum sit maximéque accommodatum ædificiis, cumque propter hanc causam certum sit Semiramidem cocto latere & bitumine Babylonem vrbem incredibili magnitudine ac magnificentia ædificasse, profecto credibile admodum est primos illos ædificatores ciuitatis Babylonis & turris Babel eadem vsos esse materia,

25 QVOD dixi de copia bituminis Babylonici & vsu eius in ædificiis, testem eius rei laudare possum Strabonem, cuius hæc sunt verba: *In Babylonia bitumen multum nascitur, cuius duplex genus est auctore Eratosthene, liquidum, & aridum. Liquidum vocant Naphtam, in Susiano agro nascens, aridum verò quod etiam congelascere potest, in Babylonio fonte propinquo Naphtæ. Ex hoc Arido bitumine glebæ maximè concrescunt, perquam idoneæ ædificijs, quæ ex coctilibus lateribus fiunt:* Ita Strabo: cum quo etiam Vitruuius consentit: *Babylone*, inquit, *lacus est amplissima magnitudine, habens supra natans liquidum bitumen: quo bitumine & latere testaceo structum murum Semiramis Babyloni circumdedit.* Idem testatur Diodorus libro 3. cap. 4. *Strabo lib. 16. Vitruuius li. 8. cap. 3. Diodorus.*

MOSES porrò scribens illos ædificatores turris habuisse lapides pro saxis, & bitumen pro cæmento, significat talis materiæ vsum in ædificiis non fuisse suo tempore, sed ex lapidibus & calce vel luto. Quamquam ipsemet scripsit in libro Exodi cap. 1. & 5. Ægyptios in ædificiis construendis luto & lateribus esse vsos. Sed fortasse in ædificiis publicis & regiis vtebantur illis non autem promiscuè in quibuslibet, vt in priuatis & vulgaribus: namque id etiam Plinius indicauit. *An tempore Mosis vsus est later in ædificijs. Plin. lib. 35 cap. 14.*

26 SVPERIORA huius capitis verba quæ adhuc expossuimus, ad mysticam intelligentiam pulchrè accommodans B. Gregorius non-

nulla tradit vtilia disciplinæ ac vitæ spirituali monita ac documenta: docens eos qui abiecta cura studioque rerum cœlestium totos dederunt se amandis & consectandis bonis terrenis, summum bonum incomparanda præsentis vitæ fælicitate collocantes, persimiles esse eorum qui est Oriente profecti & in campum Sennaar venientes, lateribus & bitumine altissimam ædificare turrim conati sunt. Ponam hic verba Gregorij ex Commentario eius in quartum Psalmum Pœnitentialem excerpta. Exponens enim penultimum illius Psalmi versiculum, *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hierusalem*, ad hunc modum scribit: *vnusquisque hominum aut Hierusalem aut Babylonis ciuis est. Sicut enim per amorem Dei sanctus quisque Hierusalem ciuis efficitur: ita per amorem seculi omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur. Ad construendum autem spiritualis Babyloniæ ædificium peruersi omnes exemplum illius antiquæ Babel imitantur. Cuius ciuitates vt inquit Scriptura, auctores pro saxis lateres, & pro cæmento bitumen habuerunt. Per quod intelligitur mundi amatores carnalis vitæ construere municipium quod ad vim ventorũ & impetus fluuiorum facili impulsu velociter sit subruendum. Legimus porrò venisse homines illos ex Oriente, & in cãpo Sennaar habitasse: cum autem Christum Propheta quidam appellauerit Orientem dicens, Ecce vir Oriens nomẽ eius: constat de Oriente venisse, qui à Christo male viuendo recesserunt. Sennaar autem interpretatur excussio dentium siue fœtor eorum. In campo igitur Sennaar habitant qui posiii non in celsitudine virtuum sed in planitie vitiorum, & detractionũ morsibus proximos lacerant, & in otiosæ vitæ volutabro iacentes infamiæ suæ circumquaque fœtorem exhalant: Quorum dentes tum Deus excutit, cum illorum facta simul & verba confundit: de eo quippe scriptum est, dentes peccatorum contriuisti, & iterum: Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Nam de fœtore eorum per alium prophetam scriptum est, computruerunt iumenta in stercore suo. Computrescere iumenta, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Merito autem qui in Sennaar habitant de lateribus ciuitatem ædificant: quia qui voluptatibus carnis inseruiunt de fragili, materia mentis mutationem attollunt. Qui autem carnalis vitæ abdicatis illecebris per operæ sanctitatis virtutum in se ipsis sanctificationem ædificant, hi profecto lateres in lapides mutant: qui cum Isaia possunt dicere: lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. lateribus quippe cadentibus ille ædificat lapidibus quadris, quicunque carnis lasciuiam disciplinæ strictioris rigore castigat: qui membrorum legem, mentis lege superat: qui corporis fortitudinem, spiritus virtute commutat. Quisquis igitur infirmam carnis fortitudinem, in virile spiritus robur excitat, quasi lateres in saxa quibus muri Hierusalem ædificentur, commutat.* Sic Gregorius.

Zachar. 16.

Psalm. 57.

Ioelis. 1.

Esaie. 7.

TER

TERTIA DISPVTATIO.

Quantæ magnitudinis ædificium homines illi extruere voluerint, aut etiam extruxerint.

Super illis verbis.

Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim cuius culmen pertingat ad cœlum. Genes. ca. 11. VERS. 4.

27 ILLVD, *Venite*, Hebraismus est: apud Hebræos enim veni & venite, eandem vim & elegantiam habent atque apud Latinos Eia, & Age vel Agite: sunt enim cohortantis. Principem autem atque ducem istius cohortationis & incitationis fuisse Nemrod famosum illum gigantem, de quo superiori libro decimo quarto disputauimus, affirmat Iosephus. *Hanc superbiam*, inquit ille, *Deique contemptum excitauit in illis hominibus Nemrod nepos Cham filij Noe, vir audax, & manu promptus, subinde iactans non Deo sed suæ virtuti felicitatem eos debere atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahens, ratus forte vt homines ad se deficerent, si se illis ducem præberet.* Posthæc subdit Iosephus, Nemrod auctorem fuisse illis hominibus ædificandi turrim celsissimam: sed verba eius paulò infra, cùm tractabimus quartam disputationem, commemoraturi sumus. Iosephus. lib. 1. Antiquit. Nemrod.

28 EADEM est Sancti Augustini sententia. Is enim loquens de prima ædificatione Babylonis, cui nomen illud accidit ex confusione linguarum quæ in eius constructione contigit, sic ait: *Vnde colligitur gigantem illum Nemrod fuisse illius ciuitatis conditorem: qui propterea dictus est venator contra Dominũ, quòd erigere voluit cũ suis popularibus turrẽ contra Dominum, qua est impia significata superbia.* Sic Augustinus. Ergo Nemrod illius tam superbi & audacis consilij, conatus, & incœpti princeps & auctor fuit. Non rectè igitur id negauit Caietanus, qui locum hunc Mosis explanans: *Neque Nemrod*, inquit, *neque aliquem certum hominem auctorem fuisse illius fabricæ, declarat exhortatio & incitatio attributa vagè & indefinitè hominibus, vt intelligamus hinc, quod Nemrod ciuitatem Babyloniæ inchoatam communi voto & conatu, post cõfusionem linguarum ipse occupauerit, & ibidem regnare cœperit.* Vult igitur Caietanus Nemrod non fuisse auctorem cõdendę Babylonis, sed eius iam conditæ primum regnatorem: verum id contrarium esse Iosephi multorumque veterum sententiæ, superiori libro docuimus. Augustin. lib. de Ciuitate Dei, cap. 4. Genes. 10 Caietanus.

29 ILLVD autem quod hic dicitur, *Faciamus nobis turrim*, duplicem

intellectum habere potest: vel vt positum sit singulare pro plurali, id est, turrim pro turres: vel vt inter multas alias turres, vnam aliquam omnium celsissimam, tamquam illius vrbis Capitolium excitare voluerint: siue vna fuerit, turris, quam inter omnes præcipuam mohebantur, inquit Augustinus, siue multæ turres fuerint, quæ per numerum singularem significatæ sunt, quemadmodum dicitur miles & intelliguntur millia militum: vt rana & locusta, sic enim appellata est multitudo ranarum & locustarum quibus Ægyptij percussi sunt per Mosen. Ædificatio turrium in ciuitatibus facit ad earum ornatum simulque munimentum, necnon & ad ciuium oblectationem, qui ex illis longinquam loca quoquo versus prosectâtes, oculos atque animum iucundissimè pascunt. Diodorus Siculus prodidit Semiramidem quæ ducentis circiter annis post Nemrod, ædificauit Babylonem cùm extrueret Babilonem, turres in ea quinquaginta & ducêtas excitasse, quarum altitudo latitudoque magnificentiam æquaret murorum.

Augustinus proximè citato loco.

Exod. 8. Vsus turrium in ciuitatibus.

Caietanus.

Ex hoc loco non bene argumentatur Caietanus, non fuisse ibi vniuersum genus humanum. *Namque* inquit, *fuissent illi valde stulti cogitando & dicendo, Ædificemus nobis ciuitatem: sed vox ista illorum tantùm est, qui profecti ex Oriente venerunt ad habitandum in Campo Sennaar. Delectati enim planitie & forte amœnitate loci tractarunt de ædificatione ciuitatis propriæ.* Sic ille. Significat autem his verbis Caietanus eos qui conspirarunt ad ædificandam illam ciuitatem, non fuisse omnes homines qui tunc erant in terris, quia vna ciuitas omnium hominum capax esse non poterat. Sed ratio hæc infirma est. Cogitabant enim illi alias postea ædificare ciuitates: sed hanc vnam primo extruere voluerant amplissimam & munitissimam quæ esset velut metropolis aliarum, & quasi arx imperij & dominationis eorum. 30

Augustin.

Illvd porrò quod subditur: *Cuius culmen pertingat ad cœlum*, videtur Augustinus in libro Quæstionum in Genesim quæstione vigesima prima simpliciter, & vt verba sonant, intellexisse: nam tractans ea ipsa verba, sic ait: *Si se hoc posse erediderunt, nimium stulta audacia & impietas eorum deprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta secuta est, vt eorũ linguæ diuiderentur, non absurde id cogitasse eos credit potest.* Idem in li. 16. de Ciuitate Dei cap. 4. deridens illorum hominum amentiam, *Quid*, inquit, *factura erat humana & vana præsumptio? cuiuslibet enim & quantumlibet in cœlum aduersus Deum altitudinem molis extolleret, quando mõtes, transcenderet vniuersos? quando spatium nebulosi aëris euaderet? quid denique noceret Deo quantacunque vel spiritalis, vel corporalis elatio?* 31

Philo.

Philo In exordio eius libri quem scripsit de confusione linguarum, commemorat Ethnicorum sapientium calumniam quandam aduersus hanc historiam Mosis. *Quibus*, inquit Philo, *maiorem nostrorum instituta displicent, homines impij, & tantum ad iustas leges accusandas diserti, arreptis impietatis ansis historiam hanc Mosis de ædificatione turris ita cauillantur, nosque, deridentes: etiamnum extollitis, inquiunt, præcepta* 32

præcepta vestra, vt veritatis regulas? Ecce sacri quos vocatis libri fabulas continent, qualis vos, alijs referentibus, irridere soletis. Hæc enim historia de ædificatione turris vsque ad cœlum, persimilis est fabulæ gigantum, quos Homerus narrat conatos esse tres maximos montes, Pelion, Ossam, & Olympum alium super alium imponere, sperantes hac se via ascensuros in cœlum, & inde Iouem deturbaturos. Similiter legislator noster Moses inducit turrim exstructam ad eius seculi hominibus: qui propter dementiam & immanem animum conati sunt cœlum attingere, consilio sanè stultissimo. Nam etiam si vniuersæ terræ partes superstruerentur fundamento modico, vt in vnius colũnæ formam attolerentur, longissimo tamen interuallo distarent à sphæra æthereа: præsertim iuxta opinionem Philosophorum, terram esse centrum Mundi
33 *asseuerantium, atque hæc quidem erat illorum hominum calumnia.*

Calumnia Gentiliũ aduersus historiã Mosis de ædificatione turris Babel, vt refert Philo.

Homerus.

PHILO quò eam calumniam depelleret, primùm negat verba Mosis quibus hæc narrat, propriè esse accipienda, sed figuratè, & ad intellectum allegoricum esse conferenda. *Neque enim*, inquit, *pars vlla terræ potest cœlum attingere, quia nullum centrum tangit suam circumferentiam: terra verò centrum est cœli. Deinde quoniam æther sacratus ignis, flamma est inextinguibilis: testis est Sol ignium quasi rex cœlestium: qui ex tanto interuallo intima terra penetrat suis radijs: nec tantùm hanc sed & aërem, qui ad cœlestem vsque orbem ab ea pertinet, licet suapte natura frigidum, partim tepefacit, partim exurit. Nam quæcumque aut multum distant ab eius orbita, aut ad latus alterutrum declinant, tepefacit tantùm: quæcumque verò propinqua sunt, aut directè opposita, maiore vi caloris pereunt. Quæ cùm ita se habeant, non erat opus vllis fulminibus contra conantes ascendere in cœlum, cum per se ausus illorum tam magnificos euanescere necesse fuerit.*

APERIENS igitur Philo Allegoricum eius historiæ intellectum,
34 quam ipse putat veram atque germanam Mosis esse sententiam: *Duæ* (ait ille) *ciuitatis sunt species, vna melior, altera deterior. Melior, est in qua sub populari administratione ciues æquo iure viuunt, legibus principatum obtinentibus: hæc ad laudem Dei pertinet. Deterior autem & adulterina est, in qua penes vulgum est regimen, & inæqualitas est in pretio, præsidente iniustitia atque impietate. In prioris ciuitatis ius adscribuntur probi & pij: in posterioris autem ignauorum multitudo perturbationem magis quàm ordinem, & confusionem magis quàm bene distinctam & temperatam gubernationem diligens. Insipiens igitur ad male agendam socios conuocat non contentos peccatis proprijs: hortaturq; ad nauandum sibi operam nunc visum, nunc auditum, ceteros q; sensus vt præsto sint, & pro viribus suum quisque ministerium accommodet. Accersit etiam & concitat cæteras affectuum qui suapte natura indomiti sunt.*

HOS itaque socios his verbis concitat: *Ædificemus nobis ciuitatẽ & ma-*
35 *gistratus eligamus nobis cõmodos, opulentiã, honores, voluptates, oxclusa iustitia, paupertatem & obscuritatem afferre secum solita: scribamus leges quæ faueant potentioribus, quorum vt reipublicæ vtiliorum, præcipua habenda est ratio. In primis turris extruatur, quæ superbiæ atque impietati sit pro*

arcæ

arce & regia: & fundata quidem sit in terra, sed caput etiam ad cœlũ erigat: vt non solum comparandis terrenis bonis inhiet, sed aduersus quoque cœlestia per impios & Deo infestos sermones sese erigat: dum aut cœli numẽ negat, aut prouidentiam eius, aut mundi conditi principium: vel si hunc creatum concedit, tamen causas eius incertas putat, affirmans eam nunc perperam nũc fortuito agitari, sicut naues aut quadrigas Circensium: quæ nunquam sine gubernatore aurigaq; feruntur cursu prospero. At prouidentia non interdum, sed humana sæpe: diuina, semper bonum habet euentum: nam error confessione omnium abest à diuina prouidentia. Sic Philo.

Vera depulsio calumniæ Gentilium.

SED non est necesse, quo calumniam illam euadamus, ad Philonis allegorias confugere. Itaque breuissimè respondemus, non ea 36
mente ac consilio homines illos ędificasse turrim, vt per illam ascendentes in cœlum, inde cum Deo belligerarent, quemadmodum de Gigantibus fabulati sunt poëtę: sed vt admirandum aliquod sui nominis monumentum, famámque apud omnes omniq; æuo celeberrimam relinquerent. Et hanc fuisse illis ædificandi causam, propriis eorum hominum verbis expressam sic exposuit Moses: *Et dixerunt, Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim cuius culmẽ pertingat ad cœlum: & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Illud porrò: *Cuius culmen pertingat ad cœlum*, nõ proprię accipiendũ est, insana enim fuisset eorum hominum cogitatio, nedum incœptum, aut etiam votum: sed hyperbolica est ratio, plus nempe significans quàm intelligi oporteat, uiusmodi orationes & in sacris & in prophanis litteris frequentes sunt. Ergo significatur illis verbis inusitata & incredibilis quædam illius ædificij altitudo.

Pugnam Gigantum cum dijs, ex hac Mosis historia originem habuisse, multis non temere creditũ est.

NON equidem inficior, mihi perquam credibile videri quod à 37
nonnullis proditum est, ex hac historia Mosis occasionem arripuisse poëtas fingendi prælium gigantum cum Diis tantopere ab ipsis celebratum. Dixerunt enim eos, quò ascensum sibi pararent in cœlum, vt inde tanquam ex castris cælum opugnarent, altissimos Thessaliæ montes, alios super alios imposuisse: quem eorum tam impium atque insanum conatum & infœlicem exitum, eleganter Ouidius illis versibus exposuit.

Ouidius Metaphor.

Affectasse ferunt regnum cœleste Gigantes,
Altaq; congestos struxisse ad sydera montes.
Tum pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossæ.

Ambros. Abiden. apud Euseb.

BEATVS quidem Ambrosius li. 3. de Fide: *Gigãtes*, inquit, *& vallẽ Titanum prophetici sermonis series non refugit.* Huius poëticæ fabulæ 38
non admodum dissimile est quod apud Eusebium lib 9. de Præparatione Euangelica c. 4. prodidit Abydenus his verbis: *Primos homines ferũ è terra natos, robore atque magnitudine confisos, Dijs spretis, turrim eo in loco vbi nũc Babylon est, ad Solem vsque tellere contendisse: cumq; iã ferè ad cœlũ ædificãdo peruenissent, magna ventorũ vi à dijs missa, diruta turrim super eos ipsos cecidisse: fuisseq; tunc inter Saturnũ & Titanũ incœptũ bellum.*

SED

39 SED videamus, licet homines illi diuinitus impediti fuerint ædificationem illius turris ad designatum animo & optatum fastigium perducere, inchoatum tamen opus quantæ magnitudinis & altitudinis reliquerint. Iosephus commemorans orationem qua Nemrod cohortatus est populares suos ad ædificandam turrim, ait promisisse illum turrim se ædificaturum celsiorem quàm quo aqua diluuij ascendere posset. Ex quo intelligitur cogitasse eos turrim attollere supra altitudinem diluuij: Diluuium autem quindecim cubitis transcendit altissimos terræ montes, quorum nonnulli vt libro duodecimo docuimus, altitudine ad perpendiculum sumpta, excedunt quatuor milliaria. Cogitabant igitur illi turrim ad altitudinem prope quinque milliarium excitare. Quantæ verò magnitudinis fuerit opus quod ab illis relictum est imperfectum, proximè indicat Iosephus subiungens. Cum ingens esset, inquit, operarum numerus, surgebat opus supra quàm sperauerant: Crassitudo enim erat tanta, vt proceritatem superaret.

Quanta altitudinis turrim facere voluerint aut etiã fecerint.

Ioseph. lib. 1. Antiquit. Genes. 8.

40 BEROSVS Annianus narrat Nemrod, quem ipse appellat Saturnum primum, vnà *cum filio suo Ioue Belo, & popularibus suis venisse in campũ Sennaar, ibique designasse vrbem, & fundasse maximã turrim, anno post diluuiũ centesimo trigesimo primo, regnasseq; annis quinquaginta sex: & deduxisse turrim ad altitudinẽ ac magnitudinem montium: vt ea monimentum esset posteris, primum in orbe terrarum esse populũ Babylonicum, & Regnum regnorum appellari debere: & illum quidem ædificasse turrim, sed eam tamen non compleuisse, neque designatã à se vrbem fundare potuisse.* Sic ille.

Berosus Annian. lib. 4.

41 MIRVM dictu magis quàm credibile est, illud quod à B. Hieronymo proditum est libro quinto Commentariorum in Esaiam in expositione illorum verborum capit. 14. *Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Babylonis nomen, &c.* Ait enim se accepisse ab iis, qui turrim illam propriis oculis curiosè spectauerãt, altitudinem eius turris quatuor millia tenere passuum. Hieronymi verba ita se habent: *Babylonem fuisse potentissimum, & in campestribus per quadrum sitam, & ab angulo vsque ad angulum muri sexdecim millia tenuisse passuũ, id est, simul per circuitum quadringenta octoginta stadia, refert Herodotus, & multi alij qui Græcas historias conscripserunt. Arx autem, id est, Capitolium illius vrbis, est turris illa quæ ædificata est post diluuium, quam in altitudine, quatuor millia dicũ tenere passuum, paulatim ex lato in angustias coarctata, vt pondus imminens: facilius à latioribus sustentetur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroq; fulgentes, & multa alia, quæ penè incredibilia videantur.* Sic B. Hieronymus.

Hieron. mira tradit de altitudine turris Babel.

Herodotus.

42 SED profecto verè dixit Beatus Hieronymus, ea quæ relata ad se fuerant, visa sibi esse penè incredibilia: sunt enim planè fabulosa & incredibilia. Neque enim turris illa vsque ad altitudinem quatuor milliarium, adiuncta congruenti crassitudine & amplitudine eius, simúlque profunditate fundamentorum, quo scilicet tantæ molis pondus sustineretur, vlla hominum opera aut fabricari, aut fabricata

Herodot. li. 1. tandiu consistere, ac perdurare potuisset. Herodotus quidem narrat fuisse sua etiam ætate Babylone, Iouis Beli templum æreis portis, duorum vndecumque stadiorum amplitudine, figura quadrata. In templi medio turris erat solida, crassitudine simul & altitudine stadij: cui alia rursus erat superimposita turris, & huic subinde alia ad octauam vsque. His forinsecus in circuitu erant scalæ adhibitæ, per quas ad singulas conscenderetur turres. In mediis gradibus ductus, sellæque erant in vsum ascendentium ad sedendum & requiescēdum factæ. In postrema turri sacellum erat habens lectum splendidè stratum, & appositum mensam auream, nulla tamen habens statuam.

Diodorus li. 3. cap. 4. Diodorus autem tradit in medio Babylonis templum fuisse Ioui Belo erectum à Semiramide tantæ magnitudinis, vt ob admirandam eius altitudinem constet à Chaldæis, tum Orientem tum Occidentem versus, astrorum in eo obseruationes esse factas.

Theodoretus. APPARET igitur ex supradictis verbis Diodori, Herodoti & Hieronymi, nec non & iis quæ refert Theodoretus in Quæstionibus in Genesim, ante quæstionem quinquagesimam nonam, vsque ad tempora B. Hieronymi & Theodoreti monumentum illius admirandæ turris apud Babylonios permansisse. Illud tamen neque ex sacris literis, neque ex fideli & probabili maiorum traditione, neque ex auctoribus, qui aliquid fide dignum tradant, exploratum & compertum est, ad quantam ædificium illius turris altitudinem perductum ab illis hominibus fuerit. 43

QVARTA DISPVTATIO.

Quo consilio, & ad quem finem homines illi tantæ molis ciuitatem, tantæque altitudinis turrim exædificare voluerint.

Super illis verbis Mosis:

Genes. ca. 11. VERS. 4. *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.*

Sex causæ ædificandi turrim Babel.

Histor. Scholastica.

Lyranus.

QVAS quibus homines illi ad tantum opus moliendum adducti fuerint, sex quidem à variis auctoribus expositas reperio: quas hic breuiter commemorabo simul & examinabo, inanes quidem nec verisimiles refellens, idoneas verò ac probabiles confirmans. Prima causa est quā pleriq; tradunt (est enim peruulgata hęc opinio) finem illis hominibus ædificandi eam turrim fuisse, quò sibi securitatem 44

Prima causa.

pararent,

pararent, tutúmque perfugium aduersus generale diluuium, si quando iterum accideret. Huius sententiæ sequendæ & approbandæ auctor multis fuisse videtur Iosephus, qui lib. 1. Antiquitatum, vbi hanc historiam enarrat, Nemrod gigantem inducit gloriosè vires suas iactantem, & sese hominibus illis ducem præbentem atque opem suam offerentem contra nouum aliud diluuium, si Deus id vellet intentare. Turrim enim se ex ędificaturum pollicitus est altiorē quàm quò aqua posset ascendere: & insuper maiorū suorū qui diluuio interierant, necem vlturū. Atque hæc quidē oratio, fuit Nemrod, vt refert Iosephus. *Iosephus.*

45 Sed illos homines non esse metu diluuij adductos ad construendum illud ædificium, multis argumentis probari & facilè cuiuis minime contumaci persuaderi potest. Principiò, duces atque principes illorum hominum erant Noë & tres filij eius: hi verò certissimi & securissimi erant nunquam iterum venturum diluuium, ob Dei promissionem ipsius datam, diuinóque pacto & symbolo iridis firmatam. Hi autem posteros suos hanc ipsam promissionem Dei docuerunt, omnémque illis venturi diluuij metum ademerunt. Deinde, plane stulta fuisset eorum cogitatio, inanis labor, atque irritus conatus. Etenim diluuium ad quinque milliaria supra terras elatum est: facere autem turrim altiorem quinque milliaribus non artis, non opis, non virium humanarum est. Præterea diluuium generale nec fuerat factum ex causis naturalibus, nec fieri potest, sed est opus diuinæ omnipotentiæ: cùm igitur Deus infinita vi ac potestate polleat, potest quantacumque altitudine maius facere diluuium: intutum igitur atque inualidum fuisset quantęcunque altitudinis ædificium ad vim & exitium diluuij propulsandum. *Metum alterius diluuij, nō fuisse causam ędificandi turrim Babel. Genes. 9.*

46 Adhæc cùm id temporis numerosissimè multiplicatum esset genus humanum, & indies magis ac magis multiplicandum esset, stolidum erat atque stultum sperare, perfugium vnius aut alterius turris tutum esse posse contra diluuium, cùm pauci tantùm homines in eam turrim possent recipi, aliis prope innumerabilibus exclusis & exitio diluuij expositis. Postremò, si ea fuisset hominibus illis præcipua ædificandæ turris causa, eam sanè non tacuisset hoc loco Moses: sed nec ipse nec alibi diuina scriptura vllam eius causæ dat significationem. Non igitur metus venturi diluuij, homines illos ad ædificandam turrim impulit.

47 Alteram causam ædificandi turrim fuisse hominibus illis putant quidam, quod maiorum suorum commemoratione cognitum & persuasum habebant, futurum aliquando generale exitium orbis per ignem, sicut antea fuerat per aquam. Itaque contra eam calamitatem & exitium comparare sibi perfugium & præsidium in illo ædificio ciuitatis & turris voluerunt. Sed futilis videtur, nec aliqua ex parte probabilis causa. Nam ædificium illud, si remedio esset poterat contra illud malum, pauciſſimis certè remedio esse potuisset; paucos enim turris illa capere poterat, ceteros autem fermè innumerabiles *secunda causa. Non metuge neralis incendij fabricatā esse turrim Babel.*

cladi obiectos atque obnoxios esse necesse erat. Adiice, quod incendium illud orbis, ex terra erupturum non erat, sed supernè & è cœlo casurum: nihil igitur ad id mali vitandum, quantalibet ædificij cuiuscunque altitudo mortalibus auxilio esse poterat. Quin potius, quemadmodum aduersus fulmina, ita quoque contra incendium illud profunda & abdita terræ conquirenda fuissent.

Hugo sancti Victoris in Annotationibus in Genes.

Tertia causa.

TERTIAM causam fuisse arbitratur Hugo, vesanam dominandi cupiditatem qua gigas ille Nemrod incredibiliter flagrabat. Sic autem scribit Hugo: *Potest etiam dici à Nemrod factam esse turrim illam cupiditate regnandi. Vnde diuisis linguis, ipse cum familia sua ibi remãsit ceteris recedentibus, & Assur expulso cui paterno iure contingebat illa mansio, quia erat de stirpe Sem maioris filij Noë. Assur autem recedens in terrã quæ ab ipso dicta est Assyria, multiplicatus est vsque ad regem Ninum, qui ab eius progenie ortus est.* Sic Hugo. Ergo Nemrod tyrannicæ dominationi quam affectabat, ciuitatem & turrim quasi metropolim imperij & arcem, comparare voluit, firmissimúmque habere munimentum quo & ipse securus esset, simúlque alios facile coercere posset. 48

Quarta causa.

Aug lib. 16. de ciuitate Dei, cap. 4.

QVARTA causa numerari potest ea, quam exposuit Beatus Augustinus, scribens, Nemrod, nimia quadam animi elatione & superbia, & aduersus Deum impietate adductum esse ad illud ædificium extruendum: quasi eo ædificio vel seipse contra Deum tueri ac defendere, vel etiam Deum ipsum infestare atque offendere posset. Verba B. Augustini sic habẽt: *Gigas ille Nemrod ciuitatẽ (quæ postea dicta est Babylon) ædificare aggressus, est vt ea ceterarum ciuitatũ gereret principatum, vbi esset tãquam in metropoli habitaculum regni: quamuis perfecta non fuerit vsque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietes: nimia quippe disponebatur: eius altitudo, quæ idcirco dicta est, vsque ad cœlum pertingere. Sed quid noceret Deo quantacunque vel spiritalis vel corporalis altitudo? tutam verámque in cœlum viam molitur humilitas sursum leuãs cor ad Dominum, non contra Dominum: sicut gigas ille Nemrod dictus est venator contra Dominum. Quid autem significatur hoc nomine, quod est venator, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor? Erigebat ergo ille cum suis popularibus turrim contra Dominum, qua est impia significata superbia.* Sic Augustinus. 49

Genes. 10.

Quinta causa.

QVINTA causa eruitur ex Hebraica lectione, eadem autem est & Chaldaica: Hebraicè autem sic ad verbum est: *Ædificemus nobis ciuitatem & turrim, & caput eius in cœlum, & faciamus nobis nomen, ne forte dispergamur super faciem vniuersæ terræ.* His verbis, inquit Caietanus, *duplex finis tangitur illius ædificij: alter est, communis fama ex ciuitate munita, & tam excelsa turri tanquam ex facto singulari: alter, est continere se ipsos simul: facile enim accidere potuisset, vt quemadmodum ipsi segregauerant se ab alijs, ita inter sese ipsi segregarentur, si non esset eis communis ciuitas. Habitantibus enim hominibus absque septis ciuitatis, facilis est aliquorum dilapsus & discessus ab alijs. Vnde apparet meritò eos hæsitando dixisse ne forte dispergamur, quoniam facile euenire poterat vt inuicem distraherentur* 50

Caietanus.

& variè

& variè dispergerentur. Ita Caietanus.

51 VEL illud: *ne fortè dispergamur*, hanc reddit sententiam: Vt si contingat nos dispergi per varias terras, possimus huc, quando voluerimus, redire. Timebant igitur iam tunc ipsi quod illis paulò pòst euenit: & quodammodo impendentem sibi casum his verbis vaticinati sunt: quemadmodum Scribæ & Pharisæi quasi vaticinantes quod futurum erat, dixerunt: *Ne fortè veniant Romani & tollant locum nostrum & gentem.* Cupiebant igitur illi simul esse omnes, vnamque velut rempublicam & societatem constituere. Est enim homo, vt inquit Aristoteles, animal politicum, & societate gaudens: talis enim vita, & securior est, & iucundior, & iis rebus quæ ad vsum viuendi pertinent, abundantior. Ad huiusmodi autem societatem & congregationem hominum instituendam atque tuendam, multum valebat magnarum & munitarum ciuitarum ædificatio. *Ioan. 11.* *Arist. libr. 1. Politicorum.*

52 IOSEPHVS ait mandatū fuisse aliis hominibus à Deo, vt in varia terræ loca, quò facilius humanum genus multiplicari & terra ipsa habitatoribus compleri & coli posset: colonias diducerent: sed eos tamen optimis & vtilissimis Dei iussis obtemperare recusasse: quin potius omnem mouisse lapidē, quò simul omnes vno in loco essent, & ne inuicem separarentur, obnixè contendisse. Audi Iosephum: *Deo iubenti vt propagandi multiplicandique humani generis gratia colonias diducerent, homines illi rudes minimè paruerunt: quamobrē calamitatibus implicati, offensum Deū errore suo, damnoque sunt experti. Cum enim florerent iuuentutis multitudine, subinde illos Deus de colonis deducendis admonebat, illi verò obliti se ipsius benignitate præsentibus commodis perfrui, totámque illam felicitatem suis viribus acceptam ferentes, dicto eius non fuerunt obedientes. Et quod peius erat, consilium & mandatum diuinum, de colonijs ducendis, non fauorem Dei, sed insidias interpretabantur: videlicet quò facilius dispersi, possent opprimi. Hanc autem superbiam, Deique contemptum excitauit in illis Nemrod nepos Cham filij Noë:* Hæc Iosephus. *Iosephus lib. 1. Antiquitatum.*

53 ILLVD autem mandatum Dei de coloniis deducendis (quod narrat Iosephus) per Noë hominibus illis denunciatum est. Atque hoc secutus Berosus annianus in exordio libri quarti ad hunc modum scripsit: *Multiplicatum*, inquit, *fuerat prope in immensum genus humanum: quapropter ad comparandas nouas sedes necessitas compellebat. Tum Ianus Pater* (sic ille appellat Noë) *adhortatus est principes familiarum ad conquirendas nouas sedes, & communem cœtum inter homines agendum, vrbésque ædificandas. Designauit itaque tres illas partes orbis, Asiam, Aphricam & Europam, vt ante diluuium viderat. Singulis autem principibus familiarum diuersas certásque orbis partes, ad quas irent, partitus est, ipse verò per totum orbem colonias se traducturum pollicitus est.* Hæc Berosus Annianus. *Berosus. Annianus.*

54 SEXTAM causam apertè indicant Græca & Latina lectio, cuius hæc sententia est. *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras.* Nāque his verbis *Sexta causa.*

significatur mentem & consilium eorum hominum in ædificanda turri non fuisse vt venturi diluuij vel incendij exitium euaderent: sed vt aliquo mirabili facinore, & memorabili monimento celebritatem nominis & famæ apud posteros acquirerent. Itaque primum exemplo illorum apparuit, quàm sit naturalis, quàm vehemens, quàm in animis omnium mortalium infixus amor & cura posteritatis vt sui memoriam & nomen cum laude posteritati commendent. Verùm in eo plerique decipimur grauiterque peccamus, quòd cum auidissimi simus laudis & gloriæ, eas res ferè adamamus & consectamur, quibus insigne dedecus atque infamia est adiuncta, vel certè non solida, & expressa, sempérque mansura, sed fucata tantùm, & adumbrata, & fragilis gloria comparatur.

Quàm vehemẽs sit in homine, amor celebris famæ, qui tamẽ in plerisque vitiosus.

Chrys. homi. 30. in Genes. Egregia Chrysostomi oratio de falso multorum hominum gloriæ & famæ amore.

AVDIAMVS Chrysostomum vt alia, sic etiam hoc disertè tra- 55
ctantem. Nam cùm exponeret illa verba: *Et faciamus nobis nomẽ: Vide,* inquit, *radicem mali, vt perpetuam, inquiunt, memoriã consequamur, vt nostri semper memores sint posteri, tale opus dum adhuc congregati sumus, faciamus vt nunquam obliuioni tradatur. Sunt multi etiam hodie qui illos imitantur & talibus operibus celebrari volunt. Alij splendidas domos ædificant, balnea, porticus, ambulationes: quorum si quẽm rogaueris, quare tãto opere laboret, tantósque sumptus faciat, non aliud respondebit, quàm vt immortalẽ sui memoriam celebritatémque nominis relinquat. At enim illis rebus non tam laudem quàm probrum & crimen sibi parant: nã illa opera spectantes, contumeliosè eos nominant. Ædificium hoc, inquiũt, est illius auari, illius raptoris, illius viduarum & orphanorum spoliatoris. Igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis obijci criminibus, & infamari etiam post mortẽ, & spectatorum linguas in sui accusationem & blasphemiam acuere. Quid quod huiusmodi opera nomen & memoriam eius qui fecit aut possedit, non diu custodiũt? Etenim sic res habet: subinde ab hoc ad alium transeũt, & ab illo itẽ in alium. Et hodie quidem domus dicitur huius, cras dicetur alterius. Itaque nos ipsi vehementer decipimus, dum putamus nos dominium quasi perpetuum habere, cùm vsu tantum fruamur: & siue velimus sine nolimus, aliis, & nonnunquam ijs quo minime amamus aut etiam odimus relinquere cogamur.*

Psal. 111. SI *aeternam igitur memoriam amas, ego tibi viam monstrabo quæ te celebrem omni seculo faciet, quia etiã tibi fiduciã in futuro seculo dabit: Liberalitatem tuam & pecuniarum largitionem in pauperes cõfer, relictis villis, balneis aliisq; ædificijs, rebus nempe mutis atque inanimatis. Larga eleemosyna immortalem viri memoriam reddit, sicut scriptũ est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi, vno die dispersit diuitias, sed iustitiæ eius, id est, liberalitatis, & misericordiæ, aeternum mãsura est memoria. Et rursus scriptum est: In memoria aeterna erit iustus: ab auditione mala non timebit. Rectè: Ab auditione mala non timebit. Nã sicut improbi male audium apud homines, omniúmque vituperatione & detestatione laceramur: sic contra boni omnium prædicatione celebrantur. O hominem inquiunt, misericordẽ, ô benignum, ô mansuetum, ô suauem, ô dignum immortalitate: cuius dispersa diuitiæ non eum deseruerunt, sed perpetuo comitantur, ornant, & tuentur: ac demum* 56

Ibidem.

Ecc. 16.

in æterna deducunt tabernacula. Hactenus ex Chrysostomo.

CETERVM obiiciet fortasse aliquis, cùm fama non sit ad se ipsum sed ad alium, in illo autem campo Sennaar aderant omnes homines, quotquot id temporis in terris erant: apud quos igitur vel à quibus illi nomen suum celebrari volebant? Sed facilis & breuis responsio est, eos voluisse celebrari non ab iis qui tunc erant, sed ab iis qui posteà futuri erant: captabant igitur famam non apud præsentes, sed apud posteros.

57 PHILO autem putat homines illos qui ædificando turrim celebrari se apud posteros cupiebant typum & imaginem gessisse eorum qui sua ipsi vitia publicant, & flagitiis nobilitari volunt: vt quemadmodum probi homines virtutibus & benefactis, sic ipsi non quibuslibet, sed inusitatis sceleribus ac maleficiis claritatem nominis famæque celebritatem assequantur. Tractans igitur Philo verba illa: *Faciamus nobis nomen, priusquam dispergamur,* ad hunc modum scribit: *O insignem impudentiam. Cùm enim deberetis vestras iniquitates tenebris abdere, & prætextum aliquem vestris maleficijs, si non verum, certe verisimilem quærere: ne vel in bonorum & prudentium virorum offensionem incurratis, vel vt effugiatis pœnas confessorum criminũ: audetis vos in clarissima luce ostentare, contemptis hominum minis, & supplicijs diuinitus infligendis? Quin etiam innumerabiles omni ævo nuntios ac testes flagitiorum vestrorum habere vultis, vt nemo nesciat vestrum nomen. At quale tandem nomẽ cupitis? certè quale factis vestris conuenit. Id verò innumeras continet vitiorum species quas vobis posteri exprobrabunt. Inest enim vobis petulantia cum impudentia, cõtemptus cum violentia, cædes cum sauitia, cum immoderatis voluptatibus, immensa concupiscentia, cum temeritate insolẽtia, cùm calliditate malitia, cum mendacijs periuria, denique cum iniquitate erga homines, etiam aduersus Deum impietas.* Egregia verò gloriatio, captare celebritatem nominis ex ijs quæ cælari & sempiterno, si fieri posset silentio obrui deberent. *Philo in libro de confusione linguarum.*

58 SVNT *tamen etiã hodie, qui valdè sibi talibus rebus placeant, putantes inde se præclaram apud homines existimationem acquirere. Sed his quamuis improbissimi, vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præsagientes ac præuidentes dicunt priusquam dissipemur. Cur igitur peccatis, si vestra cõsilia & conatus dissipatum iri scitis? Sed profectò exemplo horum hominum exposuit nobis Moses morem insipientium, qui etiam maximis pœnis nõ obscure, sed manifestè impendentibus, nihilo magis ab iniurijs & maleficijs sibi temperant. Omnino notissimæ sunt artes malæ, quas ferire solet diuina vltio, & verò pessimi quoque cogitant Deum non ignorare ipsorum maleficia, nec se illius posse animaduersionem effugere. Alioquin vnde sciebant illi se dissipandos esse? attamen dixerunt, Priusquam dispergamur. Profectò conscientia eos qui malè agunt, intra pectus ipsum redarguit: & vel ipsos Dei contemptores stimulat, vt etiam inuiti cogantur intelligere, humanas res diuino consilio & ratione administrari, & esse iustitiam quandam quæ implacabiliter infensa malis hominibus, nullum eorum scelus impunitum atque inultum præteritura sit.* Sic Philo.

AT

Quæstio an ædificare turrim Babel graue peccatum fuerit. Toſtatus quæſtio. 8. in ca. 11. Geneſeos

59 AT enimuerò poteſt hoc loco diſputari, vtrum homines illi ædificando ciuitatem & turrim, grauiter peccauerint nec ne. Negat Toſtatus: & non peccaſſe eos id agendo, ad hunc modum argumentatur: ſi peccarunt illi, vel igitur quia actio illa erat mala, vel quia malus erat finis ad quem actio referebatur, ſed neutrum erat malum: ergo nec peccarunt. Non fuiſſe autem per ſe malam eorum actionem, non eget probatione: nempe ciuitatem vel turrim ædificare, per ſe malum non eſt, ſed actio eſt indifferens ad bonum & malum. Nec verò finis eorum (quantum ex hiſtoria quam narrat Moſes hoc loco licet intelligere) malus fuit: ſiue enim ædificare voluerunt illam ciuitatem ne diſpergerentur, vt indicat lectio Hebraica: ſiue vt nomen ſuum celebre facerent, vt ſignificat lectio Græca & Latina: neuter ſanè finis malus fuit. Nam diſpergi & inuicem ſeparati nolle, ſed velle congregatos ſimul vitam ciuilem degere, eſt naturale hominis deſiderium. Siquidem homo, vt ait Ariſtoteles, eſt animal politicum ſocietate gaudens, & ciuilem vitam amans: explere autem naturale deſiderium cum debito modo & ordine non eſt peccatum: vt ſi quis cum naturaliter ſitit aut eſurit, velit bibere & comedere.

Ariſtot. li. 1. Politicorum.

60 CVPERE porrò & quærere claritatem & celebritatem nominis, ſi non fiat per malas artes, neque id contra Dei voluntatem & honorem ſit, aut contra vtilitatem & ædificationem proximi, culpari non debet tanquam peccatum. Ædificatio autem illius ciuitatis & turris nec per ſe mala erat, nec à Deo prohibita: fama verò & gloria quam illi concupiſcebant, nec diuino honori, nec hominum cuiuſpiam vtilitatibus aduerſabatur. His adde quod Noë inter ædificatores illius ciuitatis & turris erat: quorum omnium cùm eſſet ille parens & princeps, & ob eam ipſam cauſam ſummæ apud eos homines auctoritatis & poteſtatis, non eſſe profecto paſſus peruerſo conſilio prauóque animo ædificium illud conſtrui.

61 NEC verò, quia Deus noluit conſilium & conatum eorum hominum peruenire ad exitum, ſed conſilium eorum diſſipauit, opúſque abſolui prohibuit, eo poteſt concludi malum fuiſſe conſilium prauámque mentem eorum hominum. Etenim Deus altiſſima & mortalibus incomprehenſibili prouidentia, ſæpenumero aliud in rebus ipſis fieri vult & facit, quàm quod eſt ab hominibus etiam rectè cogitatum & honeſte optatum. Non igitur quia illud malum eſt, impeditur vel diſſipatur à Deo, ſed quia hoc melius eſt: neque hoc effici poſſet, niſi illud, ne fieret, impeditum eſſet. Ergo ædificatio illius ciuitatis & turris, bona erat: bonum item erat ſimul eos homines vno in loco & intra vnam ciuitatem degere, nec malum erat magnificis operibus faciendis, famoſos ſe poſteris eſſe cupere. Verum ſi hoc factum eſſet, homines illi aut nunquam, aut ſerò admodum inde profecti eſſent ad varias terræ partes habitandas & colendas. Atqui longè maius erat bonum, omnes orbis terræ partes habitatorib. & cultoribus compleri, quàm erat ædificari ciuitatem vel turrim, aut in ea

ciuitate:

ciuitate homines illos simul viuere. Ob hanc igitur causam Deus absolutionem & perfectionem huius ædificij impediuit, & dispersionis eorum hominum in varias mundi plagas auctor fuit. Atque hæc est summa disputationis & opinionis Tostati.

Refellitur Tostatos.

62 VERVM Tostatus aduersarios opinionis suæ habet omnes fermè Doctores, maximè verò Chrysostomum & Augustinum, quos secuti sunt quotquot ferè hunc locum interpretati sunt, vel in Commentariis quos in librum Geneseos ediderunt, vel in aliis scriptis suis. Chrysostomus certè ex maxima superbia opus illud profectum esse ait, & singula eorum hominum facta quæ hic narrantur, insignis alicuius vitij accusat & condemnat. Beatus autem Augustinus, cùm importunissima superbia etiam intolerandam illorum hominum impietatem coniunctam fuisse scribit. Quid quod auctorem & principem illios ædificationis fuisse Nemrod, hominem superbissimum atque impiissimum constat auctoritate Iosephi & B. Augustini, multorúmque aliorum concessu? Iosephus sanè non dubitanter ait, homines illos contemptis Dei iussis, peruersissimo consilio pessimoq; animo ad illud opus faciendum esse aggressos. His accedit Philonis testimonium, qui grauissimis ac disertissimis verbis, quæ paulò supra exposuimus, multiplicem illorum hominum improbitatem descripsit atque confutauit.

Chryſ. ho. 30 in Geneſim. Auguſt. li. 16 de Ciuit. Dei cap. 4. Ioſephus li. 1. Antiquitatũ.

63 NARATIO præterea Mosis vehementer Tostati sententiæ refragatur. Inducit enim Moses Deum descendentem ad videndam ædificationem illius ciuitatis & turris: *Descendit*, inquit, *Deus vt videret ciuitatem & turrim*, & paulò pòst: *Venite descendamus & confundamus linguam eorum.* Solet autem scriptura ad exaggerandam grauitatem alicuius peccati, & vim diuini supplicij quo peccatum illud puniendum est, inducere Deum descendentem ad videndum illud peccatum, & ad sumendum de eo supplicium: Exempli causa in hoc ipso libro cap. 18. scriptum est Deum descendisse ad videndum peccatum Sodomorum: Et in libro Exodi capite tertio ait Deus se vidisse afflictionem populi sui in Ægypto & descendere ad excutiendum iugum seruitutis Ægyptiorum à seruicibus populi sui.

Quod si ædificatio illius ciuitatis & turris bona fuisset, & bono consilio ac mente suscepta, non dixisset Moses Deum descendisse ad videndum & impediendum illud ædificium.

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Gen. cap. 11. VERS. 5. *Descendit Dominus vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam.*

Act. 17. Ad Hebr. 4. CVM Deus præsens sit omnibus rebus, non enim longè 64
abest ab vno quoque nostrum, vt inquit Paulus, *in ipso enim viuimus, mouemur & sumus*, cumque cernat omnia clarissimè quæ fuerunt, quæ sunt, & erunt. *Nulla enim creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius*: quid est quod Moses ait Deum descēdisse vt videret ædificationem ciuitatis & turris, quasi è cœlo vbi erat, propter locorum distantiam, vel impedimentum aliorum corporum, ædificium illud videre non potuerit? Sed profecto figuratā esse hanc orationem Mosis, nec tam diuinę naturæ proprietati conuenientē quàm ad similitudinem humanæ consuetudinis, & ad humilitatem nostræ mentis, & intelligentiæ accommodatam, nullo modo dubitandum est. Loquitur enim scriptura de Deo, quemadmodum hominib. qui secundum carnem sapiunt, videri solet, quibus, cùm Deus punit homines vel adiuuat, videtur descendisse ad homines, cùm autem dissimulat, & ad tempus prætermittit vel castigare, vel auxiliari, in cœlo residere videtur, & non curare mortalia.

SIGNATE autem dictum est descendisse eum vt videret, quo si- 65
gnificaretur longanimitas Dei non festinantis ad supplicium de peccatoribus sumendum, sed quanuis optimè sciat peccata hominum, subinde tandem differentis, & quasi tempus ad ea cognoscenda & perpendenda sumentis. Declaratur item iustitia Dei qui nullum punit nisi prius apertè conuictum peccati: id quod & in Adamo atque Cain, & in Sodomitis animaduertere licet. Docemur præterea non temere iudicium faciendum & sententiam pronunciandam esse, nisi causa prius bene cognita, nec vllum indicta causa damnandum. Iam sane quieuerat ira Dei post diluuium, & placatus, homini promiserat se nunquam in posterum genus hominum dissipaturum & perditurum diluuio. Sed ecce filij hominum denuò intolerandis maleficiis eum prouocant, & ad indignationem & vindictam quasi compellunt. Descendit igitur Deus quia talis causa erat, vt eam indiscussam, & iniudicatam cœleste iudicium nullo modo debuerit omittere. Nouit quidem interdum Deus dissimulare & quasi non aduertere peccata, sed cum vel ex ignorantia vel ex infirmitate peccatur, non autem cum ex malitia.

Gen. 3. Infra. 4. Infra. 18.

NEC emphasi caret quod subditur: *vt videret ciuitatem, & turrim* 66
quam

quæ ædificabant filij Adam: nam illud: *Filij Adam*, denotat conditionem hominis, humilem nempe ac vilem, vt qui è luto primũ formatus sit, & propter peccatum innumerabilibus sit erumnis & vitiis obnoxius. talis igitur creatura audet incredibili audacia & superbia contra voluntatem regnatoris cœli, omniumque rerum conditoris, ciuitatem & turrim ædificare? Vel illud *Adam* non solum notionem hominis habet in commune, sed hic singulariter denotat primum hominem qui vocabulo Adam primus omnium est appellatus. Hunc enim illi specialiter imitabantur, dum nomen æternum sibi facere, & vsque in cœlum turrim ædificare voluerunt: similiter enim Adam fructum vetitum comedit, diuinam scientiam concupiscens & affectans. *Genes. 2.* *Genes. 3.* *Genes. 3.*

67 CETERVM, ea quæ nunc presse ac breuiter dixi, ex Patribus & antiquis scriptoribus deprompta sunt. Beatus sanè Augustinus dupliciter exponit, quemadmodum intelligi possit Deum descendisse vt videret ædificationem illius ciuitatis: primum quidem ratione noui effectus, quem in illo loco produxit: fecit enim, impediendo processum ædificij, & vnam eorum hominum linguam in multas & varias mirabiliter diuidendo, vt planè intelligeretur ab omnibus, sibi ædificium illud vehementer displicuisse. Deinde intelligi potest, propterea Deum descendisse, quia fecit vt Angeli de cœlo descenderent & in locum illum irent, & conatus illorum hominum impedita ædificatione, irritos facerent. Caietanus propterea dictum esse putat Deum descendisse ad videndam ædificationem ciuitatis, vt significaretur, Dei prouidentiam non tantum in rebus cælestibus cõsistere, sed quantum ad scientiam: efficientiam, directionem & ordinationem, etiam ad infima & minima quæ fiunt in terris descendere ac pertinere. *Descendit Deus*, inquit Caietanus, *id est, habuit se ad similitudinẽ descendentis, quatenus extendit se non quidem corporali motu, sed cura & prouidẽtia vsque ad hæc infima, humanas scilicet actiones & singularia hæc corporea qualia sunt ciuitas & turris.* *Augustin. de ciuit. Dei li. 16. cap. 5.* *Caietanus.*

68 BEATVS Chrysostomus, quem sequitur Rupertus arbitratur ob eam causam inductum esse Deum à Mose quasi descendentem ad videndam ædificationem turris, vt inde omnes discerent, quanta cunctatione & cautione quamque accurata consideratione vtendum sit in cognoscendis, iudicandis & puniendis aliorum factis & erratis. Audi Chrysostomum: *humano more*, inquit, *loquitur scriptura, cum ait, descendisse Deum: verùm non vult id humano more intelligi. Vult igitur hinc eruditi nos, ne vnquam temere fratres condemnemus, neque solo auditu iudicemus, nec nisi prius compluribus, argumentis certi reddamur. Vide præterea quàm non festinanter ad castigandos illos homines processerit: Deus neque enim statim ab initio illorum repressit insaniam, sed longanimi vtẽs lenitate, expectauit dum malitiam illi suam opere declararent, & tunc demum conatus eorum impediuit. Nam nequis dicere posset, voluisse quidem illos, sed quæ cogitauerant & animo designauerant, nequaquam in actum & effectum explicuisse: idcirco præstolatus est Deus, donec animo destinatum opus aggre-* *Chrys. in Genes. hom. 30.* *Rupertus li. 4. Commẽtariorũ in Gen. cap. 41.*

derentur: & tunc eis demonstrauit quàm inutilia attentassent. Considera item diuinæ misericordiæ excellentiam: permisit illos laboribus sese affligere, vt rerum experientia præceptoris loco illis esset. At enim quia vidit malitiam eorum inualescere, morbúmque increscere, non vsque ad finem desinati operis peruenire eos passus est, sed in dissipando eorum consilio & opere impediendo suam declarauit bonitatem: non secus ac bonus medicus videns morbum augeri, & vlcus fieri incurabile, non diutius cunctandum ratus statim sectione vtitur, vt omnem mali causam excidat Ita Chrysostomus.

69 VERVNTAMEN aliquot sæculis ante Rupertum & Chrysostomum, hanc ipsam loci huius interpretationem & similia documenta scriptis suis prodidit Philo. Namque in eo libro quem scripsit de confusione linguarum, tractans Mosis verba quæ sunt hoc loco de descensu Dei ad videndam ciuitatem, sic ait: *Figuratè accipienda sunt hæc. Nam credere, Deum accedere vel recedere, descendere uè vel ascẽdere, vel omnino moueri loco, impietatis est deportãda in extremas (vt vulgus loquitur) insulas Oceani. Sed ista humano more legislator de Deo dixit (quãquam is non humana forma & natura est præditus) sed ad legentium & discẽtium vtilitatem. Etenim Deus implet omnia, non contentus, sed continens, qui solus vbique simul & nusquam est. Nusquam, quia ipse locum omnem & regionem creauit vna cum corporibus, nefas autem est Creatorem intra vllam rerum ab ipso creatarum includi. Vbique verò, quia potentia sua per terram, aquam, aërem & cœlum extensa, nullam partem mundi destituit, sed omnia inter se inuicem astringit inuisibilibus vinculis, ne vnquam dissoluantur.*

Philo.

Egregia Philonis sententia de immobilitate Dei & cur vocabula motus localis tribuãtur Deo.

70 ERGO *vocabula migratorij motus nequaquã Deo conueniunt. Sed nihilominus tamen dicitur Deus descendens viscere, qui omnia prius etiã quàm fiãt: clarissimè præuidet vt doceamur ne quis homo de absentibus rebus & incertis putet se certum posse iudicium facere: sed propius introspecto negotio diligenter cuncta perlustret. Visus enim certus adhibendus est, potius quam fallax auditus. Quapropter in optime constituta Republica lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio, quia iudicium auditus naturaliter obnoxium est corruptioni. Hanc igitur nos censemus esse causam, cur Deus descendisse dicatur vt ciuitatem ac turrim viseret.* Hæc Philo.

B. Basilius.

71 BEATVS Basilius super Psalmum trigesimum secundum explanãs illum versiculum: *De cœlo prospexit Dominus vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo suo.* Discrimen ponit inter Videre Deum de cœlo quid agãt homines, & Descendere Deũ vt videat quid agant homines, illud enim de bonis ait dici, & in bonam partẽ accipi: hoc autem ad malos homines referri, & ad malum eorum pertinere. Sic enim scribit: *Eos qui in propria manent animæ dignitate, & congruẽtia natura faciunt, de cœlo aspicit Deus. Eos verò qui ad extremum flagitiorũ prolapsi sunt, descendendo dicitur inuisere Deus. Clamor,* inquit, *Sodomorum multiplicatus est & peccata eorum magna nimis, Descẽdam itaque & videbo an secundum clamorem qui ad me venit perfecerint. Et rursus: Descendit videre ciuitatem quam ædificabant filij hominum.* Sic Basilius.

Genes. 18.

72 SED hæc obseruatio & documentum Basilij non est perpetuò verum

verùm in sacris litteris. Siquidem vt sæpè Deus dicitur descendere ad considerandà & punienda hominum peccata, ita quoque non raro descendere dicitur ad bonos & sanctos viros adiuuandos, consolandos & erudiendos. Hinc est illud apud Isaiam: *Vtinam disrumperes cœlos & descenderes:* & Moysi dicit Deus. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui: & sciens clamorem eius descendi vt liberem eum:* & in libro Exodi scriptum est, Deum descendisse super montem Sinai, videlicet ad loquendum cum Mose, eúmque erudiendum, vt per eum legem suam promulgaret Hebræis. *Isaiæ 64. Exod. 3. Infra 19.*

73 VERVNTAMEN hoc loco descensus Dei significat animaduersionem diuinam in superbiam ædificatorum illius turris, certè Rabbi Moyses Ægyptius annotauit descensum Dei hic debere intelligi iram & vindictam Dei aduersus homines malos qui in terris sunt. *Cum pœna, inquit, & ira Dei venit super gentes, mundi, quam pœnã antea prædixerunt prophetæ ipsius, dicitur Deus descendere ad illas gẽtes, id est, visitare & punire eorum opera. Ergo quando dicitur, Venite descendamus & confundamus eorum linguam, hoc significat, Non amplius dissimulemus eorum scelera, sed quàmprimum ea puniamus confundendo linguam eorum.* *Rab. Moyses Ægyptius.*

SEXTA DISPVTATIO.

Super illis verbis.

Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum.

Qui fuerint illi quibus Deum hæc verba locutũ esse narrat Moses, & quos Deus sibi voluerit esse socios in ædificatione illius turris impedienda, & confundenda eorum hominum lingua. *Genes. cap. 11 VERS. 7.*

74 CVM paulò superius dixerit Moses descendisse Deum vt videret ciuitatem, quomodo nunc quasi nondum descenderit, inducit eum vocantem alios vt secum vna descendant? Animaduerit hoc B. Augustinus libro 16. de Ciuitate Dei c. 5. & respondet, quæ hic dicuntur à Mose, priora esse quàm illa superiora, sed hic narrari per recapitulationem. Declarat enim Moses quemadmodum Deus descenderit, hoc est sociatis sibi aliis eorumque ad faciendum id quod ipse fieri volebat, ministerio vtens *Augustin.*

SED qui sunt illi quibus Deus locutus est dicens, *Venite descendamus & confundamus eorum linguam?* Multi putarunt his verbis significatum esse mysterium sanctissimę Trinitatis: nam illa pluralia, *Venite descendamus & confundamus*, indicant multitudinem & distinctionem diuinarum personarum. Illud autem quod numerò singulari subditur: *Diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersæ terras, & dispersit eos super faciem cunctarum regionum*, denotat vnitatem naturæ & potentiæ diuinæ. Hanc intelligentiam sequitur Glossa quædam Græca super hunc locum, & Rabanus in Glossa interlinearis, necnon & Rupertus qui verba hæc Mosis tractans ita scribit, *Hoc tam mirabile vindictæ incommodum quo maximè homines à semetipsis diuidũtur, solus facere potuit Deus. Proinde cùm dixit pluraliter, Venite, descendamus, confundamus, non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, sed ad ferendam superbiam se adesse testatur tota Trinitas vnus Deus. Quod ex oppositoremedio magis liquet. vbi enim in ore Apostolorum omnia reuocantur genera linguarum eadem Trinitas sese aperit hominibus, & ea die primum in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti homines baptizantur, quæ vera structura est altissimæ turris qua in cœlum homo conscendit cum Deo regnaturus.* Hæc Rupertus. 75

Rabanus. Rup. libr. 4. Comment. in Genes. c. 42.

Actorum 2. Matth. 28.

VERVM commodior est planior atque ob eam ipsam causam etiam probabilior sententia eorum, qui verba hæc Angelis dicta esse à Deo interpretantur. Nam quamuis etiam ad personas diuinas accommodari facilè possint: attamen quia commodissimè de Angelis ipsis exponunt, satius videtur ad eos verba hæc referri. *Potest*, inquit, Augustinus, *quod hic dicitur, exponi de Sancta Trinitate, tanquam Pater dixerit ad Filium & ad Spiritum sanctum, venite & descendentes confundamus linguam eorum, si aliquid esset quod Angelos prohiberet intelligi: quibus potius conuenit venire ad Deum motibus sanctis, hoc est cogitationibus pijs, quibus ab eis consulitur incommutabilis veritas, tanquam lex æterna in illa earum cursa æterna. Neque enim sibi ipsi sunt veritas, sed creatricis participes veritatis, ad illam mouentur tanquam ad fontem vitæ, vt quod non habent in se ipsi, capiant ex ipsa: & ideo eorum stabilis est iste motus quo veniant ad Deum qui nunquam ab eo recedunt.* Sic Augustinus. 76

Augustin. de Ciuitate Dei lib. 16. ca. 6.

ERGO illud: *Venite descendamus & confundamus*, dictum intelligitur Angelis. Sed cur non est dictum, descendite, & confundite? scilicet, quia per Angelos & cum Angelis descendebat Deus, qui in Angelis descendentibus erat: Ostendere enim voluit Deus ita se operari per ministros suos, vt sint etiã ipsi cooperatores Dei: & sic ipsos operari, vt per ipsos & in ipsis tamen magis etiam operetur Deus. *Quoniam ministerio Angelorum*, inquit Caietanus, *Deus operatur, ideo pluraliter loquitur Deus. Et quia sic per Angelos operatur, vt magis ipse operetur, & vt ipse non procul absit (quemadmodum Philosophi fingunt) sed præsens sit Angelis operantibus circa hæc infima tanquam præcipuus operans: ideo dixit, Descendamus & confundamus. Et descendere quidem* 77

Caietanus super hunc locum.

conueniet Deo secundum similitudinem effectus: confundere autem, propriè ei conuenit. Sic Caietanus. Idem sensit & multis verbis pertractat Beatus Gregorius libro secundo Moralium, cuius verba paulò infra commemorabimus.

78 A D horum auctorum sententiam Philo quoque adscribendus est, qui verba illa, *Venite descendamus & confundamus eorum linguam*, dicta esse Angelis à Deo interpretatur. Ponam eius disertam simul & eruditam orationem. *Videtur illis verbis Deus* (inquit Philo) *quosdam alloqui tanquã operationis socios. Idémque antea de hominis creatione dictum legitur. Dixit*, inquit, *Dominus, Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram, vbi vox, faciamus, pluralitatem significat. Illud igitur primo dicendum est, nihil in rebus æquiparari Deo: sed vnum esse eum regem, à quo solo fas est administrari & dispẽsari vniuersa. Namque illud: Multos imperitare malum est, Rex vnicus esto: non ad ciuitates & homines magis pertinet, quàm ad mundum & Deum, vnum enim vnius factorem, patrẽ, ac dominum esse necesse est. Verum etsi Deus vnus est, dici tamen non potest quàm multas habeat socias potentias quæ salutem rerum procurant, quædam etiam plectunt noxios: ea verò pœna non est damnosa, cum per eam peccata castiget atque coërceat. Ex huiusmodi potentiis mundus ille incorporeus & intelligibilis constat: qui exemplar est huius mundi visibilis. Cuius mundi visibilis pulchritudinem admirati quidam, præcipuas eius partes consecrarunt. Solem, Lunam, cœlum: non veritis eas Deos appellare, quorum cogitationes Moses intelligens, supremum omnium regem nonnunquam Deum Deorum appellauit, vt indicaret eum præstantiorem esse quàm subditos.* *Philo in libro de confusione linguarum.* *Genes. 1.*

79 E S T præterea *in aëre naturarum incorporearum sacratus, chorus, assecla illarum cœlestium. Has* nominare solent Angelos *diuina oracula. Hic vniuersus exercitus in suos digestus ordines, Imperatoris summi iussa exequitur, & huic vni moderatori suo, sicut fas est, obsequitur, nec in his tam numerosis militum & ministrorum copijs, vel vnum numeris atque ordinis sui desertorem reperire licet. Rex ipse hisce ministris stipatus, vtitur eis duntaxat ad ea negotia quæ decet non à solo Deo tractari. Quãuis enim nullius ope indigeat Pater omnium, qua subleuetur, quoties vult aliquid facere, attamen videt quid se, quid creaturas deceat: & quædam potentijs subditis efficienda permittit, nec his quidem concessa facultate in totum libera, vt ne quod erratum in generatione rerum, & diuinorum mandatorum effectione admittatur.* Hæc Philo.

80 S E D in hac Philonis oratione, illud quod dixit de creatione hominis, veram non habet sententiam. Putat enim illa verba: *Faciamus hominem ab imaginem & similitudinẽ nostrã.* Deum dixisse Angelis: quod falsum esse cõuincit illud, *ad imaginem & similitudinem nostram.* Neq; enim vna & communis est Dei & Angelorum imago, sicut nec natura: neque animus hominis, in quo potissimum elucet imago Dei, ab Angelis creatus est, sed à solo Deo, & ad solius Dei similitudinem: vnde mox subditur: *Fecit Deus hominem ad imaginẽ & similitudinem suam.* Meritò igitur opinionẽ Philonis, tacito eius nomine, confutauit

futauit B. Augustin. Nos quoque aduersus Philonem copiosè disputauimus in primo Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, libro quarto, vbi explanauimus illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

August. de Ciuitate Dei lib. 16. c. 6.

Admonitio lectoris vt caute legat Philonis libros.

SED profecto (lubet enim hoc quasi obiter monere lectorem quod semel hic dictum, deinceps in perpetuum valere cupio) Philonem mihi semper visum esse cùm studiosiorem, tum etiam peritiorem disciplinæ Platonicæ quàm doctrinæ sacrarum litteratum. Itaque in scriptis eius licet animaduertere, sententias diuinæ scripturæ ab eo tractari Allegoricè, sed ferè secundum disciplinam & placita Platonis. Quo factum est, vt quia Platonis dicta & decreta, maiori quàm oportebat studio & assensu complexus est, in tractandis sacris litteris multa permisceat ex Platonis fontibus hausta, sed impura, & purissimæ diuinarum litterarum veritati contraria. Magna igitur attentione animi, magnóque iudicio legendus est Philo, vt vera internoscantur à falsis, nec Platonicæ Philosophiæ & eloquentiæ quàm ille incredibiliter adamauit, & scriptis suis exprimere vehementer contendit, magnifica quadam & illustri specie lector imperitus & incautus decipiatur. Possem multos ex libris eius errores quasi carpens & colligens, indicare eos lectori, sed non est hic locus. 81

August. de Ciuitate Dei li. 16. cap. 6. Quomodo Deus loquatur Angelis præclara beatorũ patrum Augustini & Gregorij disputatio.

QVEMADMODVM porrò ea verba Deus locutus sit Angelis, breuiter disputans beatus Augustinus, hoc modo scribit: *Non sic loquitur Angelis, Deus vt nos inuicẽ loquimur nobis, vel Deo, vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, siue per illos Deus nobis, sed ineffabili suo modo: nobis autẽ indicatur, nostro modo. Dei quippe sublimior ante suum factum locutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quæ non habet sonum strepentẽ atque transeuntem, sed vim sempiternè manentem, & temporaliter operantem. Hac loquitur Deus Angelis sanctis: nobis autem aliter, longè positis: quando autem etiam nos aliquid eiusmodi locutionis interioribus auribus capimus, Angelis propinquamus. Aut igitur veritas incommutabilis per se ipsam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus: aut per mutabilem creaturam loquitur, siue spiritalibus imaginibus nostro spiritui, siue corporalibus vocibus, nostri corporis sensui.* Hæc Augustinus. 82

B. Gregorius.

VERVM eadẽ de re copiosior & luculentior est B. Gregorij oratio. Explanans enim ille libro 2. Moralium quod scriptum est in primo capite libri Iob dixisse Deum Satanæ: *Vnde venis? nunquid considerasti seruũ meum Iob, quòd non sit ei similis in terra?* Sic ait: *dum naturæ inuisibilis naturæ incõprehensibilis loquitur, dignum est, vt mens nostra qualitatem corporeæ locutionis excedẽs, ad sublimes atque incognitos modos locutionis intimæ suspendatur. Nos enim vt ea quæ sentimus intrinsecus, extrinsecus exprimamus, ea per organum gutturis, per sinum vocis eijcimus, alienis quippe oculis intra secretum mentis quasi post parietem corporis latemus: sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuã egredimur, vt quales sumus intrinsecus, ostendamus. Spiritalis autem natura quæ ex mente & corpore* 83

pore compoſita non eſt, nequaquã talis eſt: nam quia ſpiritali naturæ ex corporea appoſitione nihil obſtat, loquitur Deus ad Angelos sãctos eo ipſo quo eorũ cordibus occulta ſua inuiſibilia oſtẽdit: vt quicquid agere debeãt, in ipſa contẽplatione veritatis legant, vt velut quædam præcepta vocis ſint, ipſa gaudia contemplationis. Quaſi enim audientibus dicitur, quod vidẽtibus inſpiratur.

84 *Vnde cùm eorum cordibus Deus contra humanã ſuperbiam animaduerſionẽ vltionis impenderet, dixit, Venite, deſcendamus, & cõfundamus ibi linguam eorum. Dicitur eis qui aderant, Venite quia nimirũ hoc ipſum nunquam a diuina cõtemplatione deſcreſcere, in diuina contemplatione ſemper accreſcere eſt: & nunquam inde recedere, quaſi quodam ſtabili motu eſt ſẽper venire. Quibus & dicit: Deſcendamus & cõfundamus linguam eorũ: Aſcendunt Angeli in eo quod creatorem conſpiciunt: deſcendunt Angeli in eo quod creaturam ſeſe in illicitis erigẽtem, examine diſtrictionis premunt. Dicere ergo Dei, Deſcendamus & confundamus eorum linguam. Eſt in ſeipſo eis hoc quod rectè agatur oſtendere, & per vim internæ viſionis eorum mentibus exhibenda iudicia occultis motibus inſpirare.* Hactenus quę ſunt commemorata, B. Gregorij ſunt verba.

85 Apparet igitur ex ſententia B. Auguſtini & Gregorij Deum dixiſſe Angelis: *Venite, deſcendamus, & confundamus eorum linguam*, non aliud fuiſſe, quàm Deum reuelaſſe Angelis voluntatis ſuæ decretum, vt illorum hominum ædificatio ciuitatis & turris, confuſa eorum lingua procedere vlterius prohiberetur. Non enim aliud eſt Deum loqui Angelis vt aliquid illi vel ſciant vel faciant, quam declarare illis qui ipſe velit eos ſcire & facere. Tales autem reuelationes diuinæ fiunt Angelis ſicut quibuſdam Theologis placet, in eſſentia diuina quam illi beatifica viſione cernunt: ea quippe ſpeculum quoddam eſt omnia intelligibilia repræſentans. Sed eſt tamen ſpeculum voluntarium, ea tantum manifeſtans quæ Deus vult, & quantum vult, & quibus vult, & quando vult reuelare. Quanquam probabilius videtur, eiuſmodi nouas reuelationes fieri Angelis per nouas ſpecies intelligibiles intellectui eorum à Deo infuſas, vel per priorum ſpecierum nouam quandam & propriam ad repræſentandas has vel illas res applicationem ac determinationem, vel denique per nouas cognitiones ſiue conceptus harum vel illarum rerum, ad quos producendos conceptus, Deus ſimul, cum Angelico intellectu concurrit, hac enim de re variant plurimum Theologorum ſententiæ.

Quid ſit Deũ loqui aliquid Angelis, & quomodo reuelet ipſis, quod ab illis ſciri vel fieri vult Deus

86 Ergo illud quod dixit Deus, *Venite*, ſignificat imperium & mandatum Dei datum Angelis: vel potius certam quandam eorum determinationem vel applicationem ad vnum aliquid potius quàm ad aliud agendum. Namque Angeli per ſe ſunt ad omnia Dei iuſſa capeſſenda paratiſſimi: determinantur autem à Deo & applicantur ad hoc potius quàm ad illud exequendũ. Illud, *Deſcendamus*, ſignificat id quod volebat Deus fieri ab Angelis, non in cœlo fieri debere, ſed in terra & in campo illo Sennaar, vbi erant ædificatores illius ciuitatis, & turris. Et deſcendere quidem, Deo tribuitur metaphoricè,

videlicet quantum ad operationem & effectum quem Deus operatur in terra, quæ infimus locus est comparatione cœli: at verò Angelis conuenit descendere propriè, id est, non tantùm secundum operationem & effectum, sed etiam secundum realem substantiæ eorum præsentiam, secundum enim hanc, cum non sint vbique, varia loca adire, & mutare possunt.

ILLVD denique: *Confundamus eorum linguam*, propriè conuenit 87
tam Deo quam Angelis. Etenim illa confusio linguæ à Deo profecta est non modo, vt imperante & ordinante, verùm etiam vt efficiente: Sed quia non à solo Deo immediatè effectus ille confusionis linguę profectus est, sed ab Angelis quoque cooperantibus & ministrantibus Deo, propterea pluraliter dictum est, *Confundamus*: vtitur autem Deus ad multas res perficiendas ministerio Angelorum, non propter indigentiam alieni auxilij, cùm sibi ipse ad omnia plenissimè sufficiēs sit, sed propter decentem ac suauem prouidentię atque gubernationis suæ rationem, quæ poscit vt terrena per cœlestia, corporea per incorporea moueantur atque gubernentur. Accedit hinc præterea natutæ Angelicæ magna quædam nobilitatis ac dignitatis excellentia, dum adhibentur Angeli diuinæ prouidentiæ & gubernationis administri in regēdo & mouendo mūdo corporeo. Verùm de his satis: & ad vltimam huius disputationis quæstionem expediēdam pergamus.

Cur Deus vtatur ministerio & cooperatione Angelorum.

SEPTIMA DISPVTATIO.

De linguæ illorum hominum confusione, & in varias linguas diuisione:

Super illis verbis:

Gen. cap. 11 VERS. 7. 8. 9. *Confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusū est labiū vniuersę terrę, & inde disperſit eos Dominus super faciē cunctarū regionū.*

VXTA profectò tam impiæ illorum hominum superbię atque inobedientiæ hæc fuit pœna, conueniensque culpæ supplicium. Nam quia Dominatio imperantis in lingua est (inquit Augustinus) ibi damnata est superbia vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere vt obediret Deo iubenti. Sic illa conspiratio dissoluta est, cùm 88

August. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 4.

quisque

quisque ab eo quem non intelligebat abscederet, nec se nisi cum quo loqui poterat aggregaret: & per linguas diuisæ sunt gentes, dispersæque per terras sicut Deo placuit, qui hoc modis occultis nobisque incomprehensibilibus fecit. Linguarum igitur oborta repente confusio (ait Cassianus) sacrilegos ausus hominum nefandosque compescuit. Permansisset enim ibi contra Deum consensus hominum noxius, nisi eos dispensatione Dei repugnans inter se diuersitas linguæ per dissonantiam vocis in meliorem statum proficere compulisset: & quos ad excidium sui animauerat pernicioſa consensio, ad salutem reuocasset bona vtilisque discordia, incipiētes scilicet humanam fragilitatem intercedente diuisione sentire, quam per noxiā conspirationem elati ante nesciebant. *Cassianus collatione 4. ca. 12.*

89 ERGO homines illi quia vnitate linguæ & vnanimi omnium consensu abusi sunt, vt contra Dei voluntatem ædificium illud extruere conarentur, ne scilicet disiungerentur inuicem atque dissiparentur, & vt æternam sui memoriam famamque relinquerent: idcirco Deus vnitatem linguæ eorum variè admodum discindens, ædificationem illius ciuitatis & turris, quam tanto illi studio conatuque susceperant, omittere coēgit: & cum propter diuersitatem linguæ inter se non intelligerent, inuicem dissociari eos & in varias terræ partes disperdi necesse fuit. Fecit etiam, vt pro celebritate nominis & famæ quā expetebant, immortale dedecus & infamiam consequerentur. Nāque illius loci nomē esse voluit Babel, significās confusionem, idque omni æuo apud omnes manere: vt locus ipse suo nomine tam probrosæ ac miseræ illorum hominum confusionis memoriam perpetuò custodiret.

Duo moralia documenta. Greg ho. 30. in Euangelia Actorum 2.

90 ATQVE huius quidem rei historia duo nobis vtilia præbet documenta: alterum est, quàm sint contrariarum rerum contrarij effectus, humilitatis, inquam, & superbiæ, pietatis atque impietatis, audaciæ & modestiæ Audi B. Gregorium qui explanans historiam descensus Spiritus sancti Apostolos, quam narrat B. Lucas, quemadmodum Spiritus sanctus in linguis igneis apparuerit Christi discipulis, omniumque linguarum scientiam dederit, quo miraculo præsignabatur, sanctam Ecclesiam eodem illo Spiritu repletam, omnium gentium voce locuturam, ad hunc modum scribit. *Qui contra Deum turrim ædificare conati sunt, communionem vnius linguæ perdiderunt. In iis autem qui Deum humiliter metuebant, linguæ omnes vnitæ sunt. Hic ergo humilitas vnitatem meruit, illic superbia confusionem.*

91 ALTERVM documentum quod ex hoc loco elicitur, attenta consideratione animi perpendendum est & in memoria semper habendum: vt pernicioſa est inter probos viros discordia, ita, ac magis etiam, malorum hominum conspirationem & concordiam esse pernicioſam. Hoc nempe figurata oratione insinuauit Dominus apud Iob, cùm de Leuiathan qui figuram gerit Diaboli & improborum hominum qui sunt eius membra, dixit: *Membra carnium eius cohæ-* *Iob. 41.*

rentia sibi. Quando enim homines improbi qui membra sunt Diaboli, in peruersis operibus susciendis aut peragendis, à principio vsque ad finem vsquequaque inter se concordant, tunc membra Leuiathan sibi inuicem esse cohærentia, rectè dicuntur.

Gregor. lib. 34. Moraliū. REPROBORVM *hominum vnitas* (inquit Gregorius) *bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto ei se per collectionem durior opponit. Hãc vnitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspiciens, cum in medio Pharisæorum & Sadduceorum esset, dixit: De spe & resurrectione mortuorũ ego* 92
Actorum. 23 iudicor. Qua voce vehementer percussa, protinus contra se inuicem audientiũ turba dissiluit: & dum in duas partes tumultuantiũ multitudo scinditur, Paulo via ereptionis aperitur: quia quem turba persequẽtium vnita constrinxerat, diuisa laxabat. Eripiũtur ergo iusti: dum diuiduntur iniusti: & electorum vota ad perfectum perueniunt, dum reproborũ agmina per discordiã cõfundun-
Exod. 14. tur. Hoc bene maris rubri scissione designatur. Nam dũ in duas partes vnda diuiditur, ab electo populo ad terram promissionis tenditur: sic dum malorum vnitas scinditur, bonæ mentes ad hoc quod appetunt perducuntur. Si malorum vnitas noxia nõ fuisset, nequaquam diuina prouidentia, eorum qui superbissimo animo ciuitatem & turrim ædificabant, linguas in tanta diuersitate dissipasset. Si malorũ vnitas noxia non fuisset, de sanctæ Ecclesiæ hostibus Propheta nõ diceret: Præcipita Domine, & diuide linguas eorum. Hæc Gregorius.

Psalm. 54. Genes. 49. HOC etiam spectans & sequens beatissimus patriarcha Iacob, 93
sceleratam & exitialem duorum filiorum suorum Simeonis & Leui conspirationem & concordiam ad necem Sichimitis tam atrociter & crudeliter inferendam, non solum detestatus est, verùm etiam iusta & vtili dissociationis & dispersionis eorum pœna mulctauit. *Diuidam eos in Iacob* (dixit ille) *& dispergam eos in Israël.* ergo iis qui magnæ alicui hominum multitudini & societati præsunt, duæ in primis res spectandæ & curandæ sunt, vt & bonorum dissidia tollant discordiamque conglutinent: nec minori etiam studio ac diligentia eos qui in malum conspirant & concordant inter se, quàm primum & quàm maximè fieri possit, dissocient atque inuicem distrahant.

Genes. 11. ex. pers. 6. VERVM nonnulla de supradictis verbis cursim exponamus. *Ecce* 94
vnus est populus & vnum est labium omnibus: cœperuntq; hoc facere nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere cõpleant. Significatur his verbis duplex vnitas qua illi homines confisi, ausi sunt tantum oppus aggredi: altera fuit vnitas communitatis & societatis popularis: nam licet ampliſſima esset eorum multitudo, vnius tamen populi idem cupientis & perficere conantis communione atque vnitate continebantur. Altera erat vnitas labij, id est, linguæ propter quam, cùm omnes inter se intelligerent, aliique alios proposita designati operis vtilitate & gloria incredibiliter incitarent, nihil profecto attentassent illi, quod non facilè perficerent ac præstarent. *Si in tanta concordia &*
Chrys. hom. 30 in Gen. linguæ vnitate, ait Chrysostomus, *tantam inciderunt insaniam, vbi processu temporis maiorem in modum eorum aucta esset multitudo & roborata potentia, sine dubio deteriora tentassent.* Nihil enim impetum &

ardorem

ardorem eorum retardare ac restringere potuisset: quæcunque designassent animo & votis concepissent, ad effectum perduxissent. Vt igitur eorum insaniæ non solum ad præsens, sed etiam in posterum occurramus, duas res quarum fiducia efferuntur, demoliamur, vnitatem linguæ eorum discendendo,& communionem popularem dissoluēdo,variasque in gentes & populos diuisam,in diuersas terrę partes dissipando.

95 ILLVD: *Non desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant:* significat, Nisi homines illi diuinitus fuissent impediti, certissimè designatum atque incœptum opus ad exitum fuisse perducturos. Nouerat igitur Deus, & certissimè nouerat, non solum quod illi facturi erant, sed etiam quid fuissent facturi,nisi essent impediti. Deus enim propter infinitam intellectus sui perspicacitatem, non solum quæ simpliciter aliquando futura sunt cognoscit, sed etiam conditionaliter futura, id est, quæ hac vel illa circunstantia & conditione posita essent futura. Quapropter Dauidi dixit, si remaneret ipse Ceilæ, futurum vt & Saul eo veniret, & Ceilani eum dederent Sauli.dixit etiam Ezechieli, se non mittere eum ad gentem longinquam profundique sermonis,& ignotæ linguæ: quod si ad eam gentem ipsum mitteret,fore tamen vt illa ipsum audiret, & monita eius perciperet, quo etiam spectat quod in Euangelio Dominus dixit,si miracula facta ab ipso in Caphanaum & Corozain, essent facta apud Tyrios & Sidonios, futurum fuisse vt illi in cinere & cilicio pœnitentiam agerent.

Infinita diuini intellectus perspicacia.

Lib. 1. Regū cap. 3.

Ezech. 3.

Matth. 11.

96 HINC etiam apparet ædificatores illius turris non voluisse eam vsque ad cœli viciniam, vel supra diluuij Noëtici altitudinem extollere: id enim quia nulla arte nullisque hominum viribus fieri poterat,etiamsi à Deo non fuissent impediti, efficere nequaquam potuissent.At hoc loco Deus significat, eos nisi impedirentur, opus ab ipsis designatum atque incœptum,perfecturos & absoluturos fuisse.

97 DEVM porrò impediuisse ne illorum hominum ædificatio vltra procederet magno illis bono fuit, ne scilicet eorum superbia & impietas magis ac magis crescerēt,& vehementius corroborata prorsus insanabilis esset, grauioréque digna supplicio: siquidem sinere Deo mala hominum consilia & conatus feliciter procedere, & quicquid illi agere voluerint, sine impedimento perficere, omnia denique illis ex animi sententia votóque succedere,certissimū est diuinæ indignationis argumentum & grauissimi genus supplicij.Illud enim rectè dictum est à Salomone Prouerb. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos:* Contra verò obstare ne quod quispiam male cogitat & cupit, efficere & assequi possit,maximum est benignitatis diuinæ beneficium. Etenim verissimum est quod posterioris libri Machabæorum capite sexto legimus:*Multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere,sed statim vltiones adhibere magni beneficij est indicium.* Quocirca B.Paulus vt grauissimum pœnę ac vindictæ diuinę genus aduersus homines impios,

Infelicissimā esse improbis eorum felicitatem.

Ad Rom. 1.

Psal. 77. commemorat illud, *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Dauid etiam cecinit de Hebræis qui cœleste manna fastidiose respuentes, carnes in deserto concupiuerunt easque à Deo cupiditati eorum indulgente, abundanter acceperunt, *Et manducauerunt*, inquit, *& saturati sunt nimis & desiderium eorum attulit, non sunt fraudati à desiderio suo.* Sed attende quod mox subdit. *Adhuc*, inquit, *esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei descendit super eos.*

98 SCITVM quoque est quod hac de re scriptum reliquit Philo: *Insignis pœna & vindicta impietatis est*, ait ille, *conniuere Deũ atque etiam indulgere peccãtibus: nec solum longam eis impunitatem, verùm magnã & diuturnam prosperitatem concedere. Hoc insipientes, non damnũ sed lucrum, non supplicium sed beneficium arbitrantur: & fortunatos iudicant, quorum omnia consilia & vota, qualiacũque illa sint, optatos ipsis exitus & successus habent. Cùm tamen desperatæ animæ indicium sit, peccare absq; vllo impedimento, & prosperos maleficiorũ successus habere. Nam quisquis non est plane insanabilis, præoptauerit se consilio potius mentis destitui, quàm in male agẽdo solertem & prudentem ac felicem esse. Nam cohibitio, maximum morbum arcet: iniustitia: quæ, si adsit licentia peccandi, vitari nõ potest. Ac stulti quidem fortunam Tyrannorum suspiciunt, quibus non alia est quodlibet agendi lex & regula quam propria ipsorum libido: quam quia nullo obsistente, prout volunt, explere possunt, fortunati iudicantur. Sed profecto lugenda magis & gemenda illorum est conditio. Nimirum inopia & infirmitas malis prodest: bonis verò potentia cum opibus.*

Præclara Philonis in libro de confusione linguarũ sententia de reproborum in hac vita prosperitate.

99 MAGNVM *profecto & maius quàm plerique putant, malum est humanum animum per se indomitum, & ad flagitia ruentem sine freno ac rectore sinere: cum is, etiam habenis & scutica, & prudenti rectore adhibitis, agre tamen coerceri queat. Quamobrem oraculum propitij Dei, plenum benignitate, spem egregiam ostentat disciplinæ amatoribus quod sic est editum: Nõ dimittam te neque deseram. Nam laxatis animæ vinculis, quibus illa velut constricta in bono tenebatur, maximã sequitur calamitas, à Deo deseri. Caue igitur quoties videris quempiam, quicquid ei libuerit inoffense & expedite facientem; mireris eum tanquam fortunatum: sed potius vt infelicem miserare cui scilicet virtutum sterilitas, vitiorum autem vbertas perpetuò contigit.* Hactenus ex Philone.

Iosue. 2.

100 ILLVD Autem: *Vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui*: Nõ est sic accipiendum quasi nullus illorum hominum audierit alium loquentem: Nam si id eis accidisse, fuisset proculdubio surdi: itaque non sola linguæ confusio, verùm præterea surditas eis cõtigisset. Ergo significatur illis verbis non simplex auditio, sed auditio cum eorum quæ alij loquebantur intellectu coniuncta. Audiebant illi sonos vocum, sed earum vim & significationem non intelligebant. Neque illud: *Non audiat vnusquisque vocem proximi sui*, significat in illa multitudine hominum, neminem fuisse qui alium vllum intelligeret, sed quot erant numero homines, totidem fuisse diuersas eorum linguas. Si enim hoc factum esset, omnes inuicem dissociati fuissent, nullaque

nullaq; fieri potuisset hominum societas aut communitas, quod erat certissimum humani generis exitium. Nulla enim ciuitas, nulla domus, nulla familia, nulla hominum coniunctio effici & constare potuisset. Adde quod id fuisset contrarium Dei consilio & propositio. Deus enim ob eam causam diuersitatem linguarum induxit, vt homines illi segregari inuicem cogerentur, & in varias terræ partes dispergi, quò totus orbis terrarum, habitatoribus cultoribúsque completus plenior, cultior, fœcundior, & ornatior existeret. At si nullus hominum alterum hominem loquentem intellexisset, nullus cum alio homine congregari potuisset. Non igitur quod intendebat Deus, ad effectum potuisset adduci.

101 ERGO quod hoc loco dictum est, nullum eorum hominum intellexisse vocem proximi sui, non de singulis hominibus accipiendum est, sed de certa quadam multitudine hominum: Exempli causa, qui vnius erant familiæ, propriam habuere linguam, qua inter se loquebantur, & intelligebant: & quia pro diuersitate familiarum, etiam linguarum diuersitas extitit, hinc factum est, vt quot tunc erant hominum familiæ, totidem essent linguæ: & qui eiusdem erant familiæ, quoniam inuicem quæ loquebantur intelligebant: inter se congregati & cõsocietati sunt. Quoniam verò qui ex aliis familiis erant, eorum illi linguas non intelligebant, idcirco ab illis omnibus dissociari eos & separatim viuere necesse fuit. Omnino, qui superiori capite decimo Moses recensuit duos & septuaginta posteros trium filiorum Noë, quorum quilibet propriam reliquit familiam & gentem, ex eo permulti existimarunt, vnam illam omnium hominum linguam quæ fuerat ante ædificationem turris Babel, in duas & septuaginta linguas esse diuisam. Verùm de hoc paulò infra dicemus.

102 NEC videtur id non elici posse ex iis quæ supra capite decimo prodita sunt. Legimus enim de filiis Iaphet ita scribentem Mosem: *Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam, & familiam suam in nationibus suis.* & itẽ de filiis Cham: *Hi sunt filij Cham in generationibus & linguis & generationibus terrisq; & gentibus suis.* Denique de filiis quoque Sem: *Isti sunt filij Sem secundum cognationes & linguas, & regiones in gentibus suis.* Apparet igitur ex hac narratione Mosis, pro varietate familiarum & cognationum, varias quoque fuisse linguas, diuersasque gentes & nationes extitisse.

103 VERVM Redeo ad id quod à primò dicere institui de confusione linguæ. Reputet secum lector diligenterque consideret, cùm tanta illa linguæ confusio hominibus illis accidit: qui animus eis, quæ mens, qui sensus fuerit. Credo equidem, cum inter se cœperunt non intelligere, ira primum eos & indignatione esse affectos, quod alij se derideri & illudi ab aliis putarent. Deinde similes euasisse amentibus atque furentibus puto. Verùm posteà, cùm seriò agi cognouerunt, & rem ipsam, vti erat, compertam habuerunt

cũ facile est diuisiolinguarum quanta fuerit illorum hominum animi perturbatio & confusio.

habuerunt, neque id aliter quàm Dei voluntate & potestate fieri potuisse intellexerunt, diuinam suæ impietatis ac superbiæ vindictam agnoscentes, incredibile eos confusione animi, & stupore simul ac pauore perculsos & obrutos esse, non est dubitandum. 104

Actorum 2. Comparatio eius quod accidit in ædificatione turris Babel cum eo quod euenit in die Pentecostes circa varietatem linguarum.

SIMILE quidam sed in re tamen longè dissimili sanctis Christi discipulis contigit in die Pentecostes. Hoc enim die linguarum omnium diuersitas repentè diuino nomine illis tributa est, ita vt vnusquilibet sanctorum discipulorum, alios omnes cuiuscunque gentis & linguæ essent loquentes intelligerent: & alij omnes, quāuis diuersissimis vterentur linguis, quemlibet illorum discipulorum Domini quasi sua lingua loquentem planissimè intelligerent. Itaque tunc diuersissimæ linguę, in vnius hominis os, vt ita loquar, congregatæ sunt, olim verò vna omnium hominum lingua in plurimas & diuersissimas linguas discissa est: Tunc omnes quemlibet discipulorum Domini loquentem intelligebant: olim nemo alterius linguam intelligere poterat. Vtrumq; sanè maximum fuit diuinæ potentiæ miraculum. Verum diuersus vtriusque fuit exitus & effectus. Per illud enim, qui congregativno loco erant, in omnes terræ plagas dispersi sunt, per hoc autem, qui dispersi omnibus terris erant, in vnam fidei communionem, vnámque Ecclesiæ societatem congregati sunt.

Et cessauerunt ædificare ciuitatem.

Gen. cap 11. VERS. 8.

HINC apparet, causam cur omissa fuerit ædificatio ciuitatis & turris, fuisse confusione linguæ, quòd vnusquisque vocem proximi sui non audiret, vt narrat Moses. 105

Ioseph. lib. 1. Antiquitatum. Euseb. lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vltimo. Sibilla. Abydenus.

Non igitur verum est quod à Sibylla & Abydeno proditum esse referunt Iosephus & Eusebius. Dixerunt illi, ædificatores illius vrbis vsos esse omnes vna lingua: sed Deos ventis procellisque immissis euersam turrim super ipsos ædificatores deiecisse. Verùm de illius turris euersione, & quod ruina eius ædificatores ipsius oppressi interierint, nullum verbum facit Moses, sólámque confusionem linguæ, desistendi ab ædificatione turris causam fuisse indicat. Sanè si Deus vel Angeli turrim destruxissent, cùm Dei & Angelorum perfecta sint opera, funditus atque omnino eam turrim euertissent. Atqui ædificium illud multis postea seculis permansisse, multi sunt graueśque testes quos suprà nominauimus.

Nemrod.

VERVM dicet quispiam, cur gigas ille Nemrod qui post diuisionem linguarum inibi cum suis popularibus remansit ac regnauit, omissam ædificationem turris & ciuitatis, non repetiit atque perfecit? Respondendum est, opus illud fuisse maius quam vt à tanta paucitate hominum qui cum eo erant, absolui posset. Sed illud probabilius est: homines illos recentis cladis quàm experti fuerant, memores deterritos esse à persecutione illius ædificij: verentes scilicet ne alia simili calamitate, aut etiam grauiori afficerentur. Et ciuitatis 106

quidem

quidem ædificatio vacauit per annos ferme centum, videlicet vsque ad Semiramidem, quæ inchoatam ciuitatem Babel, incredibili magnitudine & magnificentia absoluit. Turrim verò illam nequaquam altius extulit, sed mirifice ornatam in templum quod Belo consecrauerat, inclusit, eaque perdurauit vsque ad ætatem Herodoti, id est, per annos mille quadringentos. Claruit enim Herodotus, vt ex eius scriptis licet perspicere, circa Olympiadem septuagesimam quintam. *Herod. lib. 2.*

Atque ita diuisit illos Dominus ex illo loco in vniuersas terras. *Gen. ca. 11. VERS. 8.*

107 HIC nempe fuit vnius linguæ confusionis, & variarum multiplicationibus linguarum effectus simul & finis. Namque ad eum finem Deus vnam illam linguam qua omnes vtebantur confudit, inuecta aliarum complurium linguarum varietate: vt quia genus hominum maiorem in modum iam fuerat propagatum, vel inuiti homines illi segregarentur inuicem ac varie dispergerentur. Talis enim separatio & dispersio perquam vtilis futura erat humano generi primo quidem propter cibi & victus commoditatem & abundantiam. Neque enim vna aliqua regio sufficientem tantæ hominum multitudini, & quidem indies magis ac magis crescenti suppeditare victum potuisset. Deinde, si omne genus hominum vno in loco fuisset, exorto inter ipsos bello, vel grassante peste, alióve exitiali morbo, facile fuisset vt omnes communi clade interirent. Adde, quod bonos mores corrumpunt colloquia praua, & societas improborum atque impiorum hominum, sensim quasi contagiosus morbus serpens, etiam bonos inficit atque corrumpit. *Tres causæ ob quas valde vtile fuit homines multifariam dispergi.* *1. Ad Cor. 15.*

108 OB has igitur tres causas vtilissimum generi humano erat, in diuersa & longinqua terræ loca dissipari, & dissitarum inter se regionum habitatores & cultores esse. Itaque, facta linguarum diuisione, quisque cum suis eadem lingua loquentibus, diuersum terræ locum petiit. Tubal venit ad Hesperios, id est, in Italiam & Hispaniam: non quod iam tunc ista essent nomina, sed quod postea talia vocabula locis illis sint indita: Iauan profectus est in Ioniam & Græciam: Tharsis Ciliciam: Cethim Cyprum: Madai Mediam: Mesraim Ægyptum: Phut Aphricam: Lud Libyam: Chus Æthiopiam: Saba Sabæam: Chanaan eam terram, quæ ab ipso postea dicta est Chananæa, idémque de aliis posteris filiorum Noë, de quibus superiori capite decimo dictum est, intelligi volo.

***

Genes. cap. 11. VERS. 9. *Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.*

ILLVD pronomen (eius) Græcè fœminini generis est, refertúrque ad ciuitatem, de qua proximè ante dictum est: *Cessauerunt ædificare ciuitatem.* Et subditur: *Idcirco vocatũ est nomen eius Babel.* Nec aliud sanè fuit quod nomine Babel seu Babylonis sequentibus seculis appellaretur, nisi ciuitas illa. Septuaginta interpretes nomen Hebræum Babel interpretatum posuerunt in sua translatione, sic vertentes: *Idcirco vocatũ est nomen eius confusio.* Sed nullo tempore ciuitas illa appellata est cõfusio, vel vt illi Græcè scripserunt, σύγχυσις. Rectius igitur Latinus Interpres Hebræum nomen Babel retinuit. 109

Quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ.

Quomodo intelligendum sit linguam illam quæ prius vna omnium fuerat esse cõfusam.

DICITVR labium vniuersæ terræ lingua illa communis omnium hominum, qua tunc omnes qui erant in terris loquebantur. Dicitur autem confusa esse illa lingua, non quòd tunc vitiata & corrupta sit, manſit enim eadem vt erat prius, non tamen apud omnes, sed in sola familia Heber. Verùm quoniam aliæ plurimæ & diuersissimæ linguæ tunc inuectæ sunt, quo factum est vt alij alios non intelligerent loquentes nisi qui eiusdem erant linguæ, quæ res magnam initio attulit perturbationem & confusionem, propterea Moses dixit tunc esse confusam linguam omnis terræ, id est, confusos esse homnes qui antea indifferenter vna lingua vtebantur, omnésque quicquid loquerentur, inter se intelligebant. Atque hinc perspicuum fit, Babylonem dictam esse Babel propter confusionem linguæ ibi factam, non autem à Belo (vt quidam putarunt) qui pater fuit regis Nini, & quem vt deum in primis Chaldæi & Assyrij coluerunt. 110

VOLVIT porrò Deus manere omni æuo eius rei monumentum, multáque esse quæ memoriam eius facti quasi recentem perpetuò conseruarent. Namque iudicium eius rei erat nomen vrbis Babel: & vocabulum Phaleg, quo filius Heber ob diuisionem linguarum appellatus est: & item vnitas linguæ Hebrææ in familia Heber permanentis, quæ cùm anteà fuisset eadem omnium hominum, posteà paucorum fuit, & à linguis aliorum ominum hominum maximè distincta. Audi Chrysostomum super hæc ipsa verba Mosis quæ nunc tractamus, hunc in modum scribentem: *Vide quot res fiunt, vt memoria illius facti omnia in secula extendatur. Primùm linguarum sit diuisio: & ante* 111

Gen. 10

Chrys. in Genes. hom. 30.

hoc

hoc impositio nominis Phaleg, quod Heber filio suo imposuit, diuisionem significans: deinde ciuitatis nomen Babel seu Babylon quod sonat confusionem. Postremo Heber ipse mãsit idem, seruans idioma quod & ante habuerat, vt manifestum diuisionis huius signum foret. Vidisti per quot res immortalem nullaque oblitione delẽdam seruari huius facti memoriã Deus voluerit? Sic enim pater posteà cogebatur dicere filio causam tam diuersæ vocis, & puer à patre discebat, quare Babylon à confusione nomẽ sortita esset, nempe quod illic Deus confudisset labia vniuersæ terræ, & quòd inde homines disperssisset in omnes ræ plagas. Vtrumque enim videtur mihi appellatione illius loci significari, & quòd ibi confusio linguarum sit facta: & quod inde hominum in varias terras dispersio oxorta sit. Hæc Chrysostomus

OCTAVA DISPVTATIO.

Vtrum lingua Hebræa, ante confusionem linguarum fuerit in vsu omnium hominum.

112 QÆTERVM ex Mosica narratione confusionis ac diuisionis linguarum, non sanè ignobilis quæstio existit Vtrum lingua quæ dicitur à principio fuisse communis omnium mortalium, fuerit lingua Hebræa necne, Theodoretus in iis quæstionibus quas edidit in librum Geneſis, hac de re disputans, tria reliquit in scriptis, quæ ad id quod nunc quæritur, directo spectant. Censet primò antiquissimam primamque omnium linguarum fuisse Syriacam, quòd nomina illa, Adam, Cain, Abel, Noë quæ in prima mundi ætate imposita esse legimus, propria sint linguæ Syriacæ. Sic autem scribit Theodoretus: *Quænam sit lingua omnium antiquissima, nomina ipsa indicant. Adam enim & Cain, Abel & Noë, propria sunt nomina linguæ Syriacæ: Syrorum enim mos est, terram rubram appellare Adam. Interpretatur ergo Adam, terrenus aut pulueroſus: & Cain, possessio. Hoc enim Adam laudans Deum dixit: Possedi hominem per Deum. Et Abel idem est quod luctus: primus enim ille mortaliũ visus est mortuus, primusque parentibus luctum attulit. Noë verò, idem est quod requies.*

Theodoretus q. 59. in Genesim.

An lingua Hebræa fuerit omnium prima, & quæ omnes communiter vsi sunt ante cõfusionem linguarum. Genes. 4. Genes. 6

HÆC Theodoretus, cuius non solùm opinio non est vera, vt infra ostendemus, sed etiã ratio eius infirma est. Nomina enim illa, Adam. Eua, Cain, Seht, Noë, & eorum nominũ interpretationes, propria sũt Hebrææ linguæ, vt manifestum est ex libro Geneſis quem Moses Hebraicè scripsit. quòd eas autem voces habeat etiam lingua Syriaca, ne quaquam mirum est. Etenim ex Hebræa lingua tanquam ex fonte, complures aliæ linguæ, vt Syriaca siue Chaldaica, & Arabica, quasi riuuli quidam, deriuatæ sunt. Cum igitur Syriaca perquàm affinis sit Hebraicæ, quid mirum, si eadem in vtraque lingua, quædam reperiantur vocabula?

Theodor. putat, sed falso, Hebræã linguã nõ fuisse ante Mosem.

DEINDE arbitratur Theodoretus Hebræam linguam primum traditam Mosi à Deo fuisse, idque non fuisse eam ante Mosem. Quo fieret eam linguam plus sexcentis annis post confusionem & diuisionem linguarum esse natam. Theodoreti verba sic habent: *Linguam Hebræam equidem arbitror esse sacram. Quemadmodũ enim in templis Græcorum quidam sunt literarum characteres peculiares quos sacros appellarũt: Sic Deus per Mosem donauit hanc linguam, non quidẽ naturalẽ, sed ad docendum tamen aptã. Siquidẽ cum omnes loquantur lingua eius gentis in qua nati sunt, vt qui in Italia, Italice, qui in Græcia, Græce, qui in Ægypto, Ægyptiace loquuntur: pueri tamen Hebræorũ non statim Hebraica vtuntur lingua, sed eorum, apud quos nati sunt. At verò cum adoleuerint docentur litterarum Hebraicarũ characteres, & sacros libros Hebraicis & verbis & literis scriptos addiscunt. Quod puto indicasse beatum Dauidem, cùm de Ioseph loquens dixit: Linguam quam non nouerat, audiuit.* Sic Theodoretus. 113

Psal. 80.

VERVM in hac Theodoreti sententia quædam non sunt approbanda, vt est illud ante Mosem non fuisse linguam Hebræam, cùm id sit contra sententiam omnium tam Hebræorum quàm Christianorum Doctorum, & in exordio Mundi fuisse vsum linguæ Hebrææ, satis declarant vocabula illa quæ dudum posui, Adam, Eua, Cain, Abel, Noë, eorumque nominum interpretationes, quæ in primis quinque libri Geneseos capitibus exponuntur, quæ vim & locum non habent in vlla lingua præter Hebræam. Illud porrò quod ait Theodoretus de pueris Hebræis non statim Hebraicè loquentibus, ad id quod vult ipse, probandum nihil habet momenti. Dum enim sterit Respublica Hebræorum, omnem Hebraicè loquebantur, eamque linguã à nutricibus vna cum lacte pueri sugebant: at verò postquam ea gens in captiuitatẽ abducta, omnibus fermè terris dispersa est, amissa libertate & politia, & vbique seruiens aliis gentibus, vsum naturalem propriæ linguæ perdidit, & alienis linguis earum scilicet gentium quibus seruit, ab initio eam imbui necesse est. Iam verò quod Ioseph Hebræus & Hebraicè loquens Ægyptiacam linguam ab Hebræa diuersam, vt ignotam sibi addisceret, nec mirum est, nec ad firmandam Theodoreti sententiam vim affert vllam. 114

Eupolemus apud Eusebium de Præparatione Euangelica li. 9. c. 4.

QVOD autem Theodoretus non altius Mose repetit originẽ linguæ, & litterarum Hebraicarum, videtur in eo secutus Eupolemum, qui, vt refert Eusebius, Mosem sapientissimum fuisse virum prodidit, & litteras Iudæis primum tradidisse & à Iudæis Phœnices, Græcos autem à Phœnicibus accepisse. Sed enim vsum tam linguæ quàm literarum Hebraicarum fuisse antiquiorem Mose, mox docentem firmantémque B. Augustinum inducemus. 115

EXTREMO loco ait Theodoretus sibi opinionem eorum minime probari, qui arbitrantur tam Hebræos ipsos, quàm eorũ linguam Hebraicam nomen traxisse ab Heber: quia penes eum, cùm facta est confusio & diuisio linguarum, & in eius tantum familia manserit ea lingua quæ fuerat antea communis omnium: & idcirco ab Heber 116

appella

appellatam esse Hebræam. At ob eã causam oportebat, inquit Theodoretus, omnes posteros Heber appellatos esse Hebræos, & vsos lingua Hebræa: quod secus euenit. Posteri enim Heber fuerũt Syri, Moabitæ, Ammonitæ, Ismaëlitæ, Idumæi, Madianitæ, Amalechitæ, & qui ex filio eius Iectan progeniti varia, in regiones, Indiæ gentes variis differentes linguis, condiderunt. Censet denique Theodoretus appellatos esse Hebræos ex eo quod Abraham è regione Chaldæorum veniens in Palæstinam, transiuit fluuium Euphratem: Hebra enim Syrorum lingua (vt ipse ait) idem dicitur quod Euphrates. Concludit Theodoretus disputationem suam huiusmodi verbis: *Verùm de hoc contendere*, inquit, *superuacaneum est: nullum enim ex verbo pietati detrimentum accedit, siue hoc siue illud recipiamus.* Et hæc quidem Theodoreti est sententia.

117 VERVM enimuero quod putat Theodoretus Hebræos dictos esse ab Hebra, qua voce significari ait Euphratẽ, quod magnus ille Patriarcha & Hebræorum parens Abraham ex Chaldæa, transito Euphrate, venit in terram Chanaan: id sanè à vero longè remotum est. Verum ea de re disputabimus fauente Deo in tertio Tomo super illa verba capitis decimi quarti: *Ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo.* Sed ratio qua cõcludi existimauit Theodoretus, nec Hebræos nec eorum linguam nomen cepisse ab Heber, per imbecilla est: eaque benè soluitur à Beato Augustino, vt mox dicemus. Namque illi tantum posteri Heber dicti ab eo sunt Hebræi: & vsi lingua Hebræa, quos recta serie generationis ab Heber vsque ab Iacob pertinentes recensuit Moses: in quibus scilicet veri Dei cognitio & cultus mansit ac viguit.

118 BEATVS Augustinus in libris de Ciuitate Dei quatuor tradit quæ hanc disputationẽ propriè attingunt, & ad confirmationem sententiæ faciũt quam nos sequemur. Primo ait linguam illam quæ fuerat omnium hominum communis, fuisse Hebræam, sic nominatam ab Heber, quod in eius solius familia post diuisionem linguarũ manserit. *Quoniam in familia Heber*, inquit Augustinus, *communis antea omnium lingua remansit, diuisis per alias linguas ceteris gentibus, ideo deinceps Hebræa est nuncupata: tunc enim opus erat distingui eam ab aliis linguis nominè proprio, sicut aliæ quoque linguæ vocatæ sunt nominibus propriis. Quando autem erat vna omnium, nihil aliud quàm humana lingua, vel humana locutio vocabatur, quòd ea sola vniuersum genus hominum loquebatur.* *Augustinus de Ciuitate Dei lib. 16. c. 11. & libr. 18. cap. 39.*

119 DEINDE ex hoc Augustinus argumentatur in solo Heber, & familia eius rectam veri Dei fidem, religionem ac pietatem remansisse. Nam confusio linguarum, pœna fuit impietatis illorum hominum: quibus igitur illa pœna non contigit, eos par est credere impietatis illorum hominum non fuisse participes. *Quemadmodum* (ait Augustinus) *etiam cùm erat vna omnium lingua, non ideo tamen filij pestilentiæ defuerunt: nam & ante diluuium vna erat lingua, & tamen omnes deleri, præter vnam Noë iusti domum, diluuio meruerunt: ita quando elatioris impietatis* *Genes. 7.*

meritò gentes linguarum diuersitate punitæ sunt, & ciuitas impiorũ confusionis nomen accepit, vt appellaretur Babylon, non defuit domus Heber, vbi & prior lingua, & pietas conseruaretur. Nam quia de pœna venit multiplicatio mutatioque linguarum, vtique præter hanc pœnam esse debuit populus Dei. Ergo vbi eadem lingua remansit, ibi non fuit illa pœna qua facta est mutatione linguarum, & hoc sanè nõ paruum institiæ eius gentis apparuit vestigium, quod cùm aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non peruenit tale supplicium. Nec frustra lingua ista quam Patriacharũ, & prophetarum nõ solùm in sermonibus suis, verũ etiã in litteris sacris custodiuit auctoritas, non in omnes Abrahæ vel Heber posteros transmissa est, sed in eos tantũ, quorum generationes recta serie perducuntur ad Abraham: & hinc præterea in eos tantum qui propagati per Iacob, & insignius atque eminentius in Dei populum cohærentes, Dei testamẽta, & stirpem Christi habere potuerunt. 120

Non linguã tãtum sed etiã litteras, & characteres Hebraicos fuisse in vsu ante Mosem.

TERTIO loco confirmat Augustinus non tantum linguam Hebræam, sed etiam litteras, & characteres Hebraicos diu ante Mosem in vsu fuisse: scilicet contra quàm putauit Theodoretus. *Non est credendum quod nonnulli arbitrantur*, inquit Augustinus, *Hebræam tantum linguam per illum qui vocabatur Heber, vnde Hebræorum vocabulum est, fuisse seruatam, atque inde peruenisse ad Abraham: Hebræas autem literas à lege cœpisse quæ data est per Mosen, sed potius per illam successionem fratrum, memoratã linguam cum suis literis custoditam. denique Moyses in populo Dei constituit qui docendis literis præessent: priusquam Diuinæ legis villas litteras nossent. Hos appellat scriptura grammaton Isagogos, qui Latinè dici possunt litterarum inductores, vel introductores, eo quod eas inducant quodammodo in corda discentium vel in eas potius ipsos quos docent:* Sic Augustinus. Qui extremis hisce verbis spectare videtur ad id quod scriptum est Deuteronomij capite 31. vbi Latina lectio sic habet: *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & inuocabo contra eos cœlum, & terram.* Pro illo vocabulo, *Doctores*, Græcè est, γραμμάτων ἀσαγωγεῖς, quam vocem interpretatus est Augustinus, litterarum in doctores, vel introductores vel potius introductores ad litteras.

Dubitatio ex Augustino vtrum Phaleg fuerit primogenitus ipsius Heber.

QVARTO loco dubitationem hanc mouet Augustinus: Si in ortu Phaleg (vt superiori libro decimo quinto conclusũ est facta est diuisio linguarum, fuit autem Phaleg primogenitus ipsius Heber, & post illum natus est frater eius Iectan: ergo tempore diuisionis linguarum non erat Iectan, ac multo minus eius posteri, quos supra capite decimo percensuit Moses. At detractis posteris Iectam, non constat numerus duarum & septuaginta familiarum, & gentium quæ fuisse dicuntur, cùm ędificabatur turris Babel, nec numerus septuaginta duarum linguarum illis familiis pariter respondentium. Hanc dubitationem soluens Augustinus, negat Phaleg fuisset primogenitum ipsius Heber, sed Iectan multis annis ipso Phaleg priorem natu fuisse: priorem tamen esse nominatum Phaleg, vel propterr notabilem casum confusionis, & diuisionis linguarum in quem 121

ortus

ortus eius incurrit vel propter eius posteritatis dignitatem, vel aliam quampiam ob causam.

NEQVAQVAM *putandum est*, inquit Augustinus, *quod eo fuerint ordine geniti quos recenset Moses quo ordine commemoratos ab eo legimus. Alioqui duodecim filij Iectan qui erat alter filius Heber & frater Phaleg, quomodo potuissent iam tunc gentes facere, si Iectan post Phaleg natus esset: sicut post eum a Mosi commemoratus est: quandoquidem tempore quo natus est Phaleg, diuisa est terra? Proinde intelligendum est, priorem quidem Phaleg esse nominatum, sed natum esse longe post fratrem suum Iectan: cuius Iectan duodecim filij tam grandes iam tunc familias habuerunt, vt in linguas proprias diuidi potuerint. Sic igitur potuit prior commemorari qui erat ætate posterior, quemadmodum inter posteros trium filiorum Noë, prius commemorati sunt filij Iaphet qui erat minimus eorum: deinde filij Cham, qui erat medius: post remò filij Sem, qui erat primus & maximus.* Hactenus ex Augustino: Cuius opinionis summa est, Hebræam linguam fuisse primam omnium, eáque vsum esse omne genus hominum ante ædificationem turris Babel, & ab ipso Heber Hebreæam esse appellatam. Ex solutione autem huius dubitationis apparet, quàm infirma & futilis sit ratio qua Hebræi probant diuisionem linguarum, non in ortu, sed prope obitum Phaleg esse factan: quod Iectan post Phaleg natus sit cuius tredecim posteri fuerint cùm sunt diuisæ linguę. *Genes. 10.*

122 EADEM Est B Hieronymi sententia: is enim super tertium caput Sophoniæ explanans illa verba *Nugas quæ à lege receſſerunt, congregabo*, ad hunc modum scribit: *Id quod diximus, nugas, sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem, & propterea à nobis ita vt in Hebræo erat, esse positum: vt nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem: quod non est huius temporis disserere.* Ad hanc quoque sententiam pertinet quod ait idem auctor exponens illa verba Isaiæ: *Ecce virgo concipiet* Disputans enim, vocabulo Hebræo, *alma* propriè non solum puellam significari, sed virginem absconditam & secretam quę nunquam vitorum patuerit aspectibus, magnáque parentũ diligentia custodita sit: ita scribit: *Lingua quoque Punica, quæ de de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè virgo nominatur, Alma. Et vt risum præbeamus Iudæis, nostro quoque sermone, Alma, dicitur sancta, omnium enim pene linguarum verbis vtuntur Hebræi: vt est illud in Cantico Canticorum de Græco, φορεῖον, id est, ferculũ sibi fecit Salomon: quod & in Hebræo ita legimus. Verbum quoque (nugas) & mensuram) Hebræi eodem modo & eisdem appellant sensibus.* Sic Hieronymus. *S. Hieronym.* *Esai. cap. 7.* *Cantic. 3.*

AD horum patrum sententiam, & graui eorum auctoritate
213 & optimus fundatam & firmatam coniecturis posteriores fermè omnes acceſserunt & adhæserunt. Non attinet omnium vel nomina vel dicta percensere. Quatuor exemplis contentus ero, vno proximè superioris sæculi, tribus aliis huius nostræ ætatis. Tostatus linguam ab exordio Mundi communem omnium hominum, fuisse Hebraicam probat ex impositionem nominum quæ Adam *Tostatus in cap. 11. Genesis quæst. 1 & 2.*

Adam impoſuit rebus ſecundum eam linguam quæ tunc erat. Talia enim nomina non inueniuntur in alia lingua ſignificare id, ad quod ſignificandum impoſita ſunt ab Adamo, niſi in lingua Hebræa: nomina dico, Adam, Eua, Cain, Abel, Noë. Quod ſi ea nomina idem quoque aut ſimile quiddam in alits quibuſdam linguis ſignificant; id propterea accidit, quòd illæ linguæ perquam ſimiles ſunt Hebreæ, ex ea ſcilicet deriuatæ, vt eſt Chaldaica vel Syriaca, Arabica, & in quibuſdam etiam Punica. Diuiſis autem linguis; prima illa lingua manſit in ſola ſtirpe Heber, vnde vocata eſt Hebraica: nec in omnes poſteros Heber transfuſa eſt, ſed in eos ſolos qui erant in recta linea per quam deſcendit Chriſtus. Manſit igitur in ſolo Phaleg, & in huius tantùm filio Reu, & ſic deinceps vſque ad Abraham & Iſaac & Iacob. Hic autem cùm duodecim filios habuerit, omnes ea lingua vſi ſunt, omnesque eorum poſteri, id eſt, duodecim tribus Iſraël, non autem ſola tribus Iuda, licet ex ea tantùm originem & genus duxit Meſſias.

Caietanus in c. 11. Geneſ. ILLVD igitur permirum eſt, cùm ſupradicti patres ab Heber vſque ad Iacob, omnes filios ſuos docuiſſent linguam Hebraicam, eos tamen deinde, vel eorum poſteros diuerſas habuiſſe linguas, vel ab ipſis adinuentas, vel ab aliis gentibus acceptas, apud quas verſabantur, Et lingua quidem Hebraica olim completa & perfecta fuit, cunctis nempe vocibus inſtructa, quæ ad omnes res ſignificandas valent, non minus ſane quàm alia quæuis ex copioſiſſimis & ditiſſimis linguis. At nunc, immo verò poſt captiuitatem Babilonicam, imperfecta eſt, multorum ſcilicet verborum inops, quippè cum ea ſola nomina manſerint planè Hebraica, quæ in libris ſacris continentur. Cuius rei illa fuit cauſa, quòd Hebræis cum aliis gentibus mixti, propriæ linguæ vſum perdiderunt, & aliarum gentium linguas vſurparunt. Sic Toſtatus. 124

Oleaſter in c. 10. Geneſis. CAIETANVS idem quod Toſtatus ſentit, & ad hunc modum argumentatur. *Et ſi diuina Scriptura non explicat quæ fuerit tunc omnium lingua communis: duas tamen coniecturas habemus, eam fuiſſe Hebræã, Altera coniectura eſt, quod lingua Hebræa fuerat ante diluuium, vt nomen Domini Tetragrammaton teſtatur. Altera eſt, quod Babylonis nomen quod iuxta Hebræam linguam ſortita eſt ciuitas illa, apud omnes nationes perſeuerare videtur. Quod ſi ita eſſe conſtaret, efficax profecto haberetur eius rei hinc argumentum: præcipuè verò quod ciuitas illa non fuerit Heber aut filiorum eius, ſed Nemrod filij Cum, filij Cham.* Ita Caietanus. 125

OLEASTER autem ſuperiorum inſiſtens veſtigiis ſimilia prodidit: *Cùm*, inquit, *textus dicat totam terram fuiſſe vnius linguæ, equidẽ facilè crediderim eam fuiſſe Chaldaicam vel Hebraicam: has enim duas nunc linguas, vnam & eandem fuiſſe à principio puto, cùm ſint admodum vicinæ.* Nec deſunt huic opinioni rationes. Prima, quoniam nomina primis parentibus impoſita, vt Adam & Chauach, à verbis Hebraicis originem habent. *Sunt etiam aliquot nomina, quæ ab Hebræis alias linguas eſſe* 126

mutuatas,

mutuatas, non est dubitandum: vt, Sac, id est, Saccus: Babel & Tharsis nomen lapidis pretiosi. Secunda ratio, quia credibile est primam linguã & cõmunem omnium esse ibi relictam, vbi primum fuit linguarũ facta diuisio, id est, in terra Sennaar, quæ fuit Chaldæa. Tertia ratio, quia Abraham qui Chaldæus fuit, hac lingua loquebatur, à quo didicerunt eã posteri eius qui dicti sunt Hebræi. Quarta ratio, quia textus dicit eos qui vnius erant linguæ, venisse ab Oriente: cum autẽ linguæ Chaldaica & Arabica manserint in Oriente, videntur illæ fuisse primæ, vel potius Hebræa, quæ illarum parens fuit. Sic Oleaster. Origenes quem primo loco ponere oportuit, Homilia 11. in librum Numerorum, linguam Hebræam fuisse ait primam omnium, & qua vsus est Adam, eámque permansisse etiam post confusionem & diuisionem linguarum. *Origenes.*

127 NEC à tam veteri & probabili sententia recessit Genebrardus. Cuius ego viri, quoties mihi occasio incidit, libenter memoriam & nomen vsurpo: eum quippe diligo ex animo, nec propter doctrinã tantùm, verùm multo magis ob singularem fidei Catholicæ ac pietatis Christianæ ardorem: quem ego cùm è scriptis eius, tum etiam multorum sermonibus perspectum & cognitum habeo. Genebrardus igitur Hebræam linguam esse linguarum omnium matricem, & mundo coæuam, auctoritate firmat B. Hieronymi in Sophoniam, & Origenis Hom. 11. in librum Numerorum, & Hebræorum præter Rabbi Iuda, qui in Tra-Sanedrin, Adæ, sermonem Aræmeum, id est, Syriacum fuisse dixit. Non igitur voces vim habent à natura, vt disputat Plato in Cratylo, neque ex hominum instituto, vt visum est Aristoteli: Sed Deus ipse linguas confudit, id est, ex vna multas fecit. Hebraica porrò lingua (quæ antea communis omnium fuerat apud Hebræũ) à quo linguæ & populi nomen) remansit incorrupta, quòd ille neque consiliis neque operis interfuisset eorum, qui turrim Babel ædificare, & in cœlum erigere voluerunt. Hos autem ædificatores appellatos esse Meropes ob diuisam vocem, tradit Suidas in vocabulo Seruch. *Genebrardus in Chronologia.* *Plato.* *Aristotel.* *Suidas.*

NONA DISPVTATIO.

Qualis fuerit illa confusio linguarum, & quemadmodum facta sit.

128 DISPVTAT hac de re multis & disertis verbis Philo sub finem eius libri quem de confusione linguarum scripsit, tractãs illa verba: *Venite descendamus & confundamus, &c.* Tres autem partes habet eius disputatio. Primo loco exponit quid significet vox illa, Confusio: *Res* (inquit Philo) *quæ per se non facile nascuntur, ex cognatarum rerum similitudine manifestæ fiunt, sæpe enim ignotos ex similium & eiusdem generis collatione cognoscimus.* *Philo.*

Sed quid est confusio? similis mixturæ scilicet & temperaturæ, vt à maioribus traditum est: mixtura in rebus aridis, temperatura in humidis. Est igitur mixtura, corporum diuersorum perturbata coniunctio, vt si quis hordei, triticum, ceterarúmque frugum species in vnum aceruum congerat. Temperatura verò non est coniunctio, sed dissimilium partium mutua penetratio: quarum semel temperatarum qualitates arte quadam secerni queunt. Id quod aiunt in vino & aqua contingere: nam hæc duo si vniantur, temperaturam conficiũt, & nihilominus tamẽ per secretionem ad pristinas qualitates redire possunt. Si enim spongiam imbuas oleo, aquam ea colligi, vinum relinqui aiunt. fortassis quia spongia ex aquis genita cognatum sibi liquorem in temperamento attrahit: vinum verò vt alienum respuit. At confusio fit, cum penetrãtibus se inuicẽ partibus, qualitates earum pereunt, vt corruptis rebus quæ prius fuerãt, vnius nouæ & a prioribus diuersæ existat generatio: quod accidit in Medicorum compositione, quam vocant Tetrapharmacum, quæ cõstat è cera, pice, resina & adipe: hæc semel composita & inuicem confusa, non possunt vlla arte separari, vt redeant ad qualitates pristinas: sed cùm singulæ nusquam appareant, ex omnibus corruptis vna egregia conficitur. Quid igitur vocabulum confusionis significet, ex his quæ diximus, apparet.

Quid sit confusio.

SECVNDO loco enarrat Philo eorum sententiam qui putarunt Mosem supradictis verbis locutum esse de vera confusione linguarum, quasi tunc primum diuersitatis linguarum quæ sunt inter homines origo extiterit. Hanc opinionem etsi non planè improbat Philo, negat tamen eam Mosis consilio & proposito esse conuenientem, ita scribens: *Qui aperta solum & obuia sectantur, putant hic describi ortum linguarum Græcarum, ac Barbararũ. Quos equidẽ non accuso: fortassis enim & ipsi rectè sentiunt: sed istos tamẽ admonitos cupio ne hactenus processisse cõtenti sint, sed transeant ad tropologicam, sic existimando, diuina oracula esse vmbras quasdam corporum: ceterùm quæ per has significantur, esse res verissimas. Id si quis animo cæcutiens parum acutè cernit, occasionem ab ipso legislatore porrectam minime negligat, vel hoc ipso in loco: confusionem enim rem hanc appellat: qui si solum voluisset ortum linguarum indicare, aptius diuisionem appellasset quàm confusionẽ. Non confunduntur enim quæ in partes distribuuntur, sed discernuntur potius: vt non minor pugna sit inter hæc vocabula, quàm interres ipsas. Est enim confusio facultatum simplicium corruptio, quæ simul congestæ vnam quampiam generant: Separatio verò est vnius in plura diuisio. Itaque si Moses voluisset significare vnam loquelam in plures partes diuisam esse, alijs aptioribus & magis propriis vsus fuisset appellationibus, diuisionem vel separationem vocando, non autem confusionem, quæ planè contrarium significat.* 129

EXTREMO loco declarat Philo quemadmodũ oratio hæc Mosis non historicè, sed secundum tropologicam intelligentiam exponenda & intelligenda est. *Quoties Deus*, inquit Philo, *minatur confusionẽ cogitationibus impijs, ea nõ singulis tantùm vitiorum speciebus, earúmque viribus intentatur, sed & operibus eorum quæ fiunt de communi sententia, ne vel singula, vel cõmunicatis consilijs, vires vniuersas colligant ad delendam par-* 130

tem

tem præstantiorẽ. Quapropter ait: Confundamus ibi linguã eorum, ne audiat vocem quisque sui proximi. Ac si diceret, mutã surdãque faciamus vitia singula, vt nec loquendo, nec inuicem consentiendo damnum afferãt. Hoc igitur est nunc propositum sub figura confusionis linguarum, dissicere conflatum vitiorum cuneum, irrita facere improborum fœdera: perniciosam societatem conuellere: iunctas impiorum copias ideoque validas dissipare, malitiæ imperium maximis iniquitatibus communitum demoliri.

131 NONNE *vides vt mundi Opifex partes animæ conspirare noluerit, sed propter ipsarum decorẽ atque incolumitatẽ loci discluſas & muneribus atque functionibus distinctas fecerit? Non possunt oculi, quod aures præstant, audire, non aures cernere, non odorari labra, nõ gustare nares, nõ ratio fungi sensuum officio, nec sensus formare vocem. Nouerat ille omnium artifex, nõ expedire vt hæc inuicem misceantur & confundantur, verùm satius esse, vt singulæ partes animæ intra suas quæque functiones consistant, & inconfusæ maneant: idque non minus conferre in commune animantium generi, quàm priuatim ipsis potentijs. E diuerso autem vitia in confusionem & dispersionem adducit Deus, ne coadunata, iunctis nocendi viribus, insuperabile malum afferant. Sicut enim concentum virtutum à Deo foueri decet: ita dispergi & profligari vitia. Nec est aliud nomen quod vitio magis conueniat, quàm confusio. Id quod euidens est in quouis insipiente, qui verbis, consilijs, factis, perturbatis & confusis vtitur. Atque hæc est nostra*, inquit Philo, *super hoc textu & oratione Mosis sententia.* Et hactenus quidem procedit Philonis disputatio.

Refellitur Philo.

132 AT enim verò, interpretationem hanc Philonis, in genere quidem tropologico, vt veram, acutam, nec ineruditam, laudo & amplector; at verò vt propriam, & quemadmodum vocant, literalem, atque ab ipso Mose primo ac principaliter spectatam & designatam, planè improbo & abiicio. Namque orationem Mosis esse historicã, & veram ac germanam rerum gestarum narrationem, præter omnium tam Hebræorum quàm Christianorum auctoritatem, res ipsa loquitur. Totum enim genus dicendi Mosis in hoc libro, historicum est, & nuda ac simplici narratione constans, non secus profecto quàm in libris Iosue, Iudicum & Regum. Alioqui, cùm liber Geneſis, tum ceteri omnes sacri libri qui nominantur historici, non essent quales nominantur & ab omnibus habentur: sed essent parabolici & allegorici aut etiam ænigmatici, similiter atque liber Salomonis qui inscribitur Cantica Canticorum.

Argumentũ Philonis soluitur.

133 SED vrget nos Philonis argumentum. Vocabulum enim confusionis, inquit ille, ad Mosis orationem minime quadrat: neque enim, si nudam spectes historiam, confusas esse linguas, sed diuisas reperies. Nam vbi quæso ista linguarum confusio est facta? an in illa prima & omnium communi lingua? at illa, etsi non apud omnes, attamen apud quos mansit, eadem mansit plane integra & incorrupta. Vtrum in aliis linguis, quarũ varietas tunc est inuecta? verùm in illis nulla cernitur confusio. quomodo enim confusæ dici possunt, quæ nunquam antea fuerant, & tunc primum ortæ sunt? cumque earum

quælibet sic esset ab alia qualibet distincta, vt qui essent vnius linguæ, nullam intelligerent, non potuit vlla esse in illis confusio. Erant igitur omnes inconfusæ atque omnino distinctæ.

Quomodo intelligenda sit confusio linguarum.

SED huic argumento facile occurritur, si dicamus, confusionem 134
illam de qua loquitur Moses, non fuisse in linguis, sed in hominibus, propter linguarum tamen repentinam varietatem. Etenim propter primæ linguæ obliuionem, quæ plerisque illorum hominum accidit, & subitam variarum linguarū valde dissonantium ac discrepantium in magna illa hominum multitudine vsurpationem, tanta illis hominibus animorum confusio accidit, ab incœpta ædificatione desistere, & inuicem segregari, diuersaque terrarum loca ad habitandum capessere coacti fuerint. Et hanc quidem interpretationem vehementer adiuuant verba illa, quibus Moses Deum ita loquentem facit: *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Vides in eo fuisse linguarum confusionem, quod in tanta illa multitudine hominum, propter repentinam linguarum varietatem, cum alij alios non intelligerent, supra quam credi possit perturbati animo & confusi fuerint.

Quomodo repente facta sit diuisio illa & multiplicatio linguarum.

SED quomodo linguarum illa confusio & diuisio facta est? Hoc 135
nempe modo. Primò quidem fecit Deus omnes illos homines (præter Heber & familiā eius) obliuisci primæ linguæ, quæ antea fuerat omnium communis. Obliuionem verò attulit, delendo ex animis eorum hominum habitum illum, quo significationes omnium vocum illius linguæ cognitas habuerant, iisque, quotiescunque volebant, ad loquendum vti promptissimum & facillimum illis fuerat. Hac inducta obliuione, tanta illis contigit eius linguæ ignoratio, vt cum ea loquentes audirent ipsum Heber & Phaleg, quasi nihil de ea vnquam vel nouissent vel etiam audissent, nullo modo eos intelligerent.

DEINDE, pro diuersitate illarum gentium, quæ tribus ex filiis
Noë proseminatæ concurrerant ad ædificationem ciuitatis & turris, 136
diuersos habitus variarum linguarum mētibus eorum inseruit Deus. Quo factum est, vt vnaquæque illarum gentium eius linguæ, quæ diuina dispensatione ei contigerat, non modo cognitionem, quantum ad verba, phrases, prouerbia, aliaque id genus propria cuiuslibet linguæ, verum etiam ad loquendum facilem & proprium haberet vsum. itaque sic illi circa suam quisque linguam affecti erant, vt affecti esse solent qui linguam aliquam probè nouerunt, eaque quoties libet expedite ac facile vtuntur.

Philastrius mutans etiã ante turris Babel ædificationẽ fuisse diuersas hominum linguas refellitur.

PENE fugerat memoriam, quod superiori disputatione de Phi- 137
lastrio dicendum fuerat. Id quia illic prætermissum est, hic reddemus, satius rati alieno quàm nullo loco dicere. Philastrius in Catalogo Hæreseon capite 106. opinionem de vnitate linguæ omnium hominum ante ædificationem turris, quam nos supra grauissimis auctoritatibus, optimisque rationibus firmatam secuti sumus, vt

hæreti

Hæreticam improbat & damnat. Ait ille, *firmiter esse credendum, etiam ante ædificationem Babel multis sæculis, magnam fuisse inter homines linguarum & sermonum varietatem: quarum tamen omnium linguarum scientiam omnes homines Dei munere vsque ad constructionem terris & linguarum confusionem, tenuerunt. Quod autem Moses dixit terram fuisse labij vnius*, id circo dictum putat, *quia etsi varia erant linguarum genera, omnes tamen se inuicem intelligebant: eráque omnibus lingua vna & idem sermo, nõ quidem eorumdem vocabulorum vsu, sed eadem omnium loquẽtium & audientium intelligentia.* Sic ille.

138 VERVM Philastrius dum quod verissimum erat, quasi falsum & Hæreticum damnauit, à vero ipse & à recta diuinarum literarũ intelligentia longè aberrauit. Verùm quia superiori disputatione satis de hoc est dictum, nihil attinet hoc loco contra Philastrium eadem de re disputare. Videtur autem Philastrius leui consideratione eorum quæ supra scripsit Moses capite decimo in eum esse inductus errorẽ. Proditum enim est capite decimo, filios Iaphet & Sem fuisse diuisos in diuersas familias, regiones & linguas, quasi ante ædificationem turris iam fuisset inter posteros filiorum Noë diuersitas linguarum. Sed non animaduertit Philastrius, illa esse scripta per anticipationem, figuram nempe sacris litteris non infrequentem: id quod supra nos B. Augustini & Ruperti testimonio comprobauimus.

DECIMA DISPVTATIO.

De numero linguarum, in quas prima illa & communis omnium lingua vel diuisa vel multiplicata esse dicitur.

139 PERVETVS opinio est, tam Hebræorũ quàm Christianorum doctorum suffragiis approbata, præter Hebræam linguã, quę sola ab orbe condito vsque id temporis in vsu apud omnes fuerat, vnam & septuaginta alias linguas tunc esse inuectas: ita vt omnes linguæ fuerint duæ & septuaginta. Hoc autem ita probatur: Moses ait, cùm est confusum labium vniuersæ terræ, tantam repente varietatem linguarum esse inductam, vt vnusquisque non intelligeret linguam proximi sui. Aut igitur cuilibet illorum hominum propria cõtigit lingua, aut tantum cuilibet genti & familiæ. Non contigisse singulis hominibus singulas linguas, supra ostendimus, docentes id futurũ fuisse contra Dei consilium & propositum, id est, contra id quod per talem cõfusionem linguarum & dispersionem hominum efficere Deus constituerat. Relinquitur igitur, diuersitatem linguarum fuisse pro di-

An tunc fuerint 72. linguæ.

uersitate illarum gentium & familiarum: sed Moses capite decimo recensuit septuaginta duas familias ac gentes ortas ex tribus filiis Noë, ergo totidem quoque linguas fuisse credendum est.

Epiphan. MAGNAM huic opinioni fidem astruit auctoritas grauissimorum 140
Patrum qui eam secuti sunt. Epiphanius in ipso pene initio Panarij, ad hunc modum scribit, loquens de ædificatoribus ciuitatis & turris Babel: *Non habuit Deus*, inquit, *complacentiam in opera dementiæ ipsorũ: dispersit enim & diuisit ipsorũ linguas, & ex vna in septuaginta duas distribuit, iuxta numerum virorum tunc repertum: vnde & Meropes vocati sunt propter diuisam vocem: & turrim quoque vẽtorum impetu euertit Deus.* Hæc Epiphanius. Sed extremum hoc de turri à ventis euersa, haud dubiè sumptum ex Iosepho & Eusebio, falsum esse supra indicauimus. Eadem quoque fuit Beati Hieronymi de septuaginta duabus linguis sententia: explanans enim illa verba Domini: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Sic ait: *Duodecim legiones Angelorũ continẽt septuaginta duo millia Angelorum: in quot scilicet gentes hominum lingua diuisa est.* Non quod Hieronymus velit linguas esse diuisas in gentes septuaginta duo millia, id enim falsum esset, sed indicare voluit sacramentum illius numeri septuaginta duo, etiam Gentium linguarum pari multitudine nobilitatum.

S. Hieronym. in c. 26. Mat. Legiones.

IDEM sensit B. Augustinus in libris de Ciuitate Dei ad hũc mo- 141
dum scribens: *in summa igitur omnes progeniti de tribus filijs Noë, id est, quindecim de Iaphet, & triginta vnus de Cham, & viginti septem de Sem, fiunt septuaginta tres. Sed quia Heber, & Phaleg, qui in hoc numero distinctè ponuntur, nec duas diuersas gentes fecerunt, nec duas diuersas linguas habuerunt, propterea numerus illarum gentium & linguarum rectè dicitur fuisse septuaginta duo.*

August. de ciuitate Dei lib. 16. cap. 3. & 11.

Prosper. PROSPER libro 2. de Vocatione Gentium, capite 4. *Iam verò*, in- 142
quit, *procurrente humanæ propagationis augmento, cùm ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundis elationis suæ altitudinem, cœlo cuperet molem immodica cõstructionis inserere, quàm mirabilis ad cohibendam hanc insolentiam fuit diuina censura iustitiæ? quæ omnem illorum populorum loquelam, notis sibi inuicem significationibus consonantem, septuaginta & duarum linguarum varietate confudit: Vt & inter dissonas voces operantium pereunte concordia, insanæ molitionis machina solueretur: & habitando orbi terrarum daret incolas male congregationis opportuna dispersio.*

Arnobius. ARNOBIVS porrò non ille Lactantij magister, sed alius longè 143
posterior, prodidit in illis trium filiorum Noë posteris, post vnius linguæ confusionem fuisse septuaginta duas linguas, quæ per totum deinde orbem disseminatæ sunt, fuisse item ex illis natas mille generationes, vel vt ipse vocat, Patrias gentium. Audiat lector eius verba, quæ sunt in Commentariis eius in Psalmos, vbi exponit illum versiculum Psalmi centesimi quarti: *Memor fuit in seculum testamenti suis,*

verbi

verbi quod mandauit in mille generationes: Has, inquit, mille generationes gentium breuiter edocemus. Noë tres filios habuit, Sem, Cham, Iaphet, Sem primogenito pars facta est à Perside & Bactris vsque in Indiã longe, & vsque Rhinocorura: quæ spatia terrarum habent linguas sermone Barbarico viginti septem: in quibus linguis gentes sunt diuersarum patriarum, sex & quadringentæ. Siquidem multò numerosius gentes multiplicatæ sunt quàm linguæ: exempli gratia, cùm vna sit lingua Latina, sub ea tamen vna lingua diuersæ sunt Patriæ, vt Brutiorum, Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum & Tuscorum.

CHAM verò secundus filius Noë, à Rhinocoruris tendit vsque Gadira, habens linguas diuersas partim sermone Punico à parte Carthaginis, partim Latina à parte Boreæ, partim Barbarico à parte Meridiani & Ægyptiorum aliorúmque interiorum Barbarorum vario sermone vtentium: habens inquam linguas viginti duas, patrias verò gentium trecentas nonaginta quatuor. Iaphet denique vltimus filius Noë habuit fluuium Tigridem, qui diuidit Mediam à Babylonia, sicut Sem habuit Euphratem, & Cham Geon qui vocatur Nilus. Posteritas autem Iaphet diffusa est in patrias ducentas sermone vario vtentes, id est, in linguis viginti tribus. Fiunt ergo omnes simul linguæ, septuaginta duæ: Patriæ verò generationum siue gentium mille: quibus vniuersum genus hominum orbem terrarum inhabitantium continetur. Sic Arnobius.

244 ORIGENEM hoc loco tacitum à nobis præteriri minimè conuenit. Nam etsi certum ille numerum linguarum non præfinit, censet tamen multas & varias pro multitudine & varietate illarum gentium fuisse linguas. Putat etiam fuisse eas linguas ab Angelis qui earum gentium tutores ac rectores erant, effectas: ita vt quisque Angelus ei genti cuius gerebat curam, propriam linguam assignauerit & indiderit. Quot igitur erant gentes, tot fuisse earum rectores ac præsides Angelos, totidémque ab illis inuectas esse linguas, secundum Origenis sententiam existimandum est. Ponam hic Origenis verba ex Homilia eius vndecima in librum Numerorum: *Illud quoque*, inquit, *quod in Genesi scriptum legimus, Deum (ad Angelos sine dubio loquentem) dicere, Venite confundamus linguas eorum. quid aliud significare putandum est: nisi quod diuersi Angeli diuersas in hominibus linguas ac loquelas operari sint? vt verbi gratia, vnus aliquis Angelus fuerit, qui Babylonicã tunc vni earum gentium impresserit linguam: alius qui aliy Ægyptiã, & alius qui Græcam: & sic diuersarum gentium ipsi illi fortasse principes fuerunt, qui linguarum & loquelæ videbantur auctores. Mansit autem lingua per Adam primitus data, quam nos fuisse putamus Hebræam, in ea parte hominũ, quæ non pars alicuius Angeli vel principis facta est, sed quæ Dei portio permansit. Excolit igitur vnusquisque Angelus gentem sibi creditam, & ab erroribus ad Deum conuertere studet. Et ab initio quidem seculi huius, cum dispergeret Deus filios Adam, statuit fines gentium iuxta numerum Angelorum Dei, & suo quæque gens Angelo assignata est. Vna autem fuit & electa gens Israël, quæ portio Domini fuit, & funiculus Hæreditatis eius.* Sic Origenes. Origenes. Deuteronomij c. 32.

VERVM

VERVM hanc commemorationem alienarum opinionum concludat Genebrardus, qui peruulgatam illam de septuaginta duabus linguis sententiam paulò quàm superiores enucleatius & distinctius exposuit. *Dum*, inquit, *septuaginta duas linguas dumtaxat. Hebræi constituunt, hoc faciunt, quia apud Mosem non plura stirpium capita & principes notantur: nempe ex Iapheth quindecim, ex Cham triginta: ex Sem viginti septem. Item quoniam nõ plures proferri possunt ceterarum innumerabilium linguarum matrices: tales sunt, Hebraica genitrix Syriaca, Arabica, &c. Latina, Italica, Valachica, Gallica & Hispanica: Græca, Dorica, Ionica, Æolica, Attica: Sclauonica, Polonica, Bohemica, Moscouitica, &c. Germanica, Heluetica, Anglica, Flandrica, &c. Tartarica, Turcica, Sarmacanica, &c. Abissima, Æthiopica, Sabea, &c. Sic illo numero minime comprehenduntur singularum dialecti: sunt enim tantæ diuersitatis, vt intra centum leucarum discrimen, in hominum labiis occulta quædam causa versuram faciat tantam, vt vel propter accẽtum, vel mutationem aliquam literarum, vel additionem, vel detractionem, tam paruulo spatio non se mutuo intelligant, sicut in nouo etiam orbe Americus Vesputius obseruasse se scripsit.* Ita Genebrardus. Atque hæc sunt (memoratu scilicet digna) quæ ab aliis de numero illarum linguarum mandata literis reperi.

Americus Vesputius.

AVCTORIS SENTENTIA.

De numero linguarum, in quas prima lingua quæ communis erat omnium, multiplicata esse dicitur.

ATAM antiqua huius opinionis via, tótque ac tãtorum auctorum tria & nõbilitata vestigiis, equidem abstrahi me nõ facilè patiar. Sed illud tamẽ quod semper soleo, etiam hoc loco facere nõ prætermittam, vt quid hac in re certum aut incertum, quid verum aut simile vero sit, vel nullam etiam verisimilitudinem, nullámque probabilitatem habeat, distinctè & breuiter indicem lectori. 146

ILLVD in hac quam tractamus controuersia certum est, linguas tunc inuectas fuisse multas admodum & varias. Hoc enim dupliciter ex narratione Mosis elicitur: tum quod ait ille, confusum fuisse labium siue linguam vniuersæ terræ: quæ quidem confusio non aliunde quàm ex magna nouarum atque ignotarum linguarum, quæ tunc repente hominibus illis contigerunt, varietate accidit: tum quia tanta fuit linguarum varietas, vt sicut narrat Moses, nemo intelligeret vocem proximi sui.

Non singuli homines singulas linguas proprias habuerunt.

Singulas gentes & familias habuisse proprias linguas.

ILLVD quoque pro certo haberi potest, non fuisse tot linguas quot erant in illa multitudine homines, nec singulis hominibus singulas attributas esse linguas: id enim fuisset incommodissimum, & 147

Dei

Dei consilio atque proposito (vt paulò supra disputauimus) planè contrarium. Sed est tamen prope certum, ac vehementer probabile cuilibet illarum gentium, & familiarum propriam, & differentem ab aliis assignatam esse linguam. Hac enim ratione efficiebatur, vt qui vnius erant gentis, cum propter eiusdem linguæ notitiam & vsum, inter se intelligerent, consociati inuicem, & ab aliis gẽtibus, quarum linguas minimè intelligebant, dissociati ac disiuncti, diuersa peterent ad habitandum terrarum loca: atque ita totus orbis terrarum (quod inrendebat Deus) habitatoribus atque cultoribus compleretur. Si cuique autem genti ac familiæ sua propria & ab aliis diuersa contigit lingua: hic bene concluditur, quot erant eo tempore, & illo in loco gentes diuersæ, totidem illis esse inditas linguas.

An fuerint 72. gentes in ædificatione turris Babel.

148 At enim verò gentes illas certo aliquo numero definire, difficillimum est. Nam quod proditum est à multis, fuisse eas septuaginta duas gentes, non modo certum non est, verùm etiam non parum ab historia Mosis discrepare videtur. Aiunt illi Mosem in decimo capite huius libri commemorasse in posteritate Iaphet, quindecim gentes: in stirpe Cham, vnam & triginta: in progenie Sem, viginti sex: è quibus omnibus numerus ille septuaginta duarum gentium. existit. Sed hoc refelli potest dupliciter. Nam codices Græci: præsertim qui Romæ nuper quam emendatissimi prodierunt, in posteritate Sem numerant viginti octo gentes: ex quo fieret, vt gentes de tribus illis Noë filiis ortæ, fuissent tunc septuaginta quatuor. Deinde licet Græci libri, & B. Augustin. numerent octo filios Iaphet: attamen lectio Hebraica, & Chaldaica, necnon, & Latina nostræ editionis vulgatæ, septem tantum recẽset: nam octauum illum filium, Elisa, quem addit Græca translatio, nec Hebraici, nec Latini codices habent: hos enim tantum septem faciunt filios Iaphet, Gomer, Magog, Madai, Iauam, Thubal, Mosoch, Thiras. Si autem posteri Iaphet fuerunt duntaxat quatuordecim, necesse est gentes illas fuisse duntaxat vnam & septuaginta. Quinimo fuerunt tantam septuaginta: nanque Heber & Phaleg qui in enumeratione illarum gentium distinctè ac separatè memorantur, pro vna tantùm gente ac lingua haberi debent: neque enim illi diuersas fecere gentes, nec differentes linguas habuerunt, idque Beatus Augustinus acutè vidit, & libro 16. de Ciuitate Dei capite 11. rectè nos admonuit.

B. August.

149 Ex hoc præterea septuagenario gentium numero demere oportet eos, quorum posteri in describenda progenie trium filiorum Noë commemorantur à Mose. Hi autem in posteritate quidem Iaphet, duo sunt Gomer & Iauam, in stirpe autem Cham, sunt quatuor Chus Mesraim, & Chanaan, & Regma: denique in progenie Sem, sunt item quatuor, Arphaxad, Aram, Heber, Iectam. Hi omnes sunt decem, quibus detractis de illo numero septuagenario, re-

linquentur tantũ sexaginta. Esse autem illos quos dixi, remouendos è numero gentiũ quas recẽset Moses, patet dupliciter: tum quod parentes nõ possunt per se ac separatim à suis posteris gentẽ vllam facere, neque enim faciunt ipsi gentem aliquam nisi per aliquem suorum filiorum. Eædem igitur gentes sunt patrum atque filiorum: tum etiam quia si isti separatim & distinctè à posteris suis numerandi sunt, ergo similiter Noë ac tres filij eius Sem, Cham, & Iaphet separatim à suis posteris essent commemorandi, & diuersas ab illis gentes fecisse eos dicendum esset: hoc si admittant isti, non iam duas & septuaginta, verum septuaginta sex linguas distinguere cogentur. 150

IAM verò de personis illis, quarum posteri in exponenda progenie trium filiorum Noë, nulli à Mose recensentur, magna existit quæstio. Sunt autem isti in progenie Iaphet, quinque: in Cham, duo: in Sem, quatuor. Quæritur igitur vtrum isti gentem aliquam ab aliis fecerint diuersam, necne? Si enim nullam gentem fecerunt diuersam ab aliis, (id quod videtur simili vero) ergo remouendi sunt illi à numero gentiũ, & familiarum: & cùm illi decem fuerint, his detractis, numerus ille septuaginta duarum gẽtium quem supra restrinximus ad sexaginta, magis etiam contrahendus erit, & ad quinquaginta redigendus: sin autem personæ illæ gentem aliquam diuersam ab aliis reliquerunt: primum quæro, cur eam gentem Moses non memorauerit sicut aliorum: namque eadem ratio poscebat, vt huius gentis similiter atque aliarum mentio & commemoratio fieret. Deinde quæro vtrum vnam gentem fecerint an plures vna? nam cum nulla gens eorum tradatur à Mose, quicquid dicetur, incertum erit & ratis dictum.

VIDEN' igitur quàm leui & infirmo, illa de septuaginta duabus 151
linguis sententia, fulciatur & nitatur fundamento? Quanquam reor equidem in sententia Patrum qui id tradiderunt, duo esse obseruanda, & distinguenda. Alterum quod illi ex historia Mosis elicientes, vt certum dixerunt quot erant tunc gentes & familiæ hominum, tot fuisse eis tributas linguas: alterum, quod vt celebratum ab Hebræis, & vulgo iactatum etiam inter Christianos, non tanquam certum, sed tanquam peruulgatum prodiderunt, fuisse septuaginta duas gentes totidemq; respondentes eis linguas. Namque hoc illi si ad examen reuocare, & resecare ad viuum, vt nos fecimus voluissent, haud dubiè rem esse valde dubiam & incertam & fermè incomprehensibilem agnouissent.

An aliqua illarũ linguarum perierit. 152
DVÆ præterea res in obscuro & incerto positæ, notitiam nostram latent: Altera est, vtrum aliqua de illis linguis processu temporis omnino perierit, deleta scilicet gente, cuius illa erat propria lingua, vel per clades bellicas vel per generalem pestilentiam, aliósve exitiales morbos. Namque interiisse penitus nonnullas gentes docet Plinius his verbis scribens: Ex Asia interiisse gentes tradit Eratosthenes, Solymorum, Lelegum, Bebrycum, Colycantiorũ, Trepsedo

Plin. lib. 5. cap. 30

pſedorum. Iſidorus, Arimos & Capretas, vbi ſit Apamia condita à Seleuco Rege.

153 ALTERA ies æque dubia & incerta eſt, vtrum linguæ illæ fuerint matrices aliarum omnium linguarum quæcumque poſt id temporis ad hanc vſque diem in hominibus fuerunt: ita vt quæ nunc ſunt & quæ ſuperioribus retro ſeculis vſque ad illud tempus fuere vnquam, vel illæ ipſæ linguæ fuerint, vel certe ab illis ortæ aut oriundæ: an potius multæ aliæ diuerſis ſeculis inſtitutæ ſint linguæ ab illis omnino diuerſæ, nec originem in inde aliquo modo ducentes. Altercationem autem Iulij Scaligeri cum Cardano de origine cauſiſque tam multiplicis linguarum varietatis, non ſine voluptate animi in eorum libris videbit lector.

An illæ linguæ fuerint quaſi matrices aliarum omnium linguarum.

Cardanus li. 12. de ſubtilitate & li. 17. de varietate rerum c. 95. Iulius Scaliger aduerſus Cardanum exercitatione 259.

154 NONNIHIL etiam hoc loco dicendum eſt de eo quod Epiphanius & Suidas annotarunt, homines quaſi quodam inſigni epitheto à priſcis illis Poëtis vt Homero & Heſiodo appellatos eſſe Meropes, ideſt, habentes diuiſam vocem. Tripliciter enim eam appellationem interpretari licet, Primo vt propterea dictus ſit homo Merops, quia ſolus omnium animalium habet & partitam & diſtinctam & quaſi articulatam vocem, ideſt, diſtinctè expreſſam ac formatam & ſenſuum animi diſtinctè ſignificatricem: vnde ſermo & oratio propria hominis effingitur. Sic autē vim & notionem eius vocis interpretatus eſt ſcholiaſtes Homeri libro primo Iliados. Deinde poteſt etiam intelligi voce illa Merops, ſignificari diuerſitatem linguarum quæ inter homines ſunt, primo propter ſuperbiam & impietatem ædificatorum turris Babel à Deo inuectam; vt Ethnici poëtæ eam vocem hauſerint vel ex Moſis ſcriptorum lectione: vel ex antiqua fama & traditione, & in hac ſententia fuiſſe apparet Epiphanium & Suidam.

Epiphanius paulò poſt initiū Panarij. Suidas in voce Saruch. Homerus. Heſiodus. Cur homines dicti Meropes. Homerus. Scholiaſtes.

155 ILLVD præterea exiſtimari poteſt, homines dictos eſſe Meropes, quia diuiſam habent vocem, id eſt, quia vnuſquiſque hominum habet proprium vocis ſonum, & modum pronunciandi: vt in tanta hominum multitudine, ne duos quidem, indiſcreto vocis ſono reperire liceat: quod etiam in ore ac facie ſimiliter obſeruatur: Quapropter duo hæc vt magnæ naturæ miracula, mirabundus prædicat Plinius: Paruum dictu, ait, ſed immenſum æſtimatione: tot gentium ſermones, tot linguæ, tanta loquendi varietas, vt externus alieno pene non ſit hominis vice. Iam in facie vultuque noſtro, cùm ſint decem aut paulò plura membra, nullas duas in tot milibus hominum indiſcretas effigies exiſtere: quod ars nulla in paucis numero præſtet affectando.

156 SED Explanationi primæ partis capitis vndecimi, in qua verſati adhuc ſumus, & multas de ædificatione turris Babel & confuſione ac diuiſione linguarum diſputationes tractauimus, finem denique imponemus, adiecta tantum cuiuſdam Ethnicorum calumniæ aduerſus hiſtoriam Moſis de diuiſione linguarum confutatione. Hanc ego calumniam, præter vnum Philonem, qui commemoret, alium

Ethnicorum calumnia in hanc Moſis hiſtoriam de diuiſione linguarum. Auguſtin.

reperi neminem, Eam igitur exponam ipse ac refellam, prout à Philone narratur. Aiebant illi, quod scripsit Moses, cum vna esset omnium hominum lingua, eam repente confusam esse, atque in varias linguas multiplicatam, non esse historiam nec veram gestarum rerum narrationem: esset enim id prorsus incredibile: sed esse commentum eius, ad similitudinem poëticarum fabularum ab eo confictum: simillimum quippe eius quod narrat Moses, de vna omnium animalium lingua à fabularum scriptoribus est proditum. Narratur enim, olim animantium omnium eandem fuisse vocem: & quemadmodum homines inter se sermonis habent commercium, sic illas de suis rebus inuicem agitasse sermones, ita vt de communibus vel priuatis tam bonis quàm malis inuicem & condolerent & gratularentur, quasi in vna republica versantes. Verùm lasciuientes præ bonorum præsentium copia, vt sæpe fieri solet, vltra decorum proruperunt, per legatos à diis immortalitatem, à senectute immunitatem, perpetuamque iuuentam sibi petentes: æquum se postulare dicentes, quando id iam vni ex eorum numero, & multis sanè ignobiliori, serpenti contigisset: hunc enim exuta senectute denuo repubescere. Hanc eorum audaciam merita mox pœna secuta est. Nam confestim ita eorum lingua variata & confusa est, vt non possent se inuicem intelligere propter diuersitatem vocum, in quas, quæ prius omnium communis fuerat lingua, diuisa est. Talis videtur narratio Mosis.

Fabula de vna omnium animalium lingua.

Quod si dicas (aiebant illi) aliud esse animalia loqui inter se, hoc 157
enim cum sit contra naturam eorum, fabulosum esse atque incredibile manifestum est: & aliud esse omnium hominum qui illo sæculo erant, vnam fuisse linguam, id enim nihil habet absurdum & incredibile: contra instabant illi, esse illud incredibile, repente homines illos oblitos esse linguæ quam prius nouerant, & qua vsque ad id temporis vsi fuerant, & subito nouis & antea ignotis linguis esse locutos. Nam quod dicunt confusionem linguæ accidisse in pœnam simul & remedium peccati eorum hominum, quàm sit futile, vel ex eo apparet, quod post diuisam linguam deductasque in tot diuersa terrarum loca tot gentium colonias, nihilominus terræ ac maria innumeris sceleribus & malis completa sunt. Non enim vnitas linguæ, sed procliuitas naturæ hominum ad peccandum, flagitiorum causa est. Siquidem etiam lingua mutilati, nutibus, aspectibus, aliisque corporis motibus non minus quàm verbis prolatis, improbam voluntatem suam significant. Huc accedit quod sæpe vna gens non eadem tantum lingua: verum etiam eisdem vtens legibus ac moribus, ad tantam procedit malitiam, vt peccatis conferri possit cum reliquis omnibus hominibus. Quid, quod vnitas, linguæ maximorũ bonorum causa esse solet: sine hac enim nec quisquam hominum ab alio homine doceri, nec adiuuari, nec vlla inter homines amicitia conciliari, nec vlla societas hominum stare aut coalescere posset. Cur

igitur

igitur, quasi malorum causa esset lingua communis, adempta ea est hominibus, quæ vt perquam vtilis humano generi, confirmati potius debuerat? Hæc isti aduersus historiam Mosis cauillabantur.

Aristoteles? Phil. libro de cõfusione linguarum.

158 PHILO autem præter fores (vt dicere solet Aristoteles) occurrens huic calumniæ, omisso vero, id est, historico Mosaicæ narrationis intellectu, confert se ad Allegorias, quasi verò quæ scripsit Moses de diuisione ac confusione linguarum, ea nisi allegoricè interpretata, aliter vera esse, nec à calumnis vindicari possint, sed Philonem ipsum loquentem audiamus. *Has* (inquit Philo) *malitiosorum hominum cauillationes seorsum redarguunt, quibus promptum est ad tales quæstiones ex aperta legum scriptura sine contentione respondere: qui non sophismatibus repellunt sophismata, sed sequuntur veritatis seriem nusquam sinentẽ offendere, & impedimẽta facile dimouentem, vt veritatis sermo ex his possit euadere. Dicimus igitur istis verbis: Erat vniuersæ terræ labrũ vnum & vox vna, significari magnorum malorum consonantiã, quibus ciuitates à ciuitatibus, gentes à gentibus, regiones à regionibus vicissim impetuntur, & quibus homines non tantum iniusti sunt aduersus homines, verùm etiam in Deũ impij.*

Gen. 11.

159 CVMQVE *tres sint animæ nostræ partes: Mens, Cupiditas, Ira, & mentis quidem vitia & (tanquam morbi sint, Imprudentia, Error, Malitia: Cupiditatis, effusa voluptatum & libidinum intemperantia: Iræ, furiosi & rabiosi, ad nocendũ impetus & conatus. Si tres hę partes animæ nostræ suis quequę vitijs instructę ad male agendum conspirent atque concurrant, supremum homini exitium afferent: tunc enim tanquam in naui, nautis, vectoribus, & gubernatoribus in eius perniciem per dementiam consonantibus, etiam qui perdunt, vna pereunt. Grauissimum enim malorum est, & penè solum insanabile, omnium animæ partium ad peccandum consensus: cum tanquam in publica pestilentia nihil sani sit reliquum, quod ægrotis mederi possit: Sed & medici vna cum vulgo laborant, eadem qua ceteri lue correpti.* Hæc Philo.

Vera superdictæ calumniæ repulsio.

160 VERVM nobis ad propulsandam eam calumniam, allegoriarum perfugio non est opus. Tria itaque breuiter dicemus, ex quibus, quàm ea calumnia inanis & plane nugatoria sit, liquidò intelligetur. Principiò, nemini videri debet incredibile, omnium eorum hominum qui primo illo post diluuium sæculo fuerunt, vnam fuisse linguam. Cur enim magis id videatur incredibile, quàm omnium exempli gratia, Germanorum, quæ amplissima natio est, vnam esse linguam? præsertim autem cum omnes illi homines progeniti essent ex tribus tantùm filiis Noë: & hi viuerent eo tempore: atque illo in loco, & inter illos homines versarentur.

DEINDE repentinam prioris linguæ obliuionem & subitam
161 aliarum linguarum cognitionem atque vsum, non ex causis naturalibus contigisse illis hominibus, nec hominum voluntate, industria, ac potestate accidisse dicimus, sed vnius Dei, cui nihil difficile est, voluntate ac potentia, simulque Angelorum Dei iussa exequentium ministerio. Si quis autem ne à Deo quidem ipso id fieri potuisse

censet, omnemque diuinis miraculis fidem abrogat, in tanquam extremæ impietatis ac demẽtiæ, dimittendus est, nec tam refellendus argumentis, quàm meritis plectendus suppliciis:

ILLVD quoque tertio loco adiicimus, non inficiari nos linguæ vnitatem sæpe vtilem esse hominibus, contra verò diuersitatem, inutilem & damnosam esse. Affirmamus tamen vnitatem linguæ fuisse hominibus illis pernitiosam. Siquidem propter vnitatem linguæ conspiratunt omnes in ædificationem eius ciuitatis & turris contra Dei voluntatem: & inibi vna in societate simul omnes manere deliberauerunt, quod erat tamen contra publicum & humani generis, & orbis terræ bonum. Sublato igitur vnius linguæ vsu, tantaque inducta linguarum varietate, vt inter se illi non intelligerẽt, factum est, vt & inceptum opus desererent, & inuicem dissociati diuersas mundi partes peterent ad habitandum. Ergo illo, tempore & loco & apud illos homines, vnius linguæ confusio & diuisio, & iusta fuit superbiæ atque impietatis eorum pœna, & ingens humano generi ac terrarum orbi emolumentum atque ornamentum attulit. 162

***

SECVN

SECVNDA PARS CAPITIS VNDECIMI GENESIS.

DE PROGENIE SEM vsque ad Abram.

HÆ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuiũ. Vixítque Sẽ postquam genuit Arphaxad, quingẽtis annis & genuit filios & filias. Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixítque Arphaxad postquã genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixítque Sale postquam genuit Heber, quadringẽtis tribus annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. Vixítque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis nouem annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. Vixit quoque Reu, postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit

10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22

Nachor,

23 *Nachor. Vixítque Sarug postquam genuit Nachor, du-*
24 *centis annis, & genuit filios & filias. Vixit autem Na-*
25 *chor viginti nouem annis, & genuit Thare. Vixítque*
Nachor, postquam genuit Thare, centum decem & nouem
26 *annis: & genuit filios & filias. Vixítque Thare septua-*
ginta annis, & genuit Abram & Nachor & Aran.

PRAEFATIO.

PERTEXIT hoc loco Moses seriẽ generationum à Sem vsq; ad Abram, quemamodũ supra cap. 5. percensuerat generationes ab Adã vsque ad Noë. Sunt autẽ decẽ generationes à Sem vsque ad Abram, si in hac enumerationẽ includas tam Sẽ quàm Abram. Tres porrò disputationes tum materiæ præstantia, tum obscuritatis, & difficultatis magnitudine perquam nobiles ac celebres hic tractandę sunt: Prima, an inter Arphaxad, & Sale interponenda sit generatio Cainam, quã Septuaginta Interpretes interposuerunt: Altera de discrepantia computationis annorum circa supradictas generationes, quã cernimus inter codices Græcos & Hebraicos cum quibus Latini cõsentiunt: Tertia, Quoto anno ætatis Thare generatus sit Abram.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.

Vtrum inter Arphaxad & Sale interponenda sit generatio Cainam.

Genes. 11. VERS. 12.

ARDVAM hic locus, & quorundam doctorum hominum iudicio planè inexplicabilem quæstionem affert: An generatio Cainam interponenda sit inter Arphaxad & Sale. namque

namque eam generationem, nec habet Scriptura Hebraica, nec paraphrasis Chaldaica, nec Latina editio vulgata: at eam commemorant hoc loco Septuaginta Interpretes, & B. Lucas eam ponit cap. 3. Euangelicæ historiæ genealogiam Domini nostri describens. Alterutram porrò scripturam esse mendosam necessarium videtur: illam quidem, si desit hæc generatio, mancam ac mutilam: hanc verò, si ea redundet, non superuacaneam modo, sed etiam mendacem: vtraque certè vera esse non potest: neque enim fieri potest vt Arphaxad cùm esset triginta quinque annorum genuerit Sale, & eo ipso tempore genuerit Cainam patrem ipsius Sale, vt quo anno Cainan natus est,
164 eodem ipso anno genuerit filium Sale.

QVINQVE modis nodum hunc soluere conatos esse video scriptores Ecclesiasticos: quos ego nodos hic breuiter exponendo perstringam. Primus modus propositæ difficultatis explicandæ is est quem sequitur Eugubinus. Hunc non puduit dicere, Septuaginta duos Interpretes addendo generationem Cainan errasse, eorúmque errorem secutum esse B. Lucam. Quam vocem, cuius obsecro pij aut etiam Christiani hominis aures non perhorrescant? si enim in Scripturis canonicis quicquam, quale quale illud sit, falsum esse concedimus, amplam profecto fenestram ad omnem diuinæ scripturæ firmitudinem & auctoritatem labefactandam aperiemus. Certum enim est Spiritum Sanctum non affuisse B. Lucæ in eo quod ille falsum scripsit: cur igitur non itidem meritò vereamur, ne in aliis quoque rebus quas scriptis prodidit Lucas, Spiritus sanctus eum deseruerit, atque in errorem labi passus sit? *Animaduersio in Eugubinum.*

165 NEQVE verò translatio Septuaginta Interpretum tam fastidiose respui, aut tam facile contemni debet; cum affirmasse Origenem legamus apud Eusebium lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. id pro vero in diuinis scripturis habendum esse, quod Septuaginta Interpretes transtulerunt, cùm & Apostolica id firmatum sit auctoritate, & longo Ecclesiæ vsu comprobatum. Quid quod illam generationem Cainan, cum Eusebius in exordio sui Chronici, multíque scriptores Græci, tum de Latinis B. Augustinus lib. 6. de Ciuitate Dei, cap. 10. aliíque agnoscunt & recipiunt? *Origenis iudicium de auctoritate Septuaginta interpretum.* *Eusebius.* *S. August.*

166 ALTER modus expediendæ huius quæstionis placuit Caietano, is enim verba illa explanans Lucæ: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan*, dupliciter respondet ad propositam difficultatem. Primum ait (id quod proximè ostendimus sensisse Eugubinum) generationem illam Cainan esse superuacuam, immo nullam: quare Septuaginta Interpretes eam addendo errasse: B. verò Lucam propterea excusari ab errore, quia id sequi voluit quod scriptum repererat in translatione Septuaginta Interpretum, quæ id temporis vbique gentium peruulgata & recepta erat: scilicet veritus ne si contra communem hominum sensum atque inueteratam opinionem, secus quàm esset apud Septuaginta, quicquam scriberet, minus vulgo scripta sua probarentur. *Caietan in 3. caput Euangelij Lucæ.*

Ianſen. in ca. 14. Concordiæ Euangelicæ. *Genebrardus in chronologia.*

Huic etiam reſponſo Ianſenius & Genebrardus adhæreſcunt: Sed hoc Caietani reſponſum perquam leue eſt. Non enim decebat B. Lucam in ſcribendo Euangelio maiorem exiſtimationis vulgi, falſæ præſertim, quàm veritatis habere rationem: & à ſacris & Canonicis ſcriptoribus ſcriptiſque omnem erroris vel imprudenter vel ſcienter admiſſi ſuſcipionem propulſare oportet.

ILLVD præterea reſpondet Caietanus verè addendam eſſe generationem Cainan: non enim eſſe credibile Septuaginta Interpretes, viros nempe cùm ſapientes, tum etiam pios aliquid de ſuo diuinæ ſcripturæ auſos affingere, conniuente Eleazaro ſummo eius temporis Iudæorum pontifice, à quo illi ad regem Philadelphum miſſi fuerint, & diſſimulantibus Synagogæ doctoribus, quorum eſt iudicio atque ſuffragio illorum probata tranſlatio. Veriſimilius igitur putat Caietanus codices Hebræos quibus vſi ſunt Septuaginta Interpretes, & in quibus erat generatio Cainan, fuiſſe veros & integros: quos autem B. Hieronymus nactus eſt, quique ad nos peruenere, mancos & mutilos eſſe. Siquidem etiam ipſi Hieronymo explananti tertium caput Epiſtolæ ad Galatas non eſt viſum incredibile, codices Hebræos multa ſecus habuiſſe ante paſſionem Domini, Hebræosq; vel inuidia vel odio Chriſtianorum, aliqua vel detraxiſſe vel addidiſſe. 167

Hieronymus.

SED hoc vt credam vix poſſum in animum inducere. Cui enim perſuaderi queat omnes ſacræ Scripturæ libros ab Hebræis, nemine reclamante, fuiſſe corruptos? in ea præſertim re, quæ ipſis aduerſus Chriſtianos decertantibus nec prodeſſe quicquam nec obeſſe poterat. Atque hæc ipſa eſt Beati Auguſtini in libro decimo quinto de Ciuitate Dei ſententia. Ioſephus certè, qui recens fuit ac obitu Domini noſtri, in enumeratione priorum generationem quæ fuerunt ante diluuium, ſecutus erat Septuaginta Interpretes, in deſcriptione autem poſteriorum generationum, ſcripturam Hebraicam ſequens, generationem Cainan prętermiſit. 168

Ioſeph. 1. lib. Antiquitatum.

TERTIVM modum ad eandem quæſtionem enodandam, hunc nonnulli adinuenerunt: aiunt illi Cainam & Sale non fuiſſe duos homines, ſed vnum, binomium tamen, id eſt, qui & Sale & Cainam appellaretur: quare putant iſti apud Beatum Lucam mendosè legi. *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan*, ſed legi debere. *Qui fuit Sale, qui & Cainan.* Vt ſint poſita duo eiuſdem hominis nomina. Hæc eſt opinio Ioannis Lucidi in libro primo de emendatione temporum capite ſexto: & libro ſeptimo capite primo: eademque fuit ante illum & Naucleri & Hermani Contracti in Chronicis. 169

Ioannes Lucidus. Naucleru. Hermannus.

VERVM iſtorum ſententiam tribus refellitur argumętis, Etenim omnes codices tam Græci quàm Latini, & qui olim fuerunt, & qui nunc ſunt, habent hoc loco apud Lucam eam lectionem quam iſti mendoſam cenſent. Vnde igitur iſti probant illam eſſe mendoſam? an non ſatis apparet, id eſſe ab iſtis temerè confictum, quod aliud 170

ipſi

ipsi propositæ difficultatis effugium non inuenirent? Deinde, qui fit credibile B. Lucam vnius illius hominis tantum duo nomina exponere voluisse, & nullius aliorum quos ibi recenset, cùm eorum non paucos & binomios & trimonios, fuisse constet? Ad hæc, isti non aduerterunt ad translationem Septuaginta Interpretum quæ est hoc loco, & quam secutus est B. Lucas: in hac enim ponitur Cainan vt genitor & patet ipsius Sale: quo fit vt Cainan & Sale duos fuisse homines inter se diuersos necesse sit.

171 QVARTVS modus eiusdem dissoluendæ quæstionis videtur nonnullis facilior & planior ceteris adhuc expositis, ob idque probabilior. Hunc modum tenent recentiores quidam scriptores, vt Lippomanus in Catena in Genesim super vndecimum caput eius libri, & Canus lib. 2. de Locis Theologicis cap. 18. Censent isti generationem Cainan re vera inter Arphaxad & Sale interceßisse: eamque Septuaginta vel ex certa maiorum traditione, vel ex historiis fide dignis cum haberent compertam, merito suæ translationi inseruisse: quam Moses sciens prudensque prætermisit. nimirum voluit Moses seriem generationum ab Adamo vsque ad Diluuium, & à Diluuio vsque ad Abraham in duas decades distinguere, ob aliquam certe causam, mysticam illam quidem, sed nobis occultam quemadmodum B. Matthæus in genealogia Saluatoris nostri, quam in exordio sui Euangelij descripsit, generationes ab Abraham vsque ad Christum dominum, duas & quadraginta duntaxat, complurib⁹ aliis præteritis, recensuit. *Lippomanus. Melchior Canus.*

172 HÆC ab istis acutè cogitata & probabiliter dicta non inficior. Verùm ne sic quidem omnino excussum & demptum esse scrupulum videbo, nam esto, potuerit generatio Cainan sine vllo vitio & à Mose prætermitti, & à Septuaginta Interpretibus commemorari: illud certe nullo modo fieri potuit, vt quo tempore Cainan genitus est ab Arphaxad, eodem ipse tempore generaret filium suum Sale. At enim secundum scripturam Hebraicam, Arphaxad cum esset triginta quinque annorum genuit Sale, secundum verò translationem Septuaginta Interpretum, eo ipso tempore Arphaxad genuit Cainan patrem ipsius Sale. Si igitur vtraque scriptura vera est, necesse fuerit eodem anno generatum esse Cainan & Sale, id est patrem & filium, quod plane absurdum est, si tamen quod est impossibile, absurdum dicere conuenit.

173 CETERVM dicere aliquis posset pro istius modi expositionis defensione: cùm in scriptura Hebraica dicitur Arphaxad natus annos triginta quinque genuisse filium Sale, non id esse intelligendum quasi tunc actu genuerit, sed tantum virtute ac potentia: quia eo anno genuit Cainan patrem ipsius Sale, in quo ipse Sale, vt in patre filius virtute ac potestate continebatur. Nec verò modus hic loquendi insolens est in sacris litteris: namque in genealogia Saluatoris nostri quam tradit B. Matthæus, dicitur Ioram genuisse Oziam, non sanè *Matth. 1.*

actu sed virtute, quia Ioram genuit proximè Ochoziam proauum Oziæ. Verum nos hoc dissimulemus, & sine examine prætereamus.

ILLVD certè mihi videtur inextricabile: sic enim cum animo meo reputare soleo: aut hæc generatio Cainam ignota fuit Mosi, aut nota: ignotam fuisse Mosi, quæ perspecta fuerit & cognita Septuaginta Interpretatibus, quis audeat dicere? cùm Moses tanto propior quàm illi, fuerit illi ætati, soluisque illorum temporum Historiam tanta cum diligentia & cura conscripserit. Sin autem eam generatio nota fuit Mosi, cur igitur eam prętermisit? præsertim autem cum eius generationis vel adiectio vel detractio non parum variet Chronologiam quæ inter Diluuium & Abraham à Mose describitur: quam quidem Chronologiam voluisse Mosem integrè, exactè ac perfectè tradere, illud est clarissimum indicium, quod seriem generationum quæ fuerunt inter diluuium & Abraham distincte & accurate percenset, & suos cuique generationi annos subtiliter computatos propriè assignet, qui fit igitur credibile, Mosen, generatione Cainan prætermissa, vitiosam nobis Chronologiam aut voluisse tradere, aut cum minime vellet, inscienter tamen tradidisse? 174

EQVIDEM diu multúmque cogitans nullam rationem (quæ mihi animum expleret) reperire adhuc potui, cur Moses generationem Cainan, siquidem ea inter Arphaxad & Sale interceßit, præterire debuerit aut potuerit. Nam quod aiunt quidam voluisse Mosen generationes quæ fuerunt ante & post diluuium, ad duas tantum decades redigere: id nec probari ab istis potest, & leue ac futile est, nec tale vt propter id debuerit Moses Chronologiam (cuius exacta cognitio magni erat momenti) perturbare atque confundere. His adde, quod saltè in libris Paralipomenon, in quibus supplentur quæ alibi in sacris litteris derelicta fuerant, vnde nomen etiam illi habent, commemorata fuisset generatio hæc Cainan: siquidem in exordio prioris libri Paralipomenon series generationum quæ fuerunt ante & post diluuium similiter atque hic recensetur, nec vllum tamen verbum fit de generatione Cainan. 175

Beroaldus in Chronico.

RESTAT quintus & vltimus modus, quem ad hanc quæstionem profligandam quidam expeditiorem atque aptiorem esse arbitrantur. Aiunt inter Arphaxad & Sale nullam interceßisse generationem, nec generationem Cainam esse vel à Septuaginta Interpretibus proditam, vel à B. Luca positam in genealogia Saluatoris, sed ab aliquo, nescio quo, eam mendosè adiectam esse, primum quidem translationi Septuaginta Interpretum hoc loco, hinc autem posteà in genealogiam Domini nostri quæ est apud Lucam, fuisse transfusam hoc isti non probant. Sed ad eius tamen opinationis confirmationem triplex coniectura, nec ea sanè leuis aut contemnenda afferri potest. 176

Hieronym.

Prima coniectura hæc est: Beatus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim omnem dissonantiam lectionis quæ est in libro Geneseos inter codices Hebræos & Septuaginta Interpretum curio

curiosè perueſtigans ac diligenter annotans, diſſonantiam hanc quæ eſt circa generationem Cainam adeo inſignem & notabilem, ne verbo quidem attigit. Ex quo licet intelligere non fuiſſe eam generationem in libris Septuaginta Interpretum quos tunc habuit Hieronymus.

177 ALTERA coniectura eſt, Ioſephum qui ferè ſequi ſolet Septuaginta Interpretes, primo libro Antiquitatum percenſentem generationes quæ fuerunt à diluuio vſque ad Abraham, in iis hanc generationem Cainam minime commemoraſſe: nec Epiphanius diſputans contra 55. hæreſim, id eſt, contra Melchiſedechianos, cum ſecundum tranſlationum Septuaginta Interpretum exponat annos ſingularum generationem quæ fuerunt inter diluuium & Abraham, mentionem generationis Cainam nullam planè facit. Tertia coniectura eſt in exordio prioris libri Paralipomenon, vbi ſeries generationum à diluuio vſque ad Abraham, ſimiliter atque hoc loco commemoratur: antiqui & emendati codices Septuaginta Interpretum (qualis eſt qui Romæ nuper auctoritate & cura Illuſtriſſimi Cardinalis Carafæ prodiit) non habent generationem Cainan. *Ioſephus.* *Epiphanius.*

178 EX his rectè concluditur generationem Cainan non fuiſſe in omnibus libris Septuaginta Interpretum. Vnde probabiliter etiam coniicitur eam non fuiſſe traditam à Septuaginta Interpretibus: atque eos libros qui ea generatione carebant, vt qui cum Hebræis codicibus congruerent, veros & integros eſſe iudicandos: eos autem qui generationem Cainan habebant, vt corruptos atque mendoſos eſſe abiudicandos ac reiiciendos, facile autem fuit aliquem nactum libros Septuaginta Interpretum in quibus erat generatio Cainan, inde eam tranſtuliſſe in Euangelium Lucæ: quod à principio non animaduerſum, non ſolùm inhæſiſſe in vno eo libro, ſed in eos, poſteà qui vſque ad hanc diem exſcripti ſunt eſſe deriuatum.

179 AT Enimuero, ſi quod de veritate librorum Septuaginta Interpretum circa generationem Cainan ſatis benè probatum eſt, idem quoque de libro Euangelico B. Lucæ probaretur, equidem ſententiam hanc toto aſſenſu complecterer. Verùm neque hac ætate vllus eſt liber B. Lucæ qui in genealogia Saluatoris non habeat generationem Cainan, nec legi fuiſſe vnquam aliquem, qui diceret vel à ſe, vel ab aliis viſum eſſe codicem vllum B. Lucæ qui tali generatione careret. Quocirca coniectura iſtorum, vt in libris Septuaginta Interpretum minime infirma eſt ſic in Euangelio Lucæ videtur leuiſſima atque temeraria: quin potius propter auctoritatem B. Lucæ qui ſecutus eſt Septuaginta Interpretes, eos libros Græcos in quibus fuit generatio Cainan, integros atque incorruptos: eos autem qui generationem Cainan non habuerunt, vitiatos & mendoſos fuiſſe exiſtimare oportet.

180 QVÆNAM igitur eſt noſtra ſententia? nulla plane: niſi quod, ſi quintus hic modus non probabitur lectori, ex ſupradictis quatuor

modis quartum ego ceteris minus improbabilem minúsque reprehensioni obnoxium esse iudico, ac mihi quidem in hac disputatione idem accidisse confiteor, quod sibi contigisse scribit Venerabilis Beda in Præfatione Commentariorum suorum in Acta Apostolorum his verbis: *Lucas testimoniis Græcis vtitur potius quàm Hebræis: Ex quo accidit quod maximè minor, & propter ingenij tarditatem vehementissimo stupore perculsus nescio perscrutari qua ratione cùm in Hebraica veritate à diluuio vsque ad Abraham decem tantùm generationes inueniantur: ipse Lucas qui, Spiritu-Sancto calamum regente, nullatenus falsum scribere potuit, vndecim generationes iuxta Septuaginta Interpretes, adiecto Cainan, in Euangelio ponere maluit.* Sic eo loco Beda.

Sententia Bedæ perquam notabilis.

DVODECIMA DISPVTATIO.

De discrepantia lectionis quæ est inter libros Hebræos & Latinos, atque inter Codices Septuaginta Interpretum circa computationem annorum qui fluxerunt à diluuio vsque ad ortum Abrahæ.

EX annis quos Hebraica scriptura & Latina editio vulgata in capite vndecimo libri Geneseos tribuunt singulis generationibus quæ fuerunt à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, euidenter colligitur inter vtrumque tempus interfluxisse annos ducẽtos nonaginta duos. Siquidem Sem duobus annis post diluuium genuit Arphaxad: Arphaxad genuit Sale, cùm esset triginta quinque annorum: Sale triginta annorum cùm esset, genuit Heber: Heber natus triginta quatuor annos genuit Phaleg: Phaleg agens annum trigesimum, genuit Reu: Reu duo & triginta annos natus genuit Sarug: Sarug cùm annorum esset triginta genuit Nachor: Nachor vigintinouem annos natus genuit Thare: Thare septuaginta annis præditus genuit Abraham. Ex his omnibus annis simul collectis efficitur summa annorum ducentorum nonaginta duorum qui à diluuio excurrerunt vsque ad Abraham: vt apparet in subiecta descriptione. 181

Sem	2
Arphaxad	35
Sale	30
Heber	34
Phaleg	30

Reu

Reu	32
Sarug	30
Nachor	29
Thare	70

SVMMA CCXCII.

182 ADDITA porrò generatione Cainan, de qua proxima disputatione explicatum est, excrescet supradicta summa annis triginta: siquidem annorum erat Cainan triginta cùm genuit Sale. Nam licet codices Græci habeant fuisse eum tunc annorum centum triginta: illos tamen centum annos, qui & in hac & in aliis generationibus adiecti sunt annis quos habent Hebræi Latiníque codices, mendosos esse, nec à Septuaginta Interpretibus positos, in septimo libro (qui est vltimus primi tomi Commentariorum nostrorum in Genesim) diligenter à nobis copioséque disputatum ac demonstratum est. Ergo supradictis ducentis nonaginta duobus annis adiecti triginta anni Cainan, efficient summam annorum trecentorum viginti duorum, qui à diluuio transacti sunt vsque ad ortum Abrahæ.

183 CETERVM Triplex hoc loco discrepantia lectionis inter codices Græcos, atque inter Hebræos simúlque Latinos annotanda est. Prima discrepãtia. Græci codices, præter Sem & Thare, in aliis omnibus generationibus, annis quos (secundùm Hebræos & Latinos codices) nati dicuntur patres priusquàm genuerunt filios, addunt alios centum: quinimo ipsi Phaleg adiiciunt annos centum quatuor: ipsi autem Nachor centum quinquaginta, vt videre licet in subiecta descriptione.

SEM genuit Arphaxad post Diluuium annis 2.
Arphaxad genuit Cainan cùm esset annorum 135.

Cainan	130
Sale	130
Heber	134
Phaleg	130
Reu	132
Sarug	130
Nachor	179

Thare cùm genuit Abraham, erat annorum 70.

SVMMA M.C.LXXII.

Secuti autem sumus in hac computatione annorum emendatissimos codices Græcos qui nunc extant, præsertim verò Romanum codicem Græcum nuper editum. Verum additionem illorum centum annorum ad annos quos habent Hebræi & Latini codices, mendosam esse nec à Septuaginta Interpretibus profectam, sed vitiosè in translationem eorum aliunde infusam, docuimus in septimo libro Commentariorum nostrorũ in Genesim in Disputatione de Chronologia quæ est ab exordio Mundi vsque ad Diluuium, quæstio. 3.

184 ALTERA Discrepantia quæ est hoc loco inter Hebræos & Latinos

nos libros, atque inter codices Græcos, in eo est quod Græci codices in singulis generationibus quæ fuerunt post Diluuium, addunt illa verba: *Et mortuus est*, Exempli causa, sic illi habent: *Vixit Arphaxad postquam genuit Cainan, trecentis annis & genuit filios & filias & mortuus est*: itémq; hoc, *Et mortuus est*, adiiciunt singulis sequentium generationum: quæ tamen verba nec habet scriptura Hebraica nec Latina editio vulgata, nec paraphrasis Chaldaica. Quin hoc ipsum ponderans Beda in Annotationibus suis in Genesim super hunc locum: *Nusquam*, inquit, *in tota hac serie generationem quæ fuerũt à diluuio vsque ad Abraham additur illud, Et mortuus est, sicut in ætate quæ præcessit diluuium: quia nemo erat in tota hac complexione nascentium, de quo tanquam ex cæteris mortalibus excepto dici posset, quod tunc de Henoch dictũ est: Ambulauit cum Domino, & non apparuit quia tulit eum Deus.* Videtur igitur ex eo quod Moses singulis generationibus quæ præcesserunt diluuium, apposuerat illud, *Et mortuus est*, inde fuisse illud ipsum in eas generationes quæ diluuium subsecutæ sunt à Græcis translatum.

TERTIA Discrepantia est in numero annorum quos patres qui 185
fuerunt post diluuium, vsque ad Abraham (præter duos, Sem dico & Thare) vixisse dicuntur. Namque secundum Hebræos & Latinos codices Arphaxad vixit quadringentos triginta octo annos: secundum Græcos autem quadringentos triginta quinque. Secundum illos Sale quadringentos triginta tres, secundum hos quadringentos sexaginta: secundum illos Heber quadringentos sexaginta quatuor, secundum hos quadringentos & quatuor: secundum illos Phaleg ducentos triginta nouem: secundum hos, trecentos triginta nouem: secundum illos Reu ducentos triginta nouem, secundum hos trecentos triginta septem: secundum illos Sarug ducentos triginta: secundum hos, trecentos triginta: secundum illos Nachor centum quadraginta octo, secundum hos trecentos & quatuor. Verùm ex descriptione hic subiecta hoc ipsum lectori apertius fiet.

Secundum Hebræos & Latinos libros. — Secundum codices Græcos.

438	Arphaxad	435
433	Sale	460
464	Heber	404
239	Phaleg	339
239	Reu	337
230	Sarug	330
148	Nachor	304

DECIMATERTIA DISPVTATIO
Super illis verbis.

Vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abraham, & Nachor, & Aram. *Gen.* 11. VERS. 21.

Quoto anno ætatis Thare, natus sit Abraham.

186 VALDE perplexa & litigiosa quæstio est hoc loco, vtrum Abrahã natus sit anno septuagesimo patris sui Thare, vt supradictis verbis significari videtur, an potius anno centesimo trigesimo, id quod ex aliis scripturę locis videtur posse concludi. Siquidē Thare vixit ducentis & quinq; annis, vt extremis verbis capitis vndecimi narrat Moses: post mortem autem eius Abraham ex Mesopotamia profectus in terram Chanaan, dicitur fuisse tunc septuaginta quinque annorum, vt scriptum est in cap. 12. huius libri: ergo si Abraham septuaginta quinque annorum erat post mortem patris sui qui vixerat quinque & ducentos annos, necesse est eum trigesimo & centesimo patris anno esse natum. Tres vias & rationes inuenio explicandi hanc quæstionem.

187 PRIMA est sententia Hebræorum aientium, cum Abraham defuncto patre primum venit in terrã Chanaan, fuisse eum reuera centum triginta annorum: sed appellari tamen à Mose septuaginta quinque annorum: computante scilicet eos annos non ab ortu ipsius, sed eo tempore quo à Chaldęis in ignē (quod Deum more rituque ipsorum adorare nollet) coniectus per Dei omnipotentiam inde saluus & incolumis euasit. Et quia tunc quodammodo regeneratus esse videtur Abraham, propterea Moses ex eo tempore annos eius computare voluit. Fuisse autem Abraham ex incendio ereptum, cognitum habēt Hebræi ex traditionibus maiorum, idque significari putant iis verbis quæ dixit Deus Abrahæ: *Ego sum Deus qui eduxi te de Vr Chaldæorum*, Vr autem Hebraicè significat ignem. Sic enim eam vocem conuertit Latinus interpres in cap. 9. libri secundo Esdræ in illo loco: *Deus qui eduxisti patrem nostrum Abraham de igne Chaldæorum.* Sic Hebræi. *Hebræi.* *Gen.* 15.

188 HANC opinionem B. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim, primo quidem super caput 11. vt fabulosam commemorat: sed paulò post, quod alium commodiorem propositæ quæstionis exitum non reperiret, ad eam se applicuit: *Indissolubilis*, inquit, *quæstio nascitur: si enim Thare, cùm adhuc esset in Chaldæa, septuagesimũ annũ agēs genuit Abraham, & postea in Charran ducentesimo quinto ætatis anno mortuus est: quomodo post mortem eius veniens Abraham in terram Chanaan, septuaginta quinque annorũ fuisse memoratur, cum à natiuitate Abrahæ vsq;* *Hieronymus.*

ad mortem Thare centũ triginta quinque fuisse anni doceãtur? Vera est igitur illa Hebræorũ traditio quàm supra diximus quod egressus sit Thare cum filijs suis de igne Chaldæorũ, & quod Abraham Babylonico vallatus incẽdio quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus: & ex illo tempore ei dies vitæ & tempus reputetur ætatis, ex quo confessus est Dominum spernens Idola Chaldæorum. Potest autem fieri, vt quia scriptura reliquit incertũ, ante paucos annos Thare de Chaldæa profectus venerit in Charran, quam mortẽ obiret, vel certè statim post persecutionem in Charran venerit, & ibi diutius sit moratus. Si quis ergo huic expositioni contrarius est, quærat ipse aliam solutionem, & tunc ea quæ à nobis dicta sunt recte improbabit. Sic Hieronymus.

Refelluntur Hebræi.

SED hæc opiono Hebræorum partim fabulosa est, partrm etiam 186
diuinæ scripturæ contraria fabulosum censeo quod illi tradunt de incendio Chaldaico, vnde mirabiliter Abraham liberatus sit. Verùm hac de re paulò infra propriè & accuratè disputabitur. Contrariam porrò eam opinionem esse diuinis literis, manifestum lectori esse poterit ex paucis quæ hic subiiciam. Principio, si Abraham cum venit primum in terram Chanaan, reuera fuit annorum centum triginta quinque, vt isti dicunt: cum igitur Moses tradit eum, cum esset centum annorum genuisse filium Isaac, necesse fuerit Isaac fuisse genitum triginta quinque annis prius quàm Abraham veniret in terram Chanaan: at enim apertissimè ostendit historia libri Geneseos Isaac natum esse in terra Chanaan, nec sane paucis annis post aduentum Abrahæ in eam terram ex Mesopotamia.

Abraham, cum venit primũ in terram Chananeã fuisse dũtaxat annorũ septuaginta quinque.

QVOD si, vt effugiant isti hoc incommodum, fingant Abraham
cùm genuit Isaac fuisse quidem centum annorum, sed eos tamen an- 190
nos non ab ortu ipsius, sed à liberatione eius ex incendio Chaldæorum, vt suprà dictum est, computari oportere: si hoc inquam dicãt, in aliud profecto non minus graue incõmodum necessario incurrent. Si enim cùm genuit Isaac reuera natus erat centũ sexaginta annos, ergo cùm Isaac quadragenarius Rebeccam duxit vxorẽ, viuo etiã tunc patre, vt ex historia libri Geneseos, cap. 24. perspicuũ est, fuisset tunc Abraham ducentorũ: atqui eodem in libro cap. 25. traditũ est Abraham cùm esset annorum centum & septuaginta quinque, esse mortuum. Neque ad hoc isti vetè possunt respondere, illos cẽtum septuaginta quinque annos non ab ortu Abrahæ, sed ab illo Chaldaico incendio computari debere: namq; ipse Moses satis declarat se illis centum septuaginta quinque annis omne tempus vitæ Abrahæ comprehendisse, cùm ait: *Fuerunt dies vitę eius centum septuaginta quinque annis.*

ALTERA sententia est Theodoreti super caput 12. libri Gene- 191
seos, eademque sententia est Nicolai de Lyra & Caietani. Arbitrantur isti, Thare, cùm esset septuaginta annorum cœpisse generare filios & eo anno primum filium genuisse Aran, cuius nempe duas filias Melcham & Saram vxores duxerunt Nachor & Abraham. deinde aliquot post annos, Thare genuit Nachor: nouissimè autem cum esset iam centum triginta annorum genuit Abraham. Nam etsi

Nicolaus de Lyra, Caietanus.

inter

inter filios Thare primus nominatur Abram, intelligendum tamen est non fuisse eum primum ordine generationis sed dignitatis, propter electionem & benedictionem Dei, qui eum elegerat, vt ex ipso populus Hebræus,& in eo populo cum multi viri clarissimi,tum ante omnes Messias ipse generaretur quemadmodum in 1 libro Paralipomenō cap. 4.inter filios Abrahæ prior Isaac nominatur quam Ismael, & Iacob quàm Esau, quin etiam secundum Hebræos Sem non fuit primogenitus Noë,cui tamen in enumeratione filiorum Noë primus vbique locus datur.Hæc opinio vel eo nomine fidem mereri videtur, quòd omnem propositæ quæstionis difficultatem penitus exhaurit, nullamque ne in speciem quidem in sacris literis dissonantiam atque discrepantiam relinquit. siquidem verè Abraham cùm post mortem patris venit in terram Chanaan, fuit septuaginta quinque annorum, vt narrat Moses Hæc isti.

192 VERVM contra istos duo validissimè pugnant.Ac primo quidem, si Thare septuagesimo anno genuit tres filios, sicut ait Moses,necesse est vt id verum sit, vel omnes illos tres eo anno esse genito,vel certe vnum aliquem eorum: nam si nullum tunc genuit, quorsum signauit Moses illum annum septuagesimum Thare in generatione filiorum Dices, vt significare ante illum septuagesimum annum nondum cœpisse generare.Esto, sed ad quem obsecro finem id significari oportebat?nónne potius declarandum fuit quoto ætatis anno vel illos vel aliquem illorum genuisset? Genuit igitur Thare aliquem illorum triū septuagesimo anno ætatis suæ;at quē? nolunt isti Abraham tunc esse genitum, ergo vel Nachor vel Aran eo tempore genitus est. Verum rationis minimè consentaneum est, Mosem explicare voluisse tempus generationis Nachor & Aran, tacuisse autem tempus ortus Abrahæ, cùm de Abraham eiusque genealogia & ætate per se præcipue agat Moses, de ceteris autem non nisi per accidens. Cúmque Moses capite vndecimo Geneseos describens generationes quæ post diluuium fuerunt vsque ad Abraham, in singulis illarum generationum diligenter annotauerit tempus quo quisque generatus fuerat,id profecto in Abraham, in quo terminabatur series illarum generationum, omittere non debuit,

Abrahā natū non anno centesimo trigesimo patris sui Thare,sed anno septuagesimo

193 DEINDE,si cùm Thare dicitur annos natus septuaginta genuisse tres illos filios,non significatur eo anno natum esse Abraham, nesciretur profecto quando is natus esset: ex quo efficeretur, tempus secundæ ætatis Mundi à diluuio vsque ad Abraham esse ignotum,totaque Chronologia sacra plane concideret, quippe quæ per Abraham continuatur vsque ad diluuium,& post Abraham vsque ad captiuitatem Babylonicam.

194 ATQVE hoc etiam B. Augustini testimonio confirmatur. is enim libro 16.de Ciuitate Dei,cap.14.tractans illa verba Mosis quæ sunt in capite 11. Geneseos secundum translationem Septuaginta: *Et fuerunt dies Thare in Charram ducenti quinque,& mortuus est in Charram*,sic ait,

B. Augustin.

Non est hoc sic accipiendũ quasi hoc omnes dies ibi egerit, sed quia omnes dies vitæ suæ, qui fuerunt anni ducenti quinque, ibi complenerit. Alioqui nesciretur quot annos vixerit Thare, quoniam non legitur quotanno vitæ suæ in Charran venerit: & absurdum est existimare in ista serie generationũ, vbi diligenter commemoratur quot annos quisque vixerit, huius solius numerum annorum vitæ non commendatum esse memoriæ. Quod enim quorundam quos eadem scriptura commemorat tacentur anni, non sunt illi in hoc ordine in quo temporum dinumeratio decessione gignentiũ, & genitorũ successione contexitus, Iste antè ordo qui dirigitur ab Adam vsque ad Noë, & inde vsque ad Abraham, sine numero annorũ vitæ suæ neminem continet. Hactenus verba sunt Augustini. Quod si pro magno Chronologiæ incommodo duxit Augustinus non commemorari in scriptura tempus ætatis ipsius Thare vt propter eius reticentiam putauerit perturbatũ iri Chronologiã sacram: quãto verius hoc ipsum de tempore ortus & vitę ipsius Abrahę, cuius historię scribendę præcipua fuit cura Mosis, existimare oportet?

A T enim propugnatores huius opinionis quam refellimus respondere possent, quando natus fuerit Abraham, ex ipsa Mosis narra- 195
tione euidenter cognosci. Nam si cùm post mortẽ patris ex vrbe Haran venit in terrã Chanaan, erat Abrahã septuaginta quinque annorum, & pater eius Thare vixit quinque & ducentos annos, ex his necessario concluditur, anno centesimo trigesimo Thare natum esse Abraham: & à diluuio vsque ad ortum Abrahæ numerari debere trecentos quinquaginta duos annos, addita verò generatione Cainã quę triginta annos continet, confici summam annorũ à diluuio vsque ad Abraham trecentorum octoginta duorum annorum.

V E R V M hęc responsio valde infirma est atque improbabilis. Primò, perquam incongruum videtur, cum in cunctis prioribus generationibus, quoto quisque anno in sua generatione natus fuerit, propriè explicatè Moses exposuerit, hoc ipsum in generatione Abrahæ, cuius gratia superiora fuerant contexta, eum facere neglexisse. Deinde licèt scriptura doceat, Abraham post patris sui mortem venisse in terram Chanaan, eumque fuisse id temporis annorum septuaginta quinque, tamen minime docet, sed incertum relinquit quanto tempore post mortem Thare venerit Abraham in regionem Chanaan, vtrum illo anno quo Thare mortuus est, an aliquot post annis quàm mortuus fuerat semper igitur in obscuro: & dubio tempus natiuitatis Abrahæ verfaretur.

Andreas Masius. Tertia sententia.

A N D R E A S Masius scriptor nostræ ætatis non minus sane (vt de- 196
clarant eius scripta) pius quàm eruditus ac disertus, in Commentariis quos edidit in librum Iosue, caput vltimum eius libri explanans, cùm hanc ipsam quęstionem obiter tractaret, scripsit videri sibi similius vero Abraham primum venisse Chanaan septuagesimo quinto ætatis suæ anno, patre nimirum viuente & annum agente centesimum quadragesimum quintum. Quod autem B. Stephanus ait venisse eum in terram Chanaan post mortem patris, interpretandum

Act. 7.

esse

esse putat de morte non quidem naturali, sed spirituali. nam quia Thare obstinatissima voluntate constituerat in Chananæam regionem quo Deus vocabat, non ire, sed apud suos deos quorum vanissimo cultui erat deditus manere, & filio suo Abrahamo spem omnem illius profectionis ademerat: propterea B. Stephanus eum appellauit mortuum: neque enim infrequens est in sacris literis, præsertim verò apud Paulum eos qui iacebant in peccatis, maximè verò in peccato Idololatriæ, mortuos appellari, quale est illud Domini: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Verum hæc interpretatio nec mihi probatur, nec vt opinor, cuiquam diuinarum literarum prudenti & perito probanda est. Siquidem orationem B. Stephani à propria verborum significatione ac sententia detorquens ad Tropologicam intelligentiam, peruertit enarrationem historicam, qualē esse eo loco Stephani orationem nemo non videt. *Matth. 8.*

1197 NEC illa nonnullis displicet enodandæ huius difficultatis via & ratio, putāt profectionem illam Abrahæ in regionē Chananęam cùm is septuaginta quinque annorum esset, fuisse multis annis ante mortem Thare: sed eam tamen à Mose post mortem eius cōmemoratam esse per figuram quæ nominatur recapitulatio, qua posterius narrantur, quæ prius gesta fuerant. Hac figura vsus est Moses infra capite 25. narrans prius mortem Abrahæ, post eam verò ortum Iacob & Esau, cùm manifestum sit ex historia huius libri, mortem Abrahæ quindecim annis posteriorem fuisse ortu Iacob. Ergo quia Moses voluit quæcunque pertinebant ad historiam Thare, continēti narratione breuiter expedire, exinde autem ordiri historiam Abrahæ diligenter à se copioséque pertexendam, propterea prius exposuit mortem Thare, deinde autem orsus historiam Abrahæ, initium eius repetiuit à profectione eius in terram Chanaan, licet id multis annis Thare mortem antecesserit. *Quarta sententia.*

Sed huic expositioni aduersatur narratio B. Stephani quæ est in Actis Apostolorum, vt proximè dictum est: quippe quæ distinctè & propriè habet Abraham venisse in terram Chanaan post patris sui mortem: quæ verba refugium illud ad figuram recapitulationis prorsus excludunt. Verùm responderi ad hoc posset, interdum scriptores sacros appellare res ipsas non ex eo quod verè sunt, sed ex eo quod in aliis Scripturæ locis sic commemoratæ sunt: quemadmodum Beatus Paulus ad Hebræos 7. scripsit Melchisedec fuisse sine patre, sine matre, sine fine aut initio dierum, propterea quòd Moses in libro de Genesi, vbi mentionem eius facit, repente inducit ipsum nulla eius vel parentum vel ætatis eius facta mentione. Similiter igitur quia Moses egressum Abrahæ ex patria sua narrauit post mortem Thare, idcirco Stephanus modum narrationis Mosaicæ spectans dixit Abraham egressum esse de terra sua post mortem patris sui. *Genes. 14.*

1198 SED enim huic interpretationi obstat, quod Stephanus eo loci

Genes.12. narrat Deum Abrahæ cum esset in Mesopotamia, & priusquam habitaret in Charran, dixisse verba illa: *Exi de terra tua & de cognatione tua, &c.* at si sequi voluisset Stephanus ordinem narrationis Mosaicæ, dixisset vtique illa verba locutum esse Deum Abrahæ post mortem Thare, post quam mortem, Moses in exordio capitis duodecimi ea verba commemorat.

Quinta sententia quæ præ ceteris Auctori placet.

Duplex Abrahæ profectio ex Mesopotamia in Chananæam terram.

RESTAT Quinta & vltima explicandæ huius quæstionis ratio superioribus, meo iudicio præferenda. Existimare oportet Abraham bis ex vrbe Charran venisse in regionem Chananæam: primùm quidem venit, cùm esset ipse septuaginta quinque annorum, relicto in Charran patre viuo & annum tunc centesimum quadragesimum quintum agente. Post hunc primum in Chananæam terram aduentum, Abraham per sexaginta annos in ea regione peregrinatus est, aliquoties fortasse patrem reuisens. Postremùm, renunciata patris morte reuersus est Charran, vt vel patris funus curaret, vel ne bona quæ paterna hæreditate sibi obuenerant perderet, & tunc iterum, mortuo iam patre, egressus est de Mesopotamia firmissimo animo certissimoque proposito nunquam eo in posterum reuertendi: profectusque est in terram Chanaan, vt ibi deinceps stabilem haberet habitationem. Atque hoc significari putat B. Augustinus iis verbis quibus vsus est B. Stephanus: nã pro eo quod Latinus interpres vertit: *Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam.* pro illo inquam verbo *transtulit*, Augustinus legit, *collocauit*, Græcè. est, μετὼκισεν, idest, colonum & habitatorem fecit, eique quasi nunquam amplius in Mesopotamia reuersuro domicilium in terra Chanaan statuit, siquidem vox μετοικια, non simplicem translationem, sed quasi coloniam denotat. 199

ERGO Abraham ante mortem patris sui per annos sexaginta dici potest non tam habitasse in terra Chanaan, quam peregrinatum esse, quòd per interualla patrem & fratres reuiseret: post mortem autem patris, ita Mesopotamiam dereliquit, vt perpetuus deinceps terræ Chananæ colonus & habitator esset. Huic rei fidem illud facit, quod in libro Geneseos cap. 23. legitur, Abraham cùm esset centum triginta septem annorum, hoc est, duobus annis post mortem Thare patris sui, primum possedisse partem aliquam terræ Chanaan, empta spelunca duplici in sepulturam vxoris Saræ, quod sanè non est ab Augustino non animaduersum & annotatum. 200

HANC sententiam Tostatus sequitur, sed eius sententiæ principem facere conuenit Augustinum. Is enim in Quæstionibus super Genesim quæst. 25. & in libro 16. de Ciuitate Dei cap. 15. licet tres enodandæ huius quæstionis rationes exponat, idest, de iis quæ supra commemorauimus, primam, secundam, & quintam, in hanc tamen quintam videtur ipse propensior. Nam cùm in eo libro quẽ proximè dixi de Ciuitate Dei, difficultatem indicasset quam nos in hanc disputatione tractamus, quomodo Abraham post mortem patris qui 201

ducen

ducentos quinq; annos vixerat,& ipsum genuerat septuagesimo ætatis suæ anno,quomodo, inquam Abraham tunc veniens in terram Chanaan, potuerit esse septuaginta quinque annorũ? respondet ipse re vera Abraham fuisse tunc septuaginta quinque annorum, neq; eo tempore fuisse mortuum Thare patrem eius,sed annum egisse centesimum quadragesimum quintum:Mosen tamen quasi per recapitulationem,discessum illum Abrahæ ex Mesopotamia narrasse post mortem patris eius Thare à se commemoratam. Sic autem scribit B. Augustinus:*Intelligendũ est more suo scripturã recapitulando redisse ad tempus quod iam narratio transierat:nã cùm dictum esset:Et fuerunt dies Thare in Charrã quinque & ducẽti anni,& mortuus est Thare,&c.deinde scriptura redeundo ad id quod ideo prætermiserat,vt prius de Thare id quod inchoatum fuerat cõpleretur: subiunxit præceptum Domini datum Abrahæ de egrediendo ex terra sua,& quod tunc Abraham fuerit 75.annorum. Tunc autem reuera hoc factum est, cùm pater eius centesimũ quadragesimũ quintum annum ageret ætatis:tunc enim fuit Abrahæ septuagesimus quintus annus.* *Genes.12.*

021 Post hæc Augustinus tractans verba illa B. Stephani: *Inde postquam mortuus pater eius transtulit eum Deus in terram istam:* vbi pro illo verbo,*transtulit*,legit Augustinus, *collocauit*:quibus verbis significatur Abraham post mortem patris sui venisse in terram Chanaan,hæc inquam verba tractans ibi Augustinus sic ait:*Non dixit Stephanus:postquam mortuus est pater eius exijt de Charran, sed dixit,postquam mortuus est patere eius hic eum collocauit. Intelligẽdum igitur est locutũ fuisse Deum cum Abraham cum esset in Mesopotamia prius quàm habitaret in Charram:sed eum in Charrã peruenisse cũ patre,retẽto apud se præcepto Dei,& inde exiisse septuagesimo & quinto suo, patris autẽ sui centesimo quadragesimo quinto anno. Nec sanè incredibiliter exstimatur,cum postea secutus esset Nachor frater Abraham,patrem suum Thare, tunc Abrahamum Dei præceptum impleuisse;& cùm Sara coniuge sua & Lot filio fratris sui exisse de Charran,collocationem verò Abrahæ in terrã Chanaan post mortem patris,nõ autẽ profectionem de Charrã appellauit Stephanus, quia iam mortuus erat pater eius quãdo emit terram,cuius ibi iam,vt suæ rei, cœpit esse possessor. Quod autẽ iam in Mesopotamia constituto,hoc est iam egresso de terra Chaldæorum dixit Deus: Exi de terra tua & de cognatione tua & de domo patris tui,nõ vt corpus inde eijceret,quod iam fecerat,sed vt animam euelleret,dicitur. Non enim exierat inde animo,si spe redeundi & desiderio tenebatur, quæ spes & desideriũ Deo iubente ac iuuante, & illo obediente fuerat amputanda.* Hæc Augustinus. *Genes.12.*

203 Ergo duplicem cogitare oportet Abrahæ profectionem ex Mesopotamia in terram Chanaan: Alteram quidem viuo patre eius & centesimum quadragesimum quintum annum agente, ipso autem Abraham annos nato septuaginta quinque, & de hac profectione locutus est Moses cap. 12. huius libri. Altera verò eiusdem profectio sexaginta annis post facta est,quibus annis peregrinatus est Abraham in terra Chanaan, nonnunquam reuisens patrem suum, post cuius mortem ita dereliquit Mesopotamiam, vt nunquam eo reuersurus esset,

esset, & de hac posteriori decessione Abrahæ ex Mesopotamia & profectione in terra Chanaan locutus est B. Stephanus. Atque hæc sententia, quæ est B. Augustini, plus apud me ponderis habet quàm quod tradit S. Chrysostom. hom. 31. in Genesim, Abraham, non ante mortem patris sui Thare, ex vrbe Haran vnquam discessisse.

Tostatus. HVIVS autē duplicis profectionis Abraham Tostatus causam 204
reddit sanè idoneam & probabilem : *Causa*, inquit Tostatus, *duplicis exitus Abraham de Charran, & aduentus in Chanaan fuit, quia primùm venit Abraham cum patre suo in Charran, & mansit ibi diu, eratque tunc pater eius Thare verus Dei cultor: sed postea processu tẽporis deprauatus est fortasse ex cõsortio filij sui Nachor qui fuerat idololatria in terra Chaldæorũ, vt scribit Augustinus libro 16. de Ciuitate Dei cap. 14. Ne igitur Abraham peruerteretur propter prauam cõuersationem idololatrarum, & propter alias causas, iussit eum Deus exire de Charrãn, & de domo patris sui, & venire in terram Chanaan : eratque tunc Abraham septuaginta quinque annorum, pater autem eius centum quadragintaquinque. Et tunc Abraham peregrinatus est in terra Chanaan sexaginta annis, sexagesimo autem anno qui erat ætatis Abrahæ centesimus trigesimus quintus, mortuus est pater eius Thare. Tunc Abraham rediit in Charran partim vt sepulturæ patris operã suã nauaret, partim vt bona paterna quæ sibi hereditario iure obuenerant possideret. Post hæc omnino ex Mesopotamia profectus est in Chanaã animo nunquam illuc redeundi: & de hac vltima profectione locutus est B. Stephanus.* Hæc Tostatus. sed vtrum Nachor & Thare fuerint idololatræ (vt hoc loco ait Tostatus) nec ne, dispiciemus infra in alia disputatione, quam secundo post hanc loco tractaturi sumus.

Augustin.

TER

TERTIA PARS
CAPITIS VNDECIMI
GENESEOS.

DE ABRAHÆ ORTV CONIVGIO, & de migratione ex Chaldęa in Mesopotamiam.

HÆ sunt generationes Thare. Thare genuit Abram, Nachor & Aran. Porrò Aran genuit Lot. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra natiuitatis suæ in Ur Chaldæorum. Duxerunt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ & patris Ieschæ. Erat autem Sarai sterilis nec habebat liberos. Tulit itaque Thare Abrā filium suum, & Lot filium Aran filij sui, & Sarai nurum suam & vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, vt irem in terram Chanaan: veneruntque vsque Haran & habitauerunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

27 28 29 30 32

PRÆFATIO.

SVPER hæc verba Mosis quinque disputationes tractande sunt, quarum prima erit, An Abrahã fuerit primogenitus Thare: secunda, An Sara cõiux Abrahæ, fuerit vera eius soror: Tertio, An quia noluit Abrahã adorare ignẽ iussu Chaldæorum coniectus ab illis in ignem sit, & inde mirabiliter à Deo liberatus: Quarta, An Thare pater Abrahæ, fuerit cultor Idolorum. Quinta, Vtrum Abraham aliquando coluerit Idola, an semper veri Dei cultor fuerit.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Super iisdem illis verbis:
Thare cúm esset septuaginta annorum genuit Abram, Nachor, & Aran,

Vtrum Abraham fuerit Primogenitus Thare, & an Sara vxor eius fuerit soror vterina ipsius necne.

SI Thare septuagesimo ętatis anno cœpit generare tres illos filios, & illo septuagesimo anno (vt suprà ostensum est) genitus est Abrahã, necesse est reliquos duos post Abraham, esse genitos, & Abrahã fuisse primogenitũ patris sui Thare. Ex aduerso autẽ grauissimũ huic sentẽtię opponitur argumentũ Si enim Abrahã, vt multorũ fuit opinio, vxorẽ duxit Sarã filiã Aran fratris sui, erat autẽ Abrahã decem annis natu grãdior quàm Sara, vt traditur Gen. 17. si fuisset Abraham primogenitus, eoque maior natu quam Aran, necesse esset ipsum Aran ante decimum ætatis suæ annũ generasse filiam Sarã, quod est incredibile: nõ igitur Abrahã primogenitus fuit Thare, nec septuagesimo eius anno natus. Ex quo apparet huius disputationis tractationem ad plenam & absolutam superioris disputationis explicationem atque confirmationẽ, esse necessariam. 205

MVLTI tam veterum quam recentiorum non obscuri nec ignobiles auctores, eo argumento quod proxime expositi permoti atque persuasi putarunt Saram veram fuisse sororem Abrahæ, non tamen 206

vteri

vterinam, id est, eodem patre sed non eadem matre natam. Hæc sententia placuisse videtur Clementi Alexandrino, cuius sub finem libri secundi Stromatum hæc sunt verba: *Abraham dixit de vxore sua: Soror mea est filia patris mei, sed non matris meæ: docēs eas quæ ex eadem matre natæ sunt, non esse ducendas vxores.* Eidem sententiæ adhæsit Lippomanus in Catena super vigesimum caput Geneseos, & Sotus lib. 2. de Iustitia & Iure quæstione tertia, Caietanus verò sine dubitatione vlla id ipsum sentit: nā super illa verba capitis vndecimi: *Nomen vxoris Abraham, Sara, & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ & Ieschæ*, ita scribit: *ex eo quod nominando vxores Abrahæ & Nachor Sarā & Melcham, de sola Melcha dicitur quod erat filia Aran, argumentum habetur quod Sara non erat filia Aram. Non enim constat Saram fuisse appellatam duobus nominibus, videlicet Saræ & Ieschæ, id enim multo rationabilius repellitur quàm facile dicitur.* *Clemens Alexandrin. Genes. 20. Lippomanus. Dominicus Soto. Caietan.*

207 Sed idem Caietanus super caput vigesimū Geneseos expendens illa verba Abrahę de Sara vxore sua: *Vere soror mea est filia patris mei, sed non matris meæ*, multò apertioribus verbis maioriq; asseueratione hoc ipsum docet, hoc enim modo scribit: *Refert Iosephus Sarā filiam fuisse Aran fratris sui, & sororem carnalē Lot. Sed contra textum Mosis nonnunquam scribere Iosephum, liquet conferentibus Historiam Mosis cū illius libris de Antiquitatibus Iudaicis: & propterea non est mirum si in hac etiā re aliquid finxerit. Nam secundum proprietatem supradictorum verborū Mosis, aperte dicitur Saram fuisse sororem carnalem Abrahæ, non tamen vterinam. Si dixisset duntaxat Soror mea est, item* (ait Caietanus) *in communem sensum: sed adiungendo filia patris mei ipsa est, non autē matris meæ, apertè significatur eā fuisse filiam patris sui, non autē aui sui aut fratris sui: Et hic est sensus literalis. Licitum enim erat tunc coniugiū cum sorore nō vterina. Nam si nomine patris intellexisset Abrahā suum auum non adiunxisset negatiuam illam, non filia matris meæ. Et rursus sicut matris nomine vtitur proprie, ita & patris. Denique si illis verbis: Vere soror mea est, filia patris mei & non matris meæ non significatur soror carnalis nō vterina: quibus quæso alijs verbis* (etiam si fingere velis) *id clarius & significantius demōstrare poteris?* Hæc Caiet. *Ioseph.* *Hieron.*

208 Nec ab hac opinione abhorruisse videtur B. Hieronym. is enim in Traditionibus Hebraicis in Genesim super illa verba capitis vigesimi: *Etenim verè soror mea est de patre sed nō ex matre: Significatur*, inquit, *fratris eius Aran filiam fuisse non autem sororis. Sed quia in Hebræo*, inquit, Hieronym. *sic est, Vere soror mea est, filia patris mei, & nō filia matris meæ quod magis sonat Sarā sororem fuisse Abrahæ, in excusationem eius dicimus, nec dum illo tempore tales nuptias lege Mosis fuisse prohibitas.* Sic ibi Hieronymus. Idem tamen in eodem libro super caput vndecimum Geneseos contrariam sequens opinionem ait, *Aran fratrem Abrahæ genuisse filias duas. Melchā & Saram, quæ alio nomine appellata est Iescha: & Melcham quidem vxorem duxit Nachor, Saram verò Abraham, ambo fratres ipsius Aran, nec dū quippe inter patruos & fratrū filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ, qua in primis hominibus etiam inter fratres & sorores*

nitæ sunt. Hactenus ex Hieronymo.

NON est autem intelligendum ex verbis Hieronymi, nuptias inter patruum & filiam fratris, fuisse Mosaica lege interdictas, siquidem nec in capite 18. Leuitici inter gradus cognationis & affinitatis ad contrahendum matrimonium prohibitos, qui eo loco distinctè omnes explicareque cõmemoratur, vlla fit mentio coniugij inter patruum & filiam fratris: & post legem Mosis fuisse licitum atque vsitatum tale coniugium, declarat exemplum Othonielis, qui vxorem duxit Axam filiam Caleb fratris sui, vt in libro Iudicum capite primo scriptum est. Sed redeo ad primam opinionem: quam ne Tostatus quidem dissimulat esse admodum, vt ipse ait, rationabilem & cõformem textui scripturæ: sed tamen propterea se eam non sequi, quòd ei contraria sit communis Doctorum opinio, & quia tale coniugium tempore Abrahæ illicitum fuisse videatur, sed hoc pernegant illius opinionis sectatores. 209

Tostatus in cap. 12. Genes.

NEC ad eam opinionem firmandam, & multa & firma desunt argumenta. Primum argumentum. In capite vndecimo sic est: *Duxerunt Abraham & Nachor duas vxores: nomen vxoris Abraham Sarai, & nomẽ vxoris Nachor Melcha, filia Aran patris Melchæ & patris Ieschæ.* Ecce si Sara filia fuisset Aran, sicut hoc dictum est de Melcha, ita dictum esset de Sara. Nec placet illud quorundam responsum, id fuisse dictum de Sara sub nomine Ieschæ, quasi vxor Abrahæ duplex habuerit nomen, alterum Sarai, & alterum Ieschæ: hoc dico responsum non videtur probandum: non est enim credibile voluisse Mosen eo loco ludere ambiguitate verbi. Quorsum enim quam & eo capite ter vocauit Sarai, & deinceps in hoc libro sæpe eo nomine appellat, semel tantum nominasset nomine Ieschæ, non indicando hæc duo nomina fuisse eiusdem mulieris? Certè si quis non aliqua opinione occupatus legat narrationem illam Mosis, proculdubio intelliget & credet aliã fuisse mulierem Sarai & aliam Ieseham. 210

ALTERVM argumentum. Magis etiam roborant hanc sentẽtiam verba Mosis quæ eo loco proximè sequuntur. Subdit enim: *Tulit Thare Abraham filium suum, & Lot filium Aran filij sui, & Sarai nurum suam vxorem Abrahæ filij sui.* si Sara fuisset filia Aran, sicut Lot filius fuit Aran, quemadmodum Moses nominauit Lot filium Aran, ita quoque Saram nominasset eius filiam. Cumque multò maior sit necessitudo & propinquitas inter auum & neptem, quàm inter socerum & nurum, non debebat Moses dicere de Thare, *Tulit Sarai nurum suam*, sed dicere debuit, *Tulit Thare neptem suam, vel filiam filij sui.* 211

TERTIVM argumentum supra indicatum est, cùm verba Caietani commemoraremus: sumptum autem est ex verbis quæ Abraham dixit Regi Abimelec expostulanti secum, quod ipse decepisset eum, dicens Saram esse sororem suam, cùm reuera esset vxor. Sic enim respondit ei Abraham: *Verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Quæ verba apertè declarant Saram germanam

nam fuisse sororem Abrahæ, non tamen vterinam: hoc enim significat, tum illud: *Verè soror mea est*, tum etiam illud, *Filia Patris, mei sed non matris meæ*. neque enim apertius vel expressius aliis verbis significari posset soror non vterina. Quartum argumentum: Si non erat Sara verè soror Abrahæ, fefellit igitur Abraham in errorem & induxit regem Abimelec, qui verba Abrahæ secundum propriam eorum significationem & sententiam accipiens, credidit Saram fuisse veram Abrahæ sororem, ideoque non fuisse eius vxorem.

Quinam putauerint coniugium inter fratrem & sororē non vterinā fuisse licitum tē pore Abrahæ

212 ATQVE hæc quidem est opinio multorum, vt ostendimus, grauium & nobilium scriptorum. Ex his autem plerique putarunt illo tempore fuisse licitum matrimoniū inter sorores & fratres non vterinos, idque sensit Clemens Alexandrinus, & significat B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super caput vigesimum: idemque Caietanus, Lippomanus & Sotus opinati sunt. Cui opinationi fidem ex eo astrui volunt, quòd Thamar dixit fratri suo Amnon volenti eam violare & opprimere, vt scriptum est libro secundo Regum capite decimo tertio: *Noli frater mi*, dixit illa, *facere stultitiā hanc: quin potius loquere ad regem, & non negabit me tibi.* Credidit igitur puella, licet tale coniugium tunc esset lege Mosis vetitum, attamen quia ipsum audierat fuisse quondam ante legem apud Patriarchas vsitatum, posse etiam tunc per dispensationem legis concedi, maximè verò id Rege vehementer cupiente.

Clemens Alexand.
S. Hieronym.
Caietanus.
Lyppomanus
Sotus

213 SED alij negant id genus matrimonij fuisse vnquam licitum, nisi in exordio mundi propter hominū paucitatem, sed putant Abraham contraxisse id matrimonium ex singulari quadam Dei reuelatione, quo scilicet Abraham generaturus populum fidelem, ad id muneris vxorem idoneam, nempe religiosam fidelémque sororem acciperet, Nec desunt qui lege illa Iustiniani adducti, *Inter fratrem sororemque nuptias esse prohibitas, siue eodem vtroque parente, siue altero tantùm nati sint: verùm si per adoptionem soror facta sit, quandiu manet adoptio, etiam nuptias prohiberi: at si per emancipationē adoptio dissoluta sit, posse inter eos rite iniri connubium*, hac inquam lege Iustiniani quidam adducti, coniectant fieri potuisse, vt Sara filia fuerit Thare adoptiua, quam postea emancipatum à patre adoptiuo, Abraham legitimè ducere vxorem potuerit.

Homerus in Geneseos.
Iustin. lib. 1.
Iustitus.

214 ALTERA est communis fermè doctorum sententia Saram fuisse filiam Aran fratris Abrahę, veramque sororem Lot: verùm consuetudine gentis Hebrææ quæ patruum siue auunculum, & filium vel filiam patri appellabat fratres vel sorores, Abrabam appellasse eam sororem suam quemadmodum idem cap. decimo tertio huius libri Lot fratris sui filium, appellauit fratrem suum, & cap. 29 Laban fratrem appellauit Iacob, qui filius erat Rebeccæ sororis suæ. Aqua loquendi consuetudine etiam Romanos non abhorruisse, non obscurè indicauit Cicero initio libri quinti de Finibus, vbi Lucium Ciceronem patruelem suum appellauit fratrem. Romani enim filios

Auctoris sententia.
Saram non fuisse sororem carnalem Abrahæ sed filiam fratris eius.
Cicero

duorum appellabant patrueles, filios autem duarum sororum, consobrinos, at filios fratris & sororis, amitinos.

Augustin. SED audi Augustinum, idipsum quod docui, clarissimis verbis enarrantem atque confirmantem: in libro enim vigesimo secundo 215
aduersus Faustum capite trigesimo quinto, hoc modo scribit: *Cùm Abraham eo tempore viueret in rebus humanis, quo tempore iam fratres ex vtroque aut altero alterave parente natos necti coniugio non licebat, filios autem fratrum, aliosque longinquiore gradu generis consanguineos, nulla lege, nulla potestate prohibita consuetudo iungebat: quid mirum si sororem suam, id est, ex patris sui sanguine procreatum, habebat vxorem? nam hoc ipse reddenti sibi eam regi dixit, de patre esse sororem non de matre. Vbi certè vi sororẽ mentiretur, nullo iam timore cogebatur: quando ille vxorẽ eius esse didicerat, & eam diuinitus territus cum honore reddebat. Fratres autẽ siue sorores generali nomine cõsanguineos vel consanguineas solere apud veteres appellari scriptura testatur. Nam & Tobias iunior, quam accipiebat vxorem appellauit sororem, non quidem eiusdem patris aut matris satu natam, sed ex eadẽ stirpe cognationis exortam. Et Lot Abrahæ frater dicitur, cuius tamen patruum fuisse Abraham eadem scriptura declarat. Similiter in Euangelio fratres Domini nominãtur non eiusdem matris filij, sed ex eadem consanguinitate propinqui.*

Tob. 6. & 8. Gen. 11. & 13.

Matth. 13. & alibi.

Hæc ibi Augustinus, idem quoque scribens lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 19. quem secutus est S. Thomas Secunda secundæ quæst. 110.

S. Thomas, Iosephus. SED huius sententiæ vetustissimus auctor est Iosephus in libro 216
primum antiquitatum ita scribens: *Abraham fratris sui Aran filium Lot & Saræ coniugis suæ fratrem adoptauit sibi filium, quod germano filio careret.* Idque factum esse subindicat Iosephus, cùm Abraham Dei monitu proficisceretur ex Mesopotamia in terram Chanaan. Hoc tamen Iosephi dictum, non fit verisimile: siquidem post aduentum Abrahæ in terram Chanaan, vt narrat Moses cap. 13. Abraham appellauit Lot fratrem suum, dicens ei: *Ne quaso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos, fratres enim sumus*, at si filius eius per adoptionem fuisset, non appellasset eum fratrem sed, filium.

SVNT qui putent Chrysostomum alienum fuisse ab hac sententia: quibus ego minime assentior. Ponam verba Chrysostomi ex ho- 217
milia eius in Genesim 45. vbi explanans illam sententiam Abrahæ quæ est in capite 10. libri Geneseos: *Etenim soror mea est ex patre, sed non ex matre*, sic ait: *Quia eundem illa patrem vocat, quem & ego patrẽ appello: idcirco & ipsam ego sororem vocaui.* Non ait Chrysostomus, quia eundẽ patrem habet quem ego, sed quia eundem patrem appellat: nam quia Thare auus erat ipsius Saræ, idcirco Sara ritè nominabat eum patrem suum: quemadmodum enim aui nepotes & neptes appellare solent filio vel filias, ita viciſſim nepotes & neptes auos vocant patres suos. Erat præterea quædam propria & præcipua ratio cur id faceret Sara: Aran enim pater eius multò ante Thare obierat, quare Sara, mortuo patre, ipsum Thare non solum in aui sed etiam in patris locum habebat. Sed non attinet plures huius opinionis probatores ac

Chrysost.

defen

defensores nominati, cum ea sit communis, vt dixi, Doctorũ sententia extra quẽ nec ipsum B. Hieronymũ fuisse, satis indicãt quæ scribit ille in Traditionibus Hebraicis in Genesim super caput vndecimũ: cuius verba paulò supra cõmemorauimus. Cũq; Iosephus, qui vixit seculo illo Christi domini & Apostolorũ, id senserit, perquam credibile sit eam fuisse id temporis apud Hebræos, & Synagogę sententiam. *Hieronymus.*

218 CONFIRMATVR porrò multis & validis rationib. hæc opinio. Prima ratio. Proditũ est in capite vndecimo Geneseos, Arã qui frater fuit Abrahæ & Nachor duas genuisse filias, Melchã dico & Iescham: cùm igitur Nachor Melcham sibi matrimonio iunxerit, verisimile fit Abraham quoque alteram filiam Arã quæ Iescha dicebatur, vxorem duxisse, hæc autem alio nomine appellata est Sara: id enim & Thare & Abrahæ & ipsi Ieschæ seu Saræ optatissimum & gratissimum esse debuit: præsertim cùm mos fuerit illorum Patriacharum non alieni generis & gentis mulieres, sed ex sua gente ac stirpe vxores accipere. quocirca Abraham adiurauit seruum suum ne acciperet vxorem filio suo Isaac de gente Chananæorum, *Sed ad terram*, inquit, *& cognationem meam proficiscere, & inde accipies vxorem filio meo Isaac.* Et ipse Isaac mittens filiũ suũ Iacob in Mesopotamiã: *Noli*, ait, *accipere coniugẽ de genere Chanaan, sed vade ad domũ Bathuelis patris matris tuæ, & accipe inde tibi vxorem de filiabus Laban auunculi tui.* *Saram nam fuisse germanam sororem Abrahæ probatur trib. rationibus.* *Gen. 24. & 28.*

219 ALTERA ratio ex ipsa narratione Mosis elicitur non leue argumentum, Sarã non fuisse filiam Thare & sororem Abrahæ. Sic enim scribit Moses capite 11. *Tulit Thare Abrahã filiũ suum, & Lot filiũ Aran filij sui & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan.* Si Sara fuisset filia Thare, cùm longè maior sit necessitudo patris & filiæ, quàm socrus & nurus, non appellasset Moses Saram nurum Thare, sed potius filiam eius. Itaque argumentum quod ex hoc loco ducũt qui opinantur Saram non fuisse filiam Aran fratris Abrahæ, sed sororem ipsius Abrahæ, propterea quod Moses hoc loco non appellauit Saram filiam Aran sicut Lot, sed tantum nurum Thare & vxorem Abrahę: hoc inquam argumentum, si quam vim habet, eam certe maiorem contra istos quàm contra nos habet: namque consimli ratione argumentari possumus Saram non fuisse filiam Thare, quòd eam Moses potiùs filiam Thare quàm nurum eius appellasset

220 TERTIA ratio. Tempore Abrahæ nec in vsu erat, nec licitum erat coniugium inter fratrem & sororem siue vtroque siue altero tantum parente natos: ergo Sara vxor Abrahæ non fuit eius soror, neque enim sanctorum hominum Abrahæ & Sarę matrimonium contra proborum hominum eius temporis consuetudinem & honesta instituta contractum esse, fas est credere. Non fuisse autẽ id genus coniugij vsitatum eo tẽpore ac licitũ, patet eo argumento quod propterea suasit Abraham Saræ, vt dissimulans, se vxorem esse ipsius, diceret se esse sororem eius, quasi quæ soror esset, eadem non posset esse *Non fuisse tempore Abrahæ licitũ coniugium inter fratres & sorores.*

esse vxor: quapropter cum primum Abimelech cognouit Saram esse vxorem Abrahæ, sine dubitatione intellexit non esse veram sororem eodemque postea indicio deprehendit idem Rebeccam veram esse vxorem Isaac non autem germanam sororem, vt narrat Moses infra cap. 26.

Innocentius Papa.

ACCEDIT ad huius rei confirmationem, quod matrimonium 221
inter fratrem & sororem, cùm sit in primo gradu consanguinitatis, naturali iure vetitum est. Extat apud Innocentium cap. Gaudemus de Diuortiis, decretum, vt eiusmodi matrimonia infidelium, cùm ipsi venerint ad fidem Christi, rescindantur & dissoluantur tanquam inualida & planè nulla. Namque effugium illius distinctionis vterinæ & non vterinæ sororis primum à Clemente Alexandrino inuentum, & posteà tum à Caietano tum etiam à quibusdam aliis approbatũ, cùm nulla ratione probabili nitatur, infirmissimum est, & à B. Augustino libro 22. contra Faustum cap. 35. (cuius verba paulò superius exposuimus) refutatum & reiectum. Quod autẽ dicunt alij id fecisse Abraham ex singulari reuelatione & concessu Dei, cum ex sacra scriptura id minime probari queat, temere dicitur, & qua facilitate dicitur, eadem contemnitur.

August.

QVOD verò nonnulli dixerunt Saram fuisse adoptiuam filiam 222
Thare & sororem Abrahæ, dupliciter exploditur, tum quia cum id sine ratione vlla dicatur, temere dicitur, quare pro nihillo ducendum est: tum quod necesse esset Saram vel non fuisse legitimam vxorem Abrahæ vel non potuisse iure appellari sororem eius: nam manente adoptione non poterat esse legitima vxor eius, vt ostendimus, soluta autem adoptione, simul quoque desinebat omnino esse soror: cùm tamen nec dubitare liceat legitimam fuisse eius vxorem: & ipsemet dixerit verè appellatam à se illam fuisse sororem suam.

August.

DENIQVE non fuisse temporibus Abrahæ coniugium fratrum 223
& sororum in vsu apud probos viros nec licitum, expressa est B. Augustini sententia. Nam præter locum illum quem proximè nominaui ex lib. 22. cõtra Faustum, quo loco id apertissimis verbis tradit, idem quoque confirmat lib. 15. de Ciuitate Dei c. 16. vbi de coniugio fra-fratrum & sororum disputans, quod in exordio Mundi propter hominem paucitatem, necessitate compellente, vsurpatum fuerat, sic ait: *Quod profectò coniugium quantò est antiquius compellente necessitate, tanto post factum est dãnabilius religione prohibente.* Et paulò infra: *Fuit*, inquit, *antiquis patribus religiosæ curæ, ne ipsas propinquitas se paulatim propaginum ordinibus dirimens longius abiret, & propinquitas esse desisteret, eam nondum longè positam rursus matrimonij vinculo colligare, & quodammodo reuocare fugientem. Vnde iam pleno hominibus orbe terrarum, non quidem sorores ex patre vel matre, vel ex ambobus suis parentibus natas, sed tamen amabant de suo genere ducere vxores.*

ET paulò ante hæc verba, cùm de coniugij sororum & fratrum 224
cuitatione locutus esset, ita dixerat: *Quod*, inquit, *humano genere exe-*

scente

cente & multiplicato etiam inter impios deorum multorum falsorúmque cultores sic obseruari cernimus, vt etiam si peruersis legibus permittãtur fraterna coniugia, melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere licentiam: & cum sorores accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit, sic auersetur, quasi nunquam licere potuerit. Ad humanum enim sensum vel alliciendum vel offendendum mos valet plurimum. Qui cum in hac causa immoderationem concupiscentiæ coerceat, eum peruerti atque corrumpi, merito esse nefarium iudicatur. Si enim iniquũ est auiditate possidendi transgredi limitem agrorum, quanto est iniquius, libidine concumbendi subuertere limitem morum? Hæc Augustinus.

225 Quod autem Augustinus dixit fraterna coniugia peruersis legibus apud nonnullas gentes fuisse permissa, haud dubiè pertinet ad Persas & Ægyptios qui coniugia sororum & fratrum sine vlla religione vsurpabant. *Ægyptij* (ait Diodorus) *hanc legem præter communẽ omnium morem sanxere, fas esse vxorem à fratre sororem capi.* Quam legem & consuetudinem quidam Ethnicus poëta, vt planè barbaram & ferinam execratur.

Apud quos gentes, coniugia inter fratres & sorores, erant in more.

Diodorus lib. 1. cap. 2.

Euripides in Andromede.

Tale est, inquit, *omne barbarum genus.*
Pater cum filia, filius cum matre
Miscetur, soror cum fratre.

Nuptias quidem Ptolomæi Philadelphi regis Ægypti cum sorore sua Arsinoe Theocritus poëtica & sordida adulatione celebrauit carminibus, comparans eas nuptiis Iouis & Iunonis: Sed eas saniori iudicio veriorique sententia, vt honestis Macedonũ institutis contrarias, & fœdissimis Ægyptiorũ moribus conuenientes damnauit Pausanias. Coniugium porrò & commixtio fratris & sororis siue vtroque siue altero tantùm parẽte nati fuerint, quàm sit indecẽs, & naturali reuerẽtiæ atque honestati pudoriq; aliena, satis declarauit turpissima & atrocissima pœna qua Deus eos, qui id tentassent puniri voluit; talem commixtionem cum commixtione quæ fit cum iumento vel masculo consocians & comparans. Sic enim scriptum est Leuit. 20. *Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, illáque conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui: eo quod turpitudinem suam mutuo reuelauerint, & portabunt iniquitatem suam.*

Ptolemæus Philadelphus.

Theocritus.

Pausanias in Atticis.

226 Restat vt rationes pro contraria opinione supra expositas quæ videntur officere huic sententiæ, breuiter diluamus. Principiò quod Moses Saram non appellauerit filiam filij Thare, causa fuit, quia iam erat matrimonio iuncta Abrahæ, id quod ei honorificentius erat. Et hoc argumentum, vt supra dixi, vehementius & validius retorquetur in aduersarios. si enim Sara filia Thare fuisset, vt isti volunt, cur eam Moses non potius appellasset filiam. Thare, quàm nurum eius? Quod autem Sara fuerit eadem quæ ibi appellatur nomine Ieschæ, sententia est Hieronymi, Augustini aliorumque complurium & nobilium scriptorum. Fortasse priusquam Thare familiam suam educe-

Diluũtur rationes quibus probabãtur Saram non fuisse filiam Aram fratris Abrahæ.

ret ex Chaldæa, vel vtroque nomine appellabatur, vel etiam frequentius nomine Ieschæ: postea verò fere Sara appellata est. Quorsum autem Moses inseruisset eo loco nomen Ieschæ si ea non pertinuisset ad Abraham vel ad Nachor? Nec verò Abraham, cum dixit Saram esse sororem suam, fefellit regem Abimelech: verum enim dixit, licet Abimelech secus ac dictum fuerat, intellexerit. Et fortasse non vt in Chaldæa vel in familia Thare, sic in Ægypto vel in regione Chanaan nomen sororis simpliciter dictum, in vsu erat tam pro vera sorore, quam pro filia fratris, sed tantum pro filia eiusdem patris vel matris.

Locus libri Genes. c. 20.

ILLVD porrò ex capite 20. Genesis: *Vere soror mea est*, non est dictum ab Abraham vt significaret Saram esse veram & germanam sororem suam, id est, ab eodem patre proxime genitam: sed vt ostenderet se non esse mentitum, cum dixit illam esse sororem suam: verè enim id esse dictum, quia suæ gentis more, non solum eiusdem patris filij aut filiæ, verum etiam auunculi & fratrum filij aut filiæ verè nominabantur fratres & sorores. Itaque illud aduerbium *Vere* non iungitur cum vocabulo *soror* quasi denotetur illam fuisse veram & germanam sororem, sed pertinet ad veritatem sententiæ quam dixerat Abraham: vt sit sensus. Non sum mentitus cùm dixi eam esse sororem meam: nam verè, id est, reuera soror mea est. Addidit autem & illud, *Filia patris mei, & non matris meæ*, quia omnes qui erant ex familia Thare, ipsum appellabant patrem: hunc verò credibile fit ex alia vxore generasse Abraham, & ex alia ipsum Aran patrem Lot & Saræ. 227

An Abraham fuerit primogenitus Thare.

RELIQVVM est vt ad principale argumentum supra initio huius disputationis oppositum breuissime respondeamus. Argumétabamur Saram non fuisse filiam Aran fratris Abrahæ, ad hunc modum: Saram decem duntaxat annis natu minor erat quàm Abraham: sed Abraham natus fuerat ante Aran, quippe cum Moses commemorando filios Thare, primum nominauerit Abraham, secundum Nachor, tertium Aran, ergo Aran ante decimum ætatis suæ annum genuisset Saram quod est incredibile: vel igitur Abraham non fuit primogenitus Thare, sed multis annis posterior natu quàm Aran: vel certe Sara non fuit filia Aran. Ad hoc igitur ita respondendum est, Abraham re vera non fuisse primogenitum filiorum Thare, sed multis annis posteriorem ipso Aran: recenseri autem primum inter filios Thare, non modò propter virtutis eius præstantiam, aut propter prærogatiuam dignitatis quod futurus esset pater multarum gentium & populi Dei, quin etiam omnium credentium, sed quia ipse vere genitus fuerat anno illo septuagesimo ætatis Thare, Aran verò multis annis antè. Et quia Moses voluit eum tantum Thare annum nominare, quo anno genitus fuerat Abraham, vt per ipsum series & ordo temporum continuaretur, idcirco in anno septuagesimo Thare signauit ortum Abrahami. Nachor autem & Aran 228

Genes. 17. Rom. 4.

pro

propterea nominauit, quod illi quoque ad seriem huius Historiæ quodammodo pertinerent? Nachor quidem propter vxores Isaac & Iacob quæ ab illo genus duxerunt, Aran verò propter Lot & Saram. *Genes. 24. Infra. 29.*

229 ERGO illorum verborum Mosis. *Vixit Thare septuaginta annis & genuit Abraham, Nachor, & Aran.* hic est germanus & verissimus intellectus, cum Thare esset septuaginta annorum, iam genuerat istos tres filios sed ita, vt septuagesimo anno genuerit Abraham, ante ipsum verù genuerat Nachor, & ante vtrumque genuerat Aran, quem quadragesimo vel quinquagesimo anno Thare genitum esse credi posset. Cum igitur tota vis illius argumentationis eo niteretur quod pro certo sumeret Abraham fuisse primogenitum omnium filiorum Thare, hoc sublato, necesse est infirmam esse ac nullam eius rationis cõclusionem, illam dico conclusionem, Saram non fuisse filiam Aran fratris Abrahæ.

230 POSSET præterea quispiam dicere, Saram non fuisse filiam Aran, nec fuisse eam quam Moses nominauit Iescham: sed fuisse natam ex alio quopiam filio Thare quem is genuerit multo ante septuagesimum annum quo natus est Abraham. Itaque cogitare licet, Thare ante illos tres filios, Abraham, Nachor & Aran, genuisse ex diuersa vxore aliquis alios, vel vnum aliquem ex quo nata sit Sara: illos autem filios propterea tacuisse Mosem, quod illi ad argumentum & seriem Historiæ quam scribendam Moses susceperat, minime pertinerent. Quemadmodum prisci illi patres, quos ante & post diluuium fuisse narrat Moses, alios filios genuerunt etiam priores iis quos Moses commemorat, sicut docet Augustinus libro decimo quinto de Ciuitate Dei, cap. vigesimo & à nobis probatum est libro 7. Commentariorum nostrorum in Genesim, in Disputatione de Chronologia quæ describitur ante diluuium, in quæstione quarta. Et hac quidem solutione admissa, deuitantur incommoda quibus premi videbatur opinio eorum qui censent Saram fuisse filiam Aran fratris Abrahæ, simúlque concedi potest Abraham natu priorem fuisse quàm Nachor & Aran. *Augustin.*

231 NEQVE verò illud quod paulò suprà de Iescha dictum est, valdè vrget. Dicebatur enim, nisi Iescha fuisset vxor Abrahæ quæ alio nomine dicta est Sara, nullam fuisse rationem, cur mentionem eius facere eo loco Moses voluisset. ad hoc enim facilis est responsio: sæpe enim nominantur in sacris literis aliquæ personæ, non quod per se attingant Historiam quæ tractatur, sed quod habeant coniunctionem cum iis, quæ ad seriem & ordinem Historiæ propriè spectant. Atque hoc quidem non in viris modò, verùm etiam in feminis verum esse licet animaduertere, siquidem in capite. 4. libri Geneseos memorantur duo filij Lamech, & filia nomine Noema: in vigesimo secundo capite eiusdem libri nominatur cõcubina Nachor quæ appellabatur Roma: denique in eiusdem libri trigesimo sexto

cap. traditur Anam genuisse filium Dison & filiam Oolibamam: neque tamen istarum trium mulierum alibi quàm in his locis mentio fit in sacra Scriptura.

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis:

Cap. 11. Genes. VERS. 28 Mortuus est Aran ante Thare patrem suum in terra natiuitatis suæ, in Vr Chaldæorum.

Vtrum Abraham coniectus fuerit in ignem à Chaldæis, & inde diuino miraculo liberatus.

ILLVD *ante patrem suum* dupliciter exponitur: vel, vidente & præsente patre, vt idem sit atque, coram patre: vel, viuente adhuc patre, vt significetur ipsum fuisse mortuum ante patrem suum, & patrem fuisse superstitem filio: & hoc ipsum sonant Hebræa verba quæ sic habent: *Super faciem patris sui*, id est, ipso viuente ac vidente. Illud autem: *de Vr Chaldæorum*, dupliciter interpretari licet: Namque vocabulum, Vr, potest sumi vt nomen appellatiuum, idem significans Hebræis, quod Latinis vocabulum ignis: vel potest sumi vt nomen proprium vrbis seu regionis, quemadmodum acceperũt Septuaginta interpretes qui pro illo *de Vr Chaldæorum* verterũt, de regione Chaldæorum. Ex hac igitur ambiguitate vocis, nata est famosa illa quæstio, Num Abraham, quod noluerit more Chaldæorum ignem adorare, coniectus sit in ignem, indéque saluus & incolumis diuino beneficio liberatus. 232

EXTAT apud Lyranum, & alios traditio quædam Hebræorum quam esse perueterem indicio est, quod eam commemorat etiam B. Hieronymus. Aiunt Hebræi Thare patrem Abrahæ adeo fuisse vesanum cultorem Idolorum, vt etiam filium suum Abraham quod ab idololatria Chaldæorum vehementer abhorreret, detulerit ad Nemrod regnantem id temporis in Chaldæa, cuius ille iussu proiectus est in ignem: sed inde (Deo ipsum mirabiliter conseruante) prorsus illæsus exiuit. Interim dum in igne esset Abraham, frater eius Aran qui aderat, ita cum animo suo reputabat: si Abraham ex igne saluus euaserit, ego quoque fidem, & religionem eius sequar. Iussus igitur à Chaldæis ignem adorare, respondit se vnà cum fratre suo Abraham vnius tantum Dei cultum, & fidem tenere. Coniectus igitur, & ipse in ignem, quia tantæ fidei, & vistutis non erat, quanta præditus 233

fuerat

fuerat Abraham, incendio illo consumptus interiit. Et hoc significasse dicunt Mosen cùm dixit, Aran mortuum esse ante Thare patrem suum, id est, patre spectante, procurante, & approbante eius interitum. Sic Hebræi.

234 HANC traditionem Hebræorum commemorat B. Hieronymus, & videtur eam quasi fabulam commemorare. nam referens lectionem Septuaginta Interpretum quæ habet Aran fuisse mortuum in regione Chaldæorum, *Tradunt*, inquit, *Hebræi ex hac occasione, huiusmodi fabulam, quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus de Idololatria igne profugerit. Aran quoque quia similiter & ipse ignem adorare nollet, in igne Chaldæorum positus incendio consumptus sit.* sic ibi Hieronymus. Vbi licet Traditionē illam appellet fabulam; idem tamen paulò infrà videtur eam vt veram approbare, ad hunc modum scribens: *Vera est igitur illa Hebræorum traditio, quod Abraham Babylonio vallatus incendio quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ & tempus ætatis reputari, ex quo confessus est Deum spernens idola Chaldæorum.* Hactenus ex Beato Hieronymo. *Hieronym. in Traditionibus Hebraicis in Genesim.*

PAVLVS etiam Burgensis in quadam sua Additione ad Postil- *Paulus Burgensis.*
235 lam Lyrani super hunc locum capitis vndecimi, etsi ait fabulosam videri Traditionem illam Hebræorum quantum ad id quod ait de Thare, quia nullum, inquit, ex littera Mosis fundamentum habet, eam tamen prorsus fide carere non putat quantum ad diuinam liberationem Abrahæ vel ab igne, vel ab alio aliquo magno periculo in quo versatus ille fuerit in Chaldæa: id enim significari videtur verbis illis Dei Geneseos 15. *Ego sum Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum*: quæ quidem verba sonant liberationem quandam diuinitus factam: non secus ac verba illa Dei Hebræis dicta Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti.* Firmat hoc ipsum Burgensis testimonio Rabbi Mosis, qui in libro suo de Directione perplexorum refert, in quodam libro de agricultura Ægyptiaca narrari insignem quendam virum nomine Abraham publicè disceptasse cum idolorum cultoribus, affirmantem non esse Ignem pro Deo colendum. veritum autem regem ne sua ille auctoritate & oratione populum ab illo cultu auerteret, detruxisse eum in carcerem, & spoliatum bonis omnibus ex omni ditione sua exterminasse. Posset etiam Traditioni Hebræorum fides adiungi ex eo quod scriptum est in libro secundo Esdræ cap. 9. *Tu ipse es Dominus Deus*, inquit, *qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & posuisti nomen eius Abraham.* Atque hæc est Traditio & opinio Hebræorum. *Rabbi Moses* *Genes. 17.*

SED eam Traditionem omni ratione ac fide vacuam esse, futi- *Refellitur superadicta Traditio Hebræorum.*
236 lemque ac fabulosam, duplici argumento conuincitur. Aiunt Hebræi coniectum esse Abraham in ignem iussu Nemrod qui eo tempore regnabat apud Chaldæos: sed id manifestum in Chronologia errorem continet. Nos enim superiore libro decimo quinto ostendimus *Nemrod non vixisse tempore Abrahæ.*

eundem hominem fuisse Nemrod atque Belum patrem Nini: Nini autem post mortem Beli patris sui suscepit imperium, vt omnes tradunt qui eorum temporum historiam pertexuerunt. Abraham porrò natum esse quadragesimo tertio anno regni Nini, sententia est Eusebij, Hieronymi, Augustini, Cyrilli, Bedæ, Isidori, & vt verbo dico, omnium scriptorum Ecclesiasticorum qui eius memoriam ætatis descripserunt. Ex his concluditur, Abraham esse natum tribus & quadraginta annis post mortem Nemrod qui alio nomine appellatus est Belus. Quomodo igitur fieri potest, vt (quemadmodum nugantur Hebræi) Abraham proiectus sit in ignem iussu Nemrod tunc regnantis in Chaldæa?

237 ILLVD verò quis credere inducat in animum, Thare adeo fuisse insanum cultorem idolorum, vt sensum omnem exuens humanitatis, paternúmque affectum in fœuissimi hostis vertens odium ac rabiem, atrocissimo mortis supplicio proprium filium sciens & volens obiiceret? Adde quod isti pro certo sumunt, Thare fuisse idololatram quod vel incertum est, vel (vt placet magnis viris etiam falsum: sed ea de re paulo infra proprie & accurratè disputabitur.

Vr Chaldæorũ, fuisse Vrbẽ, vel regionẽ Chaldeæ.

ILLVD præterea fundamentum istius traditionis & opinionis, quod vocabulum Vr hoc loco significet ignem vel incendium, est profecto infirmissimum, aut vt verius dicam, planè nullum. Namque eo vocabulo significari nomen proprium vrbis quæ erat in Chaldæa, quatuor argumentis firmare possum. In hoc enim capite vndecimo Geneseos ita scriptum est: *Tulit Thare Abraham filium suum & Lot filium Aran filij sui, & Sarai nurum suam, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan.* Ecce tibi vocabulum Vr, hoc loco non potest significare ignem vel incendium, sed esse proprium nomen ciuitatis, luce ipsa meridiana clarius est. Neque enim Thare eduxit Abraham ex igne Chaldæorum, cum secundum istos, ipse auctor fuisset Chaldæis vt Abraham coniiceretur in ignem. Septuaginta quoque interpretes illud, *Vr Chaldæorum*, verterunt hoc loco, regionem Chaldæorum: scilicet tollere illi voluerunt ambiguitatem vocabuli Hebræi, quod significare poterat & proprium nomen loci, & ignem.

Iosephus.

Idem confirmat Iosephus qui libro primo Antiquitatum historiam huius loci enarrans ita scribit: *Aran mortuus est in regione Chaldæorum, in vrbe quæ Vr Chaldæorum vocatur: & sepulchrum eius nunc vsque ostenditur.* Apud Eusebium item in libro nono de Præparatione Euangelica capite quarto, *Eupolemus perueſtutus scriptor prodidit Abraham natum esse in Camirine vrbe Babyloniæ, quam alij appellant Vr.*

Eupolemus apud Eusebium.

238 DEINDE, tantum Dei miraculum, & tam glorioſum Abrahæ facinus non tacuisset Moses in hoc libro, in quo alia multa eius facta, minus sanè clara & mira, tam expresse & distinctè commemorat. Auctor quoque libri Ecclesiastici cap. 45. laudes Abrahæ prædicans, hoc factum eius, summa dignum prædicatione, non prætermisisset. Nec verò

verò B. Paulus id reticuisset in Epistola ad Hebræos, cap. 11. vbi magnis laudibus effert magnitudinem & deuotionem & fidei Abrahæ, quod diuinis iussis obtemperans, derelicto natali solo, in extraneam sibi atque ignotam venisset terram Chanaan: quod contra spem in spem credens ex sterili vxore præter omnem naturæ cursum & ordinem filium procreasset: quod denique Deo, filij cædem imperante, immolare eum paratissimus fuerit. Cum igitur, si Abraham propter vnius veri Dei confessionem & prædicationem viuus flammis vri non recusasset, in hoc maximè eius præstantia fidei enituisset, non id profecto Paulus in præteritis dereliquisset, sed vt maxima dignum admiratione & commendatione ante omnia celebrasset. Quid quod Iosephus in primo libro Antiquitatum, quæ insignia erant ad laudem Abrahæ, non tantùm ex sactis verum etiam profanis scriptoribus carpens & colligens, nullum de hoc Abrahæ facto verbum fecit? nam neque vir rerum Iudaicarum peritissimus istud ignorasse credendus est, nec si non ignorauit (cum esset in primis memorandum) prætermittere voluisse. Philo quoque nullam huius rei mentionem fecit, qui tamen duos libros de Abraham edidit, virtutes & facta eius diligenter exponens.

Genes. 12. *Infra 15.* *Infra 22.* *Iosephus.* *Philo.*

239

VERVM, age, contrarias rationes supra positas diluamus. vrgebant illi verba illa Dei (vt est in capite decimo quinto Geneseos.) *Ego dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam & possideres eam*, quasi Deus his verbis significauerit eductionem illam Abrahæ ex Vr Chaldæorum fuisse valdè mirabilem ac memorabilem. Sed cur? Nam eduxisse Abraham ex terra Chaldæorum in terram Chanaan, quid obsecro habuit mirabile aut memorandum? repetitur igitur illis verbis memoria diuini beneficij, quo Abraham eductus fuerat ex Vr, id est, ex igne Chaldæorum. Sic isti. Sed profecto alia est illorum verborum Dei sententia. Nam vt excitaret atque firmaret Deus in animo Abrahæ fidem fiduciamque eius promissionis quam tunc ei dabat de innumerabili multiplicatione posteritatis eius, & de possessione terræ Chanaan in qua tunc Abraham versabatur, renouare voluit in eo memoriam eius promissionis, cùm iussit proficisci eum ex Mesopotamia in terram Chanaan. Sic enim ei locutus est, vt narrat Moses capite duodecimo. *Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi: faciamque te in gentem magnam & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicã benedicentibus tibi: & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Hæc Deus tunc dixit, & promisit Abrahæ. Huius igitur primæ Dei promissionis commemoratione voluit ipse firmare animum Abrahæ, vt sine vlla dubitatione fore crederet ac speraret quod ei promittebat. Ergo sententia illorum Dei verborum hæc est: Ego qui nunc tibi promitto possessionem

Solutio cõtrariarum rationum. *Locus Genesis cap. 11.*

terræ

terræ Chanaan & multiplicationem posteritatis, sum ille ipse Deus qui te ex Mesopotamia transmigrare iussi in terram Chanaan, & hæc tibi tam magnifica promissa tunc primum dedi, vt omnino certus esse debeas de huiusmodi promissis sæpius à me datis atque confirmatis.

Locus Esdræ lib. 2. c. 9.

AD illud porrò quod ex capite nono libri secundi Esdræ de promptum nonnihil negotij facessere videbatur, quod eo loco disertis verbis scriptum erat Deum eduxisse Abraham ex igne Chaldæorum, dupliciter responderi potest. Etenim verisimile putet quispiam Latinum interpretem posuisse eo ipsum vocabulum Hæbreum, Vr, sicut fecit in aliis locis vbicunque idem vocabulum occurrit: sed aliquem in margine posuisse eius vocabuli interpretationem, id est, ignem, quàm postea vocem, ignis, insertam atque intextam fuisse historiæ: nam nonnulla fuisse hoc modo admixta textui Scripturæ, ante nos deprehenderunt & prodiderunt Lyranus, Tostatus, Caietanus, Melchior Canus. Neque hæc vana videtur coniectura. Si enim alios omnibus locis Latinus interpres retinuit ipsum vocabulum Hebraicum, Vr, nec vspiam interpretatus est ignem, non fit sanè credibile vno tantùm eo in loco vocem Vr, interpretari voluisse ignem: præsertim cum Septuaginta interpretes semper id nomen pro certa regione & loco Chaldææ posuissenti. 240

Lyranus. Tostatus Caietanus super c. 8. li. 2. Regum Canus libr. 2. de locis Theologicis.

VERVM si hoc lectori nõ placet, illud fuerit commodius & probabilius responsum: cùm dicitur Abraham eductus de igne Chaldæorum, vocabulum ignis non propriè sed metaphoricè positum esse pro persecutione tribulatione & afflictione. Etenim persæpe in sacris litteris ignis ponitur pro tribulatione, vt in Psalmis: *Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas*: & in alio loco, *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*: & apud Hieremiam in Lamentationibus capite primo: *De excelso misit ignem suum in ossibus meis, & erudiuit me.* Sic etiam interpretantur quidam illud Ioannis Baptistæ de Christo domino dictum: *Ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igni*, quanquam hic verius dictu fuerit significari abundantiam illam Spiritus sancti sub specie ignis in die Pentecostes datam discipulis: verbum enim baptizandi nonnunquam idem significat quod copiosè & abundanter dare, vt ex illis verbis Domini nostri, quæ post resurrectionem suam dixit Apostolis, licet perspiceret: *Ioannes quidem*, inquit *baptizauit aqua, vos autem, baptizabimini spiritu sancto.* 241

Ignis prò tribulatione ponitur sæpe in sacris litteris. Psal. 16. Psal. 65. Act. 1.

QVONIAM igitur Abraham grauem insectationem & tribulationem propter vnius Dei cultum passus est à Chaldæis, quæ quidem tribulatione liberatus à Deo est, propterea dicitur Deus eduxisse Abraham de igne Chaldæorum. Abraham verò passum esse persecutionem à Chaldæis, testis est Iosephus libro primo Antiquitatum: *Cùm videret*, inquit, *Abraham quòd veri Dei cultum palam & liberè prædicaret, Chaldæos & Mesopotamitas contra se insurgere, consilium migrandi cœpit.* 242

Iosephus.

cœpit, & voluntate ac fauore Dei fretus terram Chanaan tenuit. Testis quoque est Beatus Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. decimo tertio ita scribens: *vnde manifestum est domum Thare persecutionem passam fuisse à Chaldæis pro vera pietate qua vnus & verus ab eis colebatur Deus.* *Augustin.*

DECIMA SEXTA DISPVTATIO.

Vtrum aliquando Thare pater Abrahæ, falsorum deorum cultor fuerit.

243 EX occasione eorum quæ proximè disputauimus, offert se nobis alia quæstio, dignissima profecto quę cum cura tractetur & explicetur: Num Thare aut etiã Abraham dediti aliquãdo fuerint idololatrię, an potius vel ambo, vel certe Abraham, semper verũ Deum coluerint. Primò igitur id disquiramus de Thare, tum de Abraham.

244 Ac Thare quidem non tantum falsos deos, coluisse, sed etiam flagrantissimum cultorem Idolorum, & acerrimum fuisse oppugnatorem eorum qui ab idololatria abhorrebant, Hebræi senserunt, vt Traditio eorum, quam superiori disputatione tractauimus, manifeste declarat. Epiphanius quoque in hac videtur fuisse sententia. Nam sub initium eius operis quod scripsit aduersus hæreses, docet tempore Sarug (qui auus fuit Thare) cœptam esse inter homines idololatriam: *Velut*, inquit, *cognitio quæ ad nos deuenit, habet. Nondum autem in statuis aut in sculpturis lapidum aut lignorum, aut ex argento & auro aliáve materia factis, sed solum per colores & imagines, hominis mens in se ipsa malitiam excogitauit, & per liberum arbitrium rationisque ac mentis vim pro bonitate iniquitatem reperit. Nascitur ipsi Sarug filius Nachor, Nachor autem genuit Thare. Hinc fieri cœperunt statuæ ex luto & arte figulari per industriam huius Thare. Et nullus vnquam ex prioribus hominibus filius ante patrem mortuus est: sed patres ante filios vitam finiebant, & filios successores relinquebant. Nec obyciat quispiam Abel: ille quippe non propria morte defunctus, sed à fratre interemptus est. Primus igitur Thare amulum Deo per propriam versutiam, Idolum cõmentus erexit, sed similia his quæ fecerat, recepit, dum etiam ipse per proprium filium ad æmulationem prouocatus est. Vnde admiratione ducta diuina scriptura, hoc annotauit, dicens: Et mortuus est Aran in conspectu Thare patris sui, in terra natiuitatis suæ.* Hactenus ex Epiphanio.

Thare fuisse idololatram, quorundam opinio.
Hebræi Epiphanius.
Genes. 4.
Primus post orbẽ conditũ filius ante patrem suũ mortuus fuit Aran filius Thare & cur, secundũ Epiphaniũ.

245 CONSIMILIA horum tradit Suidas, vt mihi quidem ille mutuatus videatur ex Epiphanio. In vocabulo enim Abraham, testimonio Philonis Iudæi confirmat cultum imaginum à Sarug viguisse vsque ad Thare patrem Abrahæ qui patrem suum Thare grauissimis verbis de fabricatione & cultu Idolorum coarguit, eiusque

Suidas.
Philo.
Thare.
Abraham.

simulacra partim confregit, partim exussit. Idem Suidas in vocabulo Saruch, ad hunc modum scribit: *Saruch defunctos præstantes viros quotannis adorari iussit, tanquam adhuc viuentes, & memoriam eorum celebrari, & in sacros commentarios referri, & deos eos iudicari tanquam benefactores.*

HINC *orta est Idololatria, & vsque ad Thare patrē Abrahæ durauit.* 246
Is enim statuarius fuit, qui ex diuersa materia imagines faceret, easque vt Deos esse adorandas diceret tanquam bonorum auctores. Inde orta opinio hæc pleraſque nationes peruasit, maximè verò Græciam. Hi enim errorē cum iam acceperant, & Hellenem venerabantur gigantem è tribu Iaphet oriundum, & condendæ turris socium, ob quam linguæ hominum sunt diuisæ, ipsique ex eo dicti sunt μέροπες, id est, diuisi. Hæc prodit Suidas. Quæ quidem etiam firmari possunt testimonio Iosue, qui, vt scriptum est in libro eius capite 24. in oratione nouissima quam habuit ad populum Hebræum, his verbis exorsus est: *Hæc dicit Dominus Deus Israël, trans-fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor: seruierūntque dijs alienis.* Hinc liquidò apparet Thare deditum fuisse Idololatriæ, & alienos ac falsos deos coluisse.

Thare non fuisse idololatram.

VERVM huic opinioni contraria est Beati Augustini sententia. 247
Is enim libro decimo sexto de Ciuitate Dei, capite decimo tertio, quærit cur cum Thare discessit ex Chaldæa & venit in Mesopotamiam ducens secum filium suum Abraham, & Lot filium filij sui Aran, & Saram nurum suam vxorem Abrahæ, cur inquam non etiam tulerit secum Nachor filium suum? respondet Augustinus Thare cum aliis fugisse Idololatriam, & propter eam, insectationem Chaldæorum: at verò Nachor idololatriæ deditum ibi remanere voluisse, sed postea tamen etiam ipsum derelicta Chaldæa venisse in Mesopotamiam, & habitauisse in vrbe Aran vbi pater eius Thare & frater Abraham habitauerāt, perspicuè docet liber Geneseos capite vigesimo secundo. Sed audiat lector Augustini verba: *Cur*, inquit Augustinus, *Scriptura non dixit etiam Nachor vna cum Thare patre suo & Abraham fratre suo discessisse ex Chaldæa & venisse in Mesopotamiam? Cur putamus, nisi forte quod à paterna & fraterna pietate defecerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum? Et postea inde siue pœnitēdo siue persecutionem passus, quod suspectus haberetur, & ipse emigrauit.*

Opinio S. Augustini.

S. August.

DEINDE Augustinus hanc suam coniecturam probat iis verbis 248
quæ dixit Holopherni Achior dux Ammonitarum, vt habet liber Iudith capite quinto: exponens enim ille originem Hebræorum: *Populus*, inquit, *iste ex progenie Chaldæorum est: hic primum in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum qui erant in terra Chaldæorum, deserentes itaque cæremonias patrum suorum quæ in multitudine deorum erant, vnum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde & habitarent in Chanaan.* Ex his verbis illud concludit Augustinus: *vnde*, inquit, *manifestum est domum Thare persecutionem passam fuisse à Chaldæis pro vera pietate qua vnus & verus ab eis colebatur*

Locus libri Iudith c. 5.

Deus

Deus, Hactenus ex Augustino.

249 IDEM significare videtur Philo in libro de somniis, vbi Thare facit virum quidem bonum & amatorem virtutis, sed eius tamen nondum possessorem, at verò Iacob virum omnino perfectum, quique virtutem numeris omnibus absolutam comprehenderat. Sed quo facilius verba Philonis quæ commemoraturi sumus, lector intelligat, prædoceri eum oportet significationes trium vocabulorum, quibus eo loco vtitur Philo, ea verò sunt, Charra, Thare, & Iacob. est, inquit, Philo quantum equidem video, Charra metropolis quædam sensuum, interpretatur enim nunc fossa, nunc specus, vnam rem significantibus duobus nominibus. Nam corpora nostra ad sensuum instrumenta quodammodo perfossa sunt, & vnusquisque sensus pro instrumento habet suam quasi foueam & specum. Thare nomen, si euoluas notionem vocis, significare reperies odoris speculationem. Iacob autem significat athletam, luctatorem & supplantatorem. His cognitis planior erit sententiæ Philonis intelligentia. Vult enim Philo Thare imaginem gessisse hominis cupidi potius virtutis, quàm eam possidentis: Iacob autem prætulisse typum hominis qui virtutē possedit perfectéque comprehendit.

Philo.

Mystica interpretatio nominis. Charra, Thare & Iacob.

250 SED audiat lector Philonem, cuius allegorica hæc tractatio perelegans est. *Legitur in libro Mosis*, ait Philo, *Abraham discessisse Charra, Patrem autē eius Thare imbi mansisse vsque ad mortem. Siquidem speculator virtutis, non possessor, odoribus non alimentis fruebatur, nōdum idoneus vt saturaretur prudentia, ac ne degustaret quidem sed tantum olfaceret. Quemadmodum enim canes venaticos aiunt, quòd eximio sensu odoratus sint præditi è longinquo feras insequi & comprehendere, odorem earum sectantes: eodem modo amator scientiæ, suaues auras quas iustitia cæteraq; virtutes exhalant, consectans, cupiensque originem tantæ voluptatis assequi, huc illuc cursitat, vel ipso honestatis odore tanquam sacro nidore, sese recreans. Malle ergo, quibus datum est bibere de amatorio sapientiæ poculo, fruique contemplationum eius & documentorum epulis cum ue inebriati fuerint, sitire denuo propter inexplebile scientiæ desiderium. His proximi censendi sunt, qui tametsi ad sacram mensam non accedant, nidore tamen ipso mentes suas pascunt: nam hi vel ipsa virtutis aura refouentur: sicut agrotis deficientibus propter inediam & fastidium cibi, odores admouendo, medici remedium salutare procurant, vi vires recipiant.*

Egregia Philonis sententia & doctrina moralis.

251 ATTAMEN *Chaldæa relicta, Charras migrasse Thare dicitur, ducens secum Abraham & cæteros consentientes domesticos: non vt putemus eos fuisse desertores patriæ, cui seues externas prætulerint, sed vt re penitus intellecta, diuinus quiddam vtilissimum vitæ humanæ, Sed hoc quidnā est? Chaldæi vacant obseruationi siderum cursibus, Charrenses circa sensus occupantur. Diuina igitur scriptura scrutatorem naturæ sic interpellat: Quid de Sole quæris sine pedali magnitudine, an tota terra maior? quid de Luna, suo ne lumine, an mutuato luceat? cur in terra incedens, super nubes exilis? & res æthereas attingere conaris cum terræ affixus hæreas? cur audes connectari,*

de rebus omni coniectura superioribus? O bone, propinqua tibi potius considera, immo te ipsum absque adulatione scrutare. I mente Charras, id est, ciuitatum cauernosam & perfossam specubus corporis, considera singulos sensus, eorumque munia & vsus, prius enim quàm propriam domum bene lustres & notam habeas, vniuersalem domum, quæ mundus est, curiosè perscrutari & pernosse velle, an non extrema est insania?

HVIVSMODI *hominẽ Hebræi Thare vocant, Socratẽ Græci nominãt:* 252
nam & hunc ferunt vsque ad senectutem in hoc præceptũ, Nosce teipsum, incubuisse omissa reliqua philosophia: verùm hic homo erat. Thare autem designat virum cupidum & auidum virtutis fructus carpendi, & iucundissimo ac saluberrimo eius pabulo animum satiandi. At enim athletarum & luctatorum (hoc autem significat nomen Iacob) natura est perfectior: nam hi postquam perdiderunt omnem rationem sensuum, dignos se iudicant maioribus contemplationibus, relinquendo sensus quasi cauernas quæ Charræ vocabulo signabantur. Ex hoc numero fuit ille Abraham per multiplices profectus ad summam scientiam progressus. Cùm enim se maximè cognouit, tunc despexit maximè seipsum, vt eum. Qui vere est, perfectè cognosceret. Sic enim euenire solet: nam qui seipsum valde cognoscit, etiam valde contemnit, reputans quàm nihil sit, quicquid creatum est: qui autem seipsum contemnit, ad præclaram eius, Qui vere est, cognitionẽ peruenit. Hactenus oratio fuit Philonis. His autem verbis significat Philo, Thare fuisse hominem non quidem perfectum, sed bonum tamen & curiosum perueſtigandæ virtutis. At si fuisset cultor Idolorum, non aptè gessisset typum & imaginem hominis cupidi percipiendæ virtutis eamque sibi comparare obnixè contendentis.

Notabile dictum.

Exod. 4.

HVIC ego sententiæ libentissimè adhæreo, non tam propter 253
Philonis, quàm propter Beati Augustini auctoritatem. Sed ab ea me quasi manu prehensum videtur abstrahere locus ille Iosue, capite vigesimo quarto quem supra posuimus, in quo non obscurè significatur Thare diis alienis seruisse: sic enim ibi legitur: *Trans-fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare Pater Abraham & Nachor: seruientes diis alienis.* Inter patres igitur Hebræorum, qui trans fluuium, (id est, in Chaldæa, quæ trans flumen Euphratem est comparatione terræ promissionis vbi hæc locutus est Iosue) habitauerunt & seruierunt diis alienis, nominatim memoratur Thare. Ad hoc fortasse quispiam responderet, duo illic dici, vnum est, maiores Hebræorum habitasse trans-fluuium ab initio, id est, in Chaldæa: illud autem *ab initio* significat, statim post factam linguarum diuisionem, dispersionémque hominum, disturbata turris Babel ædificatione. Alterum est, illos seruisse diis alienis, Illud igitur prius, pertinet ad omnes maiores Hebræorum, etiam ad ipsum Thare, hoc autem posterius de cultu deorum alienorum, non ad ipsum Thare sed ad alios eo priores referri debet. Sed profecto & contextus ipse verborum (vt patet ea consideranti) indicat Thare fuisse in iis, qui seruierunt diis alienis, & ita sentiunt

Auctoris sententia vtrum Thare fuerit idololatra.

Locus Iosue cap. 2.

Genes. 11.

omnes

omnes interpretes eius libri, cum eum locum explanant, & inter hos apertissimis verbis id docet Theodoretus quæstione decima octaua in Iosue. *Theodoretus.*

254 Nos igitur dicamus vtrumque verum esse, & quod Beatus Augustinus tradidit, & quod isti prodiderunt. Namque, vt rectè monet Tostatus quæst. vigesima super caput vndecimum Geneseos, dum Thare mansit in Chaldæa, cultor fuit veri Dei, puruſque ab Idololatria: quinetiã propter eã causam concitato aduersus se odio & infectatione Chaldæorum, inde fugit & profectus est in Mesopotamiam: & hoc sensit Augustinus, & in libro Iudith cap. quinto significatur: nos supra & verba Augustini, & quæ sunt in eo loco libri Iudith exposuimus. At verò postquam Thare venit Haran seu Charras extremam Mesopotamiæ vrbem, paulatim ibi corruptus, vel consuetudine eius gentis, vel aduentu Nachor filij ex Chaldæa. vel discessu & absentia ipsius Abraham, lapsus est in Idololatriam: atque hoc significauit Iosue supra dicto loco, & plerique interpretes senserunt. Quem admodum igitur Thare dici vere possit seruisse & non seruisse diis alienis, videlicet diuersis temporibus, diuersisque locis, hinc manifestum est. Non me fugit, Beatum Chrysostomum in Homilia trigesima prima in Genesim scriptum reliquisse, etiam priusquam Thare venisset Haran, fuisse eum infidelem: sed mihi quod ex sententia Beati Augustini dixi, multo probabilius videtur. *Tostatus.*

DECIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

Sempérne Abraham veri Dei cultor fuerit, an vero superstitione Idololatriæ aliquando pollutus sit.

255 FVISSE Abraham aliquando superstitione Idololatriæ velut afflatum & infectum, docet Genebrardus in sua Chronologia auctoritate Hebræorum id affirmantium ex sententia duorum nobilium Rabbinorum, Iohanan, & Haninæ: à quibus proditum est Abraham quadragesimo octauo ætatis anno cœpisse agnoscere verum Deum, omnemque Idololatriæ superstitionem abiecisse. Id autem, secundum Chronologiam Hebræorum (de qua superiori libro decimo quinto diximus) contigisset eo tempore quo facta est linguarum diuisio: siquidem eam ipsi factam volunt extremo vitæ anno Phaleg, qui fuit ætatis Abraham quadragesimus octauus annus. *Genebrard.*

256 IN Hanc quoque sententiam propensior videtur Andreas Masius qui ætate nostra commentarios edidit in librum Iosue, non minus sanè Catholicos & pios quàm eruditos & disertos. In his explanans verba illa Iosue capitis vigesimi quarti: *Trans-fluuium habitauerunt* *Andreas Masius.*

patres vestri ab initio: & seruierunt dijs alienis, ita scribit: *Valet hac oratio Iesue ad explicandum Dei benignitatem quam ille in populum Israëliticum contulit. Quod porrò ait, Maiores ipsorum trans-fluuium coluisse deos alienos, non ad Sem & Noë alioſque remotiores, sed ad proximos maiores tantũ pertinet. Hoc enim solum agitur, vt constet gratuito ipsos esse à Deo adoptatos pro populo: neque gratis solum, verum, cum etiam hostes essent & diuinum cultum atque honorem non vero Deo, cui debebatur, sed alienis falsisque dijs adhiberent. Nominatim autem ponitur ante oculos Thare, & duo eius filij, Abraham & Nachor, quod ex his vniuersa populi Hebræi stirps esset prognata, nãque à Nachor maternum genus duxit per Rebeccam, Liam & Rachelem. Neque enim eos audire possum qui magno conatu Abrahamum ab hoc Idololatriæ turpissimo scelere vindicare, nescio quibus argutiis student. Quasi vero nõ tãto illustrior fuit Dei gratia qua illum est complexus quanto ipse fuit sceleratior, minusque tanto dignus fauore. An non pro admirabili beneficio Dei toties commemorat atque inculcat animis nostris sacra historia, quod illum quasi manu arreptum e patria atque Idololatrarum consortio extraxerit? Nam Iudæi qui fabulam de Vr Chaldæorum, hoc est igne quem Abrahamus noluerit patrijs ritibus adorare, commenti sunt, nescilli non merentur, cùm sit certissimum Vr loci nomen esse.* Sic Masius. Apparet igitur eum putasse, Abrahamum, cum esset in Chaldæa, priusquam à Deo vocaretur, patrio more deos eius gentis coluisse.

Genes. 25. & 23.

Philo. HANC etiam opinionem apertissimis verbis confirmare videtur Philo in libro qui inscribitur Abraham. Sic enim ait: *Chaldæi valde exercitati scientia siderali, omnia tribuentes stellarum motibus, à quibus dispẽsari credunt mundi potentias quæ constant ex numeris eorumque proportionibus venerabantur res istas visibiles, non percipientes inuisibilia & intelligibilia atque ita ex conuersionibus stellarum tam errantium quàm inerrantium & anni in quatuor tempora distincti, ordinati, vicibus, miroque rerum cœlestium ac terrestrium consensu, Mundum ipsum existimabant esse Deum: profana sanè opinione creaturam facientes Creatoris similem. Huic innutritus dogmati Abraham, & per tempus longum Chaldaico imbutus delirio, tanquam post altum somnum aperto mentis oculo, postquam puram lucẽ pro densis tenebris cœpit imueri, secius eius splendorem, animaduertit quod prius non viderat præesse Mundo quẽdam auriga gubernatoremque, qui sui operis salutis prouideat, nec totius modo sed eius quoque partium omnium curator tutorque sit: neque enim in homine mẽtis ussa totum corpus omnesque sensus vnanimiter facere. Mũdum autem, omnium opus maximum atque pulcherrimum, à quo velut paries cetera pendeãt omnia, destitutum esse rectoris sui prouidentia, per quam & incolumis conseruetur ipse & legitime administretur.* 257

NEC verò non maximè facit ad huius rei confirmationem, quod legitur Deum apparuisse Abrahæ, cùm primum ille profectus est ex Chaldæa: videlicet prius non fuerat ei notus, quando more Chaldæorum immensus siderum cursibus supra Mundum hunc sensibilem, nullam præterea esse naturam intelligentem credebat. At postquam solum verum, statum agnouit Mundum esse subditum non dominum, nec regere sed regi ab auctore suo. Nam prius sensibilia 258

magnam

magnam ei caliginem effuderant: quam vbi discussit, tandem potuit velut in serenitate pura eum qui prius latuisset cernere. Deus verò pro sua benignitate
258 *venientem ad se illum non est aduersatus: quin etiam vltro ei procedens ebuiã, ostendit naturam suam quatenus videri poterat. Quamobrem non dicitur Abraham vidisse Deum, sed Deũ apparuisse Abrahamo: non enim quisquam per se ipsum potuisset videre eum, Qui verè est nisi ille se vltro videndũ præbuisset.* Hactenus ex Philone. Ex cuius verbis palam est existimasse eum, priusquam Abraham vocatus à Deo demigraret ex Chaldæa, in Chaldæorum errore atque idololatria esse versatum.

259 SVFFRAGARI huic sententiæ non parum videtur locus ille Iosue supra toties memoratus: duo enim inibi dixit Iosue, alterum quidem, patres Hebræorum habitasse trans fluuium: alterum verò eos seruisse diis alienis, & vtrumque de illis similiter dixit. Inter illos autem patres Hebræorum, nominatim posuit Thare, Nachor & Abraham: ad illos igitur tres referri debet quod dicitur tam de habitatione trans flumen, quàm de cultu deorum alienorum: sicut enim tres illos habitasse trans flumen negari non potest: ita quoque eosdem illos tres aliquando seruisse diis alienis concedendum esse videtur. Ac de Thare quidem paulo suprà probatum est: de Nachor autem concessu omnium manifestum est: neque igitur de Abraham id negandum videtur. Quo enim Iosue mentionem Abrahæ intulisset, docens maiores Hebræorum seruisse aliquando diis alienis, & benignitate Dei, ad sui nominis agnitionem & cultum & possessionem terræ Chanaan esse adductos, si nunquam Abraham seruisset diis alienis, nulloque tempore non veri Dei cultor fuisset? Atque hæc est istorum opinio.

Auctoris, quæ est verior sententia, Abraham nunquam falsos deos coluisse.

260 VERVM Contraria huic sententia. vt longe probabilior non solum mihi semper magis placuit, sed ita meo in animo penitus insedit, vt ea nullis auctoritatibus nullisque argumẽtis euelli possit. Arbitror igitur nullo tempore falsorum deorum superstitione occupatum & infectum esse. Abraham: sed ab initio vsque ad extremum spiritum veri Dei fidem ac religionem tenuisse. Et à me quidem stat Iosephus: qui primo libro Antiquitatum de Abraham ad hunc modum scribit: *Fuit*, inquit, *Abraham vir sapiens atque ac eloquens & in coniectando sagax. Cumque ob virtutem eximiam sapiens esset præ cunctis habitus, ausus est vulgo receptã de Deo opinionem conuellere, & in melius vertere. Ergo primus omnium clara voce prædicauit vnum esse Deum vniuersitatis rerum conditorem: quæ autem ad felicitatem conferunt, ea nobis non nostris viribus, sed Dei voluntate ac benignitate contingere. Namque ex terræ ac maris siderumque obseruatione argumentabatur, vim esse quandam & potestatem quæ horum omnium curam gerat, omniaque decenter administret: qua cessante, nihil vtilitatibus nostris seruiturum, cum nihil suapte virtute polleat, sed vniuersa omnipotenti ipsius voluntati obsecundent: quapropter huic vni honorem deberi, huic gratias agi oportere. Quamobrem cum Chaldæi & Mesopotamitæ contra ipsum insurgerent, consilium ille cœpit inde migrandi:*

Iosephus de sapientia & Religione Abraham quid senserit & scripserit.

grandi: & voluntate ac fauore Dei adiutus, terram Chananæam tenuit, vbi sedibus positis Deo struxit aram & hostias mactauit. Sic Iosephus.

Suidas. IOSEPHO autem cõsona & similllima tradit etiam Suidas: namque in vocabulo Abraham, inter alia sic de eo scribit: *Abrahã è Chaldæorum terra oriundus fuit, qui in obseruatione stellarum earumque rerũ quæ in sublimi fiunt, ætatem omnem consumpsit. Exercitatus igitur more patrio in siderum motibus obseruandis, sagaciter animaduertit magnificentiam rerum conditarum nõ sua ui constare, sed aliquem habere opificem à quo moueãtur, & regantur. Quocirca non in his rebus cogitatione & desiderio subsistit: sed vltra sidera euectus, omniaque animo peruagatus, non ante destitit ab inquirendo, quàm is cuius desiderio flagrabat, ei se patefecisset, typis nempe quibusdam atque imaginibus, & ijs rationibus, quibus se is qui cerni nõ potest, conspiciendum præbet. Cúmque cultus imaginum cœpisset à Sarug vsque ad Thare patrem eius viguisset: Abraham natus annos quatuordecim, Dei cognitione illustratus, patrem his verbis compellauit: Quid seductis homines per cultum imaginum lucri causa? non est alius Deus nisi cœlestis ille, totius mũdi opifex. Itaque cùm videret homines creaturæ cultum deferentes, vnum ipse Deũ animo religioso exquirebat. Tandẽ illi Deus apparuit, & de terra sua exire iussit: cuius ille præceptis obtemperans sumptis patris imaginibus & simulacris, ijsque partim confractis partim exustis, patriam dereliquit.* Hactenus ex Suida. 261

Genes. 12.

FIDES quoque adiungi huic sententiæ potest ex iis quæ Iudæos dixisse narrat Ioannes in Euangelio capite octauo: nam cùm Dominus noster dixisset eis: *Si Filius vos liberauit, vere liberi eritis: & vos ex patre diabolo estis, & opera patris vestri vultis facere:* respondẽrũt illi: *Nos semen Abrahæ sumus: pater noster Abrahã est: sed neque ex fornicatione nati sumus: vnum enim patrem habemus Deum,* vbi vocabulum, *fornicationis,* vt sæpè alias in scriptura, positum est pro cultu Idolorũ. Illius autem verbis significare voluerunt Iudæi nec se Idololatras esse, nec ex Idololattis genus & ortum ducere: quippe cùm principem sui generis auctorem & patrem agnoscant Abraham, qui nunquàm falsis diis seruierat, sed perpetuus fuerat veri Dei cultor. 262

Locus Ioannis. c. 8.

ET vetò si aliquando fuisset Abraham impia falsorum deorum superstitione obstrictus & contaminatus, & fuisset ex ea per Dei gratiam extractus: eius rei tam memorabilis & tam insignis ad commendationem diuinæ misericordiæ erga peccatores exemplum & documentum, non fuisset tacitum in sacris literis vel noui vel veteris Testamenti. Vsus in primis fuisset eo exemplo Paulus in Epistola ad Romanos, cum illud disputat: *Omnes peccauerũt, & egent gloria Dei iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et quemadmodum exemplo Abrahæ argumentatur Paulus hominem non haberi iustum apud Deum ex propriis ipsius operibus, sed per gratiam Dei gratuito condonantis peccata, hominemque in suam gratiam & amicitiam recipientis, ita eiusdem Abrahæ vsus esset exemplo ad demonstrandam inenarrabilem Dei benignitatem qui ex impio faciat iustum, ex hoste amicum. 263

Ad Rom. 3. Rom. 4.

ex

ex mancipio Diaboli, filiũ Dei, & cum paulò post disputet: *Vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia*, ad id vel comprobandũ vel illustrandum, huiusmodi exemplum Abrahæ mirifice accommodatum fuisset. Denique sicut ipse fatetur ingenue & præ se fert se contumelioſum, blasphemum, & persecutorem Ecclesię Christi fuisse, sed misericordiam esse consecutum à Deo, vt per ipsum Deus inestimabiles bonitatis & clementiæ suæ erga peccatores diuitias ostenderet: ita quoque tam illustri exemplo Abrahæ id ipsum confirmasset.

NEQVE verò locus ille Iosue aduersatur vel officit quicquam huic sententiæ. Nam quod ibi dicitur patres Hebræorum seruisse diis alienis, intelligi debet de patribus qui præcesserunt Thare, & de ipso Thare postquam ex Chaldæa venit in Mesopotamiam, vt supra declaratum est. Nominatur autem Thare pater Abraham & Nachor non quod vterque fuerit cultor Idolorum, sed quod ex his duobus vniuersum populi Hebræi genus exortum est, ex illo quidem paternum, ex hoc autem maternum. Sed præcipua ratio cur ibi nominetur Abraham, ea videtur fuisse, quod cùm is habitaret in Mesopotamia, scilicet trans flumen Euphratem, inde translatus à Deo fuerit in terram Chanaan, cuius terræ possessionem ei & semini eius Deus attribuit: quocirca post illa verba proximè subiecit Iosue: *Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamia finibus, & adduxi eum in terram Chanaan, &c.*

FINIS.

Hic secundus Tomus in Genesim primùm Typis excusus Romæ prodijt, anno post Christi Domini Ortum. M. D. XCII. Mense Augusto, ætatis verò Auctoris anno LVI.

LAVS DEO ET DEIPARÆ SEMPER VIRGINI MARIÆ.

INDEX
ALPHABETICVS RERVM QVARVNDAM MEMORABILIVM QVÆ IN hoc secundo Tomo continentur.

Prior numerus tota est libri, secundus, eorum numerorum qui sunt in margine cuiusque libri. Tertius autem paginarum: p. Principij paginæ: m. Medij: f. Finis.

Nec libri numerus repetitur, vbi plures eiusdem libri ponuntur numeri.

A

ABRAHAM.

ABRAHAM 70. annos natus mortuũ esse Noe. Libro xiv. Numero. 1. & 199. pa. 315. m. & 391. p

Princeps fuit ac sator populi Hebræi & cur Moses eius historiam tam ordinatè & copiosè descripserit. ibid. 205. pag. 393. f

Virum fuerit inter eos qui profecti dicuntur ex Oriente in campum Sennaar ad ædificationem Turris Babel. xvj. 9. pag. 477. m

Quoto ætatis anno Thare patris suis, natus sit. xvj. 186. & seq. pag. 545. m

Liberatum fuisse ex igne Chaldæorum quod ignem nollet adorare Iudæorum Traditio. 187. & 233. pag. 545. m. & 564. f

Cur prior commemoretur eum fuisse putetur natu posterior cæteris fratribus. 191. pagina 547. p

Num fuerit primogenitus ipsius Thare. 205. pag. 554. f

Saram non fuisse eius sororem vterinã. 220. pag. 559. f

Non semel tãtum ex Mesopotamia venisse in terram Chanaam. 199. & seq. pag. 559. p. m

Virum coniectus fuerit in ignem à Chaldæis. 232. pag. 564. m

Quomodo intelligẽdus sit locus ille Esdræ vbi dicitur Deus liberasse Abraham ex igne Chaldæorum. 240. pag. 568. p

Passum esse tribulationem & persecutionem à Chaldæis ob veri Dei confessionem. 242. pag. 568. f

Num fuerit aliquãdo idololatra. 255. pa. 573. f

Abyssus quid. xij. 14. & 17. pag. 229. p 230. m

Adam commixtionem filiorum Seth cum filiabus Cain prohibuisse. viij. 9. pag. 6. f

AER

AER potius passiuus quàm actiuus. viij. 47. pag. 23. m

Eius media regio qualis. xij. 22. pag. 233. p

Esse montes altiores media regione aëris quorundam opinio. xij. 46. pag. 245. m. sed falsa. 49. pag. 246. f

Virum ad mediam regionem aëris peruenerit diluuium

diluuium.51. pag.547.f
Eo pasci Chamaleontem an verum sit.xj. 41. pag.129.m.
Africa xv.23.24.& 43.pagin. 406. p. m. & 416.f

ÆGYPTII ET ÆGYPTVS.

ÆGYPTIOS *non esse adeo vetustos vt ipsi se iactant.xv.36.* pag. 413. m
Aegyptiorum Dynastias non fuisse ante diluuium vt putauit Mercator.40. pa.415.p
Animalia pro diis coluerunt.viij.130.pagina. 56.f
Eorum sapientia eruditus fuit Moses.x.27.pa. 130.p
Eos secundum Berosum sequutos pestifera dogmata Cham.xiv.157. pag.374.f
Aegyptus cur dicatur terra Cham.xv.42.pa. 416.f
Respectu Iudææ dicitur esse trans flumina.xv. 34. pag.412.m

ÆLAMITÆ ÆOLES,&c.

ÆLAMITÆ *populi.xv. 140.pag.458.p*
Aeoles Graci vnde orti.xv.22. pag.405.f
Aeternum aliquando in scriptura significat longissimum tempus.viij.91. pag.40.p
Aethiopes vnde duxerint originẽ.xv. 29.pag. 409.f.& seq.p
Duplex Aethiopia.33.& 47.pagin.412. p. & pag.419.p.m
Agricultura num primus auctor & inuentor Noë.ix.9. pag.76.m
Alexandri classem territam ab Hydra serpente.xj.45. pag.191.m
Eius epistola ad matrem Olympiadem de duratione regnorum.xv.89. pag.437.
Allopecopithicon genus simiæ.xi.85. pagina 202.f
Alee animal quale.78. pa.201.p
Altare constructum à Noë post diluuium.xiij. 98.
Et illud fuisse primum omnium aliarium. 99. pag.303.p
Amath vrbs quæ & Emath.xv.121. pagina. 449.m
Ambulare cum Deo phrasis Hebraica quid significet.ix.22. pag.182.m
Amore Dei,ciues Hierusalem constituimur. xvi.25. pag.483.f
Amore seculi Babyloniæ. ibid.
Amorrhæi populi.xv.116. pag.447.m
Amphibiis animalibus non fuisse in arca nidos seu mansiunculas extra arcam eminẽtes.x.52. pag.143.f
Immo non fuisse in arca huiusmodi animalia. xi.29. pag.185.m
Amphora Romana siue Quadrantal quæ & qualis mensura fuerit.x.23. pag.125.f

ANGELI.

ANGELORVM *nomine etiam iusti aliquando veniunt vocandi.viij.14.* pag.9.p
Quomodo eorum pedes lauando Abraham non cognouerit corpora ab eis assumpta nõ esse viua & humana.81. pag.35.f
Angelos fuisse eos quos scriptura Genes.6. vocat filios Dei, & cõgressus cum mulieribus quidam opinati.15. pag.9.m
Sed reyciuntur.16.& 17. pag.9.f.& seq.
Et ex instituto agitur de hoc.29.35. 36. & seq. pag.15.& 18
Libidinum non fuisse primum eorũ peccatum, ibidem.
Non esse lapsos de cœlo ob amorem mulierũ. 35. pag.18.p
Qua ratione dicantur aliquando apparere hominibus humana figura. ibid.
Eorum peccata quatuor memorari in Scriptura.35. pag.18.p
Cum ipsis locutum esse Deum quando in ædificatione Turris Babel dixit. Venite descẽdamus,&c.*xvi.76.* pag.502.m
Quomodo cum ipsis loquatur Deus.85.pagin. 505.m
Quomodo item iisdem ad suum vtatur ministerium.87. pag.506.p
Eos fecisse linguas, ac dedisse cuique nationi suam in confusione linguarum. Deum autem auctorem fuisse Hebrææ linguæ,Origenis opinio.144. pag.527.m.f
Anguis alatus vbi.xi.34. pag.188.m
Angues mira magnitudinis.56. pag.194.f

ANIMA

ANIMA *nostra similis arcæ Noë. x. 95. pag.166.m*
Quomodo eam corrumpere dicitur caro. ix. 44.pag.91.f
Vox,anima,plura significat.xiv. 20. p.323. f
Aliquando significatur nomine spiritus. viij. 88. pag.39.p

ANIMALIA

ANIMALIA *cur simul cum hominibus deleta sint diluuio cum non peccauerint. viij.163. pag.70.p*
Hominis causa facta sunt.164. pag.79.m
Cur scriptura aliqua vocet immunda.xj. 5. pag.174.m
Mundorum & immundorum in arcam ingressorum numerus.x.10. pag.121.
Mundorum maiorem fuisse in arca numerum quàm immundorũ & cur.xi.12. pag.178.p
Ex mundis finito diluuio sacrificiũ Deo obtulit Noë 13. pag.178.m.f
Cur septena & septena fuerint in arcam introducta.14. pag.179.p
Iis vescendi vsus post diluuium hominibus à Deo concessus.18. pag.180.f
Quomodo vndique congregata conuenerint, ad Arcam xj.24. pag.183.p
Quæ nõ sint in arcam ingressa.29.pa.185.p.m
Animalium ex putri materia genitorum esse sex species.36. pag.188.f
An hæc quæ nascuntur ex putri fuerint à Deo immediatè creata secundum speciem suam,an tantùm ex corruptione. ibid.
Animalium quinque genera in arcam ingressa.32. pag.187.m
Eorum naturæ cognitio ad plurima conducit. 34. pag.188.p
Nullum ante diluuium cibatu carnium esse vsum. 46 pag.191.f
Recẽsentur ibidem species carniuororum animalium.
Qua astutia vtantur quædam vt capiunt alia animalia.47. pag.192.m
Non carniuororum species magni corporis in arcam ingressorum.61. pag.195.f
Minoris corporis.76. pag.200.f
Quænam munda.101. pag.209.f
Quæ ruminent. ibid.
Quomodo potuerit contineri tãtus animalium numerus intra arcam. 102.pag. 210.f
De escis eorum in arcam importatis. ibid.
Eorum in arcam introductio, & inibi quieta mansio loco miraculi habenda. 103. pagina 212.m
De victu carniuororum in arca. ibid.
Obediebant Noë in Arca vt olim Adamo. xij.42. pag.243.p
Quomodo dicatur Deus eorum habere curam & prouidentiam, aut non habere. xiij. 2. pag.265.p
Laudari benignitatem hominis & misericordiam erga animalia.xiij.26.pag.275.m & xiv.68.pag.240.m
Quotquot sunt,naturaliter metuunt hominem eique sunt subiecta xiv.5. pag.317. m
Ea ne adorarent homines, vt postea fecerunt concessit Deus ipsis eorum esum.11.pa.319.m
Coluerunt ea pro diis Aegyptij. viij. 130. pag.56.f

ANNVS.

ANNVS *quomodo computabatur apud varias gentes. xiij.51. pag.275.p*
Quot Diebus constabat.92. pag.299.f
Compositus est ex contrarijs tempestatibus. 124. pag.310.p.m
Pracipuæ eius partes. 127.pag. 310.f. & seq.p.
Quomodo illum supputabant antiqui etiã ante diluuium.xij.4. pag.222.p.m
Antiochia Cœlesyriæ vrbs.xv.121. pag. 449.m
Apelles hæreticus vult esse fabulam historiam Mosis de Arca Noë.x. 27. p.229.f
Apostoli qui in die Pẽtecostes variis sunt linguis loculi comparantur cum ædificatoribus

ribus turris Babel sed in diuerso genere. xvj.104. pag.512.p
Apulia.xv.26. pag.407.m
Aquarum naturæ sursum ascendere repugnat. xij.16. pag.230.p
Esse aquas supra firmamentum quorundam opinio.23. pag.233.m.f
Aquam cum vino mixtam posse ab eo separari & quo artificio. xvi.128.pag.522.p

ARABIA ET ARABES.

ARABES xv.16.& 17.Cur dicti aliquando Saraceni.ibidem. pag.403.m
Arabia.29.& seq. pag.49.f.& seq.
Eius populi Sabæi vnde traxere initium. 46. pag.418.p
Cur dicta felix. 47. pag.418.f.& seq.
Lingua eorum vicina Chaldææ & Hebrææ, ac iccirco à quibusdam existimata primæ omnium linguarum.xvj.116 pag.520.f
Aradij populi qui.xv.119. pag.448.f
Aram posteri.143. pag.459.p
Arborum quarundam mira proceritas. x.9. pag.120.f

ARCA NOE.

ARCA Noë cur potius dicta arca quàm nauis.x.3. pag.117.f
Regebatur à Deo & ex eius præscripto fuit fabricata.4. pag.118.m
Ex quo ligno fuerit fabrefacta.6. pag.119.m
Eius magnitudo & capacitas.14.19.& 27.pa. 122. 124.& 129.m
Erat proportio latitudinis eius ad longitudinem & altitudinem sicut est in humano corpore.14. pag.122.m
A quibus & quanto tempore fuerit fabricata. 34. pag.134.p
De eius figura & structura.39. pag.155.f
Descriptio eius secundum Philonem & Iosephum.40.pag.137.p.secundum Origenem. 41.pag.137.m. Secundum Buteonem. 51. pag.143.f
De ordine & numero mansiunculaꝝ in Arca 48. pag.141.f
FIGVRÆ Arcæ secundum varios.
Secundum Origenem.65. pag.
Secundum Hugonem.69. pag.14
Secundum Caietanum.71. pag.151.p
Secundum Lyranum.73. pag.153.m
Secundum Buteonem.75. pag.154.f
Mystice plurima Arca Noë designabat. 77. pag.156.p
Præcipue Ecclesiam Christi.86.& xiv.62.pa. 162.p.& 338.p
Eius longitudo latitudo & altitudo quid significent.x.93 & 94. pag.165.p.m.f
Tot animalibus plena quodammodo fuit æmula orbis terrarum.11.24. pag.183.p
Fuit abundè capax animalium in eam ingressorum.101.pagin.210.p.m. & cibariorum 107. pag.215.
Requieuit in monte Armeniæ qui dicitur Cordiæorum.xij.75.& 33. pag.257.f.238.p
Eius basim fuisse latam & planã & non acuminatam.ibidem.
Quanta eius pars aquis demersa fuerit.xiij.58 pag.287.m
De eius fenestra.67. pag.290.p
De coruo extra eam emisso.79. pag.293.p
Tectum arcæ quomodo intelligendum sit Noë aperuisse.85. pag.296.m
Arcades vetustissimos omnium se iactare.xv. 37. pag.413.f

ARCVS COELESTIS.

ARCVS Cœlestis signum à Deo positũ non futuri amplius diluuij.xiv.70.pag. 341.m
Quando eum contemplamur cuius potissimum rei nos meminisse oportet.76. pag.343.m
Eius vocabulo quid intelligatur.79. pag. 344.f
Prout varia id cœli regione apparet varios portendere effectus.98. pag.352.p
Admirandi eius effectus in plantis.100. pag. 352.f
Quadraginta annis ante iudicium non apparituru in cœlo quidam falsò sẽsere. 101. pag.353.p.

Mystice quid significet.104. pag.354.p
ARMENIA, *& eius mons super quem resedisse dicitur arca quis fuerit.xiij.33. pag.277.m*
Vnde orti Armeni.xv.144. pag.459 m
Ex Armenia discessisse primos illos homines in campum Sennaar ad ædificandum turrim Babel.xvj.9. pag.477.m
Ascones populi.xv.19. pag.404.p
ASIÆ *imperio quot annis scribat Herodotus Assyrios esse potitos.xv.90. & 91. pagina 437.m.f*
Asiatici populi fuerũt non autem Hispani vel Itali qui originem traxerunt ex Thubal filio Iaphet.xv.16.17.18. pag.403.m.f

ASSYRIORVM REGNVM ET REGES.

ASSYRIORVM *monarchia.xiv.202. pag.393.p*
Quandiu steterit.xv 8.9. pag.437.p
Eorum princeps & auctor Assur.75. pagina 430.f
Quis fuerit Assur.69 & seq. pag.429.p.m
Ninus quomodo eorum imperium dilatauerit.86. pag.436.p
Eorum reges quot fuerint.88. pag.436.f
Quantum fuerit eorum regnum contra Dionysium Halycarnasseum.86. pag.438.p
Aspalathus spina candida mirum reddit odorem arcu cœlesti in eum incubante. xiiij.100. pag.352.m.f

ASTRA.

ASTRA *secundum aliquos posse efficere conflagrationẽ orbis & diluuium sub variis signis cœlestibus posita, sed refelluntur.xij.11. pag.226.p*
Ex eorum inspectione Noë diluuium præuidisse aliquorum falsa opinio.60. p.251.f
In quas terræ partes suas efficiant influentias. 72. pag.256.m
Astronomiæ inuentor quis dicatur fuisse.xiv.202. pag.392.
Ei dediti fuere super omnes Chaldæi.xvj.257. pag.574.m
Athlantici montis dracones.xj. 46.p.192.p
Athenienses, vtrum orti sint ex Iouibus, an contra, disputatur.lib.xv. numero 15. pag.403.p
Aurum obrizum vnde dictum.xv.153.pagin 465.p
Aurum vbi à Gryphis custodiatur & propugnetur.xv.154. pag.465.m

B

BABYLONIS cõditor *quis fuerit.xv.54. pag.422.m*
Eius ciues secundum sensum allegoricum qui sint.xvj.25. pag.483.m
Babyloniæ regionem cum sit campestris carere saxis, ideoque fabricatam turrim ex lateribus.xvj.18. pag.481.m

BABEL TVRRIS.

BABEL *turris ædificationis auctorem fuisse Nemrod.xv.61. pag.425.p.*
Vnde dicatur Babel.xvj.110. pa.514.m
Quæ fuerint causæ cur moti sint vt turrim illam ædificarent.xvj.44. pag.490.f
Fuisse adhuc tempore Theodoreti eius vestigia. xvj.24. pag.483.p
Ædificatorem eius stultitia notatur ab Augustino.xvj.31. pag.486.f
Esse fabulam eius descriptionem ac narrationem, calumniatos esse gentiles, sed refellũtur.xvi.32. ibid. & seq.p
Magnitudo eius & altitudo.39.& 42.pagin. 489.p.f
Vtrum omnes homines illius tempestatis ædificationi eius interfuerint.xvi.3.& seq.pag. 475.m.f. & seq.p
BAPTISMATIS *figura diluuium.ix.11. & 93.& x.85.pag.77.m.pag.111.m.& pag. 161.f.*
Arcus item cœlestis.xiv.104. pa.354.p
Baptismo simile fuisse aliquid ante diluuium & circunciſionem seu legem scriptam quo infantes saluarentur.ix.62. pag.99.p
BARATHRVM *quid significet apud pœtas.xij.15. pag.229.m*

Basi

Basiliscus.xj. pag.189.p
Bellum appellauit Sarcophagum Homerus. xiv.45. pag.332.m

BELVS.

BELVM *eundem fuisse qui Nemrod.xv.67.* pag.427.f
Ei templum positum in turri Babel à Semiramide.xvj.106. pag.513.p
Primus à Chaldæis & Assyrijs fuit pro Deo cultus.xv.82.pag.435.p.& xvj. 110. pag. 514.m
Pro Beneficijs acceptis obtulit Noë Deo finito diluuio sacrificium.xiij.98. pag.302.f
Berosus Annianus licet multa commentitia scripserit, eius tamen lectio adamatur à multis.viij.3. pag.4.m
Mira scribit de Noë.xiv.206. pag.394.m
Ait eum totum fermè terrarum orbem perlustrasse.xv.6. pag.400.p
Quid senserit de diluuio.viij.3. pag.4.m
Bibliothecam quam debent sibi comparare homines pij.x.94. pag.165.f
Bisons animal.xj.69. pag.198.m
BITVMINE *Arcæ Noë, multa post secula vtebantur homines vice amuleti.10. pa. 121.m*
Eius virtus. ibid.
Mystice quid significet.x.96. pag.166.f
Boa serpens miræ magnitudinis.xj. 198.m
Bonasus. ibid.

BONI.

BONI *vocabulo, sæpe scriptura significat idem quod pulchrum.viij.24.* pa.12.f
BONI *Si degenerent à sua bonitate, fiunt aliquando pessimi, & cur id accidat.viij. 26.* pag.13.m
Per quid significentur & allegoricè figurentur boni Christiani.x.95. pag.166.m
Eos compati etiam improbis cum hi a Deo puniuntur.xij.40. pag.242.p
Dei præceptum omnia reddit eis leuia & suauia.42. pag.243.p
Eorum iustitia verecunda.xiv.93. pag.350.m
Lapsu eorum gaudent improbi.xiv.147.pagin. 370.m
Aliquando flagellantur cum impijs quoa norum peccata reprehendere nō ausi fuerint. 168. pag.379.p
Bonum esse inter malos maxime laudabile.xx. 1.& 2. pag.172.m.f
Semper Deus reseruat sibi aliquos bonos inter malos.18. pag.180.f
Boni cum improbis sunt permixti in Ecclesia Dei.x.93. pag.165.p.m
Propter bonos Deus aliquando etiam improbis benefacit.xj. 4. pag.173.f
Bos gibbosus vulgo Corcouado nominatus, nascitur in noua Hispania admirabilis naturæ,xj.75. pag.199.f

C

CAIN.

CAIN *progenies prohibita commiscerì. cum progenie Seth.viij.9.* pa.6.f
Eius filias vocari filias hominum, quibus cum congressi filij Dei, id est, filij Seth procrearunt Gigantes.7. pag.6.p
Vbi habitauerit.9.& 22 pagina 6.f.& pagin. 12.p
Cainan generatio an intercesserit inter Arphaxad & Sale.xvj.163. pag.536.f
Calamitates tres orbis eodem seculo insignes extitisse, decem plagas Aegypti, Phaëtontis incendium. Deucalionis diluuium. xij. 86. pag.261.f
Calicut regio cuiusmodi serpentes producat.xj 57. pag.194.f
Camæleontis descriptio.xj.41. pag.190.m
Camelopardalis descriptio.xj.67. pag.198.p
ex Cancri carnibus mortui nascì scorpium.xj. 30.pag.185.f
Cantu Hyæna delinita capitur.52. pag.193.f
Capita bina habet Amphisbæna serpens. xj. 43. pag.190.f
Plura Hydris.45. pag.181.m
Cappadoces vnde orti.xv.17.& 21.pag.322.p 324.p
Cappadoces vocat Latinus & Græcus interpres quos Hebraica scriptura vocat Caphtorim.xv.110. pag.444.m

De Ca-

De Capreis mira historia.xj.89. pag. 294.p
Caritas figuratur per latitudinem Arcæ Noë x.94. pag.165.f
Vinculum eius inter Christianos.x.88.pagina 162.f

CARO.

CARNIS, *vocabulo aliquando in scriptura significantur carnales homines: sed non semper id nomen ponitur in vitio.viij. 92. pag.40.m*
Eiusdem vocabuli expositio.93.& 95.pag.40. f.& 41.m
Per eius delicias habere consuetudinem cum improbis nocet plurimum.25. pag.13.p
Caro etiam significat hominem terrenum. 93. pag.40.f

CARNIVM ESVS.

CARNIVM *cibatu ante diluuium nullũ animal vsum.xi.46.& 106.pa. 191.f.& 214. m.& præcipue.xiv.7. pag.318.m*
Caro bubalina non est inscripta eadem atque buffalina.xi.65. pag.197.p
Carnũ esus concessus homini post diluuium. xiv.7. pag.318.m
Vinum ante diluuium earum esus fuerit licitus.xiv.12. pag.310.p
Esus earum plus quàm plantarum conducit hominis nutricationi.xiv.23. pag. 324.m
Carnem comedere cum sanguine in scriptura quid significet.45. pag.332.m
Carnem edere phrasis Hebræa in scriptura quid significet.47. pag.333.m
Carnales homines signantur aliquando voce Gigantum.viij.114. pag 50.p
Non retinent spiritum sanctum.86. pag. 39.m
Aliquando dicuntur in scriptura non solum qui sordidas voluptates consectantur, verum etiam qui aliis sunt vitiis obnoxij.viij. 94. pag.41.p
Carnalia vitia terram quomodo corrumpere dicantur.xj.39. pag.189.f
Carthago.xv.23.& seq. pag.406 p.m
Castitas nos reddit angelis similes.viij.31. pa. 16.m
Vocatur ab Ambrosio nidus pudicitiæ.x.81.pa. 158.f
Castæ cogitationes.96. pag.167.p

CATARACTÆ.

CATARACTÆ *cœli quæ sint.xij.21.& 62. pag.232.m.& 252.m*
Aliquando significant abundantiam bonorum vel malorum.xij.27. pag.235.m
Catoblepa animal solo aspectu venenosissimũ. xi.38.pag.189.m
Catulorum maximã gerit curam tigris.xi.48. pag 192.f
Cedar filius Ismaelis unde videntur Cedarem Arabes.xv.17.& 18. pag.403.m.f
Cedri arboris descriptio.x.7. pag.120.p
Eius altitudo ac proceritas.9.& 10 pag.120.m. f.& seq.p.
Cenchris serpentis genus.xj.44. pag.191.m
Cerastes serpens item.43. pag.190.f
Cercopithecus.xj.84. pag.202.f
Cephus animal.xi.58. pag.195.p
Cethim & Cethæi quæ regio, quæve gens sit. xv.26. pag.407.

CHALDÆI.

CHALDÆI *an originem duxerint ex Arphaxad.xv.141. pag.458.m*
Virum proiecerint Abraham in ignem quod eum adorare recusaret.xvj.232.pa.564.m
Vr Chaldæorum quid.237. pag.566.m
Chaldæi idololatræ.248. pag.570.f
Adorarunt ignem.xv.56. pag.423.p
Astronomiæ dediti.xvj 257. pag.574.m
Eorum linguam esse vicinam Hebrææ, ita vt à quibus sua habitatio sit num fuerit prima.xvj.126. pag.521.p

CHAM.

CHAM *cur nominetur adiuncto eius filio Chanaan.xiiij.38. pag.366.f*

Improbus fuit, & inuentor Magicæ artis.145. pag.369.m
Cur dictus sit filius minor.155. pag.374.p
Eius posteri quam orbis terræ partem occuparint. xv. 28. 112. pag.409.p

CHANAAN.

CHANAAN *filium Cham non esse natum intra arcam, vt putant Chrysostomus.xiv.118. pag.359.m*
Ipsum & non patrem eius Cham, Noë verenda indicasse opinio quorundam. 139 pag.367.p
Cur potius ipse maledictus sit quam Cham, qui irrisit Noë nuditatem.106. pag.354.f
Chananæi vnde duxerint originem.xv.45.pa. 417.f.
Cur maledicti à Deo.120. pa.448.f
Cur non numerantur à Mose inter posteros Chanaan.126. pag.451.f
Cuiusmodi fuerit eorum regio.129. pagina 453.p
Characteres Hebraicos etiam ante legem datam fuisse in vsu apud Hebræos.xvj. 120 pag.518.m
Chaus animalis nomen.xi.58. pag.195.p
Chersidros serpens. 44. pag.191.m
Chersonesus aurea.xv.23.pag.406.m
Chiurca item animal ex mustellino genere. xi.85. pag.203.p

CHRISTVS.

CHRISTI *figuram gessit Noë.ix.11.& 13. pag.77.m*
Præcipuè & ex professo.x.84. pag.161.p
Christus est vera nostra requies. ibid.
Ipsum post mortem prædicasse apud inferos quibusdam, qui diluuio perierunt, & alys.ix.55. pag.96.m
Et eius prædicationem ibi nonnullis profuisse, & inde quosdam peccatores, pœnis alioqui inferorum addictos liberatos. 56. & 57. pag.96.f.& seq.p
Et quomodo dicatur ibi apud inferos prædicasse.xx.89. pag.109.f
Et hoc secundum aliquos, secundum alios vero ex limbo tantùm esse liberatos.58. pag. 97.f
Et liberasse tantum eos qui in eum venturum crediderant.ix.67. pag.101.p.m
Quomodo intelligatur prædicasse ijs qui tempore Noë fuerunt increduli ex 1. Petri 3. capite.ix.91. pag.110.m
Eius passionis egregia allegoria. xiij. 31. pag. 276.f
Eiusdem figura est item arcus cœlestis, seu Iris.xiv.107. pag.254.f
Fuit lapis angularis qui fecit vtraque vnum. 191. pag.388.m
Chus filij Cham posteri.xv.29. pag.409.f
Cibus quomodo concoquatur in stomacho. x. 83. pa.160.p
Cilicia regio, & quanta eius quondam potentia.xv.23.& 24. pag.406.p.m
Circumcisionem cur præcepit Deus posteris Abraham.xiij.102. pag.304.p
Cuius rei erat signum. xiv.95. pa.351.m
Clementiæ inenarrabilis signum in Deo est, quod prius pœnas denunciat quàm irrogat.viij.84.& x.1. pag.37.f.117.p
Item quod aliquando homines pœnis infligis visitet.viij.97. pag.42.f
Eiusdem clementia prædicatur.159. pa. 68.m & ix.13.& 53.pag. 78.m.& 95.m.& xij. 34. pag.238.m
Cælum capax tantum motus circularis. viij 46. pag.23.m
Quid intelligatur per cœlos quos ait S.Petrus aquis diluuij corruptos.xij.52. pag. 248.m ignificat etiam allegoricè mẽtem humanam 29. pag.236.p.m.
Cœlesyria vnde habuerit originem. xv. 13.pa. 402.m
Cogitationes nostræ quare allegoricè significentur, & figurentur in Arcæ Noë.x.95. 98.& 100.pag.166.m.f.168.m.169.f
Earum triplex genus.100. pag. 169.f

COLVMBA.

de COLVMBA *extra Arcam emissa.xiij. 76. pag.293.p*

De eius solertia. *ibidem.*
Cur ipsa potius, quàm aliud aliquot animal emissa sit. *ibid.*
Comitiali morbo curando conducere vngulam animalis magni.xj.74. *pag.199.m*

CONCIONATOR.

CONCIONATORES *quando deplorant ac reprehendunt hominum peccata, etiam seipsos iis annumerare solent. viij. 143.pag.61.f*
Quæ eloquentia est eis necessaria. x. 94. pag. 166.p
Inseruit etiam ipsis cognitio naturæ animalium ad moralia inde documenta excipienda.xj.33. *pag.188.p*
Concordia improborum pessima, vt discordia proborum pernicioſa.xvj.91. *pag.507.f*
Confusio quid sit.xvj.128. *pag.521.f*
Conuenit vitio, vt conspiratio virtuti. 130.pa. 522.f
Coniugium inter fratres & sorores fuisse licitum sub initium mundi, non tamen tempore Abraham.xvj.223. *pa.560.f*
Conopas nanus duorum pedum, & vnius palmi longitudine.vij.125. *pag.54.f.*
Consuetudo quantam vim habeat. xvj. 224. pag.551.p
Consuetudo ac conuersatio cum improbis quã noceat bonis, maximè in voluptatibus carnis.viij.25. *pag.13.p*

CONTEMPLATIO.

CONTEMPLATIO *rerum diuinarum per quid significetur.x.85. & 99.* *pag. 161.f. & 168.f*
Contemplationi deditus quomodo debet exire per actionem ad iuuandum proximum.97. pag. 168.m
Contemplationum varij modi.99. *pag.168.f*
Contemplatio improba quæ.ibid.pag.169. p.m
Continentia Noë laudatur. ix.36. *pag.88.m*
Cophen fluuius.xj.150 *pag.463.f*
Cor significat aliquando animam rationalem viij.136. *pag. 59. p*
Eius descriptio. x. 81. *pag. 158.f.*

CORPVS.

CORPVS *sublunare & corruptibile eo esse nobilius, quo magis compositum & multiforme.viij.50.* *pag.24.*
Non posse esse corpus quod intellectum naturaliter habeat, & sensu careat. viij. 52. pag.25.p
Corporis sui veritatem quomodo Dominus Iesus discipulis post resurrectionem probauerit. viij. 78. *pag.35.p*
Corporis humani secundum longitudinem, latitudinem. &c. proportio. x.14.pag.122.m
Significatur terræ vocabulo allegorice. xij.29. pag.236.p
Eius continentiam seruant quidam Hæretici, vt fidem suam veram asserant. *ibidem.*
Figuratum arca Noë.xij.39.& x.79.pag.241. m.& 157.m
Cur nos quorundam eius partim maximè pudeat.xiv.140.pag. 357. m
Eius extensio, aut diminutio vnde proueniat. viij.125. *pag. 54.f.*
De Coruo extra arcã misso.xij.71. pag.291.f

CREATVRA.

CREATVRAS *omnes suo muneri satisfacere, homines autem minime.xij. 6. pa. 223.f*
Deo ad nutum obsequentes esse.xiij.30. pagina 276.f
Ex earum pulchritudine quomodo laudetur. creator.xiv.71. *pa.341.f*
Creaturæ omnis, vanitas.x.99. *pag.168.f*
Tribus vocibus loquitur nobis. ibidem. pag. 169.p.m
Crux Christi significata fuit ac præfigurata per arcam Noë.78. *pag.156.f*

CVBITVS.

CVBITVS *quæ sit mensura. x.14. pagina 122.m.f*
Varius, cubitus apud antiquos.x.16.p.126.m
Cubitus sacer & vulgaris.x.21. *pag.125.p*
Cubitus Geometricus quot vulgares secundum origenem contineat.27. *pag.127.m*

Cupiditas habẽdi hominũ insatiabilis. xvj. 8. pag.477.p
Cyprus insula.xv.26. pag.407.m
Cypressi descriptio.x.7. pag.120.p
Cynæi populi.xv.120. pag.448.f
Cyrenaica regio,in quam dicuntur translati Syri in Scriptura quænam sit,& quod dupliciter accipitur.xv.111. pag.444.f

D

DÆMON.

DÆMONES fuisse illos quos Scriptura vocat filios Dei,Genes.6.& illos corporeos esse, & congressos cum mulieribus quidam falso existimarunt. viij.15. & 38. pag.9.f.& 20.p
Probatur quatuor rationibus nõ esse corporeos. 46. pag.22.f
Et non constare corpore cœlestis substantiæ. ibidem. pa.23.p
Nec elementaris.47. pag.23.m
Nec sublunaris.50. pa.24.m
Eos posse sibi formare corpus quale voluit,quãtum ad figuram.77. pag.34.m
Sed non omnino simile humano, quantum ad tactum.78. pa.34.f
Esse frigida eorum corpora tactui.82. pagina 36.p
De eorum natura ac proprietatibus secũdum Platonicos:mira sed falsa prodita sunt.41. 42.43.& c. pag.21.m.f.& seq.
Eos semen emittere, & inde nasci gigantes, quidam existimarunt.46. pa.22.f
Sed probatur non posse eos semine proprio generare.55. pag.25.f
Et quamuis vim generandi haberent,non idcirco possent generare ex muliere.57. pag. 26.f
Et si generare possent ex muliere, non tamen generavent hominem.58. pag.27.m
An possint per semen non suum,sed alienum cum mulieribus congredi, & generare hominem disputatur.num.63.& 73.pag.29. m.& 32.f
Dæmones incubi,& succubi qui sint.64.pag. 29.f
Quomodo semen suscipiunt, & mulierem transfundunt. ibid.
Eos non percipere voluptates venereas.69.pa. 31.m
Sed his tamen per accidens delectari.70.
Cur libenter sub aliena specie concubitum expetant.72. pa.32.m
Dæmones fuisse gigantes illos ante diluuium quidam sensere.117. pa.51.f
Sed falso.124. pag.54.p
Eos esse aliquãdo mulieribus improbos. 127. pag.55.m
Eorum peccatum cur fuerit irremissibile. xiij. 117. pag.51.f
Qui obsessi sunt à Dæmone maiori miseratione digni sunt quàm ebrij,secundũ Chrisostomum.xiv.134. pag.365.p
Dæmones familiares noctu apparuisse quibusdam.viij.83. pag.36.p
Dæmonis inuidia in homines.28. pa.14.p
Dadam filius Regma cui genti dederit originem.xv.53. pa.421.m
Dama animal.xj.89. pag.204.p
Damasci conditor.xv.144. pag.459.f
Dodanæi populi qui.xv.54. pag.421.f
Defuncti spectrim apparuisse noctu amico,notabilis historia.viij.85. pag.38.m

DEVS.

DEI clementia ex eo perspicitur quod prius pœnas denunciet ac minetur, quam irroget.viij.84.& 160.& xij.34.pag.37.f.69.p. & 238.f
Item ex eo quod peccatores tantopere reuocet à peccando.xvj.99. pag.510.m
Eius comparatione neminem esse iustum.viij. 145. pag.62.f.
Posse tamen coram eo iustificari hominem eius gratia & quomodo.148. pag.63.f
Eius incomparabilis pietas.159. pag.68.
Nec mutat sententiã,nec cogitat vt homines 151. pag.65.p
Quomodo dicatur pœnitere, & nihilominus

esse immutabilis.152. & xiij.1.pag.65.m & pag.264.f
Quomodo dicatur recordari & obliuisci.ibi. & irasci.viij.156. pag.67 p
Quomodo descēdere vt videat peccata hominum.xvj.61.64.97.& seq. præcipuè.86.pa. 496.f.498.p.499.m.& 505 f
Quando dicitur videre peccata hominum.ix. 43.& xvi.65. pa.91.p .& pag. 498.f
Longaminiter sustinet peccata hominum,sed tandem quando venit ad pœnam horribiliter punit.ix.47. pa.93.p
Punit quosdam temporalibus supplicijs, vt ab æternis seruet.ix.53. pag.99.m
Eius misericordia & prouidentia.x.1.& xiij. 1. pag.116.p.& 264 f
Eum ministerio Angelorum introduxisse animalia in arcam.xj.26.& 31.pag.184.p. & 186.f
Eorum item ministerio arcam clausit desoris in quo eluxit eius erga Noë admirabilis prouidentia.xij.37. pag.240.p
Ei soli competit sacrificium. xiij. 89. pagina 302.f
Deus non vt auarus mercedem gratiæ suę Expostulat.101. pag.303.m
Ad breue tempus irascitur.xiv.77.pa.344.p
Eius promissum certum ac firmum. ibid.
Eius misericordia triplex.105. pag.354.m
Quomodo operetur per Angelos, vt ministros suos disputat egregrie Philo.xvj.78.pagin. 503.p
Alio modo loquitur Angelis alio nobis. 82.
In ipsius essentia omnia tāquam in speculo repræsentantur.85. pag.505.m
Ipsum conuenire peccatis, maioris vindictæ futuræ indicium est.98. pa.510.m
Quomodo dicatur visus ab Abraham,& dederit ei seipsum conspiciendum ex sententia Philonis 258. pag.574.f
Diaboli inuidia.viij.28. pag.14 p
Dianæ templum quantum, & quanto tempore,& à quibus ædificatum 34. pag.17.f
Diei vocabulum sæpius in Scriptura significat diem naturalem.xij.30. pag.237.p

DILVVIVM.

DILVVIO tantum periisse improbos ix. 54. pag.96.p
Cur fuerit à Deo missum.viij.1 & 2.
Quomodo figura fuit baptismatis.ix.11.& 75. pag.77.m.& 104. m
Aliquos ab æterno supplicio seruatos,qui tunc temporali supplicio diluuij perierunt,quorum fuerit opinio.ix.53.& seq. pag 95.m
Sed ista opinio refellitur.61. pag.98.f
Eo ingruente an aliqui,prius improbi,tunc resipuerint & vitæ pœnitentiam egerint. 92. pa.99.p
De eo agit ex instituto.lib.xij.83.vide etiam xiij.76.& 88. pag.293.p.& 297.m
Diluuium Deucalionis,de quo Poëtę,quæ scripserunt,mutuati videntur magna ex parte ex Noëtico diluuio.x.5. pag.118.f
Ouidius quomodo Deucalioneum diluuium describit.xij.13. pag.227.m
Diluuium spirituale est in nobis quādo passiones nostræ nimio plus exundantes, rationem obruunt, nec obediunt rationi.xij. 29. pag.236.p
De magnitudine diluuij Noëtici.43.p.243.m
Attigisse ne credendum sit mediam regionem aëris.51. pag.247.f
Quanto tempore durauit.55.& xiij.55.pag. 249.f.286.m
Vtrum ex solis causis naturalibus profectum sit, an opus fuerit Dei supernaturali omnipotentia. xij.60. & xiv. 89. pag.251.f. & pag 349.p
Vtrum fuerit apud Ethnicos cognitū.xij. 74. pag. 257.m
Post diluuium triplex genus habitationis hominum describit Plato. xvj.17.pag.481.f
Eius tam breui tempore diminutio, Dei potentia facta.xiij.6. pag.267.p
Plura fuisse diluuia quidam asserit.xiij.88.pa. 297.f
Post illud quot mala consecuta sint, & contigerint homini.xiv.10. pag.139.m
Diluuij non futuri signum naturale an aliquo modo sit Iris.87. pag.348.p

A mundi exordio vsque ad diluuium & à diluuio vsque ad ortum Abrahæ quot anni interceſſerint.197.& 199. pag.391.p.f.
Dimẽſiones tres arcæ Noë vt longitudo &c. myſticè quid ſignificent.x. 94.& 95.pag.165.f. & ſeq.p
Dipſas genus ſerpentis.xj.43. pa.190.f
Diuitiarũ comes ſocordia ac nequitia. xiij. 11. pag.7.m
DOCTORES *Eccleſiæ quadratis lignis ex quibus Arca Noë conſtabat præſignificari.x.87. pa.162.m*
Dodanim poſteri qui fuerint. xv. 27. pagina 408.m
Dolor duplex.ix.86.pag.108.m. Quãdo amittit vim ſuam.xij.11. pa.226
Donum alicuius, non tam ex doni pretio quã ex donantis animo æſtimatur. xiij. 108. pag.305.m

E

EBRIETAS.

EBRIETATEM *quot & quanta mala ſequantur.14.134. pa.365.p*
Ebrietatis Noë quinque cauſæ commemorantur.129. pag.363.m
Ebrietas quãdo ſit peccatũ.132. pag..364.m

ECCLESIA.

ECCLESIA *Dei ſignificata fuit per arcã Noë.x.87.& 86.& xiv.62.pa.156.p.m. 162.p.& 338.p*
Significatur etiam Iride. 105.pag.354.m
Conſtat vario hominum genere perfectioribus ſcilicet & imperfectioribus, bonis item & malis.x.89. pag.204.p
Maximè triplici genere hominum.93. pagina 205.p
Edeſſa vrbs.xv.120.121. pag.442.f
Eleemoſynarum largitione nobis veram, gloriam apud Deum & homines cõparamus. xvj.56. pag.494.f
Elohim vox Hebræa quid in ſcriptura ſignificet.viij.14. pag.9.p
Eloquentia ſeculari ac florida qui vtuntur, ſæpius non præſtant quę verbi pollicentur. x. 94. pag.165.f
Elimæi populi.xv.140. pa.438.p
Eliſij campi ex quo traxerint originem. xv. 22. pa.406.p
Emath vrbs.xv.122. pa.450.p
Epiphania ſecundũ Hieronymum eadem quæ vrbs Emath minor.xv.121. pa.449.f
Epiſcopi quanta veneratione ac honore ſint proſequendi, & memorabile de illis Conſtantini Magni iudicium & teſtimonium. xiv.151. pag.371.f.& ſeq.p
Ethnicis notum fuiſſe Noëticum diluuium. xij.75. pa.257.f
Europã cum maiore Aſiæ parte occuparũt poſteri Iaphet.xv.8.& 27.pa.401. p.& 408.m

F

FABVLARVM *amatorem eſſe etiam Philoſophum cur dixerit Ariſtoteles. xj.46. pag.192.p*
Fabulam eſſe quæ narrat Moſes de diuiſione linguarum, Ethnicorum calumnia refellitur.xvj.156. pag.531.f
Famæ ſuæ apud poſteros propagandæ valde cupidi homines.xvj.64. pag.444.p
Familijs ſingulis quæ tunc erant ſingulas attributas linguas in diuiſione linguarum.147. pag.528.f
Fauni qui ſint.viij.61. pa.28.m
Fuiſſe dæmonum figmenta.62. pa.28.f
Eos ex dæmonum cum mulieribus commixtione natos, quidã putauerunt. 63. p.29.p
Feles agreſtes & volãtes.xj.53. pag.194.p.m
Feneſtra arcæ.xiij.67. pa.290.p
Ferculum vox in illo loco (ferculum fecit ſibi Salomon) quomodo legatur in Hebræo. xvj.122. pag.519.f
Fidei Chriſtianæ propagatio breui tempore per totum orbem, ſecũdum Chryſoſtomum quantum fuerit miraculũ.xv.122.p.360.f
Denotatur fides per longitudinem arcæ Noe. x.94.95. pag.165.p.166.f

FILII DEI.

FILII Dei qui sint appellati à Mose. viij.7. pag.6.p
Per filios Dei quid scriptura intellexerit varia lectiones.14. pag.9.p
Filiorum Dei nomine nunquam significari, vt ait Chrysostomus, Angelos, refellitur. 16.
Quos scriptura Genes.6.vocat filios Dei, eos non fuisse angelos nec bonos nec malos, sed homines probatur.17.18.& seq. p.10.m.f
Sed fuisse posteros Seth multorum auctorum est celebris sententia.22. pag.12.p
Filios Dei etiam secundum alios dictos quasi viribus prepotentes. 24. pag.12.f
Filiorum Dei nomine aliquando appellari sanctos ac iustos. 31. pag.16.m
Filios Dei quos scriptura ait congressos cum mulieribus, fuisse Dæmones falso quidam existimant.66. pag.30.m
Filias hominum quibuscum congressi dicũtur filij Dei, fuisse ex stirpe Cain .22. pag.12.p
FILII Romanorum vna cum parentibut propter verecundiam lauari non solebani in balneis.xiv.149. pag.371.p
Quam sunt à filijs honorandi parentes. 150. pag.371.m
Puniri filios aliquando ob parentum suorum scelera, nec id esse iniquum.162.pag. 376.f
Bonis filijs & pijs erga parentes suos nomen bona promittuntur in scriptura. 186. pag.386.m
Flagella Dei nos ad eum ire compellunt. ix. 50.pag.94.p
Fornicatio simplex prohibita. xiv.63. p.338.m
Sæpe fornicationis vocabulum in scriptura ponitur pro cultu idolorum. xvj. 261. pag. 576.p
Frater apud Hebræos significat proximum. xiv.34. pag.328.
Olim soliti erant appellare fratres etiam filios fratrum.xvj.214. pag.557.f
Non fuisse licitum tempore Abrahæ coniugium inter fratrem & sororem vt quidam existimarunt.220. pag.559.f

G

GALLORVM bellica virtus qualis & quanta olim fuerit.xv.11. pag. 401. f
Galatæ Græci vnde traxerint originem. ib.
Genealogia alicuius comparanda est non ex splẽdore familiæ, sed ex virtutum gloria secundum Ambrosium & Chrysostomum. ix.16. pag.79. m
Generationis naturalis duo esse principia.viij. 57. pag.26.f
Generationis vocabulum quid significet in scriptura.xiv.91. pag.349. m.f
Genij de quibus poëtæ, qui fuerint. viij. 29. pag.15.m
Gentiles ex stirpe Iaphet oriundi. xiv. 189.& 192. pag.387.f.& pag.388.f
Eorum vnio cum Iudais facta per Christum. 191.& 193. pag.388.m.& f
Eorum calumnia, sacram scripturam fabulas continere, refutatur. xvj.32.& 156.pagina 486.f. 531.f
Genus humanum quam breui tempore ab initio mũdi fuerit multiplicatũ.viij.4.pag.5.p
Nec sublimaris.50. pag.4. m
A quo tempore præcipue inceperit multiplicatio de qua loquitur Moses initio capitis sexti.6.& 7. pag.5.f.& 6.p
Quandiu steterit iuste viuendo. viij.7. pa.6.p
Geometria apud Ægyptios celebris. x.27. pag.129.m.f
Gerara vrbs.xv.128. pag.452.f

GIGANTES.

GIGANTVM ante orbis terrarum diluuium maxima improbitas.viij.3. pag.4.p
Gigantes de quibus in scriptura vnde orti.9. pag.6.f
Quomodo cœperunt esse ante vel post diluuium.109. pag.48.m
Vnde dicti. ibidem.
De ipsis disputatur ex instituto. 108. & seq. pag. 48.
Duplex fuit de his opinio alij enim volunt fuisse homines superbos ac omnibus vitijs pleno vt videre est. num.111. pag. 49.p
Alij corporis proceritate ac robore insignes

vt habetur.num.113 pag.50.p
Quam fuerint plens vitijs videre est numer. 115. pag.50. m.f
Auctoris sententia de origine & natura Gigantum.116. pag.51.p
Fuisse dæmones quidam falso opinati sunt.117. pag.52.p
Cur dicti sunt Hebraicè Nephilim, ideſt cadentes. ibidem.
Fuisse generatos ex coitu Angelorum cum mulieribus temere quidam sensere 121. pagina 53.p
Sed refelluntur.124. pa.54.p.m
Gigantæa magnitudinis feminam visam Romæ.126. pag.55.p
Item Gigantem Claudio Imperatore.128. pag.55.f
Gigantum fabulam vnde Poëte desumpserint.129. pag.56.m
Gigantum allegorica interpretatio Macrobij. 131. pag.57.p
Og rex gigas.x.17. pag.123.f
Item Nemrod primus post diluuium. xv. 57. pag.423.p.m
Gloriæ cupidi homines.xvj.54. pag.494.p
Gloria vera comparatur eleemosynarum largitione.56. pa.494.f
Gog. princeps & gens quæ, & vbi fuerit. xv. 13.& 18. pag.404.m.& 240.f
Gomeritæ populi qui fuerint.xv. 12.p.402.p
Gomer filius Iaphet quibus gentibus dederit principium.11. pag.401.f
Gopher hebræum verbum quod significet controuersum.x.6. pag.119.m
Gothi, Gethi, Messagetæ vnde duxerint originem. xv.& 13.& 29.pag.402.m. & 410.p

GRÆCI.

GRÆCI vnde duxere originem. xiv. 193. copiosè.xv.11.& seq.p.388.f.& 401.f
Appellationes ac denominationes variarum gentium quas à primis conditoribus acceperant cur mutarunt Græci.xv. 3. p. 399.p
Quantam orbis terræ partem occuparint. xv. 27. pag. 408. p
Grati erga Deum animi specimen dedit Noë finito diluuio.xiij 98. pag.302.f
Gratiarum actio quæ agitur Deo vera quæ sit. xiij.101. pag.303.m
Gratiam inuenire apud Deum vel coram Domino quid significat.ix.12. pag. 77.f
Gryphes animalia pennata auri custodes fabulosa secundum Plinium.xv.154. pag. 465.f
Gubernandi optima ratio.xiij. 29. & xiv. 6. pag.318.p.& pag.277.p

H

HÆRETICI

HÆRETICI ex quo Scripturæ locos desumant illam suam opinionem omnia opera hominum apud Deum esse peccata.viij.138. pag.60.m
Sed damnantur.150. pag.64.m
Hæresis eorum qui aiebant Christum per suũ ad inferos descensum ab inferni doloribus omnes damnatos liberasse. ix. 67. & 76. pag.101.p.m.& 104.f
Ex numerorum arcanis mira figmenta afferebant.x.16. pag.123.m
Quidam vt fidem suam veram probarent continentiam corporis seruabant.xj. 29. pag.236.p.m
Eorum figuram gessit Cham. xiv.156. & 195. pag.374.p.& 390.p
Hamathæi populi.xv.120. pag.448.f.
Hasah, verbum Hebræum quid significet.viij. 156. pag.67.p

HEBER ET HEBRÆI.

HEBER quando imposuit nomen filio suo Phaleg significans diuisionem, ante vel post diuisionem linguarum.xv.146.p.461.p
In eius familia mansit illa lingua quæ in varias linguas diuisa esse dicitur. xvj.110. & seq. pag. 514.m.f
Ab eo dictam esse linguam Hebræam. xvj. 118. pag.417.m
In eiusdem familia permansisse fidem ac pietatem

tatem vt etiam in ea permanſit vnitas linguæ .119. pag. 517.f
In eadem familia permanſit non tantum lingua, ſed & characteres Hebraei.120.
Non tamen in omnibus eius poſteris permanſiſſe, ſed in iis tantum qui recta linea deſcenderunt vſque ad Iacob.121. & 123. pa. 518.f.& 520.p
HEBRÆI vnde dicti.xv.134. pag. 455. f
Hebraei vnde traxerunt originem. viv. 192.& 193. pag.388.f
Eorum primus auctor fuit Sem. xv. 134. pag. 455.f
Princeps tamen eorum ac ſator Abraham præcipuus.xiv.205. pag.394.p
Hebræam linguam poſt captiuitatem Babylonicam remanſiſſe imperfectam.xvj. 124. pag.520.m
Hebræa ſcriptura an fuerit ab Hebræis corrupta.xiij.74. pag.292..m
Helluo dicitur animal Sclauonice Roſſomaca mirabilis naturæ in vorando. xj. 60. pag. 195.m.
HENOCH quando tranſlatus. viij.8. & xiv.197. pag.6.m. & pag. 391. p.m
Vbi fuerit tempore diluuij. xj. 3. & xij. 44. pag.173.m.& 244.p.
Hermon mons.xv.117. pag.447.m.f
Hethæi populi.114. pag. 446.m.
Heuæi populi.117. pag.447. m
Heuilæi populi num ab Heuila filio Chus duxerint originem.xv.48 pag.419.f.
Heuila regio.152. pa.464.m
Hieronis regis Siciliæ admirandæ magnitudinis nauigium. x. 34. & 49. pag. 134.& 142. m
Hieruſalem vrbs dicta etiam Iebus. xv. 115. pag. 446.f
Eius ciues ſecundum ſenſum myſticum.xvj. 25. 483.m
Hippelaphus & Hippardium animalia quæ. xj.71. pag.199.p
Hiſpani vnde duxerint originem.xv. 193.pa. 463.
Holocauſtum primum locum obtinet inter ſacrificia, & hoc primùm à Noè factum expreſſe legitur: licet tale fuiſſe quod obtulit Abel exiſtimare conuenit. xiij.98. pagina 32.f
Homicidij pœna.xiv.35. pag.329.p.m
Quid ab eo perpetrando maxime deterrere deberet..42.pag.331.m
Eius prohibitio etiam includitur in eo præcepto de non comedendo ſanguine ſecundum aliquos.35. pag.319.p.m

HOMO.

HOMO cur pronus ad peccatum. xiij. 118. pag.308.m
Et initio mundi vt etiam poſt diluuium Deus tria conceſſit bona.xi.v.2. pag. 316.p
Natura omnes genuit æquales.6. pag. 317.f
Poſt diluuium fuit breuioris vitæ & imbecilliores valetudinis, & quam ob cauſam.13. pag.317.f
Factum eſſe ad imaginem Dei etiam ſecundum corpus per ſe abſurda Oleaſtri opinio.44. pa.331.f
Eius caro nemini debet eſſe alimentum. 67.
Homini bonorum ac malorum viciſſitudo ad quid conducat.137. pag.366.p.m
Quomodo per orben ſparſi ſunt poſt diuiſionē linguarum ex Ioſepho .xv.3.p.399.p

HVMILITAS.

HVMILITAS illa eſſe ſeruum ſeruorum Dei eſt inſigne ſummorum Pontificum. xiv.181. pag.384.p
Eſt via tuta in cœlum.xvj.46. pa.492.m
Meruit vnionem linguarum vt ſuperbia confuſionem.90. pag. 507.f
Oritur ex cognitione ſui.252. pag.572.p
Hus Traconitidis & Damaſci conditor. xv. 144. pag.459.m
Hus patria Iob vbi fuerit.145. pag.456.f
Hyena animal quadrupes lupi forma miri ingenij, an vtriuſq; ſexus ſit particeps:& de Hiena ex genere ſerpentiū.xj. 52.pa. 193.f
Hydrus ſeu Hydra item ſerpentis genus.45. pag. 191. m
Item Hypnale.43 pag.190.f
Hyſtrix.Herinaceus.76. pag.200.f

I

IACOB posteritas breui admodum tempore mirifice multiplicata. viij. 4. p. 5. p
Iaculi animalia quadã cuius natura. xj. 43. pa. 191. p
IANVM fuisse eundem cum Noë, antiqui gentiles existimarunt. xiv. 127. pag. 362. m
In Ianiculo & Vaticano collibus Romæ eum primas exposuisse colonias. xv. 6. pag. 400. p
Iaphet posteri. xiv. 187. pa. 387. p
Numerosa eius posteritas. xv. 8. pag. 401. p
Existimarunt Gentiles eundem fuisse quem ipsi Iapetum vocant. 10. pag. 401. m
Iauan quartus filius Iaphet quibus nationibus originem dederit. xv. 15. pag. 403. p
De eius tribus filijs Elisa Tharsis & Cethim. 22. pag. 405. f
Iberi seu Hispani vnde duxerint genus suum secundum aliquos. 16. pa. 403. m
Idololatriæ primus inuẽtor. xv. 67. p. 427. f
Quando inceperit secũdum Epiphanium. 124. pag. 451.
Idumæis vicini populi Dedanei. xv. 54. pagin. 421. f
Iebusæi populi. 115. pa. 446. f
Ieser, verbum Hebræum quid significet. viij. 135. pag. 58.

IGNIS.

IGNI quali ardere debemus. x. 96. p. 157. p
Eum adorare noluisse Abraham, & iccirco à Chaldæis fuisse in eum proiectum, indéque illæsum exiuisse, Hebræorum traditio. xvj. 233. pag. 564. f
Sed refellitur. 236. pag. 565. f
Quomodo intelligendus locus ille Esdræ vbi dicitur Deus eduxisse Abraham ex igne Chaldæorum. 24. pag. 483. p
Significat aliquando ignis in scriptura tribulationem. xvj. 241. pag. 568. m
Imperium in alios ac regnum ibi primum inchoatum est, vbi facta est linguarum confusio. xv. 55. pag. 422. m
Improbi sunt etiam in Ecclesia Dei. x. 93. pag. 165. p
Eorũ concordia perniciosa. xvj. 92. pag. 508. p
Eorum prosperitas cuius rei signum. 99. pag. 510. m
Incubus quis. viij. 61. pag. 28.
Eos cum mulieribus congredi. 63. & 64. pag. 29. p. m
Indorum quosdam cum feris coire & inde semiferum quid gigni, quorundam opinio. 59. pag. 27. f
Indi in quo tempore primum fuerit subacta. xij. 83. pag. 260. m
Eam incoluisse filios Iectan. xv. 156. pag. 466. p. m

INFERNI VEL INFERNVS.

INFERORVM incendia aliquos vitasse qui hoc diluuio & alijs pœnis à Deo fuerũt afflicti quorundam opinio. ix. 53. pag. 94. m
Apud inferos Christum post mortem secundũ animam descendisse ibique prædicasse quorundam sententia. ix. 55. pag. 96. m
Eius prædicationem ibi profuisse & nonnullos peccatores etiã pœnis æternis addictos inde liberatos, nonnullorum est sententia. 56. & seq. sed falsa. p. 96. f. & seq.
Quomodo dicatur Christus inferni dolores soluisse quatuor modis exponitur. ix. 85. pag. 108. p
Ingenia magna nõ ferunt mediocritatem. viij. 26. pag. 13. m
In Innocentiæ statu si perseuerasset homo qualia bona habuisset. xiv. 3. pag. 316. f
Innocentes cur & qua pœna puniantur aliquando à Deo. ibid. 154. pag. 377. m
Insularum incolas, quos appellauerint Hebræi xv. 26. pag. 407. m
Insulas fortunatas quis primus incoluerit. xv. 22. pa. 405. m. & 406. p
Insipiens malis mala cumulat non contentus iis per quæ vltro natura incedit egregia Philonis sententia. xvj. 16. pag. 480. p. m
Intellectus diuini infinita perspicacitas. xvj. 95. pag. 509. p

Inuidi semper respiciunt aliorum errata & non recte facta xiv.148. pag.370.f
Ioannes Baptista quomodo dictus magnus coram Domino.xv.60. pag.424.m
Ionithus quidam narratur filius fuisse Noë ab eo genitus post diluuium, eximiæ sapientiæ. xiv.202. pag.392.f
Ionia regio Græciæ vnde duxerit originem.xv. 15. pag.403.p
Ipsephum ex sententia Caietani nonnũquam discrepare à sententia & textu scripturæ. xvj.207. pag.555.m
Iram aliquando significat vocabulum spiritus.viij 86. pag.38.m.f

IRIS.

IRIDEM Poëtæ posuerunt Dei nuncium. xiv.71. pag.341.f
Non fuisse ante diluuium quorundam opinio. 82. pag.346.m
Quomodo generetur.83. & 87. pag.346.f.& pag.348.p
Non esse signum naturale futuri aut non futuri diluuij.86. pag.347.f
Potius esse signum naturale non futuri diluuij quàm futuri.87. pag.348.p
Non simpliciter sed secundum quid esse tale signum.94. pag.350.f
Mystice quid significet.104. pag.354.p
Ismaëlitæ cur dicti Saraceni.xv.17. pagina 403.m
Italorum origo.xiv.193. & lib.xv.16.& 26. pag.403.m.& pag.407.m
IVDÆORVM cum gentilibus vnio facta per Christum.xiv.191. pag.388.m
IVDICIVM spirituale exercet Deus in homines in hac vita.viij.98. pag.43.m.
Iudicium esse triplex quo punit peccata.ix.53. pag.25.m
Ante iudicij diem consumentur omnia igne, vt tempore diluuij aqua, sed different in modo.xiij.114. pag.327.m
Iudicij duplicis signum esse arcum cœlestem, iam facti & præteriti tempore diluuij, futuri autem & faciendi in die iudicij. xiv. 104. pag.354.p
Iudices in cognoscendis ac puniendis aliorum delictis quomodo debeam caute procedere. xvj.68. pag.499.f
Iustificari non posse hominem apud Deum, vt iustificatur apud homines.viij.148. pagina 63.f
Posse tamẽ per eius gratiã, & quomodo, ibid.

IVSTVS.

IVSTI aliquando in scriptura angelorum nomine vocantur, aliquando nomine filiorum Dei.viij.31. pag.16.m
Iustum neminem Dei comparatione posse dici.145. pag.62.f
Etiam iustus in paruis delinquit.147. pagina 163.m
Iustum dici eum qui omnes simul virtutes complectitur.ix.18. pag.80.m
Iustorum vitam Deus temperat prosperis & aduersis.xiij.24. pag.274.f
Iustiniani Imperatoris lex de matrimonio inter fratrem & sororem adoptatam soluta adoptione.xvj.213. pag.557.m

L.

LACVS Asphaltites qualis.xv.130.pa 453.m
Lapis angularis qui fecit vtraque vnũ Christus Dominus.xiv.62.& 191.pag.333.p.& 388.m
Lapis pretiosus an concrescat ex vrina Lyncis.xj.50. pag.193.m
Labium in scriptura sumitur sæpe pro oratione, & sermone.xvj. 3. pag.475.m
Laudem quærere tantum apud Deum & non apud homines magnæ virtutis argumentũ. ix.14.& 18. pag 78.m.& p.80.p
Laudati viri in scriptura.ix.29. pag.85.m
LEGIS naturæ tempore fuisse multa licita quæ postea tempore legis scriptæ prohibita fuere a Deo, & lege Mosis vetita xj.8. pag.175.
Et quæ fuere in lege Mosis præcepta, eorum non pauca fuisse a piis viris etiam ante legem datam obseruata.x.9. pag.120.f
Lxxcrocutæ.ix.55. pa.96.m

Leporum

Leporum varia genera.ibid.82. pag.106.f
LIBIDO *maxima hominum tempore diluuij. viij.9.& 27.& 46.pag.6.f.pag.13.& 22.f*
Quam sit execrandum hoc vitium & maxime in Ecclesiastici & religionis hominibus. 28. pag.14.m
Quatuor rebus certa vitia superat. 71.p.31.p
Eius fons caro est.ix.44. pag.91.f
Subiicit hominem miserae seruituti. x.82. pag.159.m
Nata est in membris nostri post inobedientiam Adæ.xiv.141. pag.367.f
Libidinosus oculus.99. pag.352.m.
Libri potius diuinæ scripturæ quàm secularium scientiarum euoluendi.x.94. pag.166.p
Lignorum id est arborum variorum descriptio.x.6.& seq. pag.119.m
Quorundam proceritas & altitudo. ibid.
In Limbo quam pœnã patiebantur sancti Patres.ix.86. pa.108.m
Et vbi sit iste locus.87. pag.108.f

LINGVA.

LINGVARVM *diuisio quo tempore sit facta secundum Hebræos. xv.146.pagina 460.f & seq.*
Cur potius illi fabricatores Turris Babel linguarum confusione puniti sint quàm alia quauis pœna.xvj.88. pag.506.f
Linguarum confusio & dispersio hominum in varias orbis partes quas vtilitates attulerit.107. pag.513.m
Linguarum confusio pœna fuit peccati superbiæ atque inobedientiæ. xvj.119. pag.517.f
Facta est in in ortu Phaleg iccirco ei nomen impositum est Phaleg quod diuisionem significat.xv.147.& seq.xvj.121. pag.461.f.& 518.f
Linguas 72. inductas esse tunc quando facta est hæc diuisio linguarum multorum opinio quæ examinatur.xvj. pa. 567.m
An cuilibet hominum, an tantum cuique genti propria lingua contigerit. ibidem.
Linguarum omnium matrices memoratur. 145. pag. 528.p
Linguæ aliquæ num perierint incertum. 152. pag.503.f
Literarum ac scientiæ rerum cælestium inuentor Seth.viij. 23. pag. 12.m
Loca aliqua vt sanctificantur ex sanctitate hominum, ita etiam corrumpuntur ex corruptione vitiorum hominum.ix.39.pag.89.f
Longanimitas Dei. viij. 160. ix.46.& xvj. 65.pag.69.p.pag.92.f.pag.498.f
Longobardorum aduentum in Italiam multa signa præcesserunt.ix. 50. pag.94.p
Loqui Deum angelis ac nobis quomodo sit intelligendum.xvi.82. pag. 504.m
Luciferi peccatum fuisse primum omniũ peccatorum,& quale fuerit.viij.36. pag.18.f
Ludai populi qui fuerint.xv.43.& 107 pagin. 417.p.& 443.m
Luporum varia genera. xj. 49.& deinceps pag.193.p
Lupus ceruarius qui & Thos dicitur. 49. pag.193.p
Lutherus refellitur, qui voluit omne opus hominis esse malum ac peccatum.viij.39.pa. 60.f.
Lybiæ originem dedit Phut tertius filius Chã. xv.43. pag. 417.p
Lycaon lupi genus.xj.53. pag.194.p.m
Lydi Asiæ populi vnde traxerint originem. xv.142. pag.458.f

M

MAGNAM *Hebraicum verbum quid significet.viij.116. pag.51.p*
Machilis animal.xj.78. pag.201.p
Capiuntur huiusmodi animalia arboribus quibus incumbunt dormientes incisis.x.9. pa. 76.m
Madai tertius filius Iaphet quibus gentibus dederit initium.xv.15. pag.402.f
Magistri qui discendis literis præessent constituti à Mose.xvj.120. pag.518.m
Magog secũdus Iaphet filius quibus nationi-

bus fuerit origenis principium. xv.13. pag.402.m
Num ex eo Margogæi & hi quinam populi & quibus in terris fuerint. ibid.
Malabar prouincia feles admirabilis natura fert.xj.53. pag.134.p.m
Malacca vrbs Indiæ an sit Ophir vel Tharsis xv.153. pag.495.d

MALITIA.

MALITIA hominum ante diluuium quatuor maximè rebus insignis.viij.1. pag.2.f
Qualis futura sit ante finem mundi.2. pag.3.f
Quo tempore vehementer valestere incœperit. 6.& 7. pag.5.f.& pag.p
Quibus maximè rebus fuit genus humanum illectum ad hanc malitiam.7. pa.6.p
Crescente multitudine, ipsa quoque simul creuit.11. pag.7.m
Eius progressus optime describitur.9. pag.6.f
Manna seu mel aëreum.xiv. 100.pag.352.f
Mãsuete agendum cum proximis. x.96. pag.167.m
Manthicora animal humanarum carniũ appetens. xj. 57. pag.195.p
MARE æneum quod fuit in templo Salomonis quantæ fuerit capacitatis.x.23.p.125.f
Mare aliquando appellatur in scriptura nomine abyssi.xij.17. pa.230.m
Mare mediterraneum.vx.25. pag.407.p
Maris mortui bitumen magnæ virtutis.x.12. pag.121.m
Mare salsissimum de quo in scriptura quid significet.xv.130. pag.453.m
Marmotæ animalis descriptio. xj.92. 205.p

MATRIMONIVM.

MATRIMONII finis quis.viij.27. pag. pag.13.f
Matrimonium potuisse contrahi primis illis temporibus sub initium mundi inter fratrem & sororem.xvj. pag.555.m
Refelluntur qui existimarunt idem licitũ fuisse tempore Abraham.220. pag.559.f
Huiusmodi matrimonium putabatur licitum apud Aegyptios,& Persas.225. p.561.m
Deus quãtopere abominetur huiusmodi matrimonium.225. ibid.
Meditationibus sancti pascendus animus. x. 96. pag.167.p.m
Spiritualium Meditationum materiam suppeditare etiam cognitionem naturæ animalium.xj.33. pag.188.p
Medorum origo.xv. 14. pag. 402.f
Melis animal.xj.76. pag.200.f
MENS hominis quomodo dicatur locata in capite.x.81. pag.158.m
Mens nostra similitudinem gerit Dei.96.pag. 16.p.m
Designatur per cœlum.xij.34. pag.238.f

MENSIS.

MENSIS ille septimus in quo requieuit arca super montes Armeniæ vnde computandus, an ab initio diluuij, an verò ab anno sexcentesimo Noë.xiij.36. pag.278.m
Mensis secundus quo factum est diluuiũ, quis fuerit.xij.4. pag.222.p.m
Et decimus quo apparuerunt cacumina montium, vnde computandus.47. pag.246.p
Menses fuisse primum à se institutos, Thebæi gloriabantur.xiij.55. pag.286.m
Mensuræ variæ.x.14.& 23.pag.122.f.& seq. p.& 125.f
Merlinum vatem in Anglia à Dæmone incubo,& ex muliere generatum quidam prodiderunt.viij.65. pag.30.p
Meropes cur dicti ædificatores Babel.xvj.127. pag.521.m
Et ab Homero & Hesiodo cur homines ita appellati. 154. pag.531.m
Mesopotamia Syriæ. xv.143. pa.459.p
Methodius quis fuerit.xiv.202. pag.392.f
Methus quid sit.xj.40. pag.190.p
Misericordia Dei.xij.34.40.& xiv.76. pag 238.f.242.p.& pag.343. Triplex 106.pag 354.f
Monarchiæ orbis quæ fuerint.xiv.202.p.392.f
Monoceros animal.xj.63. pag.196.m
MONTES aliquos excedere mediam regionem aëris, & illos non fuisse aquis diluuij opertos,

opertos, quorundam opinio. xij.44.& 46. pag.244.p.m.& .245.m
Sed falsa.48. pag.246.m.f
Mons Armeniæ super quem resedit arca quis fuerit.xiij.33.44.46. pag.277.m.& 282.p.& f.
Mons Taurus.78. pa.294.p
Morsus Tarantulæ quid efficiat in hominibus. xj.39. pag.189.f
Mortuis quomodo dicatur apud Petrum fuisse Euangelizatum.ix.91. pag.110.m
Vocabulum, mortuus quid aliquando significet in Scriptura sacra.92. pag.110.f
Moschi num traxerint originem ex Mosoch filio Iaphet.xv.17. pag.403.m

MOSES.

MOSES *qua de causa potissimum contexuerit, tam copiosè & ordinatè historiam Abrahæ xiv.205. pa.394.p*
Vtrum cùm enumerat filios Noë & Heber seruet ordinem eorum, qui prius aut posterius orti sint.xvj.121. pag.519.p
Ipsum in scribenda Genesi, & alijs libris posuisse claram, ac germanam rerum gestarum narrationem non tropologicam, vt videtur velle Philo.132. pag.523.m.f
Fuisse valde exactum in describenda genealogia ante & post diluuium, idcirco magnam parit difficultatem cur omiserit generationem Cainam. quam 70. Interp. & B. Luc. posuit.174. pag.540.p
Musto animal Sardicum.xi.73. pag.199.p
Mulũ & mulã non fuisse in arca.29.pa.185.m
MVNDI *haredem quodammodo constituutum Noë, & eius partes filiis suis per sortes distribuisse. xv.5. pag.399.f*
Mundus despiciendus, ac minime diligẽdus. ix.50.& x.97. pag.94.p.& 167.f
Quo anni tempore fuerit conditus.xij.5. pag. 223.p
Optime à Deo fuisse constitutum.xij.69. pag. 255.p
Non fore sempiternum.70. pag.255.f
Fuisse creatum mense Iulio quis senserit. xiij 84. pag.295.f
Murium varia genera.ix.81. pag.201.f
Musicum edere sonum Phœnicem traiiistulari rostro quidam referunt.xi.96.pag.207.p

N

NABVCHODONOSOR *Chaldaicũ auxisse imperium.xv.65.pag.439*
Nani. xiij.125. pag.53.f
Nationes quod ex tribus Noë filijs propagati sint Arnobij sententia. xvj.143. p.527.p.
Naturale aliquid alicui dici dupliciter.xj.105 pag.214.p
Natura hominis corrigi in aliquibus potest, mutari in omnibus minime, secundum Ambrosium.xiij.111. pag.306.f
Nauigium Hieronis ingẽtis magnitudinis. x. 34. pag.34.p

NEMROD.

NEMROD *gigas nepos Sem secundum aliquos.xiv.202. pag.392.f*
Sed falso.204. pag.393.f
Fuisse sextum filium Chus.xv.50. pag.420
De eo cur Moses separatim agat.54. pag.421.
Fuit Babylonis conditor. ibid.
Quomodo dicatur fuisse robustus venator coram Domino 60. pag.424.m
Quisnam fuerit.61. pag.425.p
Ipsum fuisse hortatum illos primos homines ad fabricandũ turrim Babel.xvj.27.pa.485.p
Et hoc feciisse regnandi cupidine motum. 48. pag.492.p
Ab eo fuisse Abraham proiectum in ignem quod eum adorare nollet, sed falsa sententia.xvj.236. pag.566.p
Nephilim vocabulum apud Hebræos quid significet.viij.67.& 117. pag.31.p.& 52.p
Nidi arcæ allegoricè ab Ambrosio vocantur omnes ferme partes nostri corporis.x.81.pa. 158.m
Nilus fluuius.xv.49. pag.420.p

NINVS

NINI Regis exercitus quantus fuerit. viij. 5. & xiij. 4. pag. 5.f. & pag. 317 p

Conditor Monarchiæ Assyriorum. 202. pag. 393.p

Quis fuerit eius pater. xv. 61. pag. 425.p.

Fuisse eundem quidam existimant quem Scriptura vocat Assur filium Sem. ibidem.

Sed refellitur. 80. pag. 434.p

Fuisse eundem cum Nemrod ex Mercatoris sententia. 64. pag. 426.f

Sed falso, ex sententia etiam auctoris. 66. pag. 427.m

A quibusdam putari fuisse eundem cum Zoroastre. 63. pag. 427.p

Fuisse eundem cum Belo quidam opinantur. 67. pag. 427.f

Sed falso, fuit enim filius Beli. 80. pag. 433.f

Ipsum primum cœpisse propagare imperium extra fines suæ ditionis. 80. pag. 434.p

Imperium suum quantum protulerit. 85. pag. 435.f.

Eius bella & victoriæ. xv. 149. pag. 462.f

Tertio & quadragesimo eius anno natum Abraham. xvj. 237. pag. 566.m

Niniue vrbem quis condiderit. xv. 75. & 77. pag. 431.p.f

Cur dicta sit ciuitas magna. ibidem.

Quanto tempore steterit. 94. pag. 439.p

Nobilitas vera nõ ex genealogia, sed ex virtute quærenda. ix. 16. pag. 79.m

NOE

NOE vocabuli explicatio. ix. 5. pag. 74.f

Indicabat hoc nomen futurum generale diluuium. 6. pag. 75.m

Quomodo quietem (quod nomen eius sonat) ac consolationem attulerit hominibus. ix. 8. pag. 76.p

Primus fuit auctor agriculturæ quantum ad culturam vinum. 9. pag. 76.m

Lætum ac plenum consolationis nomen obtinuit. 6. & 10. pag. 75.m. & 76.f

Figura fuit Christi Deum Patrem placantis. 11. pag. 77.m

Sæpe in Scriptura præcipua, & eximia prædicatione laudatur. 29. & 30. pagina 85.m.f

Christi figuram expressit. xiv. 194. pag. 389.m.f

Tam re, quàm nomine. x. 84. pag. 161.p

Propter ipsum præcipuè fuisse eius filios, & vxores eorum à diluuio seruatos. xj. 4. pag. 137.f

Finito diluuio Deo sacrificium ex mũdis animalibus obtulit: idque fuit grati eius animi erga Deum indicium. x. 13. pag. 122.p

Cur iusserit illum Deus septem diebus ante inchoatum diluuium arcam ingredi. xij. 2. pag. 220.p.m

Quoto ætatis eius anno factum sit diluuium. 3. ibidem.

Eius mira patientia in Arca. xij. 42. pag. 242.p

Eum diluuium ex astrorum inspectionem præuidisse quidam fuere auctores, sed manifesto lapsi errore. 60. pag. 251.f

Eius erga Deum obedientia. xiij. 93. pag. 300.p

Post diluuium exstruxit altare in quo obtulit sacrificium. xiij. 98. pag. 302.f

Superuixisse Abrahæ nato per quinquaginta octo annos. vix. 1. pag. 315.f

Post diluuium non genuisse alios filios contra quam quidam existimarunt. xiv. 114. pag. 357.f

Vini conficiendi ex vitibus fuit primus auctor. 123. & 131. pag. 361.m. & 364.p

Eius ebrietatis quinque causæ. 129. p. 363.m

Fuisse eius ebrietatem absque peccato. 132. pag. 364.m

Vita eius cur non, vt Abrahæ, sit à Mose copiosius descripta. 197. pag. 391.m

Eius filius quidam dicitur fuisse Ionithus post diluuium genitus, miræ virsapientiæ. 202. pag. 392.f

Posterorum eius præcipua familiarum capita commemorantur. xv. 2. pag. 398.f

Mundi hæredem fuisse à Deo constitutum, & filiis suis ipsum sorte partes orbis terræ distribuisse, commendando eis cultum Dei. 4. pag. 399.m

Eum veniſſe ſecundum Beroſum in Italia, & in Janiculo monte primas expoſuiſſe colonias.6. pag.40.p

Cur vocetur à D.Petro iuſtitiæ præco.viij. 2. pag.3.m

Ipſe ſolus inter poſteros Seth tẽpore diluuij repertus fuit innocens.23. pag.406.m

Et iccirco ſolus dignus quem Deus ex diluuij exitio ſeruaret.23. ibidem.

Eius filiorum ac poſteritatis in varias orbis terræ partes propagatio.xvj.143.pag.527.p

Nomina quibuſdam mira Dei prouidentia imponi, quæ etiam aliquid euenturum præſignificant.ix.10. pa.76.f

Noſce teipſum quam ſit egregiũ, & ſalutare homini præceptum.xvj.252. pag.572.m

Numerorum myſteria in ſacræ Scripturæ explanatione curioſe, ac religioſe ſcrutari, an ſit friuolum & futile, aut etiam periculoſum, vt ſignificat Beatus Chryſoſtomus.xj. 15. pag.179.m

Nuptiæ fuiſſe licitas tempore Abraham inter fratrem & ſororem ex eodem patre, ſed nõ ex eadem matre natos, quidam ſenſerunt. xvj.208. pa.555.f

Sed refellitur hæc ſententia.220. pag.559.f

O

OBEDIENTIA bonorũ erga Deum xiij.93. pag.30.p

Oculos Catoblepæ venenatiſſimi animalis, qui aſpiciunt confeſtim moriuntur. xj.38. pag.189.m

Odor ſuauitatis quem Deus dicitur odoratus in ſacrificijs veteris legis, etiã dicitur odor quietis, & in qua re potiſſimum conſiſteret. xiij.105. pag.504.f

Diĩ etiam Gentilium dicebãtur odorari, odorẽ ſacrificiorum.110. pag.306.p

Odorum maxima copia in Arabia, & vnde id.xv.47. pag.419.p

Ogygis diluuiũ quando fuerit.xij.79.pa.259.m

Fuiſſe idem quod Noëticum quidam eſt auctor.82. pag.260.p

Sed falſo.xiij.89. pag.298.

Olea ſemper vireſcit.84. pag.295.f

Quomodo columba reperiuit folia oleæ virentis, & quando fuerit nata olea ante vel poſt diluuium. ibid.

Olympi montis altitudo.xij.46.& 54.pa.282.f.& 286.p

Olympias prima quo tempore fuerit ſecũdum Coronologiam ſacram.79. pag.294.p

Onagri naturæ ac morum deſcriptio, cuius animalis frequens in Scriptura mentio.xj. 66. pag.197.m

Ophir regio auri ferax.xv.15. pag.403.p

Operationes omnes noſtræ à Deo incipiant oportet, & per eum terminentur. xiij.94. pag.309.f

Oportet item vt non ſint coactæ, ſed voluntariæ.101. pag.303.m

Operationes omnes hominis eſſe peccatum noſtrũ temporis impiè ſenſerũt Hæretici. viij. 138. pag.60.m

Oratio munda quæ ſit ix.24. pa.83.m

Orbem terræ quomodo inter ſe diuiſerint filij Noë.xv.4. pa.399.m

Ordinem ſeruant, & tempora & corpora noſtra, qui ſi confundatur ſequitur eorum interitus.xiij.124. pag.310.p

Oriens illud quid ſit ex quo profecti dicuntur primi illi homines poſt diluuium in cãpum Sennaar.xvj.6.& 13. pag.476.f & 479.p

De Oriente veniſſe primos illos homines in cãpum Sennaar ad ædificandum turrim myſtice explanat B.Gregorius.25. pag. 483.f

Duplex oriens in anima noſtra ponit Philo, ſecũdum moralem & allegoricum ſenſum. 12. pa.478.m

Origenis opinio peccatores in inferno, & diabolum ipſum aliquando à pœna inferni abſoluendum.ix.83. pag.107.m

Vult loqui Moſen de cubitis Geometricis quãdo deſcribit arcam.x.27. pagina.129.f.& ſeq.p.

Oryx animal.xj.69. pa.198.m

P

PALESTINA à Grecis dicta Phœnicia erat terra Chananæorum.xv.128.pagin. 452.f
Pan Deus Gentilium quomodo dicatur esse mortuus.viij.48. pag.23.f
Pantheræ animalis descriptio.xi.47.pa.192.m
Paphlagones an sint idē cum Riphateis, incertum.xv.20. pa.405.p
in Paradiso terrestri non fuisse animalia, sententia Philonis, sed refellitur.xi.27.pagin. 184.m
Non fuisse Paradisum aquis diluuij opertum. multorum opinio. xij.44. & 54.pag.244.p & 249.m.
Parentes honorandi.xiv.150. pa.371.m
Eorum peccata sæpenumero imitantur filij. 174. pag.381.m
Parentibus obsequentes filij nouem bonis afficiuntur.xiv.186. pag.386.m
Passionibus ijsdem moueri dæmones quibus homines antiqui voluerūt, sed insipienter.viij. 39. pag.20.f
Passiones humanæ vt dolor ira, &c. quomodo dicantur de Deo per quandam similitudinem.viij.152. pag.65.m
Imperio animi sunt cohibendæ.x.83. pagina. 160.m
Passus mensura qualis.x.15. pag.123.p
Pater improbus improbum meretur habere filium.xiv.119. pag.359.f
Patris benedictio aut maledictio in filium magnam habet vim.159. pa.375.m
Patriarchæ & omnes Sancti veteris Testamēti in sinu Abrahæ fuisse sine vllis inferni doloribus.ix.73. pag.103.f
Eosque fuisse ante Christi aduentum per eius diuinitatis præsentiam beatificos scribens Peccatorū pax Augustin. quomodo sit interpretandus. 74. pag.104.p
fructuosa. pag. 907. 91.

PECCATVM

PECCATVM primum Angelorum quod fuerit.viij.30.& 31. pag.16.p.m
Duplex peccatum specialiter Deus mortis notabili pœna punuit.84. pag.38.p
Peccare ex malitia quantum malum. 133. pag.58.p
Peccati magnitudo vnde maximè discernitur. 151. pa.65.p
Peccata venialia eleemosyna mundantur. ix. 24. pag.83.m
Peccare coram Deo quid sit.41. pa.90.m
Peccatorum quando maximè dicitur recordari Deus.43. pag.91.p.m
Quando illa dicitur videre. ibid.
Quomodo peccatum puniat Deus.xiij.111.pag. 306 m.& 80.pag.294.m
Ad peccandum instigatur homo variis rationibus.117. pag.308.m
Peccare ex mera libertate, aut malitia fere diabolicum,& quantum malum. ibid.
A quo tempore incipiat homo proclivis esse ad peccandum.122. pag.309.f
Propter peccata parentū quomodo aliquando filij puniatur.xiv.162. pa.376.f
Et propter peccata aliena punimur quandoque. ibidem.
Boni aliquando quod improborum peccata arguere verentur vna cum illis à Deo temporaliter flagellantur.168. pag.379.p
Quomodo intelligatur ille locus, vbi dicitur Deus punire peccata parentum in tertiam & quartam generationem.170.pag.379.m
Peccatum fuit causa seruitutis in genus humanum introductæ.xiv.183. pa.384.f
Aliorum peccata punire non cōuenit incognita causa.xvj.68. pa.499.f
Peccatores prosperè sua peccata perpetrare, & hoc conniuere Deum ad tempus, magnū est eius iræ, ac vltionis secuturæ indicium. 77. pa.502.f
Vi contra est benignitatis signum quando eos non sinit sua malefacta ad exitum perducere. ibid.
Pœnitentiæ tempus Deus peccatoribus, quam large concedat.84.& 160. pag.505.p & 535.f
Peccatores boni sapiū valde Pedum Lib. de cur. 37

Pedum velocitate quantum polleat tigris. xj. 48. pag 192.f

Pentecostis diei cumparatione cum confusione linguarum xvj. 04. 90. pag. 516.m 512.

Perfectus quis dicatur. ix. 18. pag.80.m

Quidam dicuntur perfecti non quod iam sint, sed quod ad perfectionem tendant. ix. 24. pag.83.m

Quinque modis aliquos in hac vita dici perfectos. ix. 26. pa 84.p

Persarum monarchia. xiv. 202. pa.393.p

Vnde auxerit principium. xv. 79. & 140. pag. 438.f.& 458.p

Apud Persas licuit putabatur, vt frater duceret sororē in vxorē. xvj. 225. pa.561.m

Peregrini sunt sapientes viri in terris, & cœlorum appetunt domicilium pulchra Philonis sententia. xvj. 16. pa.480.p.m

Peruana regio. xv. 155. pag.374.p

Pes Romanus qualis mensura. x. 23. pag. 125.f

Phaleg num fuerit primogenitus Heber.. xvj. 121. pag.518.f

Pharezæos cur Moses non annumeret posteris Chanaan. xv. 125. pa.451.m

Philastrius qui credidit etiam ante ædificationem Babel, fuisse varias hominum linguas refelluur. xvj. 137.& 138. pag.524.f.& 525.p.m

PHILO.

PHILONIS *notabilis sententia de filio Dei. xvj. 12.* pag.478.m

Allegorice exponit historiam de turri Babel. 34. pag.487.f

Eamque putat ipse esse veram Mosis sententiam. ibid.

Est caute legendus. xvj. 18. pag.480.

Reducēs omnia ad sensum Tropologicum refellitur. 132.& 150. pag.523.m.& 530.m

Philosophiam, vt ancillam deseruire sacræ Scripturæ. xv. 23. pa.234.p

De Phœnice aue vsque ad miraculum laudata, plurima. xj. 95. pag.206.p

Phrygum linguam esse omnium vetustissimā quidam opinati sunt. vij. 36. pa.18.f

Pini arboris descriptio. x. 6. pag.119.m

Pœnas etiam luere dæmones, antiqui Ethnici cognouerunt. viij. 39. pag.20.f

Eas prius denunciat quàm irrogat Deus. 84. pag.37.f

Pœna etiam spiritali, non tantum corporali homines affligit. 98. pa. 43.m

Tribus modis accipitur vocabulum pœna. xiv. 163. pag.377.p

Longanimiter procedit Deus ad puniendum peccata hominum. xvj. 65.& seq. pag.498.f.& seq.p.

Tunc dicuur videre peccata quādo manifeste in hoc mundo solet ea punire. ix. 43. pa.91.p

Quomodo dicatur Deus non punire bis in idipsum. ix. 82. 83.& xiij. 111. pag.106.f.& seq. p.m.& 306.m

Vide etiam aliquid in verbo PECCATVM.

Pœnitentiæ tempus concedit Deus peccantibus. viij. 102. x. 1.& xij. 2.& 34. pag. 45.m. 116.p 220.m.& 238.m

Deus ipse quomodo dicatur pœnitere. 152.& 157. pag.65.m.& 67.m

Et qualis sit eius pœnitentia. 159. pag.68.m

Pontifices summi titulo humilitatis vtuntur. xiv. 181. pag.384.p

Prælati vt subditis timeantur, non nisi per accidens optare debent, egregia B. Gregorij sententia. xiv. 6. pa.317.f

Prælatis honor exhibendus 371.

Ipsorum errata subditi potius tegere debent, quam euulgare, vt luculentè disputat Sanctus Gregorius. xiv. 152. pag.372.f

Placere oculis Dei quanti duci debeat. ix. 18. pag.80.m

Platonicorum dogma de dæmonibus, esse videlicet corporeos, exponitur & refellitur. viij. 38. pa.20.p

Pluuias non fuisse ante diluuium quorundam falsa opinio. xiv. 82. pa.346.m

Quomodo fiant. 83. pag.346.f

PRÆCEPTVM.

PRÆCEPTA *septem dedisse Deum Noë post diluuium Iudæi nugantur. xiv. 27.* pa. 327.m

Præceptum Dei facit res, quæ præcipiuntur faciles bonis. xij. 42. pa.243.p

Quam sit efficax.xiij.7. pa.267.p
Præcepta quædam erant Dei in leg.vet. quæ ad animalia pertinebant, & cur. xiij. 5. pag.266.m
Præscientiæ Dei non repugnat quod dicatur in Scriptura pœnituisse eum quod fecisset hominem.viij.152.& 158. pag. 65.m. & 67.f
Promissio diuina quãtæ sit firmitatis.xiv.77. pag.344.p
Prouidentia Dei,seu cura quam gerit hominum,ac rerum creatarũ aliquando vocabulo spiritus significatur in Scriptura.viij. 85. pa.38.m
Eius prouidẽtia præcipuè circa homines,etiã se extendit ad animalia.4. pa.266.p
Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti sororẽ suã duxit vxorẽ.xvj.225. pag.561.m
Illũdque matrimonium detestatur Pausanias. ibidem.
Punica lingua ex Hebræa in multis videtur ducere originem.xvj.122. pa.519.f
Purgatorio igne liberauit Christus quos reperit quando ad inferos descendit.ix.84.pa. 107.f

Q

QVADRANTAL *quæ fuerit mensura apud antiquos.x.23. pag.125.f*
Quadratum quid propriè dicatur.x.80. pag. 158.p
Quadrata ligna ex quibus fuit constructa arca myſticè quid significent. x. 87. & 94. pag.162.f.& pag.166.p
Quietis verbum quid apud Hebræos significet.xiv.188. pag.387.m

R

RAHAR *verbum Hebræum quid significet.viij.134. pag.58.m*
Recapitulatio figura frequens in scriptura. xvj.192.& 201. pa.547.m.& 551.p
Redempto Ferentinæ ciuitatis Episcopo S. Euthicius martyr prænunciauit cladem ingruentem ex Longobardorum aduentu. ix.49. pag.93.f
Regna quartus filius Chus, quibus gentibus dederit principium.xv.45. pa.355.p & pag.429.m
Regnum Christi.xiv.107. pag.355.p
Regnum quis primus mortalium affectauerit. xv.55. pag.422.m
Regum optima gubernandi ratio quæ.xiij.29. pag.276.m
Regulum siue Basiliscum nasci de radice colubri,& sorbere volucrẽ,sicut dixit Isaias quomodo sit intelligendum.xj.37.pag.189.p

RELIGIOSI.

RELIGIOSI *viri si degenerent à pietate ac religione, fiunt plerunque pessimi.viij. 26. pag.13.m*
Religiosi viri Deo consecrati,& contemplationi dediti quatuor modis aliquando dicũtur exire per actionem, & quatuor modis per contemplationem.x.98. pa.168.m
Oportere eos animo esse virili,qui despecto seculo Deo seruiunt.xj.18. pag.180.f
Renum dolori ac Regio morbo medendo prodest calculus,qui ex vrina lyncis cõcrescit. 50. pa.190.m
Rephaim vocabulum Hebræum quod sonat gigantes,quid propriè significet. viij.120. & xv.118 pag.52.f.& 447.f
Resurrectionem mortuorum quomodo probẽt Patres ex Phœnicis historia.xj.96. pag. 206.m
Rhodij populi.xv.27. pag.408.p
Rhodanus Galliæ fluuius vnde nomen. ibid.

ROMA ET ROMANVS.

ROMA *quando condita.xv.93. & xij.79. pag.438.m.& 259.p*
Romanum Imperium qua ratione sit amplificatum. xvj.52. pag.493.m
Romam semel flatu pestifero cuiusdam Basilisci fuisse vehementer infestatam. xj.37. pag.189.p
Romanorũ monarchia vnde duxerit originẽ. xij.202. pag.393.p
Num orti ex Cethim filio Iauani.xv.26. pa. 407.m
Rossomaca mirum voracitate animal. xi. 60. pag.195.m

SABÆI

S

SABÆI populi vnde traxerint originem. xv. 46. & 151. pag. 418. m. & 464. p
Sabæi qui dicuntur Iob boues abegisse qui fuerint. xv. 51. pag. 420..
Et hi dicti Scabæi populi. ibidem.
Et horum item regio thuriferat. 52. pa. 422.p
Regina Saba quæ ad Salomonem venit, cuius regionis & gentis fuerit Regina. 52. ibidem.
Sabatheni num ijdem populi qui Astabari, & vnde duxerint genus. 49. pa. 419.f
Sabathacæ sexti filij Chus posteri qui fuerint. xv. 50. pag. 420.m
Sacerdotum vitia non esse populo aperienda præclarum documentum simul, & exemplum Constantini Magni. xiv. 151. pag. 371. f & seq.

SACRIFICIVM.

SACRIFICIVM Deo obtulisse Noë finito diluuio ex mundis animalibus. xj. 13. pag. 178. f
Et de hoc fusius. xiij. 98. pag. 302. f
Soli Deo competit ibidem.
Spiritualis potius delectatur Deus. xiij. 102. pag. 303. f
Corporalibus sacrificijs cur voluerit honorari Deus ab antiquis SS. Patriarchis. ibd.
Sacrificium aliquod Deo gratũ fuisse dupliciter Scriptura declarat. xiij. 104. pa. 304. f
Et quomodo dicatur odorem eius odorari Deus. 107 pag. 305. m
Egregia Platonis sententia de sacrificijs. xiij. 109. pag. 305. f
Samarai populi. xv. 120. & Sinai. ibidem. pag. 448. f
Samogithij populi statura procera. viij. 128. pag. 56. p

SANCTI.

SANCTI viri censentur aliquando nomine filiorum Dei. viij. 31. pag. 16. f
Reperiuntur in Ecclesia Dei mixti cum improbis. x. 93. pag. 165. p
Volunt potius amari quàm timeri à subditis. xiv. 5. pag. 317. m
A non subditis tamen Deum minimè timentibus timeri cupiunt. ibidem.
Quomodo Sanctum esse deceat non solum corpore, sed potissimum animo, & non tantum de foris, sed intus. x. 88. pag. 163. p
Sancti sunt veluti peregrini in terris. Item sapientes. xvj. 16. pag. 480. p

SANGVIS.

SANGVIS quomodo sedes animæ. xiv. 30 55. pag. 327. f. & 335. f
Eius comedendi prohibitio ante legem Mosis, in ipsa lege, & initio legis Euãgelicæ, quare facta. 53. & 55. pa. 335. p. & f
Cur Deo in sacrificijs offerebatur. 57. & 58. pa. 336. m. f
Etiam in nouo testamento fuit esus eius prohibitus primis Christianis, & quandiu. 58. pag. 336. f
Sapiens agnoscat seipsum potius, quàm cœli faciem diiudicet. xvi. 251. pag. 561. f
Saraceni populi. xv. 17. pa. 403. f
Saram fuisse sororem Abrahæ quorundam opinio. xvi. 168. pa. 538. m
Nec fuisse filiam Aran fratris Abrahæ. ibid.
Sardanapalus vltimus Rex Assyriorum. xv. 87.. pa. 436. m
Quo tempore regnarit. 95. pag. 439. p. m
Saturnum patrem Iouis Beli fuisse eundem quem Scriptura vocat Nemrod, Berosi opinio. xv. 63. pag. 426. p
Satyri qui. viij. 60. pa. 28. p
Emisse Dæmonum figmenta. 62. pag. 28. f
Scaba filius Regma. xv. 51. pa. 420. f
Sciurus animal. xi. 77. pa. 200. f
Scorpius quomodo nascatur. xi. 30. pa. 185. f

SACRA SRIPTVRA

SCRIPTVRA sacra nomine totius maximam eius partem plerũque significat. viij. 104. pa. 46. m
Quando attribuit Deo quædam, quæ de eo propriè non dicuntur, vt Deum pœnitere accommodans se nostræ humilitati, & denotans effectum rei potius, quàm effectum viij. 162. & xiij. 1. pag. 69. f. & pag. 265. p.

Generales eius sententias adhibitis exceptionibus coarctare quando licitum, & quãdo non.ix.63.& xij.50.pagin.99.m.& pagina 247.m

Scripturæ sacræ lectione potius esset pascendus vir Christianus, quàm secundi sapientia.x. 94. pag.165.f

Eius scientia adamanda.x.97. pa.167.f

Non est curiosè scrutanda. ibid.

Eius interpretatio desumpta ex numerorum arcanis, an sit probanda.x.14. pagin.123.p

Ad eam explicãdam & intelligendam iuuat etiam animalium naturæ cognitio.xj. 32. pag.187.m

Hebræa lectioni sacræ Scripturæ multũ tribuit Augustinus.xiij.43. pag.281.m

Si vulgata lectio Latina omnino discordet ab Hebræa, cui potius sit standum. ibid.

In Scriptura nihil dictum frustra.xiv.117.pa. 359.p

Cur memoret mala æque, atque bona, vt vitia Sanctorum virorum, ac eorum virtutes. xiv.128. pa.363.p

Eam fuisse post passionem Domini odio Christianorum ab Hebræis corruptam putat ali cubi B.Hieronymus, verum negat Augustinus.xvj.168. pag.538.m

Qui eam rectè interpretari velit quid eum obseruare deceat.xiv.209. pag.395.f

Eam fabulas continere quidam gentiles calũniati sunt.xvj.32. pag.486.f.& seq.p

Scythæ populi vnde duxerint genus. xv.13. pag.402.m

Sem posteri, quàm insignes fuerint.xiv.185.& 188. pag.385.f.& 387.p

Virum ipse fuerit maximus natu filiorũ Noë. xv.132. pa.454.f

Semen emittere dæmones, & inde procreari gigantes quidam opinati sunt.viij.45.pa. 22.m

Sed refelluntur.55. pag.25.f

Et semen serpentis de quo Dominus dixerat infestum fore mulieri, intelligi de prole dæmonis quidam falsò putauerũt.45.& 122. pag.22.m.pag.53.m

Semen acceptum ab aliis, mulieribus infunduni dæmones incubi.55.& 73. pag.30.g & pag.32.f.

Quid sit semen.55. pa.25.f

Seminis virilis natura.74. pag.33.p

Semiramis quomodo dicatur condidisse Babylonem.xv.73. pa.430.p

Vxor fuit Nini regis.86. pa.436.p

Babylonem inchoatam perfecit. xvj.106. pag. 513.p

Sennaar campus amœnissimus. xvj.13. pag.479.p.

Quid significet.14. pag.479.m

Sensus hominis maximè vigent in capit.x.81. pag.158.p

Septuaginta duas linguas fuisse initio quando facta est confusio linguarũ.xvj.139.& seq. pag.525.f.& seq.

SEPTVAGINTA INTERPRETES.

SEPTVAGINTA *Interpretes quanti fecerit Origenes.xvj.165. pag.537.m.f*

Eorum codices quibus vsi sunt B.Hieronymus & alij fuisse differentes in quibusdã lectionib.ab eis quos modo habemus, quidã non temere opinati.xvj.176. pag.540.f

Ponitur differentia quæ est inter Septuagintã & Hebræos codices de computatione annorum à diluuio vsque ad Abraham.

Eos ponendo inter Arphaxad & Sale generationem Cainam quam alia scripturæ præter B.Lucam non ponunt errasse quidã existimant.xvj.165.& 166. pag.537.m f.& 538.p

Et quomodo illos deinde excusent. ibidem. sed isti refelluntur.

SERPENTEM *aiunt nasci ex medulla spinæ hominis mortui.xj.30. pa.185.f*

Serpentem venenatorũ hostis acerrimus Chamæleo.xj.42. pag.190.f.

Varia genera.43. ibidem.

Hypnale serpens somno necat. 43.p.191.p

Serpillum aduersus serpentes efficax.44.pag. 191.m

Medicina aduersus eos qui à serpente percussi.45. ibidem.

Seruitus

Seruitus orta ex peccato. xiv. 182. p. 384. f.

SETH.

SETH posteri fuerunt filij Dei appellati illique in iustitia ad multum tempus perstiterunt. vij. 7. pag. 6. p.
Vbi habitauerit. 9. pag. 6. f.
Eius posteros fuisse eos quos scriptura Gene. 6. vocat filios Dei & cõgressos cũ filiabus hominum genuisse Gigantes multorum auctorum celebris sententia. 22. pag. 12. p.
Et eos ita appellatos quod fuerint proceri ac robusti corpore, vel quod eximiæ iustitiæ ac pietatis cultores. 22. ibidem.
Seth fuisse sanctissimum & Dei nomine nũcupatum. ibidem.
Fuisse scientiæ rerum cœlestium ac literarum inuentorem. ibidem.
Sidoniorum regio. xv. 12. pag. 445. m
Sidon cur vrbs magna dicta. ibidem.
Describitur ab Hieronymo. 129. pag. 453. p
Signa varia quibus Deus vtitur ad promissa sua firmanda. xiv. 73. pag. 342. m
Signa quibus vtitur Deus ad significandum aliquid fere habent, similitudinẽ aliquam cum rebus ad quas significãdas applicãtur. xiv. 95. pag. 351. p
Simiarum quatuor genera. xj. 83. pag. 202. p
Mira de simijs historia. ibidem.
Socrates sapiens Græciæ quam philosophiam adamari. xvj. 252. pag. 572. p
Solem fuisse illum spiritum quem Moses ait siccasse aquas diluuij quorundã opinio. xiij. 12. pag. 269. m
Eum siccare aquas maris ne mare redundet. 13. pag. 269. f
Sororem potuisse duci in vxorem à fratre non tamen vterino & id tempore Abrahæ quidam sensere. xvj. 207 pag. 557. m
Sed refellitur hæc sententia. 220. pag. 459 f
Sorores suas soliti erant appellare antiqui illas quæ erant filiæ fratrum suorum. xvj. 115. pag. 516. f
Species rerum incorruptibilium vnico possunt individuo cõseruari non autem rerum corruptibilium. xj. 97. pag. 207. f
Spectrum visum à quodam noctu. viij. 82 pag. 36. p
Spes denotatur altitudine arcæ Noë. x. 94. pag. 163. f
Sphinx simiæ genus. xj. 51. pag. 193. f

SPIRITVS.

SPIRITVS vocabulum plures habet in sacra Scriptura significationes. viij. 85. ix. 95. pag. 38. m. & pag. 112. m
Nomine spiritus qui siccauit aquas diluuij quidam intelligunt spiritum sanctum. xiij 11. pag. 268. f
Alij aiunt significatum Solem. 12. pa. 269. m
Alij ventum. 14. pag. 270. p
Spiritus vitalis quis. xiv. 56. pag. 336. p
Statura hominis iusta quæ. vij. 125. p. 54. f
Staturæ Giganteæ exemplum nostri seculi. 128. pag. 55. f
Stoici existimarunt diluuium factum & futurum sæpius, & id ex causis naturalibus. xij 60. pag. 251. f
Struthiocamelus. xj. 71. pag. 191. f
Suffocati esum cur prohibuerint Apostoli. xiv. 60. & seq. pag. 337. p. m
Superbiam fuisse primum peccatum Angelorum. viij. 31. & 35. pag 16. m. & 18. p
Fuisse significatam in Nemrod qui erat venator coram Domino. xv. 59. pag. 424. p
significata fuit item illa ædificatione turris Babel. xvj. 49. pag. 492. m
Et punita fuit in linguarum confusione. 88. pag. 507. p.
Meruit confusione linguarum, quarum contra vnionem meruit humilitas. xvj. 90. pag. 507. f
Syderum observationes in laterculis coctilibus inscriptas diuturno tempore seruatas apud Babylonios. xvj. 20. pag. 482. p
Syluani. viij. 63. pag. 29. p
Syriacam linguam omnium fuisse primam existimauit Theodoretus. xvj. 11. pag. 515 m
Syriæ regio vnde ceperit originem. xv. 13. pag. 402. m

T

TACTVS sensus facile dignoscit veritatem corporis viuentis & non fallitur.xiij.78. pag.34.f
Taprobana insula.xv.153. pag.465.p.m
Tarandus animal.xj.7. pag.175.m
Tarantulæ animalis descriptio.38. p.189.m differt à Terrantula.39. pag.189.f
Tarsius B.Pauli patria, ex quo duxerit originem.xv.23. pag.406.m
Taurus cornimobilis ferocissimum animal. xj.58. pag.195.p
Taurus mons creditur fuisse is super quem requieuit arca.xiij.78. pag.294.p
Tartarus quid.xij.15. pag.229.f
Tartarorum & Turcarum origo. xv.13. & 21. pag.402.m.& 405.m
Tato procellus in India.xj.86. pag.203.p
Templum Dianæ.x.34. pag.134.p
TEMPORIS insigne aliquod spatiũ quando vult enarrare scriptura adiungit dies & noctes cum sufficisset dicere dies, cum dies vocabulũ in scriptura plurimum significet diem naturalem.xij.30. p.237.p
Temporum vicissitudines.xiij. 123.p.310.p
Tempora significantur variè apud Hebræos. Aliquando ponitur præteritum pro futuro. xiv.72. pag.372.p
Temperantia quid sit.xvj. 128.pag.522.p
Tentationes ac Tribulationes subsequitur quies ac tranquillitas.xiij.24.pag.274.f

TERRA.

TERRA cur dicatur maledicta in scriptura.ix.6. & xiij.113 pag.75. m.f.& pag.307.p
Quomodo dicatur corrupta coram Domino. ix.39 pag.89.m
Quomodo fuerit corrupta aquis diluuij & sterilior facta.xiv. 10. pag.319.m
Fore perpetuam.xij.126. pag.320.f
Ternarius numerus apud Hebræos significat sæpe multitudinem.xiv.174.pag.381.m
Thare patrẽ Abrahæ fuisse idololatram, Hebræorum traditio. xvj. 233.pag. 564.f
Disputatur de hac re ex instituto vtrũ fuerit idololatra.243. pag.569.p
Thali historici in Chronologia error.xv.14. pag.435.f
Tharsis quænam sit regio.xv.23. pa.406.m
Thebæi antiquissimos se profitentur & astrologiæ reperiores.55. pag.422.m
Thiras septimus filius Iaphet quarum gentium fuerit princeps.19. pag.404.p
Thogormæi populi nati ex Thogormia filio Gomer filij Iaphet vbinam terrarũ fuerint.xv.21. pag.405.m
Thos qui & lupus cernarius dicitur.xj. 49. pag.193.p
Thraces vnde duxerint genus. xv.19. pag.404.p
Thubal quintus filius Iaphet quarum gentium fuerit auctor.xv.16. pag.403.m
Musicorũ instrumẽtorum repertor.xiij.7. pag.6.p
Thus Arabiæ.xv.47. pag.419.9
Tigris descriptio.xj.48. pag.192.f
Trabium quorundam altitudo & crassitudo quanta fuerit.x.10. pag.121.p
Traditio fidei & cultus Dei quomodo continuata sint ab initio mundi. xiv.200. pag.392.m
Tragelaphus animal.xj.89. pag.204.p
Troianum bellum quo tempore fuerit.xv.85. & 91. pag.203.p.& pag.204.f
Typhœus gigas.xiij.130. pag.56.f
Tyrannidem quis primus arripuerit.xv.55. pag.422.m
Turres in ciuitate quid faciant & cui sint vsui & quot Semiramis Babylone excitarit.xvj.29. pag.486.p

V

VENATIONEM esse belli quoddã progymnasma.xv.58. pag.423.f
Ventum habere vim siccandi aquas. xiij.15. pag.270.m
Verecundia Romanorum circa nuditatem corporum.xiv.149. pag.371.p
Verno tempore factum ne sit diluuium an in Autumno.

Autumno.xij.6. pag.233.m
Perpetuũ fuisse ver in seculo aureo fabulati & mentiti sunt poëtæ. xiij. 129.p.311.f
Via hominis quã dicitur ipse corrupisse, quæ sit.ix.44. pag.91.f
Videndi verbum quid aliquando significet in scriptura.viij.78. pag.35.p
Vindictæ diuinæ duplex genus. xiv. 177. pag.382.m
Vinea quam plantauit Noë synagogæ figura xiv.194. pag.389.f

VINVM.

Vini faciendi ex vuis primus inuẽtor Noë. xiv.123.& 131.pa.361.p.m.& 364.p
Modice sumptum vtilissimum corpori. 125. pag.361.f
Immodice sumptum quot mala pariat.xiv. 126.& 128. pag.362.p.& 363.p
Quemadmodum temperandum esse aqua veteres docuerint.130. pag.363.f
Non fuisse ante diluuium in vsu eius potum. 133. pag.364.f
Cum aqua mixtũ posse ab ea separari. xvj. 128. pag.522.p
Viperæ descriptio & disputatio an in partu necetur à suis catulis.xj.35. pag.188.m
Vir apud Hebræos interdum quemcunque significat.xiv.35. pag.329.m
Viros aliquot insignes Deũ omni seculo excitasse.199. pag.341.f.& seq.p
Virgines fuisse quibus cum congressi dicũtur filij Dei in Genesi quidam existimarunt.viij.30. pag.16.p
Virtus, est vera hominis nobilitas. ix.16. pag.79.m
Virtutis cupidus describitur Thare, allegorice eius historia à Philone declarata. xvj. 150.pag.530.m
Vitæ humanæ decursus & conuersatio in scriptura significatur per introitum & exitum.xiij.94. pag.300.f
Vita hominis similis literæ y Græcæ. In quo maximè consistat.xiv.56. pag.336.p
Vitio optime conuenire nomen confusionis Virtuti concentus.xvj.131. pag.523.p
Vituli marini etiam in terra viuere possunt. x.52. pag.144.p
Viuificare quid significet interdum in sacra scriptura.ix.96. pag.113.p
Vlna qualis mensura.x.14. pag.122.m
Vocabulum Venite ac Veni apud Hebræos quam vim habeat.xvj.27. pag.485.p
Vocem humanam imitatur Hyæna vt eum tum hominem dilaceret.xj.52. pag.193
Etiam Leocrocuta.55. pag.194.p.f
Voces primo non significasse à natura nec ex institutione hominum sed Dei institutione.xvj.127. pag.521.m

VR.

VR Chaldæorum duplicem habet significationem & ignem & vrbem significans. xvj.232. pag.564.
Fuisse vrbem Chaldæa probatur. 237. pag.566.m
Quomodo intelligendus locus ille Esdræ.2. vbi dicitur Deus liberasse Abraham ex igne Chaldæorum, cum alibi legatur Vr Chaldæorum & intelligatur vrbs & non ignis.240. pag 568.p
Virus animal.xj.68 pag.198.p
Vxoribus quando primum abuti cœperint viri. viij.9.& viris vxores. ibid. pag.6.f

X

XENOCRATIS mira humanitas erga animalia non dissimilis eius quæ de B.Francisco prædicatur. xiij.27. pag.275.f

Z

ZARÆ regis Chuseorum innumerabilis exercitus. xv.31. pag.410.f
Zoroastrem fuisse eundẽ cum Nemrod quidam existimant.65. pag.427.m
Zoroastrem Magiæ autorem, fuisse ipsum Cham filium Noë, opinio Historiæ Scholasticæ. xiv. 145. pag.369.m.f

FINIS.

41

3408